

THE COMMENTARIES OF PIUS PP II PONTIFEX MAXIMUS

COMMENTARII RERUM MEMORABILIUM QUAE TEMPORIBUS SUIS CONTIGERUNT

5

PIUS PP II (1405-1464) AUTOBIOGRAPHIA AENEAE SILVII PICCOLOMINI.

LATINUM MEDIAEVALE RENASCENTIAE

A Text from Aeneas Silvius Piccolomini for the Study of Modern Latin.

Prof. Dr. Darcy Carvalho, São Paulo, Brasil

10

15/08/2014



AENEAS SILVIUS PICCOLOMINI

(1405-1464)

AUTOBIOGRAPHIA AENEAE SILVII PICCOLOMINI. PIUS PAPA II

15

VEL

COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI LIBRI XIII

*INTRODUCTIO DE VITA OPERIBUSQUE AENEAE SILVII PICCOLOMINI*Papa, Historiarum Scriptor, Geographus, Poeta, Biographus , Mediator, Legatus,
Analista Politicus

20 Cito: "The Renaissance popes were among the most enlightened and generous patrons of arts and letters in the Europe of their day. These commentaries of Pius II give us an intimate glimpse of the life and thought of one of the greatest of the Renaissance popes.

25 Pius II (1405-1464) began life as Aeneas Silvius Piccolomini in a small town near Siena, and became a famous Latin poet and diplomat. Originally an opponent of the papacy as well as something of a libertine, Aeneas eventually reconciled himself with the Roman church and became a priest, then a cardinal.

Finally he was elected Pope Pius II (1458-1464) and dedicated his pontificate to organizing a pan-European crusade against the Ottoman Empire. Pius's Commentaries, the only autobiography ever written by a pope, was composed in elegant humanistic Latin modeled on Caesar and Cicero”.

5 There is an English translation of the diaries, containing the Latin text, based on the last manuscript written in Pius' lifetime, and an updated and corrected version of the 1937 translation by Florence Alden Gragg (1937). Aeneas Silvius is also author of a love tale, *De Duobus Amantibus*, edited by Josephus Deval, in 1903” (From Google Books)

10 DE DUOBUS AMANTIBUS HISTORIA. *Lectiones varias, pluribus e codicibus, incunabilis, editionibus, studiose excerpit, locosque, studium huius operis omnibus praeferendo commodis suis, ex poetis antiquis, quibus Aeneas in contextu utitur, quod antehac nemini adhuc notabile erat, adnotavit ; fontes, unde petantur versus occurrentes, perlegendo veteres, invenire contendit ; inventa definivit textum*
 15 *innumeris a mendis purgavit ; lacunas explevit ; introductionem praeposuit ; epistolas Aeneae nonnullas acutas, indicem locorum inventorum duplicem adiunxit, textui effigies, ex libro antiquissimo Aeneae coaevo et imaginem propriam iniunxit Iosephus I. Deval . Budapestini MCMIII. Editor quoque praefationem eruditum adiunxit, cum XXII paginis. Piccolomini, Aeneas Silvius, 1405- 1464.*

20 Tractatulus de duobus invicem amantibus compositus per dominum Eneam Silvium poetam: Imperialemque Secretarium: qui tandem ad summi apostolatus apicem assumptus: Pius Papa Secundus vocatus est. Cf. Gallica Bnf: *Historia de duobus amantibus Eurialo et Lucretia ([Reprod.]) / [Aeneas Silvius (Pius II)] [Aegidius van der Heerstraten] (Louvain)1500*

25 DE DUOBUS AMANTIBUS HISTORIA com tradução portuguesa de Arnaldo Espírito Santo: *História de dois amantes. Biblioteca Nacional De Portugal: Documento electrónico = De duobus amantibus, circa 1470 / Eneas Silvio Piccolomini ; Apresentação de José V. de Pina Martins ; Introdução e notas de Melba Ferreira da Costa ; Tradução de Arnaldo Espírito Santo. Dados textuais (1 ficheiro PDF com 210*
 30 *páginas. Castelo Branco : SEMEDO, 2004. Cópia pública <http://purl.pt/740>*

THE COMMENTARIES OF PIUS II PONTIFEX MAXIMUS: PII SECUNDI PONT. MAX. *Commentarii Rerum Memorabilium Quae Temporibus Suis Contigerunt.*

Na introdução e no prefácio da tradução portuguesa de Eurialo e Lucretia, José V. de Pina Martins e Melba Ferreira da Costa dão notícia dos Comentários e do conjunto da obra literária de Eneas Silvio Piccolomini:

Cito: “Eneas Silvio Piccolomini, historiador, geógrafo, analista político, mediador entre partes litigantes, homem das sete partidas olha, vê e regista nos *Commentarii* dados colhidos durante uma longa vida: pessoas, terras, casos anómalos vividos em contacto com realidades novas, imprevistas, de luta contra a adversidade. Um tronco
 40 comum sustenta do princípio ao fim o desenrolar da acção: a lembrança do seu eu sempre em primeiro plano, a necessidade de se exhibir e a apologia dos sucessos obtidos.

No cômputo global da actividade literária apontamos os *Commentarii* como obra síntese de várias etapas da sua vida, expressas subjectivamente, com reflexos da versatilidade que o caracteriza. Obra extensa, de temática vária sobre os países europeus, com elementos novos da sua lavra, que colmatam outros de carácter
 5 historicogeográficos, nomeadamente, a Europa, a Ásia, e a História Boémica. Retratos físicos e morais das personalidades com quem conviveu e interagiu aliados à dinâmica da sua actividade junto às cortes que representou, trazem até nós um quadro vivo da Europa renascentista. O extenso labor de Aeneas Sivius espalha-se por
 10 13 livros, com relevância para o primeiro, sua autobiografia, cuja unidade se mantém constante até ao fim, em dissonância dos demais livros escritos em forma de apontamentos registados diariamente”.

Na autobiografia, capítulo inicial dos comentários, Aeneas retrata-se do nascimento ao pontificado, narrando a infância, e as etapas percorridas até a adolescência, os mestres que o formaram, Siena, cidade natal, a Europa, a elevação ao pontificado, os
 15 concílios, sua atividade diplomática, pontifícia e bélica, ou seja, escrevendo de si mesmo, o autor explicita o começo, o florescimento e o ápice duma das máximas entidades da cristandade medieval. No prefácio deixa entrever que seu primeiro objetivo é a glória póstuma:

“*Quid est igitur, quod tantopere boni nominis gloriam quaerimus? Fortasse qui purgantur animi, dulcedinem aliquam hauriunt relictæ in terris famæ?*”
 20

Mas assinala também outro objetivo, este mais tangível, prático e urgente, deixar bem claro as razões dos seus atos para obliterar a malidicência dos contemporâneos :

“*Non parceret Pio Secundo pontifici maximo lingua dolosa, quæ tot Christi vicariis et ipsi Christo non pepercit. Accusatur, reprobatur, dum vivit inter nos Pius Secundus; extinctus laudabitur et desiderabitur, cum haberi non poterit. Cessabit invidia post obitum, et sublatis, qui iudicia pervertunt, privatis affectibus vera resurget fama, Piumque inter claros pontifices collocabit.*”
 25

Perguntam os prefaciadores, cito: “Como classificar os comentários?: “ Uma autobiografia, um livro de memórias ou um diário, são perguntas com respostas
 30 indefinidas. Sem o tom confessional de exemplos oferecidos pela literatura, os comentários retratam, todavia, aspectos marcantes do homem que os escreve com sinceridade. Não sendo nítidas as fronteiras entre aquelas, tornase difícil destrinçá-las. Tãopouco os textos em causa inseremse no conceito de história, enquanto género científico.

De resto, o próprio autor é claro quando secunda que não se trata de história, uma vez
 35 que fixa acontecimentos recentes mas registo de factos memoráveis que tiveram lugar no seu tempo, como sujeito activo e passivo. Atento à lei da história pelo respeito à verdade. Seguemse considerações várias sobre história/historiadores, cuja análise ultrapassa o âmbito destas linhas. Humanista, olhospostos na arqueologia, mesmo à
 40 vista em muitos capítulos dos seus treze livros; na convivência íntima com os grandes clássicos gregos e latinos. Humanista que os humanistas italianos incensaram como o bem supremo para os seus ideais”.

Ao estudante de latim moderno utilitário, porém, pouco importa a motivação ou os mores do personagem histórico eminente, importa-lhe apenas o latim do autor, tão

- perfeito, simples, claro, variado e interessante como mais não podia ter sido no tempo em que viveu, em pleno renascimento das letras e da cultura europeias, no dealbar dos tempos modernos, no exato momento do desmoronamento do Império Romano Bizantino e Oriental, causado pelo tsunami turco que Piccolomini tentou barrar e conter diplomática e militarmente: non potuit tamen cohiberi fluminis impetus, afirmou ele mesmo.

CRONOLOGIA DA OBRA DE AENEAS SILVIUS PICCOLOMINI

Por José V. de Pina Martins, Melba Ferreira da Costa e Arnaldo Espírito Santo

14261428 – Cinthia.

- 10 ? – 1435 – *Nimphilexis*, poema
- 1440 – *Libellus dialogorum de Generalis Concilii autoritate et gestis Basiliensium*.
- 1440 – *De gestis Basiliensis Concilii*.
- 1443 – *Pentalogus*.
- 1444 – *De natura et cura equorum*.
- 15 1444 – *Historia de Eurialo et Lucretia*.
- 1444 – *ChrIsis*, comédia.
- 1444 – *De curialium miseris*.
- 1446 – *De ortu et autoritate Romani Imperii*.
- 14401450 – *De viris aetate sua claris*.
- 20 1450 – *De rebus Basileae gestis stante vel dissoluto concilio*.
- 1450 – *De liberorum educatione*.
- 1453 – *Historia Gothorum*.
- 1454 – *Historia de Ratisponensi dieta*.
- 14531455 – *Dialogus*.
- 25 1456 – *Commentarii in libros Antonii Panormitae Poetae de dictis et factis Alphonsi regis*.
- 1456 – *Artis retoricae praecepta*.
- 1457 – *De ritu, situ, moribus et conditione Germaniae descriptio*.
- 14521458 – *Historia Friderici III Imperatoris*.
- 30 1458 – *De Europa*.
- 1458 – *Historia Bohemica*.

1461 – De Asia.

1463 – Supra Decades Blondi Epitome.

1463 – Bulla retractationum.

1464 – Commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt.

5 1431? – 1454 – Epistolae et Varii Tractatus

Cf. Silvius, Aeneas (Enea Silvio Piccolomini) Pope Pius II, 1405 1464

<http://www.philological.bham.ac.uk/bibliographI/sf.html>

http://www.uni-mannheim.de/mateo/itali/autoren/pius_itali.html

INDEX ON THE COMMENTARIES IN CAMENA. UNI-MANNHEIM

- 10 COMMENTARIORUM PII II. PONT. MAX. Liber Primus. - De origine Piccolomineae domus, et Pii Maioribus. |Aeneae ortus et puerilia discrimina, ac rudimenta, et progressus aetatis. | [pag. 1](#)
- |Aeneas Firmani secretarius, profectus cum eo in Basileam, et reditus in Italiam cum Bartholomaeo Episcopo Novariensi, eiusque Oratio in schola Papiensi. | [pag. 2](#)
- 15 |Fit Aeneas Secretarius [Secretarius] cardinalis Sanctae Crucis, cum quo in Franciam proficiscitur, ab eodemque postea in Scotiam mittitur. | [pag. 3](#)
- |Alphonsi captivitas, et Aeneae in itineribus gravia pericula marisque procellae, et Angliae mirabilia. | [pag. 4](#)
- 20 |Scotorum mores varii, et quae apud eos nascuntur, et Aeneae continentia eisq. [eiusque ?] divina ope sublatum periculum, ac per Angliam vaferimus transitus. | [pag. 5](#) &[pag. 6](#) &[pag. 7](#)
- |De gestis Aeneae in concilio Basiliensi, et eius beneficiis, et morbo apud Mediolanum gravissimo. | [pag. 8](#) &[pag. 9](#)
- 25 |De Sigismundi Caesaris morte, et Alberti suffectione, Aeneae pestilenti morbo, et mirabili cura. | [pag. 10](#) &[pag. 11](#)
- |Depositio Eugenii in Concilio, et Felicis creatio, eiusque Secretarius Aeneas. | [pag. 12](#)
- |Aeneas poeta laurea corona donatur, ab Imperatore Protonotarius efficitur, eiusque summa patientia, et legationes variae. | [pag. 13](#)
- 30 |Sarantanae Vallis descriptio, et incolarum mores. | [pag. 14](#)
- |Aeneae legatio ad Pontificem Eugenium, et cum eo reconciliatio, et Thomae Sarezanei amicitia. | [pag. 15](#) &[pag. 16](#)
- |Fit Aeneas Eugenii secretarius, et eius singularis cum virtute fortuna, et electorum Imperii adversus Pontificem coniuratio. | [pag. 17](#)
- 35 |Aeneas Eugenium convenit, aegrotatio eius, et Thomae, ac Aeneae singularis prudentia in dissolvendo Frankfordiensi conventu, et neutralitate deponenda. | [pag. 18](#) &[pag. 19](#) &[pag. 20](#)
- |Ioannes Carvaiales, et Thomas fiunt cardinales, Aeneas Romam legatus proficiscitur, et cum omnium admiratione perorat, Germanorum oboedientiam praestans. | [pag. 21](#)
- 40 |Aeneas ab Eugenio eligitur episcopus Tergestinus, quo non succedente, fit subdiaconus. Mors Eugenii, suffectioque Nicolai. Aeneas secretarius et ?erus [

episcopus] Tergestinus. | [pag. 22](#)

| Conventus apud Asciasburgium, et Germanorum oboedientia ad novum Pontificem. Philippi Mariae Ducis mors, ac Aeneae legatio ad Mediolanenses, deinde ad Histrios. | [pag. 23](#) & [pag. 24](#)

5 | Aeneae altera legatio ad Mediolanenses, atque opera pro Imperatoria dignitate.

Franciscus Sfortia post obsidionem a Mediolanensibus caeso legato Veneto, civitati Dux praeficitur. | [pag. 25](#) & [pag. 26](#) & [pag. 27](#)

| Aeneae legatio ad Alfonsum regem de matrimonio contractando cum imperatore et Leonora, et eius opera concluso. Aeneas eligitur Senensis Episcopus absens. | [pag. 28](#)

10 & [pag. 29](#)

| Aeneas Caesaris legatus ad Bohemos, eorumque conciliatio, et haeresis. | - Apparatus Leonorae et Aeneae cura in comitatibus perquirendis, et Senarum condicio, atque Italiae metus, et imperatrix ab Aenea deducta. | [pag. 30](#) & [pag. 31](#) & [pag. 32](#) & [pag. 33](#)

| Florentinorum metus, Adventus Caesaris et Leonorae in Italiam, primusque

15 congressus, ac matrimonium Senis evectum, et Caesaris de Aeneae [Aenea] vaticinium [vaticinium]. Aeneae oratio apud pontificem ac pontificis et Caesaris somnia. | [pag. 34](#) & [pag. 35](#)

| Pontificis promissio de cardinalatu Aeneae, qui tamen legatus de latere factus. Fuga Ladislai. Ducatus Borsii, et Aeneae oratio. | [pag. 36](#)

20 | Bellum Austrialium et Aeneae legatio promotuque [promotusque] ad principatum imperii, eiusque oratio, et confectio pacis. | [pag. 37](#)

| Constantinopolis captivitas, Conventus Ratisponensis, Burgundi adventus, et Aeneae ad Pontificem legatio atque oratio. | [pag. 38](#) & [pag. 39](#)

| Alius conventus Frankfordiae celebratur, et per Aeneam ad bellum contra infideles accensus. | [pag. 40](#)

| Conventus in nova civitate, Aeneae oratio. Mors Pontificis Nicolai, Sarezana oppidum. Nicolai gesta, Conclave. Creatio Calisti; eiusque votum. | [pag. 41](#) & [pag. 42](#) & [pag. 43](#)

| Aeneae suasio pro Pontifice, et ipsius ad eum legatio pro Germanorum oboedientia praestanda. | [pag. 44](#)

30 | Rumor vanus de cardinalatu Aeneae eiusque modestia, et Zamorensis insana laetitia, et creatio aliorum cardinalium astu Calisti. | - | Bellum Picinini [Iacobi Piccinini] contra Senenses, eius fuga, atque necessitas, Aeneae legatio ad Alfonsum efficax, et Lucretiae amores. | [pag. 45](#)

| Profligatio Turcarum, et pax Senensis. | [pag. 48](#)

35 | Aeneae promotio ad cardinalatum et omnium gentium congratulatio, Vormiensis ecclesiae adeptio, Polonorumque defensio. | [pag. 49](#)

| Aeneae auctoritas in senatu cardinalium, et contentionibus finiendis. | [pag. 50](#)

| Ingentes terraemotus in Neapolitano regno, Suetiae [Sueciae] regis eiectio, Alfonsi mors, Ferdinandique successio et Calisti Papae obitus. | [pag. 51](#)

40 | Conventus cardinalium in conclavi, Aeneaeque ad pontificatum erectio, ac Pii appellatio. | [pag. 52](#) & [pag. 53](#) & [pag. 54](#) & [pag. 55](#)

| Laetitia Romanorum et omnium gentium ex Pii Pontificatu, variaeque Principum legationes ad congratulationem et oboedientiam. Famae miraculosa celeritas. | [pag. 56](#) & [pag. 57](#)

Liber Secundus. - | De Pii coronatione, et de Turcarum origine et progressu. |

(From September 1458) [pag. 58](#)

| Pii adversus Turcas deliberatio, et indictio concilii Mantuani, eiusque urbis

descriptio ac vaticinium. | [pag. 59 & pag. 60](#)
 | De Siciliae nominibus, situ, et magnitudine, et regno Neapolitano, susceptisque
 pro eo contentionibus et bellis, et quâ [quare ?] Calistus adversatus Ferdinan [
 Ferdinando]. | [pag. 61 & pag. 62](#)
 | Piccinini invasio, et bellum in ecclesiam Romanam et arcium redemptio. | - | De
 coronatione Regis Ferdinandi et condicionibus adiectis. | [pag. 63 & pag. 64](#)
 | Ordinatio Reipublicae Romanae et Curialium constitutio. | [pag. 65](#)
 | Ioannes Solerius ab Episcopatu priore ictus [reiectus] a Pio restituitur, et
 Roverius ingratus punitur, Piique integritas. | - | Petri S. Marci cardinalis
 petulantia, Piique redargutio. | [pag. 66](#)
 | Promotio Bernardi [sc. Bosci] ad ecclesiam Agrigentinam. | [pag. 67](#)
 | Pii discessus, et eius dissuadentibus amicis constantia. | [pag. 68](#)
 | Pontificis profectio, et Assisii restitutio, Eversisque [Aversisque Anguillarii comitis
] callida mandata, et Pii ad Piccininum responsum. | [pag. 69](#)
 | De Eversi [Aversi Anguillarii] origine. | - | De Senarum origine et imperio. | [pag. 70](#)
 & [pag. 71](#)
 | De civitate Castellana, et Tiberi ponte transmissa; de Narnia, Spoleto, et eius arce.
[pag. 72](#)
 | De legatione et responso ad Imperatorem pro regno Hungariae suscipiendo. |
[pag. 73](#)
 | Reconciliatio Senensium, et Venetorum foedus cum Turcis. | - | De Fulgineo at
 Assisio, ac divi Francisci nobili templo. | [pag. 74](#)
 | De Perugia, civiumque splendore, ac Baccianorum fortuna et moribus. | [pag. 75](#)
 & [pag. 76](#)
 | De Trasymeno [Trasimeno] lacu, et Clusio, et Sarteano. | [pag. 77](#)
 | De Corsiniano nunc Pientia. | [pag. 78](#)
 | De ecclesia Patavina, de Bonoconventu, de ingressu Senarum, et gravissima
 oratione ad populum. | - | Ingressio Senarum Pontificis. | [pag. 79](#)
 | Oratio Pii. | [pag. 80 & pag. 81](#)
 | De gentilitate restituta, et concessio Radicofani Senensibus. | [pag. 82](#)
 | De ecclesia Senensi metropoli facta, et Silvii ac Victoriae parentum sepulcro
 nobilissimo. | [pag. 83](#)
 | Multorum legationes maxime regis Bohemiae, et eorum haeresis. | [pag. 84](#)
 & [pag. 85](#)
 | Dissafio [Dissuasio] multorum a firmo Pii proposito, et perfidia Tarentini. | - | De
 oppido Bonitii, et occurso Galeatii et Florentiae ingressu. | [pag. 86 & pag. 87](#)
 | Florentiae origo eiusque gesta et factiones. | - | De Cosmae divitiis et potentia. | -
 | De Antonino Praesule Florentino, eiusque sanctimonia et morte. | [pag. 88](#)

&pag. 89

|De viris illustrisus [illustribus] Florentinis. | [pag. 90](#)

|De magnificentia aedificiorum Florentinorum et ludicro apparatu. | [pag. 91](#)

|De Sigismundo Malatesta. | [pag. 92](#) &[pag. 93](#)

|De Austria et eius ducibus. | [pag. 94](#)

|De Suizzaris et eorum gestis atque virtute, et Dalphini bello. | [pag. 95](#)

|Angelus Pergula. | [pag. 96](#)

|Apeninus mons quantus, et unde dicatur. | - |De Bononia et Baioariis et Xanto tyranno, et factionibus urbis. | [pag. 97](#) &[pag. 98](#)

|Ingressus Pontificis Bononia [Bononiae], et Bornii oratio, Bononiensiumque licentia. | [pag. 99](#)

|De Orlando praesule Florentino, et eius stulta morte. | [pag. 100](#)

|De Ferrara, eiusque origine, et qui in ea fuerint dominati, et Estiensium. | [pag. 101](#)

|De Borsio, et eius moribus et ingressu Ferrariae. | [pag. 102](#)

|De Guarino, Aurispa, Poggio, et Iannotio oratoribus et eorum morte. | - |Padi fluminis origo et magnitudo. | [pag. 103](#)

|De Mintio flumine, et Virgilii villa, de Mantuae origine, ac Methildis [Mathildis] dominatione, et Gonzagae, et Ludovici praestantia. | [pag. 104](#)

|De Blanca ducissa Mediolani, et Hippolyta filia, ac dignissima prole, et de ingressu Mantuae in pompa triumphali, et Hippolytae puellae nomine pereleganti. | [pag. 105](#) &[pag. 106](#) &[pag. 107](#)

Liber Tertius. - |De initio conventus, ac prima Pontificis oratione, et Blancae discessu. | (*From the beginning of the diet of Mantova, June 1459*) [pag. 108](#)

|De variis perversisque multorum calumniis in Pontificem, et dissuasione perseverandi. | [pag. 109](#)

|De Peloponneso sive Morea, eiusque situ : et Despoti legatio, ac Pii et Blancae praesidio ad eum misso, et Demetrii perfidia. | [pag. 110](#)

|Germanorum dissidia, et Suicensium pax legati opera confecta. | [pag. 111](#)

|Oratio legatorum Pontificis ad Germanos de pace, eiusque confectione, et Palatini [Federici Palatini] pertinacia. | s113 [pag. 112](#)

|De variis legationibus orientalium, et perfidia Bosnensium in prodenda Sinderovia. | [pag. 114](#)

|Lex lata de contentione praesidentiae, et episcoporum adversus Protonotarios praelatione. | [pag. 115](#)

|De Maguntia [Moguntia] urbe, ac Dyetheri [Dietheri] simoniaca electione. | [pag. 116](#)

|Legatio imperatoris non satis digna, et Pii ad eum mandata. | - |Philippi ducis

Burgundiae mutatum propositum, legatioque eius splendidissima. | [pag. 117](#)
[&pag. 118](#)
 |Oratio Burgundorum, et Pii responsum. | [pag. 119](#)
 |De discordia Clivensis ducis cum Coloniensium praesule Susatensium et
 Xantensium causa. | [pag. 120](#) &[pag. 121](#) &[pag. 122](#)
 |Mandata Burgundi, et Pii confutatio divina. | [pag. 123](#) &[pag. 124](#)
 |Burgundi oblatio, et Clivensis aegrotatio. | [pag. 125](#)
 |De Francisco Sfortia, eius origine et rebus gestis, ac gloria rei bellicae singulari. |
[pag. 126](#) &[pag. 127](#)
 |De bello Philippi ducis Mediolani, adversus Ecclesiam, et Venetos, et eius morte. |
[pag. 128](#)
 |Franciscus Mediolanum in deditionem recipit, caeso legato Venetorum. | [pag. 129](#)
 |Bellum Alfonsi, et Venetorum contra Franciscum, et Florentinos et eorum
 concordia. | & Simon Camertaes [Simonettus Camertes]. - De Francisci fortuna et
 dotibus, et quae ei acciderunt. | [pag. 130](#)
 |De Francisci magnifico ingressu, magnifice excepto, et Philippi oratione, Piique
 responso. | [pag. 131](#)
 |De Borsio. | [pag. 132](#)
 |De Sigismundi pace diu agitata, et tandem a Pio confecta. | [pag. 133](#) &[pag. 134](#)
 |Viturvium ab Everso occupatum, et a Ravennati praesule recuperatum. | [pag. 135](#)
 |Legatio Polonorum, et Sabaudiensium, et Venetorum. | [pag. 136](#)
 |De Venetiarum origine, et finitimis locis, et qui primum habitarunt, cognitu
 dignissima. | - |421. [anno 421.] | [pag. 137](#) &[pag. 138](#)
 |De forma, et gubernandi modo Venetorum, et locorum mutatione, primisque
 regibus Italicis, et Adriensibus victis, atque Hungarorum incursus. | [pag. 139](#)
 |870. [anno 870.]. | [pag. 140](#)
 |1000. [anno 1000.]. | - |1171. [anno 1171.]. | [pag. 141](#)
 |De Venetorum libertate. | [pag. 142](#)
 |Alexandri tertii Senensis beneficia in Venetos, bellaque varia cum Genuensibus et
 Pisanis fortuna diversa, et Italica eorum bella. | [pag. 143](#) &[pag. 144](#) &[pag. 145](#)
 |1380. [anno 1380.]. | [pag. 146](#)
 |1334. [anno 1334.]. | - |De Venetiarum situ, et navali maxime, ac templo divi
 Marci, aliisque aedificiis, et claris viris. | [pag. 147](#)
 |Adventus et oratio legatorum Venetorum, et Pii responso. | [pag. 148](#)
 |Progressus concilii, et Pii oratio luculentissima, Bessarionisque responsum, et
 Francisci Sfortiae vulgaris oratio. | [pag. 149](#)
 |Oratio Hungarorum, et Pii responsum. | [pag. 150](#)
 |De belli consultatione, quo milite, quibusve modis esset ineundum, cum Italicis

habita. | [pag. 151](#) & [pag. 152](#)

|Quanto milite opus, et unde pecunia exigenda sit, et Venetorum tergiversatio. |
[pag. 153](#) & [pag. 154](#)

|Legatio Francorum, Britannorum, Genuensium, et Rhenati [Renati Siciliae regis]. | [pag. 155](#)

|De Britannia. | [pag. 156](#)

|Pollicitationes legatorum, et Pii responsa. | [pag. 157](#)

|Francorum querela de regno Siciliae, et Pii confutatio vehementissima, et eius aegrotatio, et animi magnitudo. | [pag. 158](#)

|Altera Francorum querela in consistorio secreto, alteraque Pii confutatio. |
[pag. 159](#)

|Legatio Francorum parum ad rem communem afferens, suis tantum querelis occupata. | [pag. 160](#)

|De rebus Angliae, et legati fraude, ac pace confecta. | [pag. 161](#) & [pag. 162](#)

|1459. [anno 1459.]. | - |Aliud bellum in Anglia, et regis prioris eiectio, uxorisque pugna, et tandem exilium. | - |Oblata Germanorum, copiarumque numerus, et legatus Apostolicus missus. | [pag. 163](#)

|De Sigismundo Austriae duce, et ingenio eius perverso. | [pag. 164](#)

|Adventus fortissimi ducis Alberti marchionis Brandeburgensis. | [pag. 165](#)

|Provocatio ad futurum concilium a Pio sublata, ac decretum interpositum. |
[pag. 166](#) & [pag. 167](#)

|1459. [anno 1459.]. | - |Summa rerum in conventu Mantuano confectarum, et Pii supplicatio, dissolutioque concilii. | [pag. 168](#) & [pag. 169](#)

Liber Quartus. - |Ioannes [Ioannis] Rhenati [Rhenati filii] in belli initio sacrilegium, et principis Rossani perfidia, et Traiectum oppidum. | (*From the end of the diet of Mantova*) [pag. 170](#)

|Rebellio principis Tarentini, et aliorum multorum, et qui in fide manserunt. | - |Auxilium Pii et Mediolanensis erga Ferdinandum regem, cum ceteri Italici foederis iura neglexerint. | [pag. 171](#)

|Legatio pii ad Venetos, et discessus e Mantua, profectio Ferraria [Ferrariam], Borsiique occursus. | [pag. 172](#)

|De Picinino [Iacobo Piccinino], et Borsio, et Pii e Ferrara discessu, ac laboribus. | - |De Rheni fluminis glacie, et itinere Bononiam versus continuato, defectioneque Picinini [Iacobi Piccinini], ac deliberatione eligendi ducis. | [pag. 173](#)

|Introitus Florentiae, et Cosmae conventus, et rerum Italiae disceptatio. | [pag. 174](#)

|Ingressus Senarum magnificentissime exceptus, et Senensis ecclesia nepoti commendata; Urbinatisque adventus, atque eius origo, et belli duces electi. |
[pag. 175](#)

|De creatione novorum cardinalium, contentioneque repugnantium. | [pag. 176](#)
&[pag. 177](#)

|De vi animi Pontificis in perficiendo quod voluit, et probatissimo iudicio eligendi; et de Alexandro viro sancto et dignissimo, atque universali laetitia ex eius promotione. | [pag. 178](#)

|Pii oratio ad novos cardinales, quales esse oporteat tanta in dignitate constitutos, et votum electorum. | [pag. 179](#)

|Mors Ioannis cardinalis Papiensis, et transitus Picinini [Iacobi Piccinini] in regnum, et Federici caecitas. | [pag. 180](#)

|Militia fraudulenta, et perfida, et Pii provisio in Ferdinando defendendo. | [pag. 181](#)

|Patavinae, Feltrensis, Ferrariensis, Anconitanae, et Venetae ecclesiarum provisiones, Pii secessio ad Capriolam, et loci amoenitas. | [pag. 182](#)

|Pii aegrotatio ac profectio ad balnea, tractatio reformandae civitatis Senensis, et agri eius amoenitas. | [pag. 183](#)

|Indulgentia Senensis Ecclesiae, et reditus ad balnea. | [pag. 184](#)

|Cardinalis S. Petri capitur a Sigismundo Austriae duce. Pii copiae in regnum penetrant Ferdinandum adiuturæ, belli auspicia, et principis Rossani perfidia. | [pag. 185](#)

|Populi Senensis divisio, et in Pium vanissimæ calumniae. - |Legatio regis Castellæ, et trium Patriarcharum Orientalium erga Romanam Ecclesiam reconciliatio. | [pag. 186](#)

|Orientalium oboedientia. | - |Monovassiae situs, et legatio, atque deditio. | [pag. 187](#)

|Iacobi Lucensis viri præstantissimi promotio ad ecclesiam Papiensem invito duce, et Pii animus invictus. | [pag. 188](#)

|Sarnensis pugna, in qua adversante fortuna, Ferdinandus occumbit, et Simonetti clara, optataque mors, et Castri maris proditio. | [pag. 189](#) &[pag. 190](#)

|Proelium Aprutinum Picinini [Iacobi Piccinini], et Ecclesiasticorum, et rumor varius, quique in ea pugna claruerunt. | [pag. 191](#)

|Gallorum curialium levitas. | - |Romæ tumultus multi, auctore Tiburtio, et Valeriano fratribus, et scelerata flagitia. | [pag. 192](#) &[pag. 193](#) &[pag. 194](#)

|Castrum Leonis maritimum Antonio nepoti datum, et multo studio redemptum, unâ cum insula Liliæ. | [pag. 195](#)

|Sigismundus Malatesta fidem frangit, oppida pignori data invadit, mendaciis confictis. | [pag. 196](#)

|Coniuratio gravis adversus Pium detegitur. | [pag. 197](#)

|Collatio ecclesiae Raguseæ, et Matthæi Regini. | [pag. 198](#)

|Pii discessus e Senis ad Corsinianum, et eius aegrotatio, monitaque ad Senenses

utilissima. | [pag. 199](#)

| Roberti ducis adventus, Pii discessus a Corsiniano, et per Radicofanum, et Abbatiam ad Percenum iter, et Aquaependentis, ac Vulsinii deinde accessus. |

[pag. 200](#)

| Urbs vetus, et eius anathema, Piique benedictio, ac templum nobilissimum. |

[pag. 201](#)

| Hostia cruenta. | [pag. 202](#)

| Gentilis de Sala nequam, et novator rerum, Sala diruta, Ficulla capta, in exilium mittitur. | [pag. 203](#)

| Balneoregiensium cum Urbevetanis contentio, Montisflaconis, et Romanorum oratores. | [pag. 204](#)

| Viturvium, eiusque factiones, et Pii responsum Romanis legatis gratissimum. |

[pag. 205](#) & [pag. 206](#) & [pag. 207](#)

| Picinini [Iacobi Piccinini] progressus, et Pii magnanima de reditu deliberatio, et descriptio Canapinae. | [pag. 208](#)

| Nepesi descriptio Formellique, et Romanorum occursus, ingressusque in Urbem festivissimus. | [pag. 209](#) & [pag. 210](#) & [pag. 211](#)

Liber Quintus. - | Picinini [Iacobi Piccinini], et Ecclesiasticorum praeparatio. |

[pag. 212](#)

| De Tiburtio, et Coniuratis, ut capti omnes, supplicioque affecti sunt, et eorum consilia patefacta. | [pag. 213](#) & [pag. 214](#) & [pag. 215](#) & [pag. 216](#) & [pag. 217](#)

| Donidei oppidi expugnatio, atque deditio, et Sfortiani militis virtus, ac immanis crudelitas, et perfida direptio, fide violata. | [pag. 218](#)

| Pii oratio. | [pag. 219](#) & [pag. 220](#) & [pag. 221](#) & [pag. 222](#) & [pag. 223](#) & [pag. 224](#)

| Pius II. origine Romanus. | - | Sigismundi Malatestae cumulata cum impietate perfidia, et miraculum Senensis monachi. | [pag. 225](#)

| Aloysii Acti crudele facinus, et Braccii Perusini multo crudelissimum. | [pag. 226](#)

| Mors regis Scotorum miserabilis, Bossinensis regis emendatio, Manichaeorumque persecutio; obitusque Guarrini [Guarini] viri doctissimi, bonique. | [pag. 227](#)

| 1460. [anno 1460.] | - | Nicaenus cardinalis legatus in Germaniam quid egerit. | [pag. 228](#)

| Genuensium assidui tumultus, et mutationes, Gallorumque calamitas miserrima, et cruenta, inauditaque caedes. | [pag. 229](#) & [pag. 230](#)

| Orientalium variae ad Pium legationes, et habitus varii et voracitas inaudita, eorumque oratio. Pii responsum, et creatio Patriarchae, et eorum inanes progressus. | [pag. 231](#) & [pag. 232](#) & [pag. 233](#)

| Alexandri Urbinatis adventus in Urbe : Sigismundi Malatestae accusatio publica,

et dictus dies, eiusque scelera nefandissima. | [pag. 234](#)
 |De ense Burgundo dato; et creatione novorum cardinalium agitari coepta. |
[pag. 235](#)
 |Thomae Paleologi fuga in Italiam, et in eum Pii beneficentia; Sinuessanus ducatus
 Antonio nepoti donatur; et deditio Terracinae, eiusque situs. | [pag. 236](#) & [pag. 237](#)
 |De portu Cornetano; et civitatis refectione Veteris; et scalarum Principis
 Apostolorum restauratione; et Pii morbo : et excommunicatione duorum
 Sigismundorum. | [pag. 238](#)
 |Profectio Antonii nepotis in regnum, Vulturini decursus, et Castrimaris [Castri
 maris] per Antonium expugnatio. | [pag. 239](#) & [pag. 240](#)
 |Expugnatio Scaphati, et alterius castelli maris direptio per Antonium facta; Turris
 Graeca, Alfonsi secessus, et Vesevus mons sulphureus, ac Plinii maioris mors. |
[pag. 241](#)
 |Gesta Ferdinandi, Beneventi restitutio; archiepiscopi perfidia, et Picinini [Iacobi
 Piccinini] progressus. | [pag. 242](#) & [pag. 243](#)
 |Cosentiae defectio, et eius recuperatio, ac direptio, et opes. | [pag. 244](#)
 |Barones quidam Romani factiosi multis oppidis spoliati, et Pii constantia in eis
 persequendis. | [pag. 245](#)
 |Alexandri gesta in Aprutiis. | - |Canonizatio sanctae Catherinae Senensis. | -
 |Consultatio de Urbis discessu, et Pii ad Federicum dissuadentem confutatio,
 animique magnitudo. | [pag. 246](#) & [pag. 247](#)
 |De genere armorum apud veteres, deque Troiano bello Pii sermo; de ingressu
 Tyburis [Tiburis], et data venia, et arcis confectione. | [pag. 248](#) & [pag. 249](#)
 |De Tybure [Tibure], et eius situ, aedificiis priscis, et agri eximia amoenitate. |
[pag. 250](#) & [pag. 251](#)
 |De origine Tyburis [Tiburis], et quid ei contingit secundum Blondum. | - |Invasio
 Aquilanorum per duces Ecclesiae, et praeda ingens; et divi Bernardini, et Antonii
 Petrucii Senensium dissimillima comparatio, Antonii captivitas, atque Sorani
 ducis perfidia. | [pag. 252](#) & [pag. 253](#) & [pag. 254](#) & [pag. 255](#)
 |Gesta Ferdinandi in Apuliis, et ditissimi templi compilatio, Pii que reprehensio. |
[pag. 256](#)
 |Sigismundi victoria, eiusque inaudita perfidia. | [pag. 257](#)
 |Profectio Iacobi Papiensis in Picenum, et Ecclesiastici exercitus confirmatio, et
 provisio novi ducis. | [pag. 258](#) & [pag. 259](#)

Liber Sextus. - |Dyetheri [Dietheri] Maguntini perniciose oratio in conventu
 Germanico, et Rodulphi [Rodulphi Decani Vormaciensis] efficax, sanctumque
 responsum. | [pag. 260](#) & [pag. 261](#) & [pag. 262](#) & [pag. 263](#) & [pag. 264](#)
 |Dyetheri [Dietheri] periuria, et flagitia, eiusque depositio, et Adulphi electio,

eorumque contentiones. | [pag. 265](#) &[pag. 266](#) &[pag. 267](#)
 | De comite Palatino, eiusque progenie, et belli atrocitate inter Maguntinos. |
[pag. 268](#)
 | Causa belli Gallici, et Anglici. | - 270 [pag. 269](#) &[pag. 271](#) &[pag. 272](#)
 | De corvorum, accipitrumque pugna, formicarum proeliis mirabilia. | [pag. 273](#)
 &[pag. 274](#)
 | De rebus Angliae, eorumque regum, et bellis adversus Gallos. | - | Oratio Henrici
 regis Anglorum ad commilitones, et conflictus Gallorum. | [pag. 275](#) &[pag. 276](#)
 | Burgundorum, et Armeniacorum bella, crudelitasque immanissima, Capolucae, et
 luporum voracitas. | [pag. 277](#) &[pag. 278](#)
 | Anglicorum Gallorumque bellum, et caedes Burgundi ducis, filiique foedus cum
 Anglis. | [pag. 279](#) &[pag. 280](#)
 | Ioannae puellae gesta miraculosa, et supra fidem adversus Anglos. | [pag. 281](#)
 &[pag. 282](#) &[pag. 283](#) &[pag. 284](#) &[pag. 285](#) &[pag. 286](#) &[pag. 287](#)
 | Progressus Caroli regis, Martini Papae mors, pax Burgundi cum Carolo. | [pag. 288](#)
 &[pag. 289](#)
 | De pragmaticae sanctionis origine, et impietate: et quemadmodum sub Pio
 exstincta. | [pag. 290](#) &[pag. 291](#)
 | Libido Caroli, et Delphini filii gesta. | [pag. 292](#) &[pag. 293](#) &[pag. 294](#)
 | Anglorum infelix bellum adversus Francos, et Talbotis virtus, atque mors. |
[pag. 295](#) &[pag. 296](#)
 | Delphini exilium, et fuga ad ducem Burgundiae, et ducis liberalitas atque
 utriusque oratio, et Caroli mors. | [pag. 297](#) &[pag. 298](#) &[pag. 299](#)
 | Pietas Pii, et Ludovici coronatio, eiusque eximiae virtutis praeludia, et exstinctio
 pragmaticae incepta. | [pag. 300](#)
 | Oratorum adulterini regis Cypriorum explosio, et dispectus a Pio. | [pag. 301](#)
 | Scanderbechii firma constansque amicitia, et eius in regnum adventus, atque
 gesta, graveque cum Picinino [Iacobo Piccinino] colloquium, et illius perfidia. |
[pag. 302](#)
 | Principis Tarentini litterae ad Scanderbechium, illiusque vivum mordaxque
 responsum. | [pag. 303](#) &[pag. 304](#)
 | Secessus Pii ex Tybure [Tibure], et multorum locorum accommodata descriptio. |
[pag. 305](#)
 | Oppidum Sublacense, et divi Benedicti asperrima habitatio, monachorumque
 sanctimonia. | [pag. 306](#) &[pag. 307](#)
 | Zinazanum, Cavae, et terra tenax ibi permirabilis, urbsque Praenestina. | [pag. 308](#)
 | Reditus in Tybur [Tibur], et deinde in Urbem, ac variarum legationum,
 gentiumque occursus. | [pag. 309](#) &[pag. 310](#)

Liber Septimus. - |Gesta et intestina bella Cathalanorum [Catalanorum], et patris adversus filium. | [pag. 311](#) &[pag. 312](#) &[pag. 313](#)

|Reginae fuga, defectio Cathalanorum [[Catalanorum], obsidio reginae, eiusque liberatio, et Cathalanorum [Catalanorum] de sanctitate mendacia. | [pag. 314](#) &[pag. 315](#)

|Legati Barchinonensis oratio ad regem Castellae, urbisque deditio, ac crudelitas Gallorum in Francavilla. | [pag. 316](#)

|Obsidio Perpiniensis, et subsidium Gallicum, urbisque expugnatio. | [pag. 317](#)

|Res gestae in Neapolitano a Ferdinando rege, et eius hostibus : matrimonium contractum cum Antonio Pii nepote, et regis filia, et omnium copiarum numerus. | [pag. 318](#) &[pag. 319](#)

|De Cypro. | [pag. 320](#) &[pag. 321](#) &[pag. 322](#) &[pag. 323](#) &[pag. 324](#) &[pag. 325](#) &[pag. 326](#)

|Caralotae reginae Cypriae adventus in Italiam, eiusque oratio ad Pium et liberale responsum. | [pag. 327](#) &[pag. 328](#) &[pag. 329](#)

|De Sabaudia, et qui in ea, quave fortuna regnaverunt, et de Amedei vita, et antipapatu. | [pag. 330](#) &[pag. 332](#) [pag. 331](#) &[pag. 333](#) &[pag. 334](#) &[pag. 335](#)

|De creatione novorum cardinalium. | [pag. 336](#) &[pag. 337](#)

|De exstinctione pragmaticae, et ense Gallorum regi donato. | - |Sigismundi Pandulphi haeresis et damnatio, atque exustio, Beneventanisque depositio. | [pag. 338](#)

|Aluminis inventio, maximusque proventus. | [pag. 339](#) &[pag. 340](#)

|Atrebatensis instabilitas, et Ludovici legatio dignissima, eorumque oratio, ac Pii responsum, et de pragmaticae exstinctione laetitia. | [pag. 341](#) &[pag. 342](#) &[pag. 343](#)

|De concertatione regni Siciliae, et induciarum [indutiarum]. | [pag. 344](#)

|Bohemorum legatio, et eorum haereses, ac petitiones insanae, Piique responsum. | [pag. 345](#) &[pag. 346](#)

|Consultatio de republica Christiana, et Pii salutare consilium. | [pag. 347](#) &[pag. 348](#) &[pag. 349](#) &[pag. 350](#) &[pag. 351](#)

Liber Octavus. - |Sancti Andreae caput Romam delatum devotissime a Pio exceptum, eius Apostoli historia brevis, et collecta. | [pag. 352](#) &[pag. 353](#) &[pag. 354](#) &[pag. 355](#)

|Apparatus Pii ad sacrum caput excipiendum, eiusque oratio devotissima, hymnusque cantatus, et pompa omnium aetatis nostrae maxima, concursus nationum incredibilis. | [pag. 356](#) &[pag. 357](#) &[pag. 358](#) &[pag. 359](#) &[pag. 360](#) &[pag. 361](#) &[pag. 362](#) &[pag. 363](#) &[pag. 364](#) &[pag. 365](#) &[pag. 366](#) &[pag. 367](#) &[pag. 368](#) &[pag. 369](#) &[pag. 370](#) &[pag. 371](#)

|Excommunicatio Sigismundi Austriae, et Malatestarum, et solemnitas

progressus. | [pag. 372](#)

|De Magistro Rhodiorum, et Rhodi insulae exitu, cultu, ac vetustate, et qui in ea claruerunt. | [pag. 373](#) &[pag. 374](#) &[pag. 375](#) &[pag. 376](#)

|Corsinianum fit civitas, appellaturque ex Pontificis nomine, et auctore Pientia, et ecclesia dotatur. | [pag. 377](#)

|Viturvii profectio, eiusque amoenitas, et iter qua tenderit Sorianum et Phalarim. | [pag. 378](#) &[pag. 379](#)

|Ludovici regis indignatio, et multorum confictae litterae, eiusque legatio, et Pii invicta constantia. | [pag. 380](#) &[pag. 381](#)

|Festum corporis Domini a Pio incredibili solemnitate celebratum Viturvii, et urbis ac cardinalium magnificentissimus apparatus. | [pag. 382](#) &[pag. 383](#) &[pag. 384](#) &[pag. 385](#) &[pag. 386](#)

|Discessus curiae e Viturvio, et pestis exorta, ac monasterii sancti Martini descriptio. | [pag. 387](#)

|Lacus Vulsinensis descriptio atque amoenitas insularum et littoris [litoris]. | [pag. 388](#) &[pag. 389](#) &[pag. 390](#) &[pag. 391](#)

|Criptae oppidum, eiusque antiqua fidelitas; et Aquaependentis profectio. | [pag. 392](#) &[pag. 393](#)

|Leonardi Benevolentis oratio, et Pii benignitas. | [pag. 394](#) &[pag. 395](#)

Liber Nonus. - |Amiati montis situs, Abbatiaeque et aliorum oppidorum mira felicitas, et Pii delectatio. | [pag. 396](#) &[pag. 397](#) &[pag. 398](#)

|Fons pulcherrimus, et herba adversus pestilentiam divinitus inventa, coenobiique descriptio. | [pag. 399](#)

|Oppidum sanctae Florae, et qui tenuerunt situsque et fontes, et piscationes. | [pag. 400](#)

|Pii mansuetissima humanitas in lacte a pastore accipiendo. | - |Legatio Senensium, et Pii oratio acris, et vehemens adversus seditiosos. | [pag. 401](#) &[pag. 402](#)

|Legatio Hungarorum, et Pii responsum, et auxilium. | [pag. 403](#)

|Recuperatio Valentinensis, ac Diensis comitatus in Gallia. | - |Res in Germania inter Maguntinos gestae, Badensiumque calamitas. | [pag. 404](#)

|De regis Franciae mutato proposito. | - |Margaritae reginae Angliae orationes ad regem et ad milites plus quam femineae. | [pag. 405](#) &[pag. 406](#) &[pag. 407](#)

|De origine Burgundorum et Philippi ducis inclytis rebus gestis historia dignissima. | [pag. 408](#) &[pag. 409](#) &[pag. 410](#)

|Crepri Vitriaci Montiscleros sancti Desiderii, et Melloduni oppidorum a Philippo expugnatio, et Barbasae captivitas. | [pag. 411](#)

|Delphinum obsidionem adversus oppidum Cones solvere Burgundus cogit. | -

|Bellum Philippi adversus Clocestriae [Glocestriae] ducem, et Annoniae [Hannoniae] Holandiae atque Zelandiae expugnatio. | [pag. 412](#) &[pag. 413](#) &[pag. 414](#)

|Enembergii difficillima expugnatio, et Anglorum magna caedes. | - |Bastardi defectio, et apud Trevantum durum, atque anceps proelium, Philippique tandem de Armeniacis clara victoria. | [pag. 415](#) &[pag. 416](#)

|Gandavorum adversus Philippum rebellio, clarissimaque de eis victoria. | [pag. 417](#)

|De Philippi adversus Leodienses propter turrinam Namurcensem [Namurcensem] bello, eorumque deditio, et Brabantiae hereditate, ac Avalonis oppidi recuperatione. | [pag. 418](#)

|Philippi de Rhenato [Renato] rege memorabilis victoria, regisque captivitas. | [pag. 419](#)

|Sigismundi Caesaris ad Philippum superba mandata, Philippique magnanimum responsum, et Grancensis oppidi deditio. | [pag. 420](#)

|De Philippi bello feliciter gesto adversus Borbonium sororis suae virum eum provocantem; sororisque oratione, et Philippi ingenti clementia. | [pag. 421](#) &[pag. 422](#) &[pag. 423](#)

|Voluntas Burgundi adversus Turcam, et Franci impedimentum, reditusque Ferrariensis. | [pag. 424](#)

|Profectio Pontificis ad Pientiam, et praestantissimorum aedificiorum descriptio. | [pag. 425](#) &[pag. 426](#) &[pag. 427](#) &[pag. 428](#)

|Descriptio templi Pientini. | [pag. 429](#) &[pag. 430](#)

|De Bernardo architecto, et decreto pro decore templi conservando edito, et aliis Pientinis aedificiis. | [pag. 431](#) &[pag. 432](#)

|Diversa certamina currentium, et constituta praemia victoribus. | [pag. 433](#) &[pag. 434](#)

Liber Decimus. - |Bohemorum haeresis, et Fantini constantia. | [pag. 435](#) &[pag. 436](#)

|Fantini oratio, concertatioque acerrima cum rege Bohemiae, et regis ipsius perfidia. | [pag. 437](#) &[pag. 438](#)

|Regis in Fantinum, et Apostolicam sedem blasphemiae. | [pag. 439](#)

|Alius conventus Bohemorum, et catholicorum constantia. | [pag. 440](#) &[pag. 441](#)

|Fantini adversus regem magnanimitas, eiusque liberatio, et occultus favor. | [pag. 442](#)

|Austriacorum seditioes adversus Imperatorem, et rebellio Viennensium. | [pag. 443](#) &[pag. 444](#) &[pag. 445](#) &[pag. 446](#)

|Bella Turcarum cum Hungaris et aliis, eorumque impiae victoriae. | [pag. 447](#)

|De Lesbi insulae situ atque ambitu, et qui eam tenuerunt, quique ibi claruerunt,

et eius excidio. | [pag. 448](#) &[pag. 449](#) &[pag. 450](#)
 | Res gestae Ferdinandi regis in tertio belli anno in Terralaboris et Apulia, et Aquadae excidium. | [pag. 451](#) &[pag. 452](#)
 | Mors Paschalis ducis Venetorum, et Christofori suffectio. | - | Regis Ferdinandi apud Troiam victoria, Apulorumque subactio. | [pag. 453](#) &[pag. 454](#) &[pag. 455](#) &[pag. 456](#) &[pag. 457](#) &[pag. 458](#)
 | Pax inter Ferdinandum regem, et principem Tarentinum, et icta foedera. | [pag. 459](#) &[pag. 460](#)
 | Malatestarum familiae origo, et progressus, et gesta usque ad Sigismundum. | [pag. 461](#) &[pag. 462](#) &[pag. 463](#) &[pag. 464](#) &[pag. 465](#) &[pag. 466](#) &[pag. 467](#) &[pag. 468](#) &[pag. 469](#) &[pag. 470](#) &[pag. 471](#) &[pag. 472](#) &[pag. 473](#) &[pag. 474](#)
 | Sigismundi clades apud Senogalliam accepta. | [pag. 475](#) &[pag. 476](#) &[pag. 477](#)
 | Comitum Mirabelli castelli. Reforzati, et oppidi Insulae, aliorumque locorum deditio, Mundaviique expugnatio. | [pag. 478](#)
 | Francisci Sfortiae sententia de exercitu Ecclesiae in Aprutios mittendo a Pio peritissime confutata. | [pag. 479](#)
 | Cardinalis Theanensis legatus in Picenum mittitur. Veneti Pontificis victoriam non impedire promittunt. Mundaini [Mundavii] deinde et multorum oppidorum expugnatio, atque deditio, et praesertim Montiscutuli. | [pag. 480](#)
 | Montisflori obsidio, et oppidanorum adversus praefectum arcis fraus atque deditio. | [pag. 481](#)
 | Pii ad sanctae Annae monasterium accessio, montis Oliveti artificiosa descriptio, et Monachorum vita. | [pag. 482](#) &[pag. 483](#)
 | Pius Petriolum petit, eiusque inde ad divi Antonii sacellum iucundus secessus, ac loci descriptio. | [pag. 484](#)
 | Indutiarum cum oratoribus Gallicis apud Petriolum tractatus, et Pii cum Ioanne Cossa iucunda contentio. | [pag. 485](#) &[pag. 486](#)
 | Expugnatio Gebeltari a rege Castellae, et Alzegirae instaurationis. | [pag. 487](#)
 | Astorgius Faventinus Pii iussu pacem nepoti reddit, bellum Dominico Malatestae infert, a Silvestro Placentino castris exiit, collectoque tandem exercitu plurima loca expugnat. Verruchium ab Urbinatibus dolis occupatur. | [pag. 488](#) &[pag. 489](#)
 | Sancti Archangeli, et aliorum oppidorum deditio, Sigismundus ventis fatigatus, Venetias appulit, supplexque a Senatu oratorem pro suis rebus ad Pontificem impetrat. | [pag. 490](#)
 | Oratio Bernardi Iustiniani deprecatoria ad Pium Pontificem pro Sigismundo Malatesta; Piique prudentissimum atque magnanimum responsum. | [pag. 491](#) &[pag. 492](#)
 | Pii responsum. | [pag. 493](#) &[pag. 494](#) &[pag. 495](#)

|Discessus Pii e Petriolo, et ad Tudertum profectio, eiusque urbis situs, ac factiones : regiminisque renovatio. | [pag. 496](#) &[pag. 497](#)

|Tractatus indutiarum irritus cum Gallis Tuderti habitus. | [pag. 498](#) &[pag. 499](#)

|Florentinorum legatio pro Malatestis, et Catherinae Pii sororis adventus. | -

|Romanorum legatio pro Pontificis reditu, et eius ex Tuderto recessus, totiusque itineris iucundissima descriptio. | [pag. 500](#) &[pag. 501](#) &[pag. 502](#) &[pag. 503](#) &[pag. 504](#)

Liber Undecimus. - |Pii in urbem reditus civibus exspectatissimus, et sacri gladii Veneto principi elargitio. | - |Picininus [Iacobus Piccininus] Celani comitatum invadit Rogerotti impiissimi Comitissae filii suasu atque auxilio. | [pag. 505](#)

|Sulmonae a Picinino [Iacobo Piccinino] per famem expugnatio. | [pag. 506](#) &[pag. 507](#)

|Ferdinandus Pontislatroni obsidionem turpissime solvit, Capuamque quasi Picininum [Iacobum Piccininum] fugeret, rediit. | - |Sfortiani in hibernis apud sanctam Severam oppidanorum rebellione diripiuntur. | [pag. 508](#)

|Henrici partes in Anglia superantur, Franciscusque Interamnensis episcopus quod legationem Anglicanam infideliter gessisset interceptus a Pio privatur, ac monachus efficitur. | [pag. 509](#) &[pag. 510](#)

|Disceptatio acerrima inter praedicatores Monachos et minores, An sanguis Christi pretiosissimus in triduo passionis a corpore separatus, divinitati unitus perseveraverit. | s512 [pag. 511](#) &[pag. 513](#) &[pag. 514](#) &[pag. 515](#) &[pag. 516](#) &[pag. 517](#) &[pag. 518](#) &[pag. 519](#)

|Responsio. | s521 [pag. 520](#) &[pag. 522](#) &[pag. 523](#) &[pag. 524](#) &[pag. 525](#) &[pag. 526](#) &[pag. 527](#) &[pag. 528](#)

|Natura humana. | [pag. 529](#) &[pag. 530](#) &[pag. 531](#) &[pag. 532](#) &[pag. 533](#) &[pag. 534](#) &[pag. 535](#) &[pag. 536](#)

|Paulus Fulgosius Genuensis archiepiscopus ducatum patriae a civibus extorquet, Gallosque mox Genuam invadentes armis propellit. | [pag. 537](#) &[pag. 538](#)

|Franciae et Castellae regum apud Baionam conventus, ac leges pacis inter Aragonensem et eos. | [pag. 539](#) &[pag. 540](#) &[pag. 541](#)

|Maguntiae ab Adolpho noctu occupatio, Dyetheri [Dietheri] partibus eiectis, et Palatini in captivos principes barbara saevitia. | [pag. 542](#)

|Coniuratio Holzer contra Albertum apud Viennam deprehenditur suppliciumque de coniuratis inter sollemnia Paschalia atrocissime sumitur. | [pag. 543](#)

|Ioannis Dragulae immanis atque nefanda crudelitas, eiusque in regem Hungariae deprehensa perfidia, et tandem captivitas. | [pag. 544](#) &[pag. 545](#) &[pag. 546](#)

|Legatorum Bosnae regis ad Pium oratio contra Turcas, auxilia et quaedam alia petens, Piique clementissimum ac iustum responsum. | [pag. 547](#)

|Responsio Pontificis. | [pag. 548](#)

|Rebellio quorundam oppidorum comitatus Fani, et eorum celerrima recuperatio. |
- |Leges pacis inter Pontificem et Dominicum Malatestam. | [pag. 549](#)

|Veneti contra ius fasque Cerviam a Malatesta emunt ac Pii apud eorum legatum redargutio. | [pag. 550](#)

|Isidori Rutheni et Prosperi Columnensis cardinalium ac Theoderici Coloniensis archiepiscopi obitus, eorumque vitae brevissima descriptio atque electio novi Coloniensis. | [pag. 551](#)

|Quarti anni consilia atque instituta belli gerendi in regno, et in Piceno postea pro rerum opportunitate mutata. | [pag. 552](#) &[pag. 553](#)

|Pii ad Ostia Tyberina [Tiberina] amoenissimus secessus, atque eius loci, et Portuensis iucundissima descriptio, et ingens ac terribilis tempestas. | [pag. 554](#) &[pag. 555](#) &[pag. 556](#) &[pag. 557](#) &[pag. 558](#)

|Ovium Aquilanorum maxima multitudo Apostolico fisco ipso iure applicanda, Pii liberalitate Aquilanis ingratis redditur. | [pag. 559](#) &[pag. 560](#) &[pag. 561](#)

|Eversus Anguillariae comes Pontificis vitae insidias parat, detectus quosdam e suis quasi Pontificis iussu sibi insidiantes supplicio afficit. | - |Secessus Pii apud Albanum gratissimus, et multorum locorum accommodata descriptio. | [pag. 562](#) &[pag. 563](#) &[pag. 564](#) &[pag. 565](#) &[pag. 566](#) &[pag. 567](#) &[pag. 568](#) &[pag. 569](#) &[pag. 570](#)

|Blondi Flavii obitus, eiusque opera. | - |Pius laborantibus Hungaris ab eorum legatis requisitus suppetias mittit. | [pag. 571](#)

|Bosnense regnum a Turcis occupatur, rexque gentis contra datam fidem obtruncatur. | [pag. 572](#) &[pag. 573](#) &[pag. 574](#)

Liber Duodecimus Et Ultimus. - |Sorani dux a Pii exercitu Sora et maxima agri sui parte mulctatus [multatus] pacem petit. | [pag. 575](#) &[pag. 576](#)

|Expugnatio Pontiscorvi, et Rocchae Siccae, Antonii Spinelli pertinacia, atque mors, et monasterii Cassinensis oppidorum recuperatio. | [pag. 577](#)

|Cur Veneti bellum Turcis indixerint, eorum deinde metus; Bessarionis cardinalis Nicaeni ad eos legatio, auxiliaque Raguseis decreta. | [pag. 578](#)

|Pontifex urbis caumata [i.e. aestus] timens Tybur [Tibur] secedit. | - |Regiorum excursio in agrum Theanensem : Sinuessanaeque planitiei direptio, ac vanus tractatus pacis inter regem et Sinuessanum. | [pag. 579](#) &[pag. 580](#) &[pag. 581](#)

|Infausta Montis Aragonum obsidio; subitus Suessanorum in regios insultus atque Antonii Picolominei, et sociorum egregia virtus, et rursus pacis irritus tractatus. | [pag. 582](#) &[pag. 583](#) &[pag. 584](#)

|Sfortiani Luceriensium Severinorum atque comitis Bassi agris vastatis in Aprutios tendunt : Lucerienses deinde regi se permittunt : Severinenses vero concordiam

quaerunt. | - | Fanensis difficillima obsidio, navalis victoria contra Sigismundum, et Venetorum occulta auxilia. | [pag. 585](#) & [pag. 586](#)

| Anconitani Montemmartianum dolo occupant. Neapoleo cum exercitu in agrum Celani proficiscitur. | - | Conventus Picinini [Iacobi Piccinini] cum Alexandro Sfortia, et orationes eorum militares, ac concordiae tractatus; tandemque pacis leges. | [pag. 587](#) & [pag. 588](#) & [pag. 589](#)

| Condiciones pacis. | [pag. 590](#)

| Aquilani armis hostium perterriti urbem Pontifici tradere in senatu decernunt. | - | Gerardi cuiusdam Galli magnae pollicitationes de societate Iesu congreganda, et demum comperta mendacia. | [pag. 591](#) & [pag. 592](#)

| Mandata Pii ad Burgundum, eiusque in promissis exsequendis tarditas, subito ac gravi morbo correptus : et tandem de legatis pro expeditione rerum mittendis firma deliberatio. | [pag. 593](#) & [pag. 594](#)

| De Franciae regis contra Pium indignatione eiusque arrogantissimis litteris, ac iniquissimis decretis, et Pontificis ad eum legatione. | [pag. 595](#)

| Hungariae situs ac gentis origo, eorumque praeclara gesta et varia fortuna, et tandem inter Matthiam ipsorum regem atque Imperatorem confecta pax. | [pag. 596](#) & [pag. 597](#) & [pag. 598](#) & [pag. 599](#) & [pag. 600](#)

| Christianorum cum Turcis victoria. | [pag. 601](#) & [pag. 602](#) & [pag. 603](#)

| Leodiensium cum eorum episcopo reconciliatio. | - | Tractatus concordiae inter Maguntinos et leges pacis. | [pag. 604](#)

| Obitus optimi viri cardinalis sanctae Susannae. | - | Veneti Apostolici legati suasu bellum Turcis palam indicunt. | [pag. 605](#)

| Legatio Burgundi Pontificem Tybure [Tibure] convenit. | - | Legatus Apostolicus a Rege Franciae intercipitur, et Avinionensis cardinalis temporalitate privatur. | [pag. 606](#)

| Georgii Scanderbechii ad Pium expurgatio, quod foedus cum Turcis fecerit. | -

| Aquilani rebus suis diffisi, Ferdinando regi sese tradunt. | [pag. 607](#)

| Celani comitatus expugnatio, eiusque concessio Antonio Pontificis nepoti facta, et Pii erga comitissam clementia. | [pag. 608](#)

| Pacis tandem confectio inter Sinuessanum et regem et inter eos affinitas. | -

| Pontifex viso Frascati ex Tybure [Tibure] Romam revertitur. | [pag. 609](#)

| Oratio Burgundorum, et Pii excellentissimum responsum. | - | Pii verba. | [pag. 610](#) & [pag. 611](#) & [pag. 612](#)

| Pontificis ad Italiae legationes oratio, eorumque responsa, et Venetorum magna verba. | [pag. 613](#)

| Florentinorum de bello Turcarum dissuasio, et Pii prudentissimum responsum. | [pag. 614](#)

|Pontificis responsum.| [pag. 615](#) &[pag. 616](#) &[pag. 617](#)
|Pii Pontificis ad cardinales ardentissima oratio, multis argumentis bellum contra Turcas sumendum ostendens.| [pag. 618](#) &[pag. 619](#) &[pag. 620](#) &[pag. 621](#) &[pag. 622](#) &[pag. 623](#) &[pag. 624](#) &[pag. 625](#) &[pag. 626](#) &[pag. 627](#)
|Cardinalium consensus de bello contra Turcas sumendo.| [pag. 628](#)
|Fortunae Fani, et Senogalliae, et Gradariae expugnatio.| [pag. 629](#)
|Italorum omnium praeter Florentinos consensus de auxiliis contra Turcas mittendis.| [pag. 630](#)
|Veneti Peloponnesi maximam partem occupant, Isthmumque firmissimo atque alto muro incredibili celeritate muniunt, et insulas plerasque recuperant.| [pag. 631](#)
|Franciscus Sfortia imperium exercitus contra Turcas recusat. Pius decretum suae protectionis publice declarat.| [pag. 632](#)
|Foedus inter Pontificem, Venetos, ac Burgundum contra Turcas.| - |Picinini [Iacobi Piccinini] tandem concordia cum rege.| [pag. 633](#)
|Sigismundus Malatesta animo fractus, a Pontifice tandem supplex pacem impetrat.| [pag. 634](#)
|Dyetherus [Dietherus] Adolfo Maguntino praesuli Palatino inconsulto cedit secundum Pontificis decretum, et Fanckfordiae laudes.| [pag. 635](#) &[pag. 636](#)
|Tarentini principis obitus, totiusque sui principatus ad Ferdinandum regem defectio, et duodecimi atque ultimi libri absolutio.| [pag. 637](#) &[pag. 638](#) &(pag. 640 blank) [pag. 639](#)

Aliqua Cognitu Dignissima Ad Huius Operis Intelligentiam Una Cum Eiusdem Pii Papae II. Dum Cardinalis Esset, Apologia Ad Martinum Mayer. [pag. 641](#)
Aliqua Cognitu Dignissima Ad Huius Operis Intelligentiam. *Genuensibus pro Pontifice Pio.* [pag. 642](#) &[pag. 643](#) &[pag. 644](#)
Pro Pio II. Hieronymo Lando archiepiscopo Creten[si]. - Protonotario Flisco Pii nomine. [pag. 645](#)
Iacobus Cardinalis Papien[sis] Francisco Picolomineo Cardinali Senensi, de infirmitate, et morte Pii Pontificis maximi. [pag. 646](#) &[pag. 647](#) &[pag. 648](#) &[pag. 649](#) &[pag. 650](#) &[pag. 651](#) &[pag. 652](#) &[pag. 653](#) &[pag. 654](#) &[pag. 655](#) &[pag. 656](#) &[pag. 657](#) &[pag. 658](#) &[pag. 659](#)
Aeneas Tituli S. Sabinae Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Card[inalis] Senensis *Antonio tituli sancti Chrysogoni presbytero Cardinali Ilerden[si] S.P.D. [...]* *Romae Cal. Februarii M.CCCC.LVIII.* [pag. 660](#)
Martinus Mayer cancellarius Maguntini praesulis, domino Aeneae Cardinali Senen[si] Patri optimo S.P.D. [...] *Ex Hascaffemburga [Aschaffenburg] Pridie Calend. Septembris M.CCCC.LVII.* [pag. 661](#)
Aeneas miseratione divina sanctae Romanae Ecclesiae tituli sanctae Sabinae

presbyter cardinalis, ac episcopus Senensis, *Praestabili viro domino Martino Mayer iuris interpreti, et amico suo carissimo salutem plurimam reddit.* [pag. 662](#) &[pag. 663](#)

|De gravaminibus.| - |Divisio particularis gravaminum.| - |De synodo Constantien[si].| - |Ioannes, Gregorius, et Benedictus Pontifices deponuntur. Martinus V. creatur.| [pag. 664](#)

|Ioannes et Hieronymus Ussitarum [Hussitarum] cremantur.| - |Gregorius quattuor concilia sicut quattuor Evangelia venerabatur.| [pag. 665](#) &[pag. 666](#) &[pag. 667](#) &[pag. 668](#) &[pag. 669](#) &[pag. 670](#) &[pag. 671](#)

|Concordiae formula.| [pag. 672](#) &[pag. 673](#) &[pag. 674](#) &[pag. 675](#)

|Bavaria familia.| [pag. 676](#) &[pag. 677](#)

| Bavaria familia.| [pag. 678](#) &[pag. 679](#) &[pag. 680](#) &[pag. 681](#) &[pag. 682](#) &[pag. 683](#) &[pag. 684](#) &[pag. 685](#) &[pag. 686](#) &[pag. 687](#) &[pag. 688](#)

|Germania olim, et quae sit Christiana facta.| [pag. 689](#)

|Hadrianus Imperator.| - |Germaniae fines.| [pag. 690](#) &[pag. 691](#) &[pag. 692](#) &[pag. 693](#) &[pag. 694](#) &[pag. 695](#) &[pag. 696](#)

|Venas [sic] auri et argenti.| - |De potentia Germanorum in spiritualibus.| [pag. 697](#) &[pag. 698](#)

|Quinquaginta ecclesias possident Germani.| [pag. 699](#) &[pag. 700](#)

|Centum civitates in Germania.| [pag. 701](#) &[pag. 702](#) &[pag. 703](#) &[pag. 704](#) &[pag. 705](#) &[pag. 706](#) &[pag. 707](#)

|Responsio ad tertiam partem.| [pag. 708](#) &[pag. 709](#) &[pag. 710](#) &[pag. 711](#) &[pag. 712](#) &[pag. 713](#) &[pag. 714](#) &[pag. 715](#) &[pag. 716](#) &[pag. 717](#) &[pag. 718](#) &[pag. 719](#) &[pag. 720](#) &[pag. 721](#) &[pag. 722](#) &[pag. 723](#)

|Quid mali afferat Pragmatici [Pragmatica sc. sanctio].| [pag. 724](#) &[pag. 725](#) &[pag. 726](#) &[pag. 727](#) &[pag. 728](#) &[pag. 729](#) &[pag. 730](#) &[pag. 731](#) &[pag. 732](#) &[pag. 733](#) &[pag. 734](#) &[pag. 735](#) &[pag. 736](#) &[pag. 737](#) &[pag. 738](#) &[pag. 739](#) &[pag. 740](#) &[pag. 741](#) &[pag. 742](#) &[pag. 743](#) &[pag. 744](#) &[pag. 745](#) &[pag. 746](#) &[pag. 747](#) &[pag. 748](#) &[pag. 749](#)

INDEX Eorum, Quae Notatu Digniora Visa Sunt. - *Abbatia* [pag. 750](#) &*Amedeus* [pag. 751](#) &*Augustinus* [pag. 752](#) &*Borsius* [pag. 753](#) &*Civitas* [pag. 754](#) &*Damasceni* [pag. 755](#) &*Ferdinandi* [pag. 756](#) &*Gentilhomines* [pag. 757](#) &*Hussitae* [pag. 758](#) &*Laetitia* [pag. 759](#) &*Mantuanum* [pag. 760](#) &*Nicolaus* [pag. 761](#) &*Petri* [pag. 762](#) &*Poggius* [pag. 763](#) &*Romanum* [pag. 764](#) &*Sigismundus Malatesta* [pag. 765](#) &*Totila* [pag. 766](#) &*Urbs vetus.* [pag. 767](#)

Errata Sic Corrigito. Regestum. [pag. 767](#)

The source of the text is: Aeneas balassi totaal scan opgemaakt

This text is supplied for the study of modern Latin



5

AENEAE SILVII PICLOMINI PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI COMENTARIORUM.

PRAEFATIO

10

Si perit morte animus, ut falso censuit Epicurus, nihil habet fama, quod ei conferat. Sin vivit corporea mole dimissa, aut miseram accipit sortem, aut felicibus admiscetur spiritibus. Miseriae nulla inest voluptas, vel famae quidem; beatorum plena felicitas nec laude mortalium augetur, nec vituperio comminuitur. Quid est igitur, quod tantopere boni nominis gloriam quaerimus? Fortasse qui purgantur animi, dulcedinem aliquam hauriunt relictæ in terris fame?

15

At sentiant contentiosi de mortuis, quicquid libuerit, dum viventes oblectari gloria, quae adest, et quae post obitum futura speratur, minime negent! Haec est enim, quae clarissimas alit mentes, et ultra spem vitae celestis quae cum advenerit, nunquam finietur - humanum fovet ac recreat animum, praecipue vero pontificis Romani, quem in terra viventem omnium fere lingue vituperant, mortuum laudant. Martinum Quintum vidimus et Eugenium Quartum et Nicolaum item Quintum et Callistum Tertium, quos, dum vixere, damnavit populus, fato defunctos magnis extulit praeconiis. Sequuntur vicarii suum dominum: Salvatorem Christum, dum vixit inter homines, demonium habere dixerunt, pendentem in cruce mortuum Filium Dei recognoverunt. Non est servus maior domino suo. Non parcat Pio Secundo pontifici maximo lingua dolosa, quae tot Christi vicariis et ipsi Christo non pepercit. Accusatur, reprobatur, dum vivit inter nos Pius Secundus; extinctus laudabitur et desiderabitur, cum haberi non poterit. Cessabit invidia post obitum, et sublatis, qui iudicia pervertunt, privatis affectibus vera resurget fama, Piumque inter claros pontifices collocabit.

20

25

Interea nos de pontificatu suo historiam scribemus. In cuius fronte non ab re fuerit pauca de origine suae familie atque de his, quae ante apostolatam ab eo gesta fuerint, quam brevissime praemittere, ut intelligant posteri, quomodo Aeneas Silvius antea dictus ad Beati Petri cathedram pervenerit, et Pii Secundi nomen assumpserit.

30

Tu, qui haec aliquando legeris, ita demum boni consule, ut mentienti nihil ignoscas!

35

COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI INCIPIT LIBER PRIMUS

I, 1. De origine Piccolomineae domus et Pii maioribus.

40

Familia Piccolomineorum ex Roma in Senas translata inter vetustiores et nobiliores civitatis habita, dum optimates rei publicae praefuerant, et litteris et armis claruit, pluresque arces et castella obtinuit. Sed a nobilibus in plebem derivato regimine, sicut et caeterae nobilium, sic et Piccolomina domus humiliata est. Superfuit tamen avo Aeneae, Silvio non tenue patrimonium, ex quo potuit vitam honestam ducere. Sed iuvenis immatura morte decessit relicta Montanina uxore pregnante, ex qua natus est Silvius postumus, quo pupillo bona eius sub tutoribus et actoribus dissipata sunt; hic tamen educatus ingenue litteris ediscendis traditus est. Qui liberalibus artibus eruditus ubi adolevit, in militiam profectus variisque casibus actus tandem domum rediit, vindicataque patrimonii tenui portione Victoriam ex domo Forteguerrarum, qui

45

patroni sunt ecclesiae Senensis, quamvis nobilem virginem, tamen pauperem duxit uxorem; quae adeo faecunda fuit, ut saepe gemellos pepererit. Ex ea Silvius duodeviginti liberos sustulit, non tamen ultra decem simul aggregavit; quos urgente inopia Corsiniani, quod est oppidum vallis Urciae, nutrit. Sed omnes tandem iniqua lues extinxit, duabus tantum sororibus, Laudomia et Catherina cum Aenea superstitibus.

2. Aeneae ortus et puerilia discrimina ac rudimenta et progressus aetatis

Aeneas etiam patris Silvii nomen accepit, et ob reverentiam apostoli, quem Indorum barbari decoriarunt, Bartholomei. Trinomius enim fuit, Aeneas Silvius Bartholomeus appellatus. Editus autem est in lucem ipsa luce Sancti evangelistae Lucae, XIII Kalendas Novembris anno salutis quinto supra millesimum et quadringentesimum.

Hic in pueritia trium annorum, dum ludit inter aequales, muro lapsus alto et in saxum allisus ingens capitis vulnus accepit, quod praeter spem et opinionem parentum Nicolaus Monticulanus, qui eum de sacro fonte levaverat, sine litteris medicus - ut dicunt: empericus - brevi curavit. - Annum agens octavum in bovem cornupetam cum incidisset, percussus et in altum iactus divino magis auxilio, quam ope humana mortis periculum evasit. Exinde cum diu apud patrem quaevis officia ruris obisset, annos iam duodeviginti natus in urbem migravit, exceptusque apud necessarios, qui bonae frugis adolescentem minime relinquendum existimabant, audire grammaticos coepit. Deinde poetas et oratores avidè sectatus, postremo ad ius civile se contulit. Cuius professores [31] cum aliquot annos audivisset, exorto inter Senenses ac Florentinos gravi bello et litterarum studia intermittere, et patrie dulce solum relinquere coactus est.

3. Aeneas Firmani secretarius. Profectus cum eo in Basileam, et reditus in Italiam cum Bartholomeo episcopo Novariensi, eiusque oratio in scola Papiensi

Forte fortuna tunc affuit Dominicus Capranicus, vir et animi et sensus altioris, quem Martinus papa Quintus ad cardinalatus honorem vocaverat, successor Eugenius Quartus repudiaverat. Concilium eo tempore apud Basileam, Helvetie urbem Rheno adiacentem indictum ceptumque fuit. Dominico, qui Romae contemnebatur. Basilee suam dignitatem vindicare propositum erat. Ab hoc Aeneas in secretarium receptus Plumbinum - quod Populinum alii vocant ex Populoniae ruinis edificatum - cum eo venit. Ibi cum Dominicus, quia terra non patebat iter, per mare Ligusticum Genuam petere instituisset, iamque navis in conspectu esset, qua traicere animus erat, Iacobus Appianus tyrannus loci, quamvis amicum se fingeret, Dominicum ne quod veheret navigium, inhibuit. At ille, ubi dolos sensit, egressus oppidum uno tantum comite ad litus profugit, atque ibi lembum nactus ad navim, quae in alto pelago vagabatur, excurrit. Quo intellecto ceteris, qui de familia Dominici fuerunt, data est navigandi facultas; nec enim plumas tyrannus insequendas putavit, qui carnes amisisset. Sequenti die Aeneas et Petrus Noxetanus, qui etiam Dominici secretarius fuit, omnesque domestici, qui noctem in Ilva insula sub divo pergelidam duxerant, in navim ad Dominicum pervenerunt. At cum Genuam tenderent, ingentibus iactati procellis in conspectum Libiae delati sunt, timentibus admodum nautis, ne barbaris portubus redderentur. Quamvis mirabile dictu et auditu prope incredibile, certum tamen est eos una die ac nocte ab Italia solventes inter Ilvam et Corsicam in Aphricam propulsos, rursus mutatis ventis retrovectos inter Corsicam et Sardiniam fluctuantes magis, quam navigantes ad Italiam reversos Portum Veneris appulisse, ubi recepta triremi felici navigatione Genuam atque inde Mediolanum terrestri itinere petiverunt. Ibi magnum illum ducem et fama clarum, Philippum Mariam viderunt. Nec diu morati per Alpes, quas Sancti Gothardi appellant, nive glacieque rigentes ac prruptos et celo vicinos montes, Basileam venere.

Sigismundus imperator per id temporis Parmae hyemabat, Romam aestate sequenti concessurus.

In Basilea Dominicus apud synodum cardinalatus causam movit, atque Aenea procuratore restitutus est dignitati. At cum Dominicum paupertas premeret - quia prohibente Eugenio nil ei propinqui ministrabant -, Eneas ad Nicodemum Scaligerum episcopum Frisingensem, cuius pater apud Veronam tyrannidem obtinuerat, et illo ex Basilea recedente ad Bartholomeum Vicecomitem episcopum Novariensem sese recepit, ab utroque dictandi atque [32] signandi epistolas officio prepositus. Cum Nicodemo ad principes electores, qui Frankfordiae convenerant, profectus est; cum Bartholomeo in Italiam rediit, diuque apud Philippum ducem Mediolani, cui Bartholomeus serviebat, versatus est.

In eius senatu cum duo de rectoratu scholae Papiensis contenderent - alter Mediolanensis, genere clarus ex domo Crottiadum, alter Novariensis, humili familia natus -, et Mediolanensi

pars maior universitatis faveret, qui iam magistratus insignia assumpserat, ac duos patruos in consilio principis admodum potentes habebat, Aloysium et Lanzelottum -, Aeneas Novariensis partes accepit, tantumque sua oratione contendit, ut erepta Mediolanensi dignitas Novariensi traderetur.

5

4. Fit Aeneas secretarius cardinalis Sanctae Crucis, cum quo in Franciam proficiscitur, ab eodemque postea in Scotiam mittitur

10

Interiecto deinde tempore ad Eugenium, qui Fiorentiae sedebat, cum Bartholo meo perrexit. Inde ad Nicolaum Picinum, clarum illius aetatis et praecipuum belli ducem, apud balneas Senenses lavantem, non parvis de causis divertit; ac tum primum suos necessarios et amicos revisit veteres, dies quinque apud eos manens.

15

At cum redisset Florentiam, comperit Bartholomeum apud Eugenium magnis de rebus accusatum capitali iudicio laborantem; ob quam causam ad Nicolaum cardinalem Sancte Crucis, probatissimum et laudatissimum patrem confugit, qui et ipsum in secretarium accepit, et Bartholomeum e manibus Eugenii liberavit, Thoma Sarezano magistro domus - qui postea summi pontificis cathedram ascendit Nicolaus papa Quintus appellatus - ac Petro Noxetano, cuius supra mentio facta est, faventibus atque optantibus.

20

Cardinalis Sancte Crucis eo tempore legatus in Franciam designatus erat, inter Carolum Francorum et Henricum Anglorum reges pacem compositurus. Cum eo Aeneas tertio Mediolanum et urbis ducem vidit, atque inde (per) montem Iovis - quem Sancti Bernardi melius hodie vocitant - ad Amedeum Sabaudiae ducem pervenit, qui tunc spreto saeculo in heremo apud Thononium supra lacum Lemannum magis voluptuosam, quam poenitentialem cum sex viris equestris ordinis (qui secum penulam et baculum assumpserant, ut mos est heremitis) vitam degebat, credo - quod post annis octo secutum est -, expectans ad summi pontificatus cathedram per patres, qui Basileae convenerant, evocari. Nam et tunc rumor increbruerat Amedeum papam futurum, quem nonnulli a sortilegis Phytonicum habentibus spiritum feminis, quibus Sabaudiae montes abundant, ortum asserebant. Eo salutato cardinalis Basileam venit, atque inde per Rhenum Coloniam Agrippinam navigavit, ubi rursus equis conscensis per Aquas Grani Leodiumque atque Lovanium, Duacum et [33] Tornachum in Atrebatas descendit, ubi conventus totius Galliae et Anglie cardinalem morabatur.

25

30

Dux Burgundorum, Philippus per id temporis adversus regem Francie, qui patrem eius occiderat, Anglicorum parti favebat. Cardinalis primum pacem universalem componere studuit; id ubi non successit, Philippum, qui regi Anglie — tanquam regnum Francie ad eum pertineret - fidem dederat, iuramento absolutum regi Franciae reconciliavit. Tum quoque de bono pacis Aeneas ad Philippum epistolam versu conscripsit.

35

40

Prius autem, quam Philippus ab Anglicis deficeret, cardinalis Aeneam in Scotiam misit, qui praelatum quendam in regis gratiam reduceret.

5. Alfonsi captivitas, et Aeneae in itineribus gravia pericula, marisque procelle et Angliae mirabilia

45

Per id temporis rex Aragonum, Alfonsus cum fratribus et omni nobilitate regnorum suorum per Genuenses sub auspiciis Philippi ducis Mediolani maritimo bello victus et captus est.

Aeneas, ut Caesium venit, quod est oppidum continentis in Oceani ripa obiectum Anglis, mox quasi suspectus apud hospitem commendatus neque progredi, neque regredi permissus. Auxilio fuit cardinalis Vintoniensis, qui ex Atrebato rediens dimitti eum iussit. At cum venisset Aeneas ad regem Anglie litterasque peteret, quibus in Scotiam tutus iret, retrocedere iussus est timentibus Anglicis, ne apud regem Scotiae, hostem suum contra se aliquid moliretur, quem constabat cardinalis Sanctae Crucis secretarium esse; et illum Anglici singularibus inimicitiis insectabantur, qui ab eis Burgundorum ducem alienasset. Quae res Aeneam penitus latebant.

50

Gravis sibi, sed necessarius reditus fuit, quod frustra se maris periculo commisisset. Placuit tamen, quia populosas ditissimasque Lundonias vidit, et Sancti Pauli nobile templum regumque mirificas sepulturas et Themisiam fluvium non tam velocius euntem, quam redeuntem, pontemque instar urbis et villam, in qua nasci caudatos homines fama predicat, et quod omnibus nomen aufert: aureum Divi Thomae Cantuariensis mauseolum adamantibus, unionibus atque carbunculis tectum, ad quod materiam argento viliores nefas offerre ducunt.

55

60

Remenso igitur mari ad oppidum, quod Bruggis vocant, se contulit, atque inde Clusas petiit, ubi portus est totius Occidentis frequentissimus. Ubi navem ingressus dum Scotiam petit, in Norvegiam propellitur duabus maximis iactatus tempestatibus, quarum altera quattuordecim

horas mortis metum incussit, altera duabus noctibus et una die navim concussit atque in fundo perfregit; adeoque in Oceanum et septentrionem navis excurrit, ut nulla iam caeli signa nautae cognoscentes spem omnem salutis amitterent. Sed affuit divina pietas, que suscitatis aquilonibus navim ad continentem reppulit, ac duodecimo [34] tandem die terram Scotiam patefecit. Ubi apprehenso portu Aeneas ex voto decem millia passuum ad Beatam Virginem, quam de Alba Ecclesia vocitant, nudis pedibus profectus cum illic horis duabus quievisset, assurgens moveri loco non poterat debilitatis atque obstupefactis hiemali frigore pedibus. Saluti fuit nihil edendum illic invenisse, atque in aliud rus migrandum fuisse. Quo dum famulorum ope magis portatur, quam ducitur, pedetentim terram quatiens calefactis pedibus ex insperato sanitate recepta ambulare coepit. Ad regis denique presentiam intromissus nihil non impetravit ex his, que petitum venerat. Sumptus ei viarum restituti sunt, et in reditum quinquaginta nobilia ac duo equi, quos gradarios appellat, dono dati.

6. Scotorum mores varii, et que apud eos nascuntur, et Aeneae continentia eiusque divina ope sublato periculo, ac per Angliam vaferimus transitus

De Scotia hec relatu digna invenit. Insulam esse Angliae coniunctam in septentrionem portentam ducenta millia passuum longitudinis quinquaginta latitudinis habentem; terram frigidam paucarum frugum feracem magna ex parte arboribus carentem; subterraneum ibi esse lapidem sulphureum quem ignis causa defodiunt; civitates nullos habere muros, domos magna ex parte sine calce constructas villarum tecta de cespitibus facta ostia rusticana corio boum claudi; vulgus pauper et incultum carnes et pisces ad saturitatem panem pro obsonio commedere; viros statura parvos et audaces feminas albas et venustas atque in venerem proclives; basiationes foeminarum minoris illic esse quam manus in Italia tractationes.

Vinum non haberi nisi importatum; equos natura gradarios omnes parvique corporis inveniri paucis pro semine servatis reliquos castrari solitos; neque fricari equos ferro aut ligno pecti neque frenis regi. Ostrea illic maiora quam in Anglia reperiri, et in his plurimos uniones. Ex Scotia in Flandriam corium lanam, pisces salsos margaritasque ferri. Nihil Scotos audire libentius quam vituperationes Anglorum.

Scotiam duplicem dici alteram cultam alteram silvestrem agro carentem; silvestres Scotos lingua uti diversa et arborum cortices nonnunquam habere pro cybo. In Scotia non inveniri lupos; cornicem novam esse atque iccirco arborem, in qua nidificaverit regio fisco cedere. - Dicere quoque solitus erat Aeneas priusquam in Scotiam perrexisset audivisse se arbores ibi esse supra ripam fluminis quarum poma in terram cadentia marcerent in aquam dilapsa vivificarentur atque in aves animarentur; at cum eo venisset miraculumque cupidus investigaret, comperisse id mendacii; seu verum est, ultra in Orchades insulas relegatum. Id autem verum esse asserebat: hyemali solstitio - tunc enim illic fuit - diem non ultra quattuor horas in Scotia protendi. [35]

Peractis rebus cum redeundum esset, e vestigio magister navis, qui eum vexerat, ad Aeneam accedens locum redeunti in navi obtulit, quem prius habuerat. Cui Eneas non tam futuri prescius, quam preteriti periculi memor: "*Si frustra Neptunnum*" - inquit - "*accusat, qui bis periculum incidit, quid in eum dicere oportet, qui tertio naufragium patitur? Hominum ego, quam maris experiri misericordiam malo*" -, dimissoque nauta iter sibi per Angliam delegit. Nec mora, solvens a portu navis in conspectu omnium tempestate vexata collisa et submersa est, magistro, qui rediturus in Flandriam nuptias cum nova sponsa celebraturus erat, et omnibus aliis voragine maris absorptis preter quattuor, qui arreptis quibusdam tabulis nantes evasere. Tunc se divino nutu beneficioque servatum Aeneas intelligens dissimulato habitu sub specie mercatoris per Scotiam transivit in Angliam.

Fluvius est, qui ex alto monte diffusus utramque terram disternit; hunc cum navigio transmeasset, atque in villam magnam circa solis occasum declinasset, in domum rusticanam descendit, atque ibi cenam cum sacerdote loci et hospite fecit. Multa ibi pulmentaria et gallinae et anseres afferebantur in esum, sed neque vini neque panis quicquam aderat. Et omnes tum femine virique villae quasi ad rem novam accurrerant, atque ut nostri vel Ethiopes vel Indos mirari solent, sic Aeneam stupentes intuebantur querentes ex sacerdote, cuias esset, quidnam facturus venisset, Christianamne fidem saperet. - Edoctus autem Aeneas itineris defectum, apud monasterium quoddam panes aliquot et vini rubei metretam receperat; quibus expositis maior admiratio barbaros tenuit, qui neque vinum prius neque panem album viderant. Appropinquabant autem mensae pregnantes feminae earumque viri, attractantes panem et vinum odorantes portionem petebant; inter quos totum erogare necessum fuit.

Cumque in secundam noctis horam cena protraheretur, sacerdos et hospes cum liberis virisque omnibus Aenea dimisso abire festinantes dixerunt se ad turrem quandam longo spatio

remotam metu Scotorum fugere, qui fluvio maris refluxu decrescente noctu transire predarique soleant; neque secum Aeneam multis orantem precibus quoquo pacto adducere voluerunt, neque feminarum quampiam, quamvis adolescentule et matrone formosae complures essent; nihil enim his mali facturos hostes credunt, qui stuprum inter mala non ducunt. Mansit ergo
5 illic solus Aeneas cum duobus famulis et uno itineris duce inter centum foeminas, quae corona facta medium claudentes ignem, cannabumque mundantes noctem insomnem ducebant, plurimaque cum interprete fabulabantur.

Postquam autem multum noctis transierat, [due adolescentule Aeneam iam somno gravatum in cubiculum paleis stratum duxere, dormire secum ex more regionis, si rogarentur. At
10 Aeneas non tam foeminas, quam latrones mente volvens, quos iamiam timebat affore, puellas a sese murmurantes reiecit veritus, ne peccatum admittens e vestigio preonibus ingressis sceleris penas daret. Mansit igitur solus inter vaccas et capras, que furtim paleas ex strato suo carpentes haudquaquam dormire eum sinebant.] [36]

Post medium autem noctis latrantibus canibus et anseribus strepentibus ingens clamor factus est; tumque omnes feminae in diversum prolapsae, dux quoque itineris diffugit, et quasi hostes adessent, omnia tumultu completa. At Aeneae potior sententia visa est in cubiculo (id enim stabulum fuit) rei eventum expectare, ne si foras curreret ignarus itineris, cui primum obviasset, ei se praedam daret. Nec mora, reversae mulieres cum interprete nihil mali esse nuntiant, atque amicos, non hostes venisse; idque tum sibi continentiae premium Aeneas existimavit. Qui ubi dies illuxit, itineri se commisit, atque ad Novum Castellum pervenit, quod
20 Caesaris opus dicunt. Ibi primum figuram orbis et habitabilem terrae faciem visus est revisere; nam terra Scotta et Angliae pars vicina Scotis nihil simile nostre habitationis habet horrida, inculta atque hyemali sole inaccessa.

Exinde Dunelmiam venit, ubi sepulchrum Venerabilis Bedae presbyteri, sancti viri hodie visitur, quod accolae regionis devota religione colunt. In Eborachum quoque descendit, magnam et populosam urbem, ubi templum est et opere et magnitudine toto orbe memorandum et sacellum lucidissimum, cuius parietes vitrei inter columnas ad medium tenuissimas colligati tenentur.

Inter equitandum comes ei unus ex iudicibus Angliae factus est, qui tunc Lundonias ad iudicium properabat. Hic omnia, quae apud Atrebatum gesta erant, quasi ignaro Aeneae referebat, multaque in cardinalem Sanctae Crucis maledicta iactabat, quem lupum ovina pelle vestitum appellabat. Quis non fortunae casus demiretur? Is Aeneam usque Lundonias securum perduxit, qui si novisset hominem, mox in carcerem coniecisset.

In Lundoniis autem comperit Aeneas interdictum regis esse, ne quis peregrinus absque litteris regis insula exiret; neque illas petere tutum videbatur. Corrupti igitur pecunia custodes portus, quod apud id genus hominum minime arduum est, quibus nihil est auro dulcius. Ex Dubla igitur Calixium navigavit, atque inde Basileam petiit, et itinere continuato Mediolanum. Ubi certior factus cardinalem Sanctae Crucis ex Florentia missum per vallem Athesis et montes, quos Arelatenses appellant, Basiliense concilium adire, ad eum superatis Alpibus, quas Brigae
40 vocitant, per vallem Seduni profectus est.

7. De translatione concilii Basiliensis et Eugenii persecutione

Graeci per id tempus ad Latinas terras de unione tractaturi venturos sese concilio promiserant. At gens inops et mendicandi perita in sumptum pecunias expetebat, atque in eam rem auri florenorum septuaginta millia requirebat. Concilium, ut tantam summam corraderet, plenarias indulgentias remissionemque peccatorum omnium his pollicebatur, qui pecuniam in hoc opus conferrent. Parum tamen valiturae indulgentiae videbantur, nisi et Romani pontificis concurreret auctoritas; neque is renuebat. Sed contendo erat in conficiendis litteris. Basilienses enim sub nomine concilii concurrente Romano praesule [37] dandas indulgentias asserebant, Eugenius vero suo nomine sacro approbante concilio emitendas litteras, atque illum esse veterem et tritum usum affirmabat. Saepe et multum atque usque ad probra super ea re disputatum est. Nam et Thomas - qui postea, ut diximus, Beati Petri cathedram tenuit -, tunc privatus homo et cardinalis Sanctae Crucis familiaris, cum de concilii auctoritate mentio fieret:
55 „*Quid vos*” - inquit - „*concilium commendatis? Non hic concilium neque Ecclesiam quisquam esse dixerit mente sanus. Synagogam sathane, non synodum agitis, perditionis homines et mancipia demonum!*” - Quibus ex verbis irritati patres arripi hominem vinciriique mandaverunt, sed Iuliani cardinalis Sancti Angeli prudentia liberatur.

Cardinalis autem Sanctae Crucis ad Eugenium Bononiae manentem infectis rebus reversus, nec diu post ad Philippum Mariam ducem missus est, inter eum et Venetum populum de pace acturus. Eo usque cum eum Aeneas secutus cardinalem esset, intellexissetque Bononiae nullum Eugenio gratum esse, qui rebus Basiliensibus favisset, memoriamque sibi Novariensis episcopi

posse nocere: ne frustra tempus tereret in Romana Curia, permissu cardinalis Basileam rediit, atque apud gravem et sanctum patrem, Iohannem Sancti Petri ad Vincula cardinalem, natione Hispanum, qui postea Ostiensis creatus est, sese recepit.

5 **8. De gestis Aeneae in concilio Basiliensi, et eius beneficiis et morbo apud Mediolanum gravissimo**

Referam nunc paucis, que in Basiliensi concilio Aeneae obtigerunt, et quae illic ab eo cum laude gesta sunt.

10 Agebatur eo tempore de translatione concilii in alium locum, ad quem Graeci venturi putarentur, quattuorque in electionem loca dabantur, que pecuniam ad rem Grecorum necessariam offerebant: Florentia, Utinum, Papia et Avenio. Cumque in laudem cuiusque loci in auditorio maximo copiose peroratum fuisset, solique Papie commendationes defuissent - quod Hysidorus Rosatensis, quem Philippus Maria dux Mediolani ad eam rem
15 miserat, inepte atque insulse verba faciens quiescere iussus erat -, motus Aeneas et urbis egregiae et principis eius contemptu, conscripta per noctem oratione sequenti die ad conventum veniens, obtenta ex auctoritate Iuliani legati copia dicendi, orationem duabus horis cum omnium singulari attentione et admiratione peroravit, cuius exemplar omnes, qui aderant, edi postmodum sibi curaverunt.

20 Abhinc Aeneae et concilium gratius, et dux Mediolanensium faventissimus fuit, nanque quamvis solo psalmistatus caractere insignitus esset, tamen et scriptoris et abbreviatoris officium assecutus est; in duodecimviratu saepe fuit, quod munus quamvis trimestre, tamen magni ponderis erat, nihil enim deputationes deliberare poterant, nisi materiam a duodecimviris acceperant, neque ad concilium quispiam admittebatur absque horum decreto.
25 In deputatione [38] sua, cui 'fidei' nomen erat, sepe presedit; claves plumbi, quo synodales litterae signabantur, frequenter in eius custodia fuerunt; inter scriptores nemo ad rescribendariatum saepius electus est; inter abbreviatores Parci Maioris locum habuit. Quotiens e nationibus aliqui ad res singulares delecti sunt, raro is unus non fuit. Legationes synodales ei ad Argentinam tres, ad Constantiam due, ad Frankfordiam una, (ad Tridentum una,) ad Sabaudiam una demandate sunt, atque omnes feliciter obivit.

Cum prepositus Sancti Laurentii Mediolanensis basilice diem clausisset extremum, Franciscus Mediolanensium pontifex, ingenti et doctrina et sanctimonia commendatissimus, mox approbante concilio Aeneam illi suffecit, quamvis essent complures et doctores et magni viri natione Mediolanenses, qui se promotos optabant. At cum in contione generali res ageretur,
35 Isydorus Rosatensis, emulus Aeneae, quod in laudanda Papia se inaudito fuisset auditus: „*Quid agitis, patres?*” - inquit. - „*Electivam proposituram Aeneae, homini extero committitis? Ubi decretum vestrum, quod tantopere servari precipitis? Beneficia in terra Mediolanensi absque scitu et voluntate principis de vobis optime meriti confertis? Cives et doctores spernitis, alienos eligitis? Nisi capitulum in suo iure dimittitis, ruent conatus vestri, ridebiturque provisio!*”

40 Tum Aeneas: „*Vehementer*” - inquit - „*admiror, patres optimi, Isydorum adversum me verba facere, qui nuper ex Mediolano reversus litteras Philippi ducis ad me detulit, quibus ille princeps gratias mihi agit, quod eius causam hoc in loco peroraverim, atque ob eam rem gratum sibi esse affirmat in eius territorio quodcunque beneficium ecclesiasticum me acceptare, cuius libenti animo possessionem sit mihi daturus. Non igitur ille me extraneum habet, neque nova res est unius regionis homines in altera dignitates habere, si modo linguam norint; nam et archiepiscopus ex Bononia Mediolanum venit. Neque movere quenquam debet, quod de decreto electionis obiicitur, inferiores enim, non concilium obligat; illis insuper capitulis electis dimittenda est, quae plures graves canonicos, non que duos tresve habent et
50 leves et indoctos - ut in ecclesia Sancti Laurentii, de qua nunc agimus -, qui tales sunt, ut habentes eligendi potestatem non eligant quidem, nisi iussi hunc aut illum eligere. Vos, patres, agetis, ut libebit. Nihil peto, quod vestro sit honori adversum. Quod si mihi providendum duxeritis, voluntatem vestram sine possessione electioni capitulari cum possessione pretulerim.*” - Ad quae cum Isydorus responsurus assurgeret, universae contionis clamore correptus obticuit.
55

At Aeneas Mediolanum profectus nobilem quendam ex magna domo Landrianorum iussu ducis per capitulum ad eam preposituram vocatum et in possessionem adductum invenit, quem sibi mox cedere compulit: tantum Aeneae et princeps et curia favit. Sed obtenta prepositura lectum egritudinis incidit ingenti febre correptus; ad quem Philippus suum medicum, doctum et laetum virum, Philippum Bononiensem - qui postea Nicolao papae servivit - singulis diebus mittebat. In hac aegritudine cum farmacum acceperat, neque id quicquam operatum esset,
60

potionemque alteram sequenti nocte sumendam medicus preparasset, ipsa hora, qua ministrari secundum pharmacum debuit, [39] moveri venter cepit atque adeo vexavit hominem, ut nonaginta vicibus assurgere cogeretur. Ob quam rem mente alienatus ad portas - ut aiunt - mortis usque cucurrit. Quod si potionem alteram ebibisset, animam procul dubio extenuatus atque consumptus exalasset. Quod certissimum Dei beneficium intelligens, quamvis quinque et septuaginta dies continuo febris ardore quateretur, nunquam tamen adduci potuit, ut incantatoribus auscultaret, quamvis homo ad se duceretur, quem novissime in castris Nicolai Picinini duo millia virorum ex febribus liberasse dicebant. Sed Deo fidens, cuius ope servatus in vita fuerat, adhuc febricitans iter accipiens inter equitandum liberatus Basileam reversus est.

Ubi cum solemnitas ageretur Divi Ambrosii, Mediolanensi invitante archiepiscopo sermonem de laudibus sancti patris ad synodum habuit, quamvis theologi restitissent, qui sibi id muneris expetebant. Sed prelatus cunctis Aeneas incredibili attentione ab omnibus auditus est.

9. De Sigismundi caesaris morte et Alberti suffectione, Aeneae pestilenti morbo et mirabili cura

Interea mortuo Sigismundo caesare atque Alberto in eius locum subrogato, missus ad eum Bartholomeus Novariensis episcopus a Philippo duce Mediolani cum Basileam venisset, Eneas, ut in Austriam sibi comes iret, non parvis precibus impetravit. Nondum Albertus imperium acceptaverat adversantibus Hungaris, qui ea conditione susceptum Hungarie regnum dicebant, ne vel oblatum imperium assumeret. Incertus autem, quid ageret, Albertus legatos principum, qui aderant, consulendos censuit, tempusque deliberantibus indulsit. Interim Bartholomeus rationes ab Aenea conscriptas accepit, quibus et imperium acceptandum, et Hungari ad consentiendum induci posse videbantur. Quas cum in consilio recitasset, gratie sibi publice acte sunt, et Albertus non consentientibus modo, sed ultro suadentibus Hungaris imperatorem se dixit. - At Aeneas Austrie moribus offensus, quos nondum plane norat, dimisso apud Viennam Bartholomeo cum Ludovico patriarcha Aquilegiensi, homine nobili ex ducibus Basileam rediit, nescius, quod magnam vite partem in Austria postmodum esset acturus. Nulli „*hac non ibo*“ dicere licet: prudens premit Deus caliginosa nocte futurum!

Hic annus apud Germanos neque vini neque tritici ferax fuit. In Baioaria pueri passim innuptaeque puellae ex transeuntibus panem petebant, atque ut inter canes ossa proiecta, sic inter illos buccellae panis iactatae litem movebant. Nec diu post secuta est acerbissima lues, que totam Alamaniam infecit; haec in Basilea Ludovicum patriarcham Ludovicumque protonotarium Romanum, quem dicebant iuris lumen, extinxit, admodum multos prelatos morti dedit, infinitam plebem prostravit, tantaque rabies morbi fuit, ut amplius, quam trecenta cadavera una dies sepelierit. Tumque carissimos amicos Aeneas amisit: [40] Iulianum Romanum et Arnoldum Theutonicum, quibus egrotantibus usque ad animi transitum comes intrepidus astitit.

Sed neque sibi pestis ignovit; qui ut se tactum intellexit, vocatis comitibus, ut abirent, suasit, ne sibi morituro astantes inficerentur. Ex his Iacobus Cerverius territus ex Basilea recessit; Andreas Panigalius constantioris amicitie socius, etiamsi mori oporteret, abiturum se negavit. Iohannes Steynofius Theutonicus tunc illi serviebat, ac Petrus Iuliani Romanus; cum his habito de medicis consilio cum accepisset duos esse in civitate celebres - alterum Parisiensem et doctum, sed infoelicem, alterum Theutonicum indoctum et fortunatum -, Aeneas fortunam scientie pretulit, quia morbi pestiferi incertam esse curam sciebat.

Curatio hec fuit: quoniam sinistrum inguen lesum erat, sinistri pedis aperta vena est; tum die tota et in partem noctis prohibitus somnus; exin pulvis quidam ebibitus, cuius materiam revelare medicus noluit; ulceri et loco leso nunc rafani viridis suci pleni incise portiones, nunc madide cretae frusta supponebantur. Inter hec aucta febris ingentem capitis dolorem ac salutis desperationem adduxit. Quibus ex rebus vocari ad se sacerdotem Aeneas iussit, atque mox confessus, communicatus atque inunctus est. Nec diu post mente alienatus interrogantibus aliena respondit. Tumque fama vulgata est Aeneam mortuum esse; quae res illi Mediolanensem preposituram abstulit, altero in possessionem recepto, qui propter divisionem Ecclesiae repelli non potuit. Sed miserante divina pietate post sex dies Aeneas convaluit; qui cum sex aureos medico in mercedem offerret (mira fides bonitasque viri atque in medico forsitan inaudita!), indignum se tanto premio medicus existimans: „*Si hoc*“ - inquit - „*auri me vis accipere, sex pauperes sine precio aegrotos curabo*“ -, idque facturum iure iurando sese astrinxit.

Exin vacantibus per obitum Iohannis Andreae Poloni canonicatu et prebenda ecclesiae Tridentinae, concilium illos Aeneae summo favore contulit, quamvis competitorum essent non pauci, neque contemnendi homines; ad quorum possessionem [capiendam] profectus Vilichinum quendam Theutonicum, litigiosum et versutum hominem, qui se ex auctoritate capituli in illis intruserat, placatis canonicis et in suum favorem adductis extrusit.

10. Depositio Eugenii in concilio et Foelicis creatio, eiusque secretarius Aeneas

Hoc tempore Basilienses Eugenium papam suis decretis e summo pontificatu deiecerant, ac de successore solliciti ex qualibet natione octo viros assumpserant ita, ut essent duo et triginta, quibus eligendi Romani pontificis potestatem concesserant. Cumque Italicos nominarent, Aeneam vocabant; et quia nondum sacris ordinibus iniciatus incapax eius officii videbatur, litteras ei dedere, quarum vigore una die extra tempora a iure statuta subdiaconatum et diaconatum cum minoribus ordinibus assumere posset. Sed noluit Aeneas eam ob [41] causam sacris se imbuere, conclave tamen velut cerimoniarum clericus intravit, viditque cerimonias omnes, quibus usi sunt Basilienses in electione Amedei ducis Sabaudiae, quem Felicem papam Quintum appellaverunt.

Ad quem Aeneas adhuc heremum colentem perrexit, atque ab eo in scrinarium receptus et in Ripalia et in Thononio et in Gebennis et in Lausana et in Basilea tamdiu ei servivit, donec Fridericus Tertius Romanorum rex, qui Alberto defuncto successerat, Frankfordiam et Alamanie partes inferiores petens apud Aquas Grani regni coronam accepit. Ad quem cum Foelix legatos mitteret, Eneam quoque iussit eo pergere. Qui cum consiliarios Federici sepius alloquitur, in amicitiam gravis et docti viri, Silvestri Chiemensis episcopi recipitur.

11. Eneas poeta laurea donatus ab imperatore protonotarius efficitur, eiusque summa patientia et legationes variae

Deinde Iacobi Treverensis archipontificis et electoris Imperii, hominis, qui nobilitatem cum virtute coniunxerat, in notitiam familiaritatemque venit; atque ab his in gratiam caesaris adductus ac laurea corona poetarumque privilegiis donatus, ei ut servire suamque curiam sequi vellet, rogatus est. Cui Aeneas, quamvis se sub Imperio natum nulli iustius, quam imperatori servituum responderet, quia tamen apud Foelicem secretarii locum tenebat, indignum existimavit iniussu eius in alterius domini potestatem transire. Sed ait Basileam se reversurum, Felicisque voluntatem quesiturum, quam si assequi posset, non invitum caesaris curiam sequuturum. Caesari, qui Basilea transiturus erat, non ingratum responsum fuit. At Aeneas cum ad Felicem redisset, neque suo apte ingenio abundi potestatem obtinere posset, interpositis tandem amicis egre dimissus est. Qui ad Federicum transiens, cum is ex Burgundia reversus Basileam petivisset, in secretarium admissus in Romana cancellaria protonotarii locum obtinuit. Ius iurandum apud Brixinam caesari prestitit, nam et ibi Gaspar Slichius cancellariam accepit, quam prius apud Sigismundum et Albertum caesares obtinuerat; nobilis eques ingenio prompto et facundia grata, cui vel inaudita vel rara laus obtigit, ut trium cesarum cancellarius fieret.

Is cum legatum caesaris apud Nurembergam ageret, regimen cancellariae Wilhelmo Tag, homini Baioario et Italici nominis hosti commisit, a quo miris modis Aeneas afflictus est; qui cum statuisset malum in bono vincere, auriculas declinavit, ut inique mentis asellus, cum gravius dorso subit onus. Itaque, licet ultimus omnium haberetur, neque in mensa neque in cubiculo dignum se locum haberet, ac invisus ut hereticus vel Iudeus sperneretur irrideretque, aequo animo tulit omnia. Unus tamen inter consecrarios fuit, Michael Fullendorfius, qui cum mansuetiores amaret musas, et studia sectaretur humanitatis, Aeneam bene sperare iubebat, quia redeunte cancellario meliorem fortunam inveniret. Neque mentitus est; nam cum redisset Gaspar atque, quid [42]

Aeneas valeret, nunc una nunc altera in re tentaret, cum reperiret ingeniosum, industrium et laboris patientem hominem, magni facere et preferre eum cepit. Ad haec accessit, quia cum Senis ageret Gaspar eo tempore, quo Sigismundus imperator illic erat, apud Nicolaum Lollium, spectatum virum eiusque coniugem, nobilem matronam, Bartholomeam Ptolomeam, Aeneam hospitium habuit, ac nepotem eius ex Margarita natum sacro de fonte levavit, quem suo ex nomine Gasparem vocavit. Ob quas res carior Gaspari factus, cum iterum ille in legationem abiisset, gubernationi cancellariae prefectus est, eamque rexit, quotiens Gaspar abfuit. At Wilhelmus, qui prius Aeneam conculcabat, vereri eum coactus est, ut intelligerent omnes humilitatem facile tolli sursum, superbiam facilius deorsum ruere. Wilhelmus tamen invidie succumbens imperialem curiam paulo post reliquit; ceteri in gratiam cum Aenea redierunt, qui apud caesarem in dies crescens ad res magnas et arduas vocatus in consilium secretius tandem receptus est.

Prima ei legatio apud Tergestinos fuit, quos caesari fidelitatem iurare suasit, atque ab eis ius iurandum recepit. Exinde cum apud Nurembergam imperator et principes electores ad sublationem scysmatis intenderent, quod inter Eugenium Quartum et Felicem Quintum vigeat, placuissetque, ut imperator quattuor viros eligeret, elector quilibet duos et alius quivis princeps unum, qui auditis Eugenii ac Foelicis oratoribus providerent, ne quid res publica

Christiana detrimenti pateretur, Federicus caesar hos nominavit: Silvestrum Chiemensem episcopum, Thomam Haselbachium theologum, Ulricum Sonnenbergium iuris consultum et Aeneam poetam, quamvis hic adhuc rebus Basiliensibus et Felici magis, quam Eugenio bene cuperet. Nondum enim ardor ille Basiliensis eum reliquerat, neque rationes tenebat, quibus
 5 Eugenii causa nitebatur; qui apud unam solum partem versatus alteram contemnebat; sed pedetentim postmodum declinavit, cum Basilienses refugere iudicium animadvertit. Igitur in Noremburga partes Basiliensium obnixè iuvit, atque ipsius opera conditiones pacis, quae partibus oblate sunt, non tam faciles Eugenio, quam Basiliensibus dicte fuerunt. Nam cum
 10 placuisset ad reformandam Ecclesie pacem aliud concilium convocare, in quod et Eugenius et Basilienses consentirent, urbs Constantia provincie Maguntinae pro loco concilii nominata est, que ab Eugenio remotissima erat, Basiliensibus propinqua.

12. Sarantane vallis descriptio et incolarum mores

Interim Aeneas Sarantane vallis parrochiam ecclesiam favore caesaris assecutus est, quae aureos ei sexaginta quotannis reddidit. Sita in Alpibus, que Germaniam ab Italia disterminant,
 15 ea vallis uno tantum aditu eoque altissimo et perdifficili patens, nivibus et asperrima glacie tribus anni partibus oblecta rigescit. Loci accole totas hyemes domi se continent, cistas et que sunt opera [43] carpentariorum, solerter agentes, que per aestatem Bulcani Tridentique vendunt. Schaccorum ac alearum ludo temporis plurimum terunt, illumque mirum in modum callent. Nullus hos belli metus occupat, neque honoris cupido cruciat, neque auri magna fames
 20 atterit: horum opes pecora sunt, quae per hyemem foeno nutriunt, hisque vivunt; inter quos et homines invenire est, quos nunquam bibisse constat, quibus pro potu est cybus lacteus. Qui procul ab ecclesia degunt, corpora hyemis tempore defuncta sub divo reponunt, atque astricta gelu in aestatem servant; tum plebanus parrochiam circuiens longum funeris ordinem ducit, dicensque novissima verba in cimiterium plura simul cadavera recipit; illi siccis genis exequias
 25 prosequuntur. Felicissimi mortalium, sua si bona cognoscentes libidini frenum ponerent! Sed die noctuque commessati stupra et adulteria passim admittunt, neque virgo apud eos nubit.

Verum hanc ecclesiam Aeneas brevi dimisit, meliorem assecutus in Baioaria, Sancte Mariae Aspacensis, non longe ab Eno flumine, quam sibi Leonardus Pataviensis episcopus, genere atque magnificentia eque nobilis ultro contulit, litteris ei sine precio ad Stiriam missis.
 30

13. Eneae legatio ad pontificem Eugenium et cum eo reconciliatio, et Thome Sarcanei amicitia

Post hec, cum iam Basilienses conditiones pacis refutassent, Aeneas ad Eugenium missus est. Qui cum Senas venisset, unanimi propinquorum voce prohibebatur Romam petere, qui Basilee
 35 infensus Eugenio fuisset; illum enim nullius rei, quam iniuriae magis memorem ac vindicte cupidum crudelemque predicabant. Contra Aeneas oratorem caesaris non arbitrari sese aiebat Rome non tutum; onus legationis a se receptum aut absolvendum esse, aut sibi moriendum - atque parentibus invitis et flentibus Romam perrexit. Gerardus Landriano cardinalis Comanus, cum quo sibi vetus familiaritas erat, rectus pater et amicitie tenax, ad Eugenii presentiam ipsum
 40 introduxit.

Libet hic, coram summo sacerdote quibus verbis Aeneas fuerit usus, referre, nam pauca sunt et memoratu digna.

Duo cardinales pontifici astabant, Comanus et Morinensis; qui prius auctoritate apostolica ab omnibus censuris Aeneam absolverant, quas favendo Basiliensibus inciderat. In conspectum
 45 ergo cum Eugenii venisset Aeneas, ad osculumque pedis, manus et oris ab eo receptus, restitutusque litteris iussus fuisset dicere:

*"Prius" - inquit -, "sanctissime presul, quam caesaris mandata refero, de me ipso pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata esse, neque bona neque digna relatu; sed neque mentiti sunt, qui me tibi detulerunt. Plurima ego, dum Basilee fui, adversus te dixi, scripsi et feci, nihil inficior. At non tam tibi nocere, quam Dei Ecclesiae prodesse mens mea fuit. Nam cum te persequerer, obsequium me Deo prestare putabam. Erravi, quis neget? Sed neque cum paucis neque cum parvis hominibus: [44] Iulianum Sancti Angeli cardinalem, Nicolaum archiepiscopum Panormitanum, Ludovicum Pontanum, tue sedis notarium sum
 50 secutus, qui iuris oculi et veritatis magistri credebantur. Quid scolam Parisiensem et alia orbis gymnasia referam, quorum pleraque adversum te sentiebant? Quis cum tantis nominibus non erraverit?*

*Verum ego, ubi errorem deprehendi Basiliensium, fateor, non statim ad te convolavi, quod plerique fecerunt; sed veritus, ne ab errore in errorem prolaberer, ut sepe in Scyllam incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, ut ab altero duorum
 60*

extremorum ad alterum non sine consultatione ac mora transirem. Mansi ergo apud cesarem tribus annis; ubi dum magis ac magis contentiones audio, que inter Basilienses et tuos legatos fiunt, nihil mihi dubii relictum est, quin te penes sit veritas; atque hinc factum est, ut cupienti cesari ad tuam me clementiam viam facere non invitus paruerim, sic enim me tuam in gratiam redire posse sum ratus. Nunc apud te sum, et quia ignorans peccavi, mihi ut ignoscas, oro; deinde causam caesaris explicabo."

Cui Eugenius:

"Scimus te" - inquit - "in nos graviter deliquisse, sed erratum fatenti non possumus non ignoscere. Ecclesia nanque, Pia Mater, neganti debitum nunquam remittit, fatenti nunquam retinet. Tu iam veritatem tenes; cave, ne relinquant eam, atque bonis operibus divinam gratiam querito, quam malis actibus amisisti. Eo in loco iam degis, ubi et veritatem tueri possis, et Ecclesie prodesse. Nos iniuriarum posthac preteritarum obliti te bene ambulantes bene amabimus." - Atque his dictis ad res Ecclesiae ventum est; super quibus Eugenius deliberandi tempus accepit.

Medio tempore, dum cardinalem Aquilegiensem Aeneas peteret. Thomam Sarezaneum, tunc episcopum Bononiensem forte fortuna obvium habuit; quem cum pro veteri benivolentia salutandum adiret, invitum ac sese fugientem et horrentem offendit, ut qui Aeneam Basiliensibus adhuc rebus faventem coniectabatur, quas ille singulari odio insectabatur. Quod miratus Aeneas ac paululum indignatus substitit, neque illius ultra quesivit alloquium. At cum interiectis deinde paucis diebus apud Iulianum Barattum, veterem et Basiliensem amicum Aeneas decumberet iliorum gravi dolore oppressus, commiseratus Thomas Martinum Hispanum, fidum et probatum familiarem ad eum misit, qui consolaretur aegrotum, atque in medicos offerret pecuniam. - Iohannes Carvaiales, qui sepe apud imperatorem legatus fuerat, ac postea cardinalatum obtinuit, nulla non die visitavit Aeneam; cardinales quoque ad eum mittebant, sed et summus pontifex Iohannem Papiensem, spectatum virum misit, qui Aeneae cuncta polliceretur ad querendam sanitatem necessaria. - Ingens illa egritudo fuit, tantaque vis doloris, ut duodecim diebus, quibus Aeneas decubuit, nulla non hora mortem optaverit. Sed restitutus denique, responso ab Eugenio recepto - qui se missurum ad cesarem dixit - Senas repetiit, et consolatus patrem, quem postea nunquam vidit, salutatisque propinquis omnibus in Alamaniam rediit. In via autem apud Sanctum Cassianum Thome episcopo Bononiensi, qui Romam ibat, datus obviam gratias [45]

egit, quod sui aegrotantis memor Rome fuisset, atque ibi combibentes pristinam benivolentiam integrarunt.

Non tamen adhuc vera hec reconciliatio visa est Thomae; nam cum interiecto deinde tempore legatus ad cesarem proficisceretur, Petrum Noxetanum, familiarem et propinquum suum atque Aeneae verum et antiquum amicum interpellavit, sibi ut litteras commendatitias ad eum daret. Sed minime his opus erat; Eneas enim nullius rei suevit, quam inimicitiarum facilius oblivisci. Receptis tamen Petri litteris in omne officium Thomae prestandum tanto sese magis voluntarium exhibuit, quanto duarum amicitiarum, quam unius, est solidior nexus. Quibus ex rebus detersa est omnis rubigo simultatis, et amicitia, que olim fuit, aut eo maior innovata est.

14. Fit Aeneas Eugenii secretarius, et eius singularis cum virtute fortuna, et electorum Imperii adversus pontificem coniuratio

Venit et Thome comes, qui paulo ante a cesare recesserat, Iohannes Carvaiales, atque is litteras Eugenii ad Aeneam detulit, que secretariatus apostolici sibi officium demandabant; cuius postea iuramentum Rome praebuit. Magnum - ut mihi videtur - et singulare viri preconium! Nec scio, an alteri unquam contigerit eo fortunam unum efferre hominem, ut apud duos Romanos pontifices, unum imperatorem et unum antipapam secretariatu potiri posset! Nam Aeneas hoc muneris cum Felice primum, deinde cum Federico cesare, postea cum Eugenio et demum cum Nicolao non solum nomine, sed re quoque obtinuit.

Per idem temporis electores Imperii apud Frankfordiam convenientes, ob depositionem Coloniensis et Iacobi Treverensis archiepiscopi ab Eugenio factam commoti, occultum inter se fedus percusserunt, nisi Eugenius irritam depositionem hanc decerneret, nationis onera tolleret, et auctoritatem conciliorum, ut Constantie declarata fuerat, profiteretur, se suam depositionem in Basilea factam amplexuros; legatosque ad cesarem miserunt, qui hec ei soli et sex iuratis consiliariis exponentes, ut federi se adiungeret, atque cum eis mitteret Romam, orarent. Caesar, ut audivit electorum mentem, missurum se ad Eugenium dixit, rogaturumque, ut eorum petitionibus morem gereret; fedus autem sprevit, indignum atque impium dicens, nisi papa, quae petuntur, concesserit, ab eo descire.

Misit igitur Aeneam ad Eugenium, ut suaderet ei, ne principes electores contemneret, maxime vero, ut depositis archiepiscopis pristinam redderet dignitatem; sic enim futurum, ut Germani omnes deposita neutralitate ad eius gremium redirent; quod si durior in sententia perseveraret timendum esse, ne scandalum perpetue divisionis oriretur. Quicquid autem electores inter se
5 concluderant, iniuratus caesar aperuit Aeneae, atque ut papae referret, imperavit. Et quia rursus in Kalendis Septembris apud Francfordiam electores [46] habituri conventum erant, ut audito responso pape secundum fedus neutralitatem exirent, Aeneam monuit, ut recta via Francfordiam peteret, ubi legatos alios conventurus animum Eugenii eis notum efficeret.

Legati inter hec apostolici, quid rerum principes electores in Francfordia conclusissent, quid ex cesare peterent, quid Romam mitterent, cum diu quesissent, nec certum aliquid excudere possent, ut alter eorum Romam pergeret, decreverunt. Et quia Iohannes Carvaiales languens apud veterem hospitem suum, Iohannem Gers, mordacem et invidie mentis hominem acutis incensus febribus iacebat, Thome Bononiensi episcopo hec provincia cessit, qui Aeneam itineris comitem accepit.

15 Tempus tunc vernale fuit, in quo tanta celo pluvia cecidit, ut omnes in Carinthia pontes ruperit et secum flumina tulerit. Ob quam rem per altissimos et invios montes atque abruptas et nivosas petras monstrantibus accolis triduanum iter coacti sunt pergere.

20 **15. Aeneas Eugenium convenit. Aegrotatio eius, et Thomae ac Aeneae singularis prudentia in dissolvendo Francfordiensi conventu et neutralitate deponenda**

Cum Romam venissent, Eugenius admonente Thoma prius Aeneam, quam legatos electorum audivit, facturumque se omnia promisit, que caesar suasit. Atque inde Thomam ad Philippum Burgundorum ducem direxit, consensum ut archiepiscoporum restitutioni preberet, quod
25 nepos eius in Coloniensis et frater eius naturalis in Treverensis locum vocatus esset, itaque non videbatur illo inconsulto restitutio promittenda. Mandatum autem Thomae fuit, postquam Philippi voluntatem intellexisset, ut Francfordiam se conferret; sed cum is in expediendis litteris cunctatior videretur, Aeneas, qui secum usque Parmam iturum se dixerat, precedendum existimavit. Atque cum Senas se apud suos recepisset, e vestigio calculi aegritudinem incidit; ad quem lectulo decumbentem postridie Thomas venit, et quia festinandum erat, eo salutato recessit.

Neque Aeneas vinci morbo voluit; sequenti die nondum sanus eum secutus apud Carthusiam Florentinorum apprehendit, atque cum eo Pistorium Lucamque profectus est. Aeneas tamen Florentiam intravit, Thomas ingredi prohibitus, qui Eugenii legatus esset, quam tum Florentini odio habebant.

Apud Lucam cum Petro Noxetano diem morati sunt, qui eos per vallem Carfaniane comitatus est, donec ad Catherinam, Thome sororem venerunt. Ea Cesaris, nobilis hominis et in valle potentis uxor erat, quae fratrem iam longo tempore non visum incredibili amore et ingenti honore suscepit. Ubi relicto Petro per altos et asperrimos Sillani montes Parmam petiverunt.
40 Illic Thomas itinere pedestri fatigatus, et quia noctes apud rusticanos hospites insomnes duxerat, acutissimas in febres cecidit; qui mox Aenea vocato flens rogavit, iter suum pergeret, ne rebus agendis sua mora impedimento esset, sibique litteras [47] apostolicas ad Iohannem Carvaialem dedit, dicens se, nisi brevi convalesceret, scripturum Eugenio, alium ut suo loco sufficeret.

45 Eneas invitus aegrotum dimisit; intelligens tamen necessitatem, itineri sese dedit, ac per Brixillum trajecto Pado Mantuam et inde Veronam venit, ac per vallem Tridentinam et montes Brixinenses Sigismundum Austrie ducem in Eni valle morantem visit. Quocum venationem ingressus id spectaculo et relatu dignum animadvertit, quod cervus mire magnitudinis diu canibus agitatus tandem coactus est in flumen se deiicere, ac vivum in popinam reddere principis.

Illinc Aeneas discedens per Nacareth et vallem, quam Infernalem vocant, superato non parvi montis dorso ad Campidenam et Mamingam Ulmamque penetravit, neque ulterius progredi poterat, latronibus omnes aditus versus Francfordiam obsidentibus. Anxius igitur ac incertus animi dum, quid agat, consilium querit, quasi ex industria dies illic dicta ad conveniendum
55 fuisset, mox precursores applicant, qui nocte futura Petrum Augustensem, Silvestrum Chiemensem episcopos atque Gasparem cancellarium, candidas animas, legatos cesaris affuturos nunciant. Nihil tum Aeneae gratius contingere potuit cum propter notitiam hominum tum propter securitatem itineris. Mox simul omnes Francfordiam petivere, ad quos intra dies paucos Iacobus Badensis et Albertus Brandenburgensis marchiones in legatione coniuncti sunt.

60 Thomas, cum decem diebus egrotasset, tandem convalescens iter continuavit, ac per Sabaudiam incognitus ad ducem Burgundorum transivit, impetratisque petitionibus circa finem conventus ad Francfordiam divertit.

Interea Iohannes Carvaiales et Nicolaus Cusa cum litteris, quas Aeneas attulerat, principibus satisfacere nitebantur. Sed frustra erant omnes conatus, cum legati principum, qui Romae fuerant, Eugenium asperum, superbum et nationis inimicissimum durissime sibi respondisse referrent. Itaque desperata res Eugenii videbatur, quia solus imperator adversus omnes electores declarationem facere non audebat.

In eo conventu egregium facinus Aeneas ausus est, quod negligere nulla ratione possum. Maguntinus, qui federi aliorum electorum et pro se et pro Federico Brandeburgensi sigillum appenderat, rogantibus oratoribus caesaris, ut sententiam mutaret, non erat invitus, id si certa posset ratione tueri, ne promissi violator videretur. Tunc Aeneas bono animo collegas esse iussit, quod Maguntino facile satisfaceret. Noctem ipse insomnem duxit, atque ex notulis principum, secundum quas Eugenium litteras dare volebant, alias notulas composuit omni expresso veneno, quod Eugenius abhorrebat, sententiasque omnes extendit, per quas et nationi provideretur, et archiepiscopi restituerentur, atque auctoritas conciliorum generalium non conculcarentur. Quibus peractis eas ostendi Maguntino iussit, sibi que dici voluntatem cesaris esse secundum eas notulas Eugenium nationi providere, neque dubitandum esse, quin illa ex eius sanctitate possent impetrari, si rursus ad eum mitterentur oratores. Visa res est Maguntino et sufficiens et iusta, moxque cum imperialibus et archiepiscoporum [48]

Magdeburgensis, Bremensis et Salzbουργensis et Federici marchionis multorumque aliorum principum legatis fedus iniit, ut notule, quas Aeneas confecerat, sigillis omnium munitur mitterenturque Romam. Quod sentientes electores ceterique principes, animo consternati non sunt ausi contra niti, nationis enim pars maior notulas sequebatur Aeneae.

Ludovicus cardinalis Arelatensis, ubi spe deiectum se novit, accersito Aenea, qui sibi Basileae notus et inter familiares dilectus fuerat, mutatam eius sententiam multis verbis accusavit. Cui Aeneas non se mutatum, sed Basilienses non esse dicebat, qui olim fuerant; qui cum primo pacis causa transferre concilium ex Basilea in alterum locum promisissent, postea negavissent, tanquam extra Basilienses muros veritatem tueri nequirent. Iohannes quoque Lysura, vir prudens et iure pontificio consultissimus obvius Aeneae apud Iohannem Carvaialem datus: „*Et tu*” - inquit - „*ex urbe Senensi daturus legem Theutonicis advenisti? Utinam domi mansisses, et nos nostram regere terram dimisisses!*” - Cui Aeneas transiens nihil responsi reddidit, invidiam ne sibi maiorem pararet.

16. Iohannes Carvaiales et Thomas fiunt cardinales. Aeneas Romam legatus proficiscitur, et cum omnium admiratione perorat Germanorum obedientiam prestans

Finito conventu Thomas Bononiensis antistes et Iohannes Carvaiales per Novam Civitatem Austriae transeuntes actis caesari ingentibus gratiis, qui magnos et fideles legatos ad Francfordiam miserat, dum Romam pergunt, ut qui res bene foeliciterque gessissent, ad cardinalatus eminentiam provecti sunt.

Caesar paucis post diebus Aeneam et nobilem equitem, Procopium Rabensteynum Bohemum ad Romanam Curiam legatos instituit, hisque potestatem dedit, si Eugenius notulas in Francfordia conclusas acceptaret, concurrente presule Maguntino et Brandeburgensi marchione neutralitatem deponerent, ac nationis nomine Sancte Sedi Apostolice obedientiam restituerent.

Interea Iohannes Lysura, ut res suam non sequi mentem animadvertit, rebus mentem aptavit, summittensque se Maguntino archiepiscopo legationem eius ad Eugenium obtinuit; quem cum pluribus aliis oratoribus principum apud Senas legati caesaris invenerunt, atque simul Romam euntes ad primum lapidem familiam pape et cardinalium et universos Curie prelatos obviam habuere, ac veluti duces recipi solent, cum victis hostibus domum repetunt, in Urbem sunt intromissi.

Tertia die ad Eugenium vocati in consistorio secreto auditi sunt; quo in loco nomine omnium Aeneas oravit, quem cum papa tum cardinales mirum in modum laudaverunt. At Eugenius ea ipsa die correptus aegritudine in lectum se dedit, cardinalibusque rem tractandam commisit. Cum iam res ad calcem deducta esset, plerique ex Theutonicis pedem retrahebant, obedientiamque [49] pontifici, medicorum iudicio infra decimum diem morituro prestandam negabant. Quibus Aeneas magnis rationibus adversabatur, multumque nationi conducere affirmabat accelerari declarationem debere, cum Eugenius iam voluntati principum benivolus esset; nam quod ipse fecisset, successorem eius gratum habiturum; quod si ante moreretur Eugenius, quam declaratio fieret, timendum esse, ne successor nationi durus inveniretur; quamvis sive asper sive mollis successor ei daretur, nihil cum eo tractari posse, quorum mandata in Eugenium sonarent; ab Urbe vero si rebus infectis recederent, omne fedus principum solvi, nationemque nunc maiori ex parte concordem in magnas divisiones

contentionesque dari; quodque gravissimum videri deberet, ad solidandum roborandumque scysma periculosissimum in Ecclesia viam, quam precluserant, aperiri. Nec Iohannes Lysura alterius sententiae fuit, qui tantopere faciendam declarationem suadebat, ut mortuis omnibus Eugenii membris satis esse diceret, si vel digitus sinistri pedis minimus viveret.

5 Ob quam rem persuasis omnibus collegis cum iam notulas omnes Eugenius approbasset, atque litteras super his decrevisset, ad cubiculum eius omnes legati intromissi sunt, qui iacenti pontifici obedientiam prestiterunt. Ille confestim bullas apostolicas in manus Aeneae dedit. Nec mora, rursus in consistorio publico presidentibus cardinalibus publicatis caesaris et aliorum principum mandatis repente sunt cerimoniae. Inde tota Urbe ob publicam letitiam ignes facti, et campanae tubeque sine modo sonuerunt. Sequenti die iustitium indictum, superisque rogaiones decretae; cardinales ceterique prelati cum populo in ordine procedentes Silvestri coronam, Iohannis Baptiste caput precipuasque sanctorum reliquias ex templo Sancti Marci Lateranum detulerunt, ibique sacrificatum, atque de Federici Eugenique laudibus habitus est non brevis neque inornatus sermo.

15

17. Eneas ab Eugenio eligitur episcopus Tergestinus, quo non succedente fit subdiaconus. Mors Eugenii suffectioque Nicolai. Aeneas secretarius et verus Tergestinus

20 Dum hec agerentur, rumor fuit Nicolaum episcopum Tergestinum mortem obiisse; idque primus cardinalium intellexit Thomas Bononiensis. Decanus Aquilegiensis id ei narraverat, qui ecclesiam illam ambiens cardinalis opem expetiverat. At cardinalis re cognita Iohannem Sancti Angeli eiusdem ordinis parva cedula certiore facit, dicens iam tempus datum, quo possent Aeneam pro vehere. Is forte fortuna apud Iohannem cenatus diversa ex more fabulabatur; cui Iohannes cedulam legendam porrigens, quid sibi videretur, percunctatus est. Ad quem Aeneas:

25 „*Dignitatem*” - inquit - *”imparem meis meritis non petam, at ultro datam non recusabo.”* - Sequenti die, cum Ludovicus cardinalis Aquilegiensis ecclesiam Tergestinam decano suo, alii aliis peterent, omnes ab Eugenio repulsi sunt, qui pontificatum ipsum Aeneae sese commissurum [50] constanter affirmavit. Sed cum certitudo vacationis exquireretur, vanum fuisse rumorem constitit. Aeneas tamen ab Eugenio in subdiaconum apostolicum assumptus est.

30

Eugenius vero post obedientiam Germanorum receptam diebus sexdecim cum morbis ac morte pugnavit, victusque tandem in festo, quod Petri Cathedram vocant, nature concessit anno salutis MCCCCXLVII Exequiis per novem dies actis cardinales ad electionem successoris ingressi Aeneam atque Procopium cum ceteris legatis regum ad custodiam conclavis delegerunt.

35 Ubi cum duas noctes vigilassent, Thomas cardinalis Bononiensis in summum pontificem assumptus est, dictus Nicolaus Quintus ob memoriam - ut multi arbitrantur - Nicolai cardinalis Sancte Crucis, qui magister eius fuerat, papatumque perdidisse defuncto Martino, dum legatum ageret in Francia, credebatur. Is ut edes Sancti Petri primum ascendit, Enea ad se accersito secretarium ei subdiaconatumque confirmavit, atque in die coronationis ante se crucem deferendam commisit.

40

Ut autem Aeneas ex Urbe recessit, post dies XX-ti certum nuntium de morte pontificis Tergestini maximus pontifex Nicolaus accepit, qui nullum cardinalem consulens, indicto consistorio paludatus miratusque in Collegium venit, et admirantibus primum, deinde faventibus Sacri Senatus universis patribus Eneam episcopum Tergestinum pronunciavit, litterasque absque pecunia expeditas ad eum misit.

45

Federicus quoque cesar, ut eius vacationem ecclesiae cognovit: „*Hanc*” - inquit - „*Aeneae impetrabimus, que nostri est dominii naturalis*” -, litterasque pontifici in ea re iam se ignaro peracta conscripsit. Atque sic nescius Eneas cum redisset ad cesarem, ad episcopatum et pape et caesaris voto sese vocatum invenit. Neque cives Tergestini, qui omnibus exteris infesti esse consueverunt, Aeneae restiterunt, sed cum primum civem, decanum suum canonici elegissent, silere illum iussere, possessionemque vel absentem Aeneae concordibus animis tradiderunt.

50

18. Conventus apud Asciasburgium, et Germanorum obedientia ad novum pontificem. Philippi Marie ducis mors, ac Aeneae legatio ad Mediolanenses, deinde ad Histrios

55

Inter hec imperator apud Asciasburgium, quod est oppidum Maguntine ecclesie supra Muganum, conventum prelatorum et principum indixerat, eoque cum Hartungo iuris consulto Aeneam misit, qui Maguntinum presulem et alios Francfordiensis participes federis in obedientia Nicolai pape confirmarent, atque ad eam rem traherent Ludovicum comitem

Palatinum Rheni et Coloniensem archiepiscopum. Neque in cassum labor cessit: in conventu decreta sunt, quae cesar optavit, interque sacrificandum Nicolaus pontifex maximus Germanorum declaratus est, Deoque pro sua salute supplicatum. [51] Palatinus, etsi Felicis filiam uxorem habebat, in reverentiam tamen devotionemque Nicolai descendit.

5 Coloniensis archiepiscopus eo tempore adversus Susatenses, ecclesie sue rebelles bellum gerebat; cumque insecurem ad eum iter esset inter dissonas gentes, Aeneas Coloniae manens litteris secum egit, et is facturum se omnia spondit, quae (cesar) optavit, atque aurum expensarum, quas XX diebus Agrippine Coloniae Aeneas fecerat, ultro ei ad Viennam misit.

10 Dum hec aguntur, Philippus Maria dux Mediolani ventris profluvio vitam reliquit, Alfonso rege Aragonum herede palam nuncupato, quod ei minime licuit. Ideo Federicus caesar Aeneam Mediolanum misit, et cum eo Federicum episcopum Secoviensem, Gasparem Slichium cancellarium, Iohannem magistrum camere, Iacobum Ladronium phisicum et Pancratium Rincatem, nobiles equites, ut principatum Imperio devolutum vendicarent. Uno itaque tempore dominium potentis urbis et Federicus caesar et Alfonsus rex Aragonum et Karolus dux Aurelianensis expetebant; nam et hic se ius habere dicebat ex federe inter suos et Philippi maiores matrimonii causa percusso. At Mediolanenses libertatis avidi senatum ex primoribus urbis delegerant ac magistratus assumpserant, qui rem publicam administrarent; cumque regem ducemque spernerent, audito Aenea, qui caesaris nomine verba fecit, imperatorem suum dominum fassi sunt, sed habere se privilegia dixerunt, quibus civitatem regere possent; tandem vero Federicum modo certo dominantem admissuri erant. Quae res etsi non debito respondebat, Aeneae tamen tempus consideranti non aliena videbatur; at college Theutones, dum plurima volunt, omnia perdiderunt.

15 Aeneas autem Viennam reversus astante Iohanne cardinali Sancti Angeli, Apostolice Sedis legato consecrationis munus accepit, atque inde Tergestum profectus, a civibus cupide susceptus rem primo divinam fecit. Nec diu moratus in Histriam iussus ire de finibus inter caesarem et Venetos litem composuit, quamvis postea rursus excitata sit. Cum redisset Tergestum, comperit Ropertum Walseum bellum adversus Tergestinos agere, in quo sua potissimum ecclesia laesa est, cuius coloni ex agro pulsi et abacta pecora sunt. Ob quam rem cum cesari questum iret, Roperti, qui eum capere magnopere studebat, sola celeritate vitavit insidias.

20 Interea Gaspar Slichius apud caesarem falso delatus ecclesiam Frisingensem, quam fratri obtinuerat, dimittere compulsus est; qui cum esset in dies invisior cesari, Aeneam quoque propter amicitiam et consuetudinem pene assiduam suspectum reddebat, itaque conditio Aeneae deterior fieri videbatur. Sed usus ipse temperamento, ne vel hinc amicitiam vel inde dominum offenderet, rursus in gratiam rediit, atque parrochiam ecclesiam in Castro Vindelico admodum insignem ex munere sibi caesaris commendatam accepit. [52]

40 **19. Enee altera legatio ad Mediolanenses atque opera pro imperatoria dignitate. Franciscus Sforzia post obsidionem a Mediolanensibus ceso legato Veneto civitati dux praeficitur**

Per idem tempus Franciscus Sforzia vicecomes Mediolanum urbem obsidebat, cives autem exanimati cesaris opem petebant. Eo rursus Aeneas proficisci iussus est et Artongus iuris consultus, qui obsessis civibus auxilium promitterent, si se cesari subderent.

45 In eo itinere multa his adversa fuere. Nam cum visitato Sigismundo duce apud Eni Pontem et ad rem Mediolanensem persuaso per altissimas Alpes Vormii in Vallem Tellinam descendissent, divisum populum, alios civitati Mediolanensi, alios Francisco Sforzie faventes, lacum Comanum in potestate hostium magna ex parte, nihil tutum invenere; itaque modo noctu per aquam, modo die per abruptos et devios montes viam fecere. Ubi Comum venerunt, octo et decem dies moram facere oportuit, quoniam inter Mediolanum et Comum omnia hostis tenebat, qui postquam legatos caesaris advenisse didicit, aditus custodiri iussit, legatosque, si comprehendi possent, ad se vinctos deduci. At illi susceptis equitibus ac peditibus admodum ducentis cum viarum gnaros tres - quos guidas vocant - fideles invenissent, circa solis occasum ex Como recedunt Mediolanum petentes. Sed cum horis forte duabus iter fecissent, iamque nox obscurissima supervenisset, equitatus inter tenebras retrofugit. Aderant et legati ducis Sabaudie et plures cives Mediolanenses, qui negociati per Alamaniam domum redibant; hi ubi fugam equitum cognovere, insidias veriti trementesque admodum retrocedendum aiebant. Aeneas vero vocatis peditibus ducibus, ubi eos constantes invenit, et alterum eorum Senensem ex loquela cognovit, versus ad negociatores:

50 "*Nolite*" - inquit - "*timere. Angustias montium pretergressi patentes in campos venimus. Insidias iam evasimus, quas in arctis locis instruunt. Nunc mille se nobis offerunt semite. In*

manus hostium solum nos infortunium ducere potest; id bonitas summi Dei auferet. Ite mecum, vos hac nocte laribus vestris salvos reddam!" - Sic profecti ad horam decimam paulo post solis ortum Mediolanum ingressi magna totius populi festivitate recepti sunt.

5 Sed iam regimen civitatis ex populo Romani nominis amante, dum Comi legati manserunt, in paucorum potentiam erat deductum, qui Francisci Sforcie clam partes fovebant. Eam ob causam rogavit senatum Eneas, sibi ut populi copia fieret, cui caesaris verba referret. Guarnerius Castilioneus iuris consultus, genere ac facundia nobilis tum primum in senatu locum tenebat, Sforcie occultus amicus; is per leges civitatis vocationem populi prohibitam dicebat, tumultum timendum in civitate obsessa, potestatem populi omnem habere senatum:

10 huic dicenda, quecunque mandaret caesar. Contra Aeneas imperatoris iussum non teneri legibus aiebat, que ab ipso robur haberent; eius mandata quietis esse, non seditionis altricia; obsessum fatigatumque longo bello [53] populum imperatoris legatione levandum; mirum videri, si domini sui vocem noluerit audire. Atque sic invito Guarnerio senatus populi vocationem decrevit.

15 Is cum postera die in curiam frequens convenisset, oblatis lectisque publice caesaris litteris Aeneas in hanc sententiam oravit. Ait enim Philippo mortuo caesarem ad eos misisse legatos, qui gubernationem civitatis exposcerent, neque auditum, quamvis equa peteret; sed Mediolanenses ipsos nova libertate gaudentes magistratus sibi constituisse, qui rem publicam administrarent; idque factum esse in eam usque diem, caesare pro sua mansuetudine, quamvis

20 indigne spreto, nihil tamen irato; venisse interim Franciscum Sforciam vicecomitem ex amico factum hostem, municipia in potestatem suam redegisse; civitatem obsessam magnas pati calamitates, milites ad Franciscum defecisse, inopia frumenti premi populum; ex vicinis principibus neminem ferre opem, solum autem caesarem eorum commiserari fortunam omnis repulse oblitum; quod si iam tandem Sacro Imperio parere velint, dominumque caesarem recognoscere, paratum eum auxilium ferre; iamque cum Sigismundo duce, patruale suo, vicino

25 Insubribus res orditas, brevi magnam manum superatis Alpibus in eorum agrum descensuram; cogitarent, ne sibi ipsis frustra confiderent, neque se libertatem amissuros putarent cesaris dominatum recipientes, nam iustis et naturalibus dominis servire: eam demum veram esse libertatem; in civitatibus, que populi nomine reguntur, inveniri semper aliquos, qui plebi iugum imponunt; deinde adverterent: cesarem sibi, an Sforciam imperare mallent; quoniam nisi caesari se subiiciant, sic res deductas esse, ut dominatum Sforcie nequeant evadere; caesarem, si ab eis recipiatur, singulares gratias, magna privilegia daturum suis civibus, quos in Alamania libere negociaturos auream civitatem facturos et Italie caput aiebat.

35 Post hec Guarnerius, cum multa de libertatis dulcedine disseruisset, eligendos tandem ait ex populo viros primores, qui cum legatis de mandatis caesaris agerent. At dum res penderet, post aliquot noctes tres civitatis portae - sic enim partes vocitant - sumptis armis dominum cesarem vocavere. (Sex porte in urbe sunt, atque ad earum numerum distributus est populus; quod quattuor portarum plebibus placet, id ratum esse oportet.) Cum ergo iam tres "*Vitam Imperio!*" peterent, senatores audito tumultu, priusquam porte quarte multitudo assurgeret, obequitantes

40 urbem silere plebem ac positis armis domum petere iuebant, quoniam et ipsi dominatum cesari salvo civitatis honore commissuri essent; idque cum legatis agitent sedulo. Post hec viri delecti, qui cum legatis in hanc sententiam loquebantur; si cesar opem ferret adversus Sforciam, in has leges venturos sese aiebant:

45 - In Mediolano qui ius diceret, Theutonicum, in aliis civitatibus, quem vellet, caesar gubernatorem poneret.

- Appellationes, quae ab aliis gubernatoribus interponerentur, Mediolanensis audiret; ab eo provocationi locum non esse.

-Vectigalia civitatum, que Mediolanensibus servirent, ad cesarem et Mediolanenses aequo iure pertinere. [54]

50 Ex Mediolano quotannis auri quinquaginta milia cesari, feuda ecclesiarum et nobilium collationi cesaris remanere.

- Vasallos omnes et imperatori et civitati fidem iurare.

- Si quod amplius oppidum aut dominium Mediolanenses armis acquirerent, id a caesare sub decenti censu in feudum debere peti.

55 Satis ea legatis placebant, sed maiora iussi petere amplecti haec non poterant.

Interea Karolus Gonzaga, qui tum forte unica Mediolanensium spes videbatur, magnanimus belli dux, Aeneam intempesta nocte accessit, et Artongo vocato, iterum populi vocationem ut peterent, suadebat, spondens se illo venturum incitaturumque plebem, quae sibi maxime credebat, imperatorem dominum petere; nihil se dubitare, quin deiectis magistratibus mox legatis cesaris regimen civitatis committeretur, donec aut veniret caesar, aut vicarium mitteret; idque iam se providisse apud aliquos in urbe potentes aiebat. - Hoc quamvis erat vero simile,

60

tamen discriminis plenum Aeneae videbatur, et licet magnum facinus et memorabile non fieri sine periculo sciret, tamen sacerdoti sibi eam rem minime ratus convenire, quod caesar imperaverat, a se factum dixit; audivisse populum caesaris voluntatem: posset iam, si vellet, parere; vim facere neque factu facile, neque mandatum; Karolum amandum caesari, qui ea cogitaverit, relaturumque suam fidem. - Ille tamen posthac Aeneam Sforcie faventem predicabat, ut nihil sit, quod non sinistrorsum male mentes interpretentur.

At Aeneas et Artongus, ubi aliud ex Mediolanensibus exculpere non potuerunt, obtentis Sforcie litteris ad eum in castra venerunt, qui se admodum mirari aiebat, quo pacto Mediolanum intrassent suas excubias evadentes. Plura igitur cum eo Venetorum et Florentinorum legatis presentibus fabulati sunt. Deinde amotis omnibus soli cum eo ad horam mansere, mentem sibi caesaris exponentes; atque honorati ab eo dimissi sunt. Qui redeuntes in Alamaniam caesarem apud Sanctum Vitum - quod est Carentane oppidum - invenerunt. Placebant caesari, quae Mediolanenses promiserant. Verum illi, dum mensibus duobus responsum expectant, veriti, ne Sforcie viribus opprimerentur, occiso Galeotto Toscano, pulsisque ceteris senatoribus fedus cum Venetis percussere; atque cum ii quoque parcius subvenirent, trucidato per tumultum Leonardo Venerio, qui legatus Venetorum apud eos agebat, Francisco Sforcie portas aperuere, eique - ut est insania populi - ducatus insignia contulerunt.

20. Enee legatio ad Alfonso regem de matrimonio contractando cum imperatore et Leonora, et eius opera conclusio. Aeneas eligitur Senensis episcopus absens

Aeneas inter haec ad ecclesiam Tergestinam cum se recepisset, in anno Iubilei revocatus ad caesarem cum Gregorio de Populosa et Michaele de Plena Villa Alfonso regem Aragonum et Sicilie iussus est petere, matrimonium caesaris nomine cum Leonora, regis Portugalliae sorore ut ibi contraheret; nam legati [55]

Portugallenses eo convenerant. Quam rem diebus quadraginta tractatam cum denique conclusissent, coram rege, cardinali Morinensi apostolico legato, Clivensi, Calabrie, Suesse Sclesieque ducibus et magna prelatorum comitumque multitudine in curia Novi Castri Neapolitani de nobilitate virtuteque contrahentium orationem habuit, quae postmodum a multis conscripta est. Hinc ad summum pontificem reversus circa finem Iubilei in consistorio publico contractum coniugium manifestavit; sequenti anno caesarem ad coronationem venturum dixit; concilium, quod Galli petebant in Francia, dissuasit presente Alberto Austriae duce, imperatoris germano, qui Nativitatis Dominice nocte apostolico gladio donatus fuit, quamvis duci Clivensi antea promisso - dicente pontifice promissionem suam, nisi dignior advenisset, intelligendam fuisse.

Neque in hac via defuerunt pericula. Ligula flumen est apud Volscos altum et undique cinctum silvis, quarum arbores aquam contegunt, pontesque plurimos faciunt. Naves ibi admodum parvae sunt; quas cum Aeneas sociique conscendissent, nautarum pervicacia decepti, nocturne navigare compulsi saepius in ramos arborum impegerunt, demumque ingenti haerentes trunco, cum essent tenebrae densissime, duabus horis periclitari sunt, ibique paulo post navis una submersa est, et homines undecim periire. Neque procul a Cumis, cum flumen aliud prope litus maris transituri essent, navis, quae famulos vehebat, cum nimium oneris accepisset, evoluta homines et equos in fundum proiecit; sed viri funem quandam manu tenentes, equi nantes evasere.

Verum ut adversa retulimus, sic etiam secunda referre par est. Inter eundem cum Ferrariam Aeneas appulisset, Iacobum Ptolomeum, fratrem suum patrualem invenit, insignem iuris consultum et curiae Ferrariensis iudicem, quem postea caesar Sacri Palatii Lateranensis comitem creavit. Hic se litteris uxoris instructum ait Nerium episcopum Senensem nature fecisse satis, atque Eneam sibi suffectum dici; quod postea Bononiae verum esse ex legato didicit.

Ea res sic gesta est. Mortuo Nerio Senenses bonum quandam virum, nomine Comitum, abbatem monasterii Sancti Galgani, concivem suum, regentibus acceptum summis precibus Apostolice Sedi commendaverunt, atque unum hunc esse dixerunt, quem presulem cuperent; cardinales alii alios provehebant. At summus pontifex, solus Aeneae memor absentis, eum Sacro Collegio nominavit, persuasitque ab ecclesia Tergestina in patriam transferendum, Senensibus autem egregium se pontificem dedisse respondit. Qui ubi nominatum Aeneam agnovit, ingentes apostolice culmini gratias reddidit, quia nobilem doctumque virum, concivem suum - quod minime speraverant - in patriam reditum intelligebat. Atque cum Senis haberet Aeneas transitum, non expectatis litteris apostolicis, in episcopali eum palatio recipere festinabant, rerumque omnium ei possessionem offerebant; ipse autem expectandas litteras ait. Igitur cum Romam ex Neapoli redisset, relatis summo pontifici gratias, litteris ex Apostolica Camera - quod

perrarum est - sine pecunia redemptis urbem Senam patriamque domum repetens, obviantem cleri et populi processione sub umbella exceptus aurea, tanto in urbem civium [56] plausu tantoque honore intromissus est, quantum antea nulli episcoporum delatum aiunt.

In hoc quoque itinere apud Nicolaum pontificem egit, ut sanctum virum, Iohannem Capistraneum, Divi Bernardini discipulum in Germaniam mitteret exactam tota Germania Beati Francisci regulam denuo planctaturum; quem postea Viennae predicantem audivit, gratum populis et miraculorum effectorem creditum. - Verum Aeneas in Austriam reversus non solum matrimonii contractum imperatori gratum rettulit, sed Romanum presulem, Senenses, Florentinos, Bononienses, marchionem Extensem Venetosque ad coronationem transeunti cesari tranquillum iter daturus affirmavit, quod apud eos omnes ex sententia transegerat.

21. Eneas caesaris legatus ad Bohemos, eorumque reconciliatio et heresis

Interea Bohemi, cum saepe Ladislaum regem petentes non obtinuissent, conventum regni apud Pragam indixerant, rebus ut suis consulere, quod nisi Alberti filius heresque regni ad se mitteretur, alium sese regem assumpturos minabantur. Ad eos igitur Eneas et alii plerique proceres missi sunt; verum peste apud Pragam mirum in modum grassante conventus in Villam translatus est, que Benedicti appellatur. Ibi ergo cum Aeneas publice mandata caesaris exposuisset, pupillumque regem gubernationis egentem in nulla melius, quam in caesaris manu esse, eosque breve post tempus voti futuros compotes affirmasset, feroces mentes lenivit, nec alium se postea vocaturos regem dixere. - Multa illic cum Georgio regni gubernatore de bono pacis et unionis Ecclesie scite locutus, hominem magis dominandi cupiditate, quam heresis errore deceptum existimavit; idque plerisque Bohemis insitum est, quibus dominari hereticis, quam servire fidelibus antiquius esse videtur.

In hac legatione bis Thaboritas adiit - hereticos, qui Bohemiam incolunt, omnium pessimos -, cumque his acerrime de fide disseruit. Sed quoniam mores Thaboritarum, urbis situm, gentis errores et omnem suam disputationem cardinali Sancti Angeli, clarissimo viro Aeneas scripsit, deque his rebus extat epistola, quam nos cum aliis inseruimus in uno volumine, his pretermissis ad alia festinabimus.

22. Apparatus Leonorae, et Aeneae cura in comitatibus perquirendis, et Senarum conditio, atque Italiae metus, et imperatrix ab Aenea deducta

Annus, qui sequebatur, is erat, quo Leonora imperatrix ex Portugallia navibus ad Thalamonis portum Senensis agri ex conducto adduci, Italiamque [57] Federicus cesar intrare, atque Romae coronam Imperii suscipere debuit. Studium autem illud erat, simul ut ambo Romam petentes ex manibus summi pontificis diademata tollerent. Delectae sunt igitur matrone nobiles et innupte puellae duodecim, que sponsam regiam in portu reciperent illi servitute; nominati quoque barones duo, equites duo, qui eas comitarentur; tum Aeneas et Michael Fullendorfius secretarius additi, qui legationis onera sustinerent. His autem commissum est, imperatricem apud Thalamonem postquam salutassent, Senas uti deducerent, ibique caesaris prestolarentur adventum. Verum Enee Michaelique amplius mandatum erat, Italiae communitatibus atque principibus, maxime vero summo sacerdoti caesaris adventum, qui iam dubius videbatur, ut certum ad festum Martini renuntiarent, transitum peterent, comitatibus aequa precia statuerent, atque ad eam rem littere premissae sunt. Quibus cognitae Italiae potentes trepidare, sperare tenues, nutare principes, impleri omnia rumoribus, timeri motus, quos in adventu caesarum excitatos vetustas noverat. Maxime vero Senenses timor invasit, quod Aeneam ex magna et nobili familia natum, civitatis episcopum, apud imperatorem auditum magnoque loco habitum novarum rerum cupidum arbitrabantur.

Urbs autem Senarum in Etruria prima post Florentiam habetur, que pluribus et ambitiosis oppidis dominatur, latumque agrum possidet. In ea primum nobiles rerum potiti sunt; his inter se divisae et sua sponte cedentibus regimen in populum derivatum est. In eo quoque - ut fit - excellentiores aliis alii potentiam adepti rem publicam per vices invasere, atque horum alii 'novem', alii 'duodecim' - quamvis numerosi essent -, quia totidem priores inter se dominantes instituerunt, vocati sunt; aliis, cum civitatis leges in suo regimine murosque reformassent, 'reformatorum' nomen inditum est. Ex his duodecim qui vocantur (sunt autem admodum quingenti viri), quamvis negotiatores opulenti, abiecti tamen habentur, atque omni imperio abdicati vitam pene servilem ducunt. Novem et reformatores munera civitatis aequo iure cum plebe partiti nobilibus certam officiorum portionem precario quodammodo tribuunt.

Quibus ex rebus existimabant Senenses Aeneam natu nobilem in adventu caesaris aliquid moliturum, quo suam familiam ad pristinam dignitatem potentiamque reduceret. Eum igitur,

cum Venetiis, Ferrarie, Bononiae Florentieque mandata cesaris explevisset, ad se venientem timere, observare, quidnam ageret; prohibere vulgo, ad eum irent, quosdam etiam - ut est populi mos - incessere maledictis, odiosum regentes habere. Ridendus est mundi cursus, in quo nihil stabile, nihil securum invenitur. Anno, qui precesserat, nemo satis Aeneam intueri potuit, nemo satis commendare; nunc invisus omnibus, cum intraret urbem, honoris causa nullum obvium habuit, domi a paucis salutatus est, in plateis maledicere sibi plerosque animadvertit, in suam quoque necem conspirasse aliquos rumor erat. Sed tulit omnia moderate, risitque secum fortune mutationem.

Accedens ergo urbis senatum, postquam caesaris legationem absolvit, rogavit magistratum, ne quid de se male sentiret: se pluribus beneficiis ab eorum [58] regimine cumulatam nullam habere causam, cur ei officere vellet; se primum in urbe honoratum, qui pontifex esset, pacem cupere, motus omnes horrere; familiam Picolomineam, de qua sibi origo esset, inter alios nobiles a regentibus semper honestius habitam; Gregorium Lollium, nobilem iuris consultum inter primos gubernatores urbis, ex Bartholomea, sorore patris sui natum fratrem suum esse; sorores suas in regimine nuptas, illarum liberos heredes sibi futuros; nihil demum inveniri, quod se regentibus infestum reddere posset; caesarem preterea Italiam non regnaturum, sed coronam, accepturum petere; comites habere principes nobilissimos, potentes proceres, quietis amatores: amicos omnes venire, non hostes; nihil ab his esse timendum, qui solo transitu contenti essent; cesari nunquam seditiones cordi fuisse; stabilem eius fidem, inconcussum, quod promitteret. - Sic pacatis aliquantisper animis tutior apud eos mansit.

Inter hec Michael Fullendorffius, eius collega et amicus in primis carus, febre correptus magnum et illustrem spiritum exalavit; corpus suum Aeneas in aede Beate Virginis magnifice sepelivit.

Inde - ut invidie amplius cederet, quia non deerant Senis murmurantes - Talamonem quantotius se cum collegis contulit, ibi ut adventantem imperatricem maneret, et ne Senis inveniri posset, si caesar interim proficisceretur. Romanum autem pontificem adire non potuit, ne dum Rome teneretur, imperatrix portum applicaret, cuius receptio sibi potissimum commissa fuerat.

Pontifex, cui Romanorum mores cogniti erant, quique multos novitatis avidos intellexerat, timens populi motum - nam et Florentini vaticinium esse aiebant ante diem tertium decimum Kalendarum Aprilis vel moriturum papam, vel captione mala capiendum - iam cesari nunciaverat, adventum suum in estatem ut differret, commeatum penuriam causatus; Aeneae vero, ut ad se quantotius iret, imperavit. Ipse autem, cum se litteris excusatum fecisset (quoniam quae cesari nunciata fuerant, non ignorabat), mirari sese ait mutationem apostolicam, neque videri honestum Romani pontificis dictum indictum fieri; memoria se tenere pontificem maximum dixisse sibi: cesari, si venire Romam vellet, hyemal tempus eligendum, quod salubrius esset, rebusque victui necessariis magis abundaret, prestoque esse ad coronationem omnia; ultro petitum adventum; nunc mandari contraria indignum esse, quando et is accinctus itineri, et coniunx eius propediem litus Italicum appulsura sciretur; accepisse se maximo pontifici metum iniectum, timerique Romae caesarem; at timorem vanum: scire caesarem iustum, Nicolai amantem nil aequo odisse, quam turbas; moriturum prius, quam fidem falleret; comitatum habere nobilissimum, quietis cupidum, religioni et Deo faventem.

Quibus verbis Nicolaus motus litteras ad caesarem scripsit, suo ex arbitrio iter ut faceret, easque ad Aeneam primum direxit, ut si sibi videretur, illas ad cesarem mitteret. Placuit Aeneae scriptum apostolicum, moxque tabellarium ad caesarem direxit. [59]

Verum interea motus in Austria excitatus dies plurimos adventum cesaris retardavit; imperatricem venti contrarii et horride tempestates diu retinuerunt; itaque LX diebus apud Talamonem Aeneas non sine magno suo et collegarum tedio demoratus est. Vidit tamen interea montem Argentarium et non obscurum Herculis Portum, neque indignam visu Lansedoniam, cuius etsi diruta sunt edificia, menia tamen adhuc extant ex quadratis sectisque lapidibus ingentis magnitudinis sine cemento mirabili iunctura connexis in colle, qui mari Tusco imminens ad Carthaginem respicit.

Verum mirabile dictu est: cum cesar ex Almania in Italiam descendisset, iterque celeri cursu perageret - seu divino quodam flatu, seu precipiti casu factum est -, quo is die Florentiam intravit, eodem imperatrix Liburnii portum applicuit. Aeneas quoque simul die una et imperatoris et imperatricis litteras accepit, quae se suosque collegas propere Pisas iuebant petere. Parens cum collegis ac dominabus per Grossetum et Scarlinum ac per agrum Volaterranum impigre Pisas venit. Iam caesar Iohannem episcopum Ratisponensem, Vanconem Sclesie ducem, consanguineum suum, Michaellem comitem Magdeburgensem, Iohannem magistrum camere, Ulricum Sonnenbergium Austriae cancellarium, Ulricum Montis Fortis, Iacobum Lodronium phisicum et nobiles equites ad imperatricem miserat; nihil tamen adhuc conclusum erat. Ibi ergo cum diu de consignanda mittendaque cesari sponsa tractaretur,

tandem marchio Portugallensis, qui Leonoram a fratre receperat imperatori tradendam, postquam de ceteris rebus transactum est, vocatis oratoribus et - qui Pisis erant - viris nobilitate claris, rogatis tabellionibus imperatricem dextera manu apprehendens ad manus Aeneae consignavit, illam ut ad caesarem transduceret. Quae res Vanconi duci admodum molesta fuit, qui sibi hoc honoris iure sanguinis, quo caesari propinquabat, deberi putavit. Sed Portugallensibus ceterisque legatis caesaris aliter visum fuit.

23. Florentinorum metus. Adventus caesaris et Leonore in Italiam, primusque congressus, ac monumentum Senis erectum, et caesaris de Aenea prophetia. Aeneae oratio apud pontificem, ac pontificis et caesaris somnia

Dum Pisis haec agerentur, Florentini, qui civitatem duro imperio premunt, Pisanosque omnes suspectos habent, tot adventasse illuc externos tantamque moram facere iniqua mente ferebant. Verbis tamen Aeneae, qui eis notior erat, in diesque recessum spondebat, ne quid novitatis agerent, retenti sunt.

Imperator interea Senas venerat, ibique sponsam manebat, quam postquam properare cognovit, emissis primum civibus obviam, deinde Alberto germano, duce Austriae, post Ladislao patruum, Hungariae ac Bohemiae rege, quarto loco cum reliquiis sanctorum clero, postremo et ipse medius inter duos legatos apostolicos - Sanctae Susannae, Nicolai pontificis germanum, et Sancti Angeli [60] cardinales - intra secundam et tertiam urbis portam egressus coniugem expectavit, ibique ambo ex equis descendentes in spacio et patenti loco sese mutuis amplexibus exceperunt. Verba nomine caesaris Henricus Leubin, pontificii iuris interpret fecit; imperatricis vice locutus est Aeneas. Atque ibi paulo post Senenses marmoream columnam erexerunt, memoriale diuturnum, quo posthac imperatorem ab Orienti, imperatricem ab occidua solis parte venientes illic sese primum vidisse posterius cognoscant.

Inter haec Senenses omnes, qui ferre arma poterant ex duodecim ac nobilibus, extra urbem relegaverunt, maxime vero cognatos Aeneae Picolomineos. At ubi caesaris clementiam atque mansuetudinem intellexerunt, Aeneamque vera locutum, rursus in eius admirationem conversi bonum eum et patrem et civem predicaverunt, revocatisque cognatis eius suspicari desiverunt, ac legatum Aeneam ad summum pontificem designarunt.

Cum Cimini montis iugum, qui Viturvio imminet, ascendisset imperator, accersito inter equitandum Aeneam: "*Ecce*" - inquit - „*Romam petimus. Videre videor te cardinalem futurum. Neque hic tua fortuna conquiescet: altius eveheris, Beati Petri te cathedra manet. Cave, ne me contempseris, ubi hoc honoris assecutus sis!*" - Cui Aeneas: "*Nec pontificatum maximum mihi arrogo, neque cardinalatum.*" - „*At ego*" - subintulit caesar - „*hoc ita futurum video.*"

Aeneas tanquam iocantis verba suscepit, et Romam cum eo profectus primus inter prelatos eius fuit, salutantibusque cardinalibus et Urbis primoribus, qui obviarunt, responsa pro caesare dedit. Cumque caesar nocte extra menia civitatis remansisset, Aeneas ad pontificem lectulo cubantem vocatus bonam fixamque caesaris mentem esse ostendit, admiratumque sese ait tanti principis fidem in dubium potuisse venire. Cui pontifex cum verba multorum exposuisset: „*Minus*" - inquit - "*timentis error, quam fidentis nocet.*"

Cum vero caesar Urbem intrasset, atque ante fores basilicae Sancti Petri sacros summi pontificis pedes exoscularetur, Aeneas imperatoris iussu sermonem habuit. Ei quoque in petitione Mediolanensis coronae, quae Longobardorum dicitur, in benedictione sponsalium, cum sacro maximi presulis ore Leonora Federico iungeretur, in coronatione demum caesarea apud aram Sancti Petri imperatorio nomine quae fierent verba, commissa sunt. Inter papam et imperatorem secretas res multas absolvit.

Neque hic unum pretereundum arbitrator, quod de somniis memoratu dignum videtur. Sequenti post coronationem die caesar cum tribus consiliariis, inter quos Aeneas fuit, Nicolaum pontificem adiit; ubi sermone ad longum producto: „*Meministi, pater*" - inquit - „*dicturum me tibi somnium, postquam coronam accepissem? Id huiusmodi est. Ex Vienna cum recessisti a me ultimo, vidi per quietem nocte proxima me Romam venisse, tuisque manibus meo capiti coronam imponi. Mirabar inter dormiendum, neque me legitime coronatum putabam, quem non Romanus, sed Bononiensis episcopus coronasset; evigilans autem contempsi visum. At postquam te cardinalem creatum, deinde papam assumptum Aeneae primum litteris intellexi, e vestigio ratum credidi, quod secutum est, tuis me manibus coronandum.*" [61]

Tum Nicolaus: "*Sepe verum somniant, qui presunt populis. Ego quoque*" - inquit - "*nocte, quae mortem Eugenii precessit, sopori deditus in hoc me cubiculum venisse videbar, quod tunc (ut tu nosti, Aenea) bipartitum fuit. Eugenius pallium, deinde tunicam exuens illis me induit, mitramque longam, qualem gestare nostri milites solent, suo capiti demens imposuit meo. Postremo manu me apprehendens, ostensaque hac sella: »Sede hic« inquit, »ego ad Sanctum*

Petrum pergam.« Sic ille in crastinum mortuus in aedem Sancti Petri delatus est; forsitan et anima gloriosi praedecessoris consortio gaudet. Mihi post duodecim dies summus apostolatus commissus est.»

5 **24. Pontificis promissio de cardinalatu Aeneae, qui tamen legatus de latere factus. Fuga Ladislai. Ducatus Borsii et Aeneae oratio**

10 Dum hec agerentur, frequens opinio fuit Aeneam in cardinalatus ordinem recipiendum, qui pape carus caesarique videbatur; neque ab re. Promiserat enim imperatori Nicolaus inter primos, quos creaturus esset cardinales, Aeneam primo loco nominatum iri. Neque mentitus est - nullo deinde ad cardinalatum assumpto mortuus. (Neque dignitas huiusmodi semper merenti patet, quam sepe rapit indignus. Quidam tamen illam merentur, post assequuntur; quidam tum dignos ea se reddunt, cum potiuntur; nonnulli usque ad sepulchrum immeriti raptam trahunt.)

15 Post hec imperator Neapolim profectus; Aeneas paulisper aegrotans Romae remansit, Ladislaique regis impuberis cum aliis curam gessit. Interim relatum est papae regem fugam meditatam: nisi custodiatur, domum exiturum. Tum pontifex quinta eius noctis hora, quae ad fugam electa ferebatur, Aeneam ad se accersivit, iussitque regis domum diligenter custodiri. Aeneas regis aedes ingressus custodes eius admonuit, ne malis insidiis locum darent, redeuntique cesari pignus salvum restituerent. Verum eius rei nulla postmodum certa indicia sunt reperta, quamvis pedagogus regis apud Florentiam maius flagitium tentaverit.

20 Redeunte caesare conspectuique maximi presulis ac Sacri Senatus se restituente vice sua duas orationes in auditorio publico recitavit: in altera gratias egit summo sacerdoti atque cardinalibus pro maximis, quae caesari prestiterant, beneficiis; in altera, ut generale passagium adversus Christiani nominis inimicos indiceretur atque instrueretur, papam hortatus est, ne Christicole per Greciam et Orientem amplius vexarentur. Postremo cum caesare ab Urbe recedens orator Apostolice Sedis cum potestate legati de latere per Bohemiam, Sclesiam, Austriam, Moraviam, Stiriam, Carinthiam Carniolamque missus est; nec diu post legationem eius instante caesare Romanus presul ad Hungarie regnum extendit.

30 Cum Senas redisset, timeretque caesar Florentia transitum facere, quia suspectam eius moram apud Neapolim Florentinis existimabat, Aeneas ad eos premissus iter caesari tutum reddidit innovata publica fide. Legati Hungarie et [62] Austriae ibi caesarem expectabant, qui Gasparem, pedagogum Ladislai regis ad colloquium vocantes persuaserunt ei, regem ut ex potestate caesaris raperet. Cuius rei hunc ordinem dederant: instigandum puerum aiebant, ut postquam caesarem abeuntem ad portas urbis secutus esset, velle se Florentie dies aliquot immorari diceret, atque petita venia retroverteret equum; daturos se apud magistratus urbis operam, cesar si vim puero velit inferre, presto viros in armis habeant, qui resistent. Sed tantum flagitium senatus Florentinus exhorruit, atque honesti tenacior increpatis internunciis liberum atque magnifice honoratum caesarem a se dimisit.

40 Qui postquam Ferrariam venit, magnis precibus rogatus est Borsium marchionem ad ducatus honorem provehere; quae res menti caesaris alienior videbatur. Victus tamen cum rationibus Aeneae, tum aliorum consiliariorum suasibus ex agro Mutine et Regii ducatum erexit, ac Borsium ducem creavit; quod bene factum, bene locatum omnis Italia dixit, ut quae nondum novi principis mores norat. Cum novellus dux insignibus ex more publico donaretur, de caesaris beneficentia, de laudibus domus Estensis, de virtute Borsii deque dignitatis eminentia dicendi partes ad Eneam deletae sunt. At neque Venetias postquam ventum est, de rebus magnis apud senatum ducemque gentis alius, quam Aeneas ex imperio caesaris loquendi provinciam accepit.

25. Bellum Austriale, et Aeneae legatio promotioque ad principatum Imperii, eiusque oratio et confectio pacis

50 Postremo, cum caesar in patriam se recepisset, Austrialesque magnum exercitum adversus eum duxissent, atque ipsum diebus nonnullis apud Novam Civitatem obsedissent bombardis et aliis belli machinis quatientes muros, intrepidus caesari comes adhesit; factisque induciis, emisso rege Ladislao, conventu apud Viennam indicto, in quo de pace transigeretur, cum plurimos atque prestantes oratores eo caesar misisset, Aeneas primus omnium fuit, apud quem legati totius Alamaniae, magni prelati, clari comites, insignes barones convenerunt. Bis illic apud primores Hungariae, qui ex toto regno aderant, semel apud Bohemos caesaris nomine verba fecit, Ladislaum iam regnantem bis salutatum adiit.

Per hoc tempus inter Albertum Marchionem Brandeburgensem et civitatem Nurembergensem in curia cesaris de rebus arduis grave iudicium magnis contentionibus agebatur, quod solos diffinire principes oportebat. Cumque Albertus unum Austrie, duos Baioarie, unum Saxonie, duos Sclesie duces et plerosque alios principes, ut eloquentia potens et industria solers in suam sententiam adduxisset, coactus iam caesar videbatur iniquam ferre sententiam, nisi Aeneas intervenisset, qui iam pridem post Senensis ecclesiae delatam dignitatem inter principes Imperii per caesarem assumptus fuerat. Hic enim, postquam sententiam rogatus est dicere, honorem cesaris ante omnia tenendum [63] ait, cuius nomine sententiae promulgarentur; illum vero salvari non posse, nisi iuste iudicaret; qui suspecti nominabantur, quique belli participes fuerant, quod Albertus contra Norembergenses gesserat, his iudicium minime convenire; reliquos, qui caesari assiderent, iuvenes inexpertos esse paucosque, qui rem tantam dirimerent; sibi neque iustitiae, neque anime salutis detrahendum esse, utileque illud videri consilium, si res in aliud tempus protraheretur, in quo caesar plures principes causae non affectos sibi assidentes habere posset.

Quibus dictis Iohannes Eystetensis episcopus, ubi se tangi animadvertit - nam et is bellum Nurembergensibus intulerat -, ad conscientiam reversus in sententiam Aeneae concessit; idemque Ratisponensis pontifex et Karolus marchio Badensis, qui etsi Alberti sororem uxorem duxerat, affinitatem tamen iustitiae se minime prelaturum ait - dignus, cui populi parent, et paterne virtutis sectator adolescens! Ceteri Eystetensis episcopi verbis, que haud bene intellexerunt, ducti fuere. Sic res in aliud tempus suspensa est, caesarque turpi nota liberatus, quam sine culpa pene inciderat iniquam sententiam iudicio principum, qui astabant, et factione laturus.

Post hec cum legati Ladislai regis ad tractandam pacem, de qua Vienne desperatum erat, ad Federicum cesarem venissent, Aeneas his publice respondit; deinde tractatu durante, parum tamen spei pre se ferente, hortantibus consiliariis cubiculariisque pluribus Aeneas vocato Ulrico Sonnenbergio caesarem adiit, eamque pacem magnis rationibus et honestam et recipiendam ostendit; que sequenti die conclusa est.

26. Constantinopolis captivitas. Conventus Ratisponensis. Burgundi adventus, et Aeneae ad pontificem legatio atque oratio

Turchi, dum haec aguntur, iam pridem Minoris Asiae et maioris Graeciae partis domini, Constantinopolim, Orientalis Imperii sedem, que sola in terra Thracia Mahumetis iugum obtrectabat, ingentibus copiis terra marique obsident, et tredecim oppugnatam diebus expugnant, capiunt, diripiunt; imperatorem gentis, Constantinum interficiunt, et omnem fere nobilitatem obruncant, plebem in servitutem redigunt, nobilissimumque Sancte Sophie templum cunctasque regie urbis basilicas spurcitiis fedant Mahumeteis. Triste id nuncium Christianis fuit - maxime vero Nicolao Quinto pontifici Romano et Federico Tertio imperatori, quorum tempora hoc tanto Christiane religionis obprobrium non modica notata sunt ignominia. Nam quae calamitas temporum non principibus imputatur? Quecunque accidunt mala, negligente rectorum ascribuntur. "*poterant*" - inquit vulgus - "*pereunti Graeco prius opem ferre, quam caperetur. Neglexerunt. Indigni sunt, qui rei publice presint.*"

Imperator (re cognita, dum cupit tantam infamiam abolere, maiorem incurrit. Incipit enim, et non perficit: convocat Christianos, ut in communi consulant, et ipse non adit conventum;) apud Ratisponam, Baioarie urbem, [64] quae Danubio adiacet, iubet Germanos adesse, eoque Philippum Burgundiae ducem vocat, clarum et potentem principem, qui mox relictis Flandriae motibus, ad quos comprimendos ierat, receptis imperialibus litteris longissimo itinere Ratisponam se contulit. Unus enim Christianorum erat principum, qui Turchorum nomini infensissimum sese ostendebat - sive patrem ulturus, quem Turchi olim captum multo auro venderant, sive religionis amore, quod hac potissimum via aeternam vitam quereret, sive rumores hinc populi veniret, cui mortalium pars maxima inservit. Multum in eius adventu auctoritatis accessit Ratisponensi concilio, nam et Baioariae dux, Ludovicus et Albertus marchio Brandeburgensis et alii complures principes audita Burgundi profectio excitati Ratisponam petiere, qui alioquin domi remansissent. Imperator, quamvis spem fecerat sui adventus non tenuem, mutato tamen consilio in Austria commoratus est veritus, ne vicina Hungariae flamma suam domum incenderet. Gilles et Hancrauter, latronum principes per id temporis Austriae Stiriaeque proximi Hungariam vastabant; adversus quos Iohannes Huniatus regni gubernator propediem conflicturus existimabatur; et victor quisquis esset, imperatori timendus erat, qui more hominum res proprias per se ipsum, communes per legatos curare statuit. Misit igitur Ratisponam egregios ex curia sua oratores barones duos, episcopos duos, quorum alter Ulricus Gurcensis, alter Aeneas Senensis fuit, et his adiunctus est Nicolaus Sancti Petri cardinalis, qui tum apud ecclesiam suam Brixinensem morabatur. Nicolaus pontifex maximus Iohannem

episcopum Papiensem eo transmisit, qui tuitionem fidei catholice concilio commendaret, et opem suam offerret.

5 Conventu iam pleno cum prelati ecclesiarum et principes Christiani multi adessent, contione in pretorio civitatis advocata Aeneas vice imperatoris verba fecit, quibus in expugnatione Constantinopolitana quantum detrimenti Christiana res publica accepisset, et quantum instaret periculum, nisi Turchorum conatibus occurreretur, plane dilucideque monstravit, capiendaque publice arma pro communi utilitate suasit - excusato imperatore, qui domi necessario remansisset, quamquam mancha omnis ratio videbatur.

10 Habuit et orationem apostolico nomine Iohannes episcopus Papiensis, et pro Burgundo locutus est Iohannes Tullensis episcopus, quem postea Pius Secundus ad Tornacensem transtulit ecclesiam. Cardinalis quoque Sancti Petri nonnihil ad persuasionem belli effatus est, et alii non pauci pro suo quisque captu perorarunt, ut assolet in multitudine congregata. Philippus, cum audisset Aeneam: „*Quid opus est*” - inquit - „*multis verbis? Satis Aeneas ostendit, quae nobis incumbunt. Dicant de se ceteri, quae volunt; ego de me ipso loquar. Novi,*

15 *in quo discrimine Christiana res est. Si fidem nostram, si libertatem, si vitam retinere volumus, necesse est obviam Turchis ire, eorumque vires opprimere, priusquam amplius invalescant. Cui rei neque facultates neque corpus meum negabo, modo princeps alius ad eam rem idoneus sese accingat, cui possim comes ire.*”

20 Laudatus est a toto conventu Philippus, et unus omnium iudicatus aptus dignusque, qui rem publicam administraret. Exin sententiis cunctorum dictis [65] in verba Aeneae decretum factum est, nec quisquam fuit, qui non expeditionem in Turchos ducendam censeret. Placuit tamen auxilia Francorum exquirere, qui equites expeditioni adiungerent, et Itolorum, qui classem validam in Greciam Asiamque traducerent, ac Turchorum precipuas infestarent sedes; Germanorum vero alium conventum esse cogendum apud Frankfordiam Mugano adiacentem,

25 qui Rhenum e regione Maguntiae influit, ut ibi delectus militum fieret, et altrices belli pecuniae perquirentur. Haec et alia pleraque Germanorum propria Ratispone acta.

27. Alius conventus Francfordiae celebratus et per Eneam ad bellum contra infideles accensus

30 Dissoluto concilio Aeneas ad imperatorem reversus Italiam revisere statuerat, atque in patria, quod vitae supererat, vivere. Quod cum peteret a cesare, non impetravit; retentus est ad Francfordiense concilium, vicem ibi ut imperatoris ageret, quando is unus esse videbatur in Palatio de tuenda religione curiosissimus, et qui dicendo persuadere aliquid posset. Adveniente concilii die et sibi et Gurcensi antistiti, et Brandeburgensi Badensique marchionibus ea provincia demandata est; qui Francfordiam accedentes admodum paucos ibi convenerunt, et eos ipsos imperatori atque papae infensos. Post dies aliquot affuerunt Theodericus Maguntinus et Iacobus Treverensis archiepiscopi ac legati ex tota fere Germania; ex Italia pontifex maximus et duo marchiones. Extensis et Mantuanus oratores misere; Alfonsus rex Sicilie et Veneti tardiores fuere, quorum legati iam dimisso conventu Germaniam ingressi sunt. Hungari et Burgundi affuere: illi petentes auxilium, hi offerentes. Aderat et Iohannes Capistranus, Ordinis

35 Minorum professor, vite sanctimonia et assidua verbi Dei predicatione clarus, quem populi veluti prophetam habebant, quamvis in bello contra Turchos suadendo parum proficeret.

40 Mutati erant Theutonum animi, nec cuiquam placebat expeditionem in Turchos fieri; infecte veluti venenis quibusdam aures neque imperatoris nomen neque Romani presulis ferre poterant: deceptores eos esse atque avaros dicebant, corrodere aurum velle, non bellum gerere; pulchrum id esse aucupium expeditionem in Turchos decernere, ut a Germanis aurum subtili ingenio velut a barbaris extrahatur, eum inter se questum avarissima orbis capita divisisse; sed alium futurum concilii exitum, quam sibi persuasissent: nec pecuniam collaturos Germanie populos, nec in militiam daturus nomina. Atque in eam sententiam persuasi omnes imperatori et pape maledicere, legatos eorum contemnere, Burgundos irridere, qui proni ad expeditionem

45 videbantur, Hungaris durissima verba dare, qui cum suum regnum tueri nequiverent, nunc Germaniam suis calamitatibus involvere vellent. Nec ulla spes reliqua erat bene gerende, cum decretum Ratisponense prorsus reiiceretur. [66] At cum in contionem itum est, mirabile dictu: locuto Aenea omnium repente animi in priorem belli gerendi ardorem rediere! Oravit ille duabus ferme horis ita intentis animis auditus, ut nemo unquam screaverit, nemo ab orantis vultu oculos suos averterit, nemo non brevem eius orationem existimaverit, nemo finem non invitatus acceperit. (Fuerunt et alii complures auditi, verum tedio et irrisione, et presertim Papiensis episcopus, Apostolice Sedis legatus, qui cum mulierem quandam forma pulcherrimam sub typo Ecclesiae introduxisset sua incommoda deplorantem sibi per quietem

55

visam, levius orare visus est, quam in tanto negotio conveniret.) Orationem Aeneae ab omnibus laudatam multi transcribere, et secundum eam Ratisponense decretum de bello gerendo innovatum est, et Hungaris auxilium promissum equitum decem milium, peditum XXXII, statutumque, ut ad cesarem electores Imperii ceterique Germaniae principes (in) festo Penthecostes proximo sese conferrent, ut quae reliqua essent ad expeditionem maturandam, ibi absolvent. Atque ita dimisso conventu legati cesaris in Austriam rediere.

28. Conventus in Nova Civitate. Aeneae oratio. Mors pontificis Nicolai. Sarezana oppidum. Nicolai gesta. Conclave. Creatio Callisti eiusque votum

10 Nec diu post novi concilii tempus affuit; veneruntque ad imperatorem in Novam Civitatem Iacobus archiepiscopus Treverensis, Albertus Brandeburgensis et Carolus Badensis marchiones et alii nonnulli ex Germania principes; reliqui legatos misere. Ex Hungaria episcopi et barones precipui auxilia petita venire, multaue de gerendo in Turchos bello et de spe victoriae disseruerunt. Ex Italia legatus apostolicus affuit idem, qui Ratisponam et Francfordiam adierat:

15 Iohannes episcopus Papiensis, suo iudicio valde sapiens et eloquens, aliorum neque stultus neque dicendi prorsus ignarus. Quem sequebatur Michael Ritus, Alfonsi regis Siciliae et Aragonum in vituperando, quam in laudando orator vehementior; nec Iohannes Capistranus defuit assiduis predicationibus populum contra Turchos ad arma excitans. In hoc concilio Aeneas iubente imperatore legatis Hungaris publice responsum dedit, quod in scriptis redactum editum est, et inter eius orationes habetur.

20 Inter haec, dum omnia propemodum conclusa sunt, et spes pulcherrima est aestate proxima ingentes copias in hostes eductum iri, ecce mors Nicolai Quinti renuntiatur pontificis maximi, quae telam longo iam tempore ordiri ceptam uno momento interruptit, vanasque hominum cogitationes ostendit et inanes curas. Nam quae futuri cognitio, quae consilii capiendi certa ratio? Decidunt omnes humani conatus, quos dextera Dei non adiuvat. Non placuit divinae pietati per id tempus excindi Turchorum imperium: ad correctionem nostrarum iniquitatum diutius conservatur. [67]

Sederat Nicolaus in Beati Petri solio annos circiter octo, non tam genere clarus, quam doctrina et animi dotibus excellens. Sarezana oppidum, in Tuscia non procul a Macra fluvio situm, illi patria fuit, quamvis antiquam originem ex Luca ducenti. Celebravit annum Iubeleum magna populorum frequentia; Bernardinum Senensem in sanctorum catalogum assumpsit; imperatorem Federicum Tertium et imperatricem Leonoram ex Portugallia natam Romae coronavit unxitque in basilica Sancti Petri, apostolorum principis; Urbis edificia magnifice instauravit, etsi plura inchoavit, quam perfecit; cardinales creavit septem, inter quos fratrem suum assumpsit, Philippum Bononiensem episcopum, ameno ingenio virum et amici amicum, et facta unione Ecclesiae ex his, qui fuerant in scysmate creati, recepit aliquos; Stephanum Porcarium, non ignobili apud Romanos loco natum, res novas in Urbe et ipsum christum Domini capere atque occidere parantem intercepti necarique iussit. Multis et magnis operibus clarus foelixque fuit, verum Constantinopolitana clade infelix, quae in suum incidens pontificatum nomini eius fedam inussit notham; quam dum curat abolere, arteticis doloribus universum corpus invadentibus extinguitur, et cum eo ingentia in Turchos cepta corruerunt.

Cardinales peracto funere de successore solliciti ac conclave, ut moris est, ingressi variis [factionibus] agitati sunt; eratque admodum difficile, [cum sibi quisque pontificatum arrogarent] duas Collegii partes in unum convenire. Scrutinioque semel atque iterum in cassum peracto colloqui sunt inter se aliqui extra locum scrutinii, Bessarionemque cardinalem Nicenum eligere decreverunt, quod is omnium aptior ad rem publicam gubernandam videretur; conveniebatque numerus in eum sufficiens, nec dubium videbatur, quin sequenti scrutinio pontifex a duabus partibus eligeretur; iamque ad eum supplicationes deferebantur. Quod ubi ad alios alterius [factionis] delatum est, Alanus cardinalis Avinionensis nunc istum nunc illum circueiens: „Ergo” - inquit - „Ecclesiae Latinae Grecum pontificem dabimus, et in capite libri neophitum collocabimus? Nondum barbam rasit Bessarion, et nostrum caput erit? Et quid scimus: an vera est eius conversio? Heri et nudiustertius Romane fidei Ecclesiae impugnavit, et quoniam hodie conversus est, magister erit noster et Christiani ductor exercitus? En paupertas Ecclesiae Latinae, quae virum non reperit summo apostolatu dignum, nisi ad Grecos recurrat! Sed agite, patres, quod libet: ego et qui mihi credent, in Grecum presulem nunquam consentiemus!”

Moverunt ea verba nonnullos adeo, ut due partes Collegii nullo pacto ad Bessarionem accederent; qui cum una nocte pontifex constanti multorum opinione habitus esset, adveniente luce cardinalem sese reperit aliquanto minoris fame, quam antea fuerat - ut his accidere solet, qui magna e spe ceciderunt.

Cum ventum est denuo ad scrutinium, et via, que 'per accessum' vocatur, tentata, in eum due partes consensere, de quo minor erat expectatio populi. Is fuit Alfonsus cardinalis Sanctorum Quattuor Coronatorum, natione Hispanus, ex civitate Valentia nobili loco natus, scientia iuris eminentissimus et multarum [68] rerum experientia peditus - verum senio gravis ac propemodum decrepatus, nam LXX annum transcenderat; qui etsi ante aliquot annos, et vacante tum Sede Apostolica suam assumptionem ferme omnibus predixisset, seque procul dubio futurum pontificem maximum affirmasset, nullius tamen opinionem ad se traxerat, et delirare potius more senum existimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax, quod a Beato Vincentio se habuisse narrabat, sue nationis homine iam defuncto, quem postea inter sanctos Christi confessores rettulit. Alfonso in Petri cathedra constituto Callisto Tertio nomen est inditum; qui mox votum vovit adversus impios Turchos omnia sese studia conversurum. Nec moratus bellum eis indixit, in quo militantibus peccata dimisit, ac legatos in Galliam et in Hungariam ad congregandos exercitus direxit.

29. Enee suasio pro pontifice et ipsius ad eum legatio pro Germanorum obedientia praestanda

Haec cum audita essent in Austria, fuere non pauci, qui caesari suaserint nunc tempus esse coercendi Apostolicam Sedem, ne tanta in Germania posset; conventiones, que cum Eugenio Quarto facte fuerant, diminutas esse, nec prius obediendum novo pontifici, quam ea concederet, quae natio Germanica optaret; ancillam eam videri, libertatem aliquando mereri. Atque hoc ipsum Iacobus Treverensis archiepiscopus obnixè requirebat, qui ex lite lucrum aliquod expectabat.

Contra Eneas non esse e re caesaris aiebat Romani pontificis auctoritatem reprimere, ut populi gratia miretur, que sui natura inconstantissima est, nec multitudini relinquendas habenas, quam noscet principantibus inimicam; inter principes aliquando amicitiam inveniri, inter plebem et regem odium immortale; papam imperatoris et imperatorem pape auxilio indigere; stultum esse illi nocere, cuius expectes opem; cum pontificatus novus initur, tunc Romani presulis gratiam beneficiis emerendam; quod si ab iniuriis incipias, difficile in benivolentiam patere aditum; mittendam more maiorum obedientiam, fedusque cum novo presule honestum ineundum, eoque pacto Germanos imperatori obedituros.

Vicit Aeneae sententia, atque ipse missus est, qui ea perageret, quae suaserat, et cum eo profectus Iohannes Inderbachius iure consultus. - Prius tamen, quam Romam peterent, iussi sunt in Foro Iulii litem quandam de finibus intercipere, que Venetos inter et Austriae subditos versabatur. Pro qua re cum diebus pluribus apud Naonis Portum moram fecissent, nec pervicaces Venetorum legatos evincere possent, Venetias se contulerunt, et ingressi senatum, quamvis adversaretur imperatoris cause Franciscus Foscarus, civitatis princeps eloquentia et auctoritate potens, senatores tamen Aeneae verbis persuasi decretum revocarunt, quo Naonenses cum Venetorum subditis communicare prohibebantur. [69]

Exin Romam ventum est; ubi college ambo tanto maioribus honoribus excepti sunt, quanto diutius et avidius fuerant expectati. Coactum est in eorum adventu publicum consistorium, in quo Aeneas prestita pro vetusta consuetudine obedientia orationem habuit de imperatoris et Imperii laudibus, simulque de bello in Turchos gerendo; quae postea rescripta in multorum manus devenit.

30. Rumor vanus de cardinalatu Aeneae eiusque modestia, et Zamorensis insana letitia, et creatio aliorum cardinalium astu Callisti

Increbuerat per idem tempus fama Callistum in quattuor temporibus Adventus, qui prope aderat, novos cardinales creaturum. Inter quos assumendum Aeneam constans extabat populi rumor, adeo, ut quocumque iret, digitis monstraretur tanquam cardinalis propediem assumendus; et id ipsum Callistus affirmaverat. Cumque dies adesset, consistoriumque eius rei causa secretum haberetur, exiit sermo ex Palatio aliquos in ordinem cardinalatus esse assumptos atque inter eos Aeneam; ad quem multi congratulatum venire dolore pedum in lectulo laborantem. Qui accepto nuncio nulla in parte mutato vultu sedatoque prorsus animo: „Si verum est” - inquit -, „quod fertur, ante horas duas innotescet; interim in utranque partem ero accinctus, neque metu frangar, neque spe ludar inani.” - Iohannes autem Zamorensis episcopus pari modo salutatus: „Iam tandem” - inquit - „assecutus sum, quod annis uno de quadraginta expectavi anxius!” -, et donato nuncio ante Beate Virginis effigiem genua flectens

ei ac Filio gratias egit, qui suo denique voto satisfecissent. Tam dispar hominum natura est: alii, quod cupiunt, facile credunt; alii, quod metuunt.

In consistorio vero, cum diu res agitata esset, tres cardinales creati sunt, quorum duo nepotes papae fuerunt: Ludovicus Sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter et Rhodericus Sancti Nicolai diaconus et tertius eiusdem ordinis Iacobus Sancti Eustachii, ex regia Portugallensium domo natus; adeo iuvenes omnes, quamvis indolis optime, ut non ab re ioco dixerint aliqui vix annos tres cardinales natos, qui uni sufficerent. Palamque factum est cardinales non eos assumi, qui consulant Ecclesiae, sed quibus Ecclesia ipsa consulat -quamvis commune hoc vitium est, dignitates homini, non dignitati hominem condonari.

Non tamen statim publicata est creatio cardinalium, sed ita dissolutum consistorium, ac si nihil actum esset, cunctis patribus silere iussis, etsi nonnulli ex thalamo pontificis coniecturam rei geste fecerunt ex eo, quod pugillare petitum est, et cardinales ipsi nonnihil nutibus indicarunt, ut est inter difficilia secretum. Iccirco autem occultam esse aliquandiu creationem voluere, quoniam speraverunt cardinales papam fallere, quem prius obiturum crediderunt, quam publicatio fieret. Sed fefellit ipse cardinales, qui per aetatem, quae primum secuta est, uno tantum cardinale astante nec adversari audente, cum ceteri [70] caumata effugissent, publicationem fecit non sine infamia Collegii, quod volenti pontifici viros aetate maturos ac de Romana Ecclesia optime meritos cum suis nepotibus assumere in his consensit, qui minus idonei videbantur, et eos reiecit, quos constabat esse dignissimos. Nec Callistus infamia caruit, qui carnis affectum Ecclesiae pretulit utilitati.

31. Bellum Picinini contra Senenses, et eius fuga atque necessitas. Enee legatio ad Alfonsum efficax, et Lucretiae amores, Alfonsique propheta

Per idem tempus, cum tota Italia recenti pace respirasset - nam potentatus omnes ab armis recesserant -, novus turbo exortus est, qui peccatricem terram non sineret quiescere. Iacobus Picininus, Nicolai Picinini filius, qui iam pridem Venetis militarat copiarum ductor, non ferens ocium, magna equitum manu transmissio Pado in Romandiolam penetravit, ac deinde in Tusciam adversus Senenses signa convertit, omnium Italiae potentatum minus validos, ut eorum occupata re publica nobilis urbis tyrannus fieret; et iam sese ducem Senarum appellari sinebat. Erat in Senenses subirato animo rex Sicilie, Alfonsus, quod hi sibi affederati bellique socii se minime consulto duci Mediolanensi Florentinisque pacem reddiderant, atque ob eam causam Picininum fovebat Senensem agrum vastantem. Fuerat paulo ante Senensi populo bellum adversus Ildobrandinum, Pitiliani comitem, in quo duos copiarum duces perfidia notissimos mercede conduxerant: Robertum Corrigianum et Sigismundum Malatestam cognomento Pandulfum, totius nequie principem, qui Picinino transfugium promiserant. Robertus in Palatium vocatus repente trucidatus est et per fenestram precipitatus in forum; Sigismundus ad maiora reservatus scelera, totius Italiae virus, fuga sibi consuluit. Nec vel sic Senenses Picinini tyrannidem declinassent, qui iam Citonium ac Montem Maranum cum arcibus occupaverat, non ignobilia oppida Senensis agri, nisi affuissent ilico Francisci Sforcie Mediolanensium ducis ac Venetorum et Callisti pontificis maximi auxilia et insignes copiarum duces, qui Picininum urgentes in fugam verterunt. Cessit Picininus potentioribus, adeoque territus est, ut nunquam se tutum putarit, donec ad Castrum Leonis, quod Alfonsus Florentinis ereptum in maritima Senensium obtinebat, celeri cursu pervenit. Quo in loco clausus dies aliquot silvestribus tantum primis vitam egit. Saluti ei fuit Lucas Sclavus, qui Urbetellum pro Senensi re publica custodiens auro corruptus decepto captoque arcis prefecto Picinini presidium et ipsum mari advectum intromisit; quo in loco rursus obsessus est Picininus.

Sed erat difficilis expugnatio - his presertim, qui vincere nolebant. Animadverterant bellatores Italici expugnato captoque Picinino sibi ad excolendos agros redeundum fore, cum pax ubique vigeret, Picininumque quasi deum colebant, qui solus belli materiam ministraret. Suggerebant igitur fame laboranti panem, [71] consilia ducum ad eum deferebant, neque dicto maiorum parebant; Alfonsus quoque mari alimenta mittebat. Producebatur in dies obsidio, et omnes in cassum conatus ibant. Nec iam Senenses exhausti auro atque frumento sumptum ferre amplius poterant, et Callistum tedeat expensarum, nec ceteri bello socii, ut ab initio, alacres ferebant suppetias; eoque deducta res erat, ut non minus obsessores, quam obsessi periclitarentur. Unicum igitur salutis iter Senensi populo visum est Alfonsum rogare, ut pacem elargiretur, opemque ab eo petere, cuius societatem contempserant, quando is unus erat, qui Picinino posset imperare. Tam minima est in populo cura decoris, ubi adversari videtur utilitas!

Redierat iam Senas in Germaniam profecturus Aeneas. Vocant eum magistratus urbis, quos priores appellant, et hi, quibus balia commissa est, multisque precibus orant, ne gravetur pro patria iter ad Alfonsum facere, pacemque Tusciae ab eo petere - rogato prius Callisto, ut aequo

animo ferat legatos Senensium Alfonsum adire. Annuit Aeneas, ne patrie in tanto discrimine deesset, quae nisi pacem assequeretur quam primum, necessario libertatem erat amissura. Rediit ergo Romam, pontificemque non sine magno labore in sententiam traxit, ut pax ab Alfonso peteretur, quem singulari odio insectabatur, neque id suae existimationi conducere arbitrabatur. Sed paruit et ipse necessitati, omnium rerum domine, Iohannemque Solerium, insignem theologum, quem postea Pius Secundus Barchinonensi prefecit ecclesiae, cum Aenea misit, ut suo nomine de pace ageret. Senenses duos Aeneae comites addidere: Galganum Burgensem iure consultum et Leonardum, cognomento [non aequo] Benevolentem.

Cum esset eundem, podagra Aeneam arripuit, atque octo diebus Rome retinuit. Precesserunt college, et Alfonsum apud Traiectum convenere, ubi sepulchrum prioris Aphricam ostendunt non procul ab Lyri fluvio, quem nostra aetas Garilianum vocat. Auditos Galganum et Leonardum Alfonsus durissima excepit oratione; multa de Senensibus questus est: [narravit beneficia, quae eis contulerat, et contra ingratitude civitatis erga se rettulit, indignumque Senensem populum dixit, cuius quisquam misereri deberet,] nec oratores ipsos pacificis oculis intueri poterat. At cum accessisset Aeneas, hylari vultu et honesto sermone receptus, quem ut primum rex intuitus est: „Nunc” - inquit - „libet de pace loqui, quando mediator accessit, quem diligimus” -, moxque tractatum iniit.

Sed cum res multos haberet nodos, et nove in dies emergerent difficultates, ad menses aliquot producta, et modo Neapoli, modo Puteolis, et aliquando apud Turrim Grecam tractata est, quibus in locis Lucretia morabatur, speciosa mulier - seu virgo erat -, nobilibus inter Neapolitanos nata parentibus, si qua est in paupertate nobilitas. Hanc rex perditae amavit, adeo, ut in conspectu eius constitutus extra se fieret, neque videret quicquam, neque audiret quenquam, nisi Lucretiam. Oculos semper in eam habebat intentos, laudabat verba eius, sapientiam admirabatur, probabat gestus, excellentiam forme divinam esse [72] iudicabat, et cum multa ei donasset, et quasi reginam honorari iussisset, ad extremum sese illi permisit; neque enim exaudiri quisquam ea nolente potuit. Mira vis amoris: rex magnus, Hispaniarum nobilissime partis dominus, cui Baleares insulae, cui Corsica Sardiniaque et ipsa Trinacria parebat, qui plurimas Italiae provincias sibi subiecerat, viceratque potentissimos in armis duces, ad extremum victus amore quasi captivus muliercule serviebat. Nec eam cognovit - si vera est fama -, solitamque eam dicere ferunt: *Virginitatem volenti mihi nunquam rex auferet. Quod si vim tentaverit inferre, non imitabor Lucretiam, Collatini coniugem, quae admissa scelere mortem sibi conscivit: ego facinus morte prevertam!*

Sed non est tam facile facere magnifice, quam dicere, nec vita, quae secuta est, verbis par fuit; quippe quae Alfonso fati functo Iacobi Picinini venit in castra non sine infamia perditae pudicitiae, et vulgatus rumor est scribe suo eam permisceri solitam concepisse, tandemque peperisse infantem. Verum Alfonsus nihil ea divinius inveniri posse iudicavit - in ceteris rebus sapiens, in hoc et in venando apprime [demens].

Quem dum Aeneas obtinende pacis gratia etiam venantem sequitur, Baias invisit et Cumas et antiquarum cadavera civitatum. Adiit et Salernum et Amalphium atque apostolorum Andree et Matthei venerabiles tumulos, in quis sacra corpora exudare nobile manna traduntur. Vidit et fontem Sarni fluvii, cuius tanta frigiditas est, ut missa in eo vina nigriora parvo albescant spatio. Quo in loco non diu postea eius iam pontificis et Ferdinandi regis copie ab exercitu Gallico, dum nimis audent, fusae fugatique sunt, et Simonetus, ecclesiastice militie ductor ictu lapidis tormentalis confossus interiit; oppidum hic est ex flumine Sarni nomen sortitum. Exin Nolam venit, non minus Paulini Confessoris sanctissima vita, quam Romanorum historiis et Marcelli morte nobilitata.

Reversus Neapolim cum iret die quadam ad regem in arcem Novi Castri, et portam triumphalem ingrederetur, deambulans cum purpuratis suis in aula, quae portae opponitur, Alfonsus vidit eum, et conversus ad proceres: „Vultisne”

- inquit -, „papam vobis ostendam?” - Atque illis respondentibus: „Volumus” - „Ellum” - ait -, *episcopus Senensis, qui modo portam ingreditur, summus pontifex a Deo destinatus est, et hunc ipsum mortuo Callisto cardinales ei sufficient, nec alius quisquam est, quem sibi iure merito preferre queant.*

Quod cum purpurati ipsi Aeneae rettulissent, eique congratularetur, respondit omnibus: „Atqui non solent cardinales non cardinalem eligere! Nolite hoc credere, nisi rubro me prius ornatum galero videritis. Cuius, scio, sum indignus.”

32. Profligatio Turchorum, et pax Senensis

Inter hec rumor exoritur Turchorum innumerabiles copias cum ipso imperatore suo et machinarum ingenti vi terra et aqua Thaurinum obsedis, quod est oppidum inter confluentes

Savum ac Danubium in Rhascia - que olim Superior Mesia dicta est - situm; hodie Belgradum alii, Alteram Albam alii vocant. [73]

Anxius eius nuncio Alfonsus percontatus est a circumstantibus, quonam pacto subveniri obsessis posset. Cui Aeneas: „*Frustra*” - inquit - „*de auxilio cogitas, neque enim Hungarica atque Turchonica bella sicut Italica sunt, in quibus perraro confligitur, et que nostri milites pulchre negotiationes appellant. Hac ipsa hora, qua loquimur, aut hostes aut Hungari profligati sunt; cuius rei mox aderit nuntius.*”

Secuti sunt octo dies, et ecce littere assunt ex Hungaria Christianos cruce signatos, qui Thaurini obsidebantur, erupisse in Turchos, et maxima edita hostium cede, divina magis ope, quam humana, victoria gloriosissima potitos; sub mammilla Turchorum imperatorem vulneratum disperso exercitu relictisque omnibus machinis, cum parvo comitatu diffugisse trepidum. Atque ita certa res allata est, ut nihil amplioris fidei desideraretur.

Nec diu post tam foelix nuncium Senensium pax secuta est ea lege, ut Picininus accepta pecunia Urbetellum Senensibus redderet, Tusciaque excedens in Aprutiis et Aquilanorum hyemaret agris.

His rebus absolutis Aeneas Romam rediit. Et cum vellet revisa patria ad imperatorem in Germaniam proficisci, a Callisto pontifice retentus est, qui remanenti cardinalatum pollicebatur. Paruit Aeneas, etsi dubius erat, ne Calistus cederet cardinalibus nil eque horrentibus, quam sociorum creationem, atque eorum presertim, quos in summo pontificatu competitores timebant.

33. Enee promotio ad cardinalatum, et omnium gentium congratulatio. Varmiensis ecclesie adeptio, Polonorumque defensio

Cum adessent Adventus Christi Salvatoris tempora, que cardinalium propemodum comitia dici possunt, summa contentione in Senatu Apostolico certatum est, cum pontifex creare cardinales vellet, Collegium resisteret, et modo numerum cardinalium esse nimium dicerent aliqui, modo in personas, que nominabantur, probra maledictaque iactarent, atque in eos more suo magis ac magis inveherentur, qui meliores iudicabantur et summo pontificio digniores. Vicit tamen Callistus tribus, quos iam assumpserat, cardinalibus summopere adnitentibus, seque - ut par erat - et caput et dominum ostendit, cardinalesque novos sex creavit: Raynaldum Piscicellum archiepiscopum Neapolitanum, Lucretiae patrum, quem - ut illi morem gereret - enixissime petebat Alfonsus; Iohannem episcopum Zamorensem, natione Hispanum, scientia iuris excellenti, qui annis uno de XL in muneribus Curie prudenter casteque fuerat obversatus; Iohannem Papiensis ecclesie presulem, Castilionensi nobili domo apud Mediolanenses natum; Aeneam pontificem Senensem, quem non imperator solum, sed Hungarie quoque rex, Ladislaus et cuncti ferme Germanie principes efflagitabant; Iacobum Feretranum episcopum, natione Romanum, Simonis medici fratrem et Ricchardum Constantie Normanice sacerdotem, quem Karolus Francorum rex expetebat. [74] Laudata est horum creatio - Neapolitano et Feretrano exceptis, quos non suis meritis assumptos aiebant, nec dignis intercessionibus, sed alterum muliercule impudice, alterum medico traditum asseverabant. Eneam vero ubi donatum pileo rubeo audivit populus, mox fama exorta est successorem sibi creasse Callistum, et ingens tota Urbe letitia fuit.

Sena quoque, ut accepit, suo presuli ornamenta que accesserant, festos dies celebravit, fuitque publice gaudium, privatim apud eos, qui urbem gubernabant, ingens in mente dolor: verentes - quod secutum est -, ne pontificatum adeptus Eneas aliquando maximum nobiles eius urbis ad munia civitatis conaretur asciscere, quos illi oderant, et iam pridem a regimine procul amoverant. - At Federicus imperator mirum in modum exultavit, cum accepisset legatum et consiliarium suum in ordinem cardinalatus assumptum. Nec Alfonsus Aragonum et Sicilie rex mediocri gaudio affectus est, quod ad suam prophetiam iam videret aditum patefactum. Sed et Germani omnes principes Aeneae per epistolas congratulati sunt, tanquam in eo et Germania ipsa decorata fuisset. Nec decepti, nam Aeneas Germanorum semper et laudator et defensor extitit non modo in cardinalatu, verum etiam in pontificatu maximo, et Callistus eum pre ceteris cardinalibus in rebus Germanicis audivit.

In Pruscia, que olim Ulmerigia dicta est, et ad mare Baltheum iacet, ecclesia nobilis ac predives fuit, quam Varmiensem vocant, multis arcibus et oppidis ac latissimo imperio potens. Sed orto inter religiosos Beate Marie Theutonicorum, qui Pruscie dominabantur, et regem Poloniae, ad quem Pruteni defecerant, crudeli et asperrimo bello ecclesia ipsa admodum defecit, partem religiosis, partem Polonis ad se trahentibus, et villas atque oppida diripientibus. Obiit interea Franciscus eius ecclesie pontifex. Canonicorum pars maior Eneam sibi pontificem postulavit, pars altera bifariam divisa est, et quidam Luticonem, regis Poloniae consiliarium elegerunt, quidam sacerdotem alium quendam ex his, qui cum religiosis Theutonibus erant.

Possessio ecclesiae a principio Luticoni data est; sed cum Calistus canonicorum postulationi annuens administrationem ecclesiae Aeneae commendasset, possessio quoque ad eius procuratorem delata est eius partis, quam Lutico obtinuerat, qui minime ausus est cardinali adversari. Eneas vero exinde pontificium maximum assecutus Paulum Leghendorfium ei ecclesiae prefecit, qui absque adversario in hanc usque diem illam gubernat.

Eodem ferme tempore et altera ecclesia vacavit in Prussia episcopio predata, quam vocant Culmensis; in ea Poloni unum, religiosi Theutones alterum petebant. Dominicus cardinalis Firmanus, religiosorum protector Polonorum causam prorsus odiosam pape cardinalibusque reddiderat, Enea excepto. Qui cum animadverteret eo sententias in Collegio tendere, ut Poloni prorsus excluderentur, et is promovendus, qui possessionem minime assecuturus esset, cum ad se ventum est, rem ab exordio quomodo inter religiosos Theutones et Polonos acta esset, in medio exposuit, ostenditque Polonos quamvis iniuste, more tamen hominum in alienam terram venisse non armis, sed accersitos a [75] subditis religiosorum, quos illi superbe immaniterque regebant; ecclesiam, de qua sermo esset, in potestate Polonorum teneri; si preficiatur ei amicus religiosorum, neque persone provisum iri neque ecclesiae, quia non admittetur; rursusque non mereri Polonos ecclesiam pro sua voluntate impetrare, qui alienum agrum invasissent; neutri ergo auscultandum esse, sed tertium aliquem vocandum, qui tanquam iconomus ecclesiam tamdiu regeret, quoad res in meliorem fortunam conducerentur. Ostenditque pluribus verbis non oportere fieri, quod iam Collegii pars maior suaserat, et Callistus amplecti cupide videbatur; qui audito Aenea: „*Placebat*” - inquit - „*nobis Firmani sententia, sed tu, Aenea, mutasti animum nostrum, decretumque pro tuo consilio facimus.*” - Que res adeo Firmanum commovit, ut multis postea diebus rogatus in Senatu sententiam dicere subticuerit, Aeneaeque admodum succensuerit suo magis incommodo, quam illius, qui laudatus est, ipse irrisus. Atque ita superbis evenire necesse est; plura enim de se putantes, quam res exposcit, cadunt in periculo, et rodunt se ipsos, et ab aliis iridentur.

34. Aeneae auctoritas in Senatu cardinalium et contentionibus finiendis, et Lucretiae adventus ad Urbem

Nec minor circa idem tempus ignominia irrogata est Iohanni cardinali Papiensi, dum Aeneam superare vult eiusque studium impugnare. - Vacavit ecclesia Ratisponensis apud Danubium in Baioaria sita, cui prefuit olim Albertus, philosophus insignis, quem Germani Magnum appellant, et quem Doctor Sanctus Aquinas audisse traditur. Hanc ecclesiam petebat Ropertus Baioarius, ex imperatorum sanguine natus; canonici prepositum suum elegerant, eumque in episcopum dari sibi magnis precibus instabant. Eneas Ropertum iuvabat, quod eius promotio et utilior et nobilior videbatur; Papiensis electum tuebatur, non tam eius causa, quam ut in rebus Germanicis Eneam superare videretur. Callistus utrique causam audiendam commisit, ut electionis decreto et utriusque competitoris meritis diligenter pensatis in consistorio ea referrent, que invenissent, et suas dicerent sententias. Dum res discutitur, Papiensis cardinales ambit, atque unumquenque domi convenit: electum laudat, merita eius longe maiora esse dicit, quam Roperti; iniquum videri, nisi eligenti capitulo mos geratur. Conventa exinde nationis Germanice in medium affert, que magnopere electionibus favent; hunc etatem habere, Ropertum nondum annos quinque et XX-ti natum. Adit et papam, atque eadem repetit. Et iam cardinales in Papiensis sententiam pedibus ibant, Callistus dubius erat. Sed cum in consistorium ventum est et Aeneas auditus, repente omnium animi commutati sunt, et Callistus omne dubium reiecit.

Monstratum est enim electionem malis artibus factam, et symoniam intervenisse, et electum extra communionem fuisse, cum eligeretur, nec frugi [76] conversationis esse, nec tanta ecclesia dignum; contra Roperti aetatis defectum et bonam indolem et mores egregios et maiorum merita abunde supplere.

Expectabatur consistorii exitus non minori frequentia populi, quam cum de cardinalibus agitur, et Curia in duas partes divisa: alii hunc, alii illum suis votis exposebant, sed longe maior opinio erat ad electum. Vicit tamen Ropertus defensore Aenea, atque is - licet annis minor - Ratisponensi ecclesiae administrator est datus. Que res nomen Aeneae inter cardinales non parum adauxit his duabus contentionibus, cum adversarios superasset, et res pene desperatas restituisset.

Dum hec aguntur, Lucretia - cuius ante meminimus - Romam venit non minori comitatu et pompa, quam si regina esset. Callistus eam in consistorio recepit assistentibus cardinalibus, multisque modis honoravit, quod neque Eneae placuit, neque aliis compluribus indignum esse iudicantibus eam in conspectu maiestatis apostolice magnificari, quam turpi causa rex amaret. Et quamvis esset Aeneas Alfonsi amantissimus, non tamen amicam eius Rome visitavit, sicut

alii plerique cardinales, inter quos fuit Petrus Sancti Marci, non tam cerimoniarum magister, quam favorum secularium sectator egregius.

5 **35. Ingentes terremotus in Neapolitano. Svetie regis eiectio. Alfonsi mors Ferdinandique successio adversante Callisto, et eius obitus Aeneaeque divinatio**

10 Per hos dies terremotus regnum Neapolitanum multis diebus agitavere, quales patrum nostrorum memoria neque visi sunt neque auditi. Neapoli multa et preclara edificia corruerunt, Arrianum et alia pleraque oppida a fundamentis cecidere; fama fuit supra XXX-ta milia corpora hominum ruinas oppressisse. Populi passim relictis urbibus in agros migravere, et facta est publica penitentia viris ac mulieribus ieiunio et verberibus sese macerantibus. Tum quoque et in Egeo pelago insula emersit nunquam antea visa, parva circuitu, verum alta super aquas quadraginta cubitis, arsitque diebus aliquot, donec flamme defuit bithumen.

15 Per hoc tempus et Karolus rex Svetie, cum seviret in Christi sacerdotes, et avaritiae libidinique serviret, adnitente Upsalensi archiepiscopo, qui duxit exercitum, regno deiectus est et Christigernus ei suffectus, qui usque hodie regnat.

20 Aeneas autem cum podagre doloribus plus solito vexaretur, indulgente Calisto ad balnea Viturviensia sese contulit levamen egritudini, non finem sperans, quando is morbus est, quem sola mors terminat, ubi confirmatus est, et altas egit radices. Inter lavandum *Historiam Bohemicam* conscripsit, atque Alfonso Aragonum et Sicilie regi dedicavit omine non bono; prius enim ille e vita excessit, quam *Historia* finiretur. [77]

25 Ceperat Alfonsus aegrotare, cum esset Aeneas in balneis, et lento morbo correptus XL-ta dies inter spem vitae et mortis metum assumpsit, fecitque demum nature satis, instituto herede filio, Ferdinando extra matrimonium nato, quem Nicolaus et Eugenius Romani pontifices regni capaces reddiderant. Religiosus principis obitus fuit, nam Christiano more peccata confessus et sacramentis ecclesiasticis comunitus in alteram vitam migravit, onerato filio, ut auri LX-ta milia nummum in expeditionem contra Turchos Romano pontifici traderet, legavitque multa ad pias causas, et ossa sua in Aragoniam transferenda mandavit; que omnia superveniente bello impedita sunt. Etsi enim mortuo Alfonso Regni principes ac civitates omnes Ferdinandum supra se regem acceperunt et in eius verba iuraverunt, Callistus tamen pontifex maximus odium, quod in Alfonso viventem gesserat, eo extincto in filium continuavit, regnumque Sicilie Alfonsi obitu ad Romanam Ecclesiam devolutum declaravit eo - ut vulgatiores fama fuit - animo, nepotem suum Borgiam ad regni fastigium ut extolleret. Sed quid humana cogitatione vanius? Dum Callistus inimico rege mortuo nimis alto fertur animo, et iam sibi plana omnia censet, ipse quoque intra dies XL-ta morbo captus et extremo confectus senio fati fungitur.

35 Iohannes Caimus, Francisci Sforciae Mediolanensium ducis orator Viturvio transitum faciens Eneam illic adiit visitationis causa, atque inter confabulandum iccirco se missum ad Callistum ait, ut ediceret ei non placere Francisco Sfortie Ferdinandum paterno regno amoveri; quod si aliter pontifici sederet (in) animo, sciret Mediolani ducem adversum se futurum. Quo audito: „At hoc” - inquit Aeneas - „nuntio Callisto necem affers!” - Neque aliter secutum est. Nanque ut accepit pontifex maximus Franciscum sibi de Regno non assentiri, mox aegritudinem incidit, ex qua mortuus est; quem sui nepotes in basilica Sancti Petri sepelierunt in loco, quem vocant Beate Marie Febrium; olim Apollinis templum fuit. Obiit autem VIII Idus Augusti anno Salvatoris Christi CCCC-mo LVIII-o supra millesimum. Cardinales pro more egregias (ei) exequias fecere.

45 **36. Conventus cardinalium in conclavi, et quid in eo factum sit, et acerrime contentiones, Aeneaeque ad pontificatum erectio ac Pii appellatio**

50 Haec cum accepisset Philippus cardinalis Bononiensis, qui apud Balneum Regium per aetatis caumata declinaverat, Viturbium venit, et cum Aenea simul ad electionem futuri presulis Romam profectus est. Cumque ambo una Urbem peterent, universam Curiam et maiorem populi partem extra menia occurrentem invenere, affirmantibus cunctis eorum alterum in pontificem maximum electum iri. Reverterunt et ceteri cardinales intra centesimum lapidem commorantes; novem et decem in Urbe affuere. Sed dum celebrantur exequiae, cardinalis Firmanus lenta febre correptus Callistum, cui supra modum [78] succedere aspirabat, ad sepulchrum sequitur - vir, nisi ambitioni et iracundiae succubisset, exemplaris et optimus. Fuit enim vite mundissime, doctrina et rerum experientia magnus, verum plus aequo partis Gibellinae sectator. Reliqui cardinales duodeviginti decima die post Callisti obitum conclave ingressi sunt tota civitate suspensa in eventum rerum, quamvis sermo communis Aeneae

cardinali Senensi pontificatum maximum auguraretur, nec quisquam fuit, de quo maior esset opinio.

5 Conclave in apostolico palatio apud Sanctum Petrum perstructum est, in quo due conclusae sunt aule et sacella duo: in maiori cellulas fecere, in quis cardinales ederent dormirentque; minus, quod Sancti Nicolai appellatur, consultationi electionique pontificis asservaverunt; deambulationi omnium aulas.

10 Ipsa die ingressus nihil actum est circa electionem; sequenti capitula quedam edita sunt, que observari a novo presule statuerunt, iuraruntque singuli ea se servaturos, si sors super se caderet. Tertia die facta re divina cum ventum esset ad scrutinium, inventum est Philippum cardinalem Bononiensem et Aeneam Senensem paribus votis ad summum pontificatum postulari, utroque vocibus quinque vocato; ex reliquis nemo tres superavit. Vilhelmum cardinalem Rhotomagensem - sive dolus fuit, sive odium - nemo ea vice elegit.

15 Consueverunt cardinales scrutinio facto publicatoque consedere, atque inter se colloqui, si quis sit, qui mutare propositum velit, et vocem, quam uni dederat, in alterum transferre - qui modus eligendi 'per accessum' vocatur; sic enim concordia facilius invenitur. Que res in primo scrutinio omissa est impediens illis, qui a nullis electi fuerant, cum ad eos fieri non posset accessus. Itum est ad prandium, exin multe conventiculae facte sunt. Qui potentiores erant in Collegio, auctoritate atque opibus excellentes, alios ad se vocabant, et aut sibi ipsis aut amicis apostolatam querebant; rogabant, promittebant, minas ingerebant. Nec defuerunt, qui sine rubore omni modestia procul reiecta pro se ipsis verba facerent, summumque sibi pontificatum arrogarent, sicut Vilhelmus Rhotomagensis, Petrus Sancti Marci et Iohannes Papiensis cardinales; nec Ilardensis sese negligebat: multa de se quisque predicabat. Mira erat horum contentio, summa diligentia, inquieta dies, nox insomnis. - Rhotomagensis tamen non tam hos, quam Aeneam timebat et cardinalem Bononiensem, in quos videbat vota plurium ferri. Maxime vero Aeneam formidabat, cuius taciturnitatem non dubitabat longe valentiores esse aliorum latratibus. Vocabat igitur modo istos, modo illos, et increpans eos dicebat:

20 *"Quid tibi et Aeneae, quod eum pontificio dignum maximo censes? Pedibus laborantem et pauperem nobis pontificem dabis? Quomodo relevabit inopem Ecclesiam inops, egrotantem aegrotus? Ex Germania recens venit, nescimus eum; forsitan et Curiam eo traducet. Quae sunt in eo litterae? Poetamne loco Petri ponemus, et gentilibus institutis regemus Ecclesiam? At Philippum Bononiensem anteponendum existimas, durae cervicis hominem, qui neque per sese gubernare calleat, neque auscultet recta monentibus? Ego in cardinalatu senior sum, nec me imprudentem nosti; [79] et doctrina pontificali sum peditus, et regium sanguinem pre me fero, et amicis abundo et opibus, quibus subvenire Ecclesiae pauperi possum. Sunt et mihi beneficia ecclesiastica non pauca, quae dimissurus inter te et alios dispertiar."* - Addebat preces multas, quae si non satis valebant, minas adhibebat. Si quis symoniam eius obstare dicebat, qui papatum venalem habiturus esset, non inficiabatur preteritam vitam symoniaca labe infectam fuisse, sed in futurum iurabat mundas se manus habiturum.

40 Astabat ei Alanus cardinalis Avinionensis, homo audax ac venalis, eiusque causam modis omnibus adiuvabat, non tantum quia Gallicus Gallico favebat, quantum quod ex promotione Vilhelmi ecclesiam Rhotomagensem et domum eius in Urbe et cancellariam expectabat. Vincebantur non pauci magnis pollicitationibus, et quasi musce capiebantur abdomine, vendebaturque Christi tunica sine Christo. Convenere apud latrinas plerique cardinales, eoque loco tanquam abdito et secretiori pacti inter se sunt, quoniam modo Vilhelmum pontificem eligerent, scriptisque et iuramentis se astrinxerunt. Quibus ille confisus mox sacerdotia, magistratus et officia promisit, ac provincias partitus est. Dignus locus, in quo talis pontifex eligeretur! Nam fedas coniurationes ubi convenientius ineas, quam in latrinis?

50 Aderant Vilhelmo certi ex cardinalibus: duo Graeci, Genuensis, Sancti Sixti, Avinionensis, Columnensis, Papiensis et vicecancellarius; Bononiensis vero, Ursinus et Sancte Anastasiae dubii erant, pauloque momento accessuri videbantur, et iam propemodum spem dederant. Et cum undecim concurrere viderentur, non dubitabant, quin duodecimum statim haberent. Nam cum eo ventum est, presto adest, qui ait: „*Et ego te papam facio*“, ut eam ineat gratiam. Confectam igitur iam rem existimabant, nec aliud expectabant, quam lucis adventum, ut ad scrutinium veniretur. Iamque noctis medium effluxerat, cum ecce Bononiensis Aeneam adit, et dormientem excitans:

60 *„Quid ais“* - inquit -, *„Aeneae? Nescis, quia iam papam habemus? In latrinis convenere aliquot cardinales, statueruntque Vilhelmum eligere, nec aliud expectatur, quam dies. Consilium meum est, ut surgens e lectulo illum adeas, vocemque tuam illi offeras, priusquam eligatur, ne si te adversante pontificatum obtineat, odiosus fiat tibi! Ego mihi consulam, ne in priores incidam laqueos. Novi, quid sit inimicum habere pontificem. Callistum expertus sum, qui nunquam pacificis oculis me intuitus est, quoniam eum non elegerem. Mihi ex usu videtur*

eius, qui pontifex sit futurus, ante venari gratiam. Ego, quod mihi consilium accipio, id tibi do."

5 Cui Aeneas: "Consilium tuum tecum" - inquit -, Philippe, referto! Mihi nemo suaserit, ut eum Beati Petri successorem eligam, quem prorsus indignum puto. Absit a me hoc peccatum! Si alii eum eligent, ipsi viderint; ego mundus ero ab eo scelere, nec me conscientia expunget mea. Dicis durum esse papam non habere benivolum. Nihil hoc ego vereor. Scio, me non interficiet, quoniam eum non elegerim. - »At non amabit, non dabit stipem, non adiuvabit, paupertate premeris!« - Non est assueto dura paupertas. Inopem vitam duxi hactenus; quid, si moriar inops? Musas mihi non auferet, quae sunt in fortuna tenui suaviores. Ceterum non ego is sum, qui arbitrer [80]

10 passurum Deum in manu Rhotomagensis Ecclesiam, Sponsam suam deperire. Nam quid magis alienum est a Christi professione, quam vicarium eius symonie atque impudicitie deservire? Non feret divina pietas hoc palatium, quod tot sancti patres habitavere, aut speluncam latronum aut lupanar meretricum fieri. A Deo datur apostolatus, non ab hominibus. Rhotomagensi qui demandare pontificatum conspiravere, homines sunt, quorum cogitationes vanas esse quis nescit? Pulchre apud latrinas coniuratio facta est: in secessum conatus ibunt, et sicut Arriana perfidia, in loco fedissimo finem accipient iniquissima machinantur. Crastina dies ostendet Romanum presulem a Deo eligi, non ab hominibus. Tu, si Christianus es, eum in Christi vicarium non assumes, quem nosti diaboli membrum esse!" -
20 Atque his dictis Philippum terruit, ne Rhotomagensi accederet.

Exin summo diluculo Rhodericum vicecancellarium conveniens percontatus est, an sese Rhotomagensi [vendidisset]. „Et quid vis agam?" - respondit ille. - „Acta res est. Convenere [apud latrinas] multi, atque hunc statuerunt eligere. Mihi non est ex usu cum paucis extra gratiam novi presulis remanere. Concurro cum parte, quae maior est, et cause mee consului. Cancellariam non perdam; scedulam enim promissionis habeo. Si non eligo Rhotomagensem, eligent alii, et ipse privabor officio meo."

Cui Aeneas: „O stulte" - inquit - „iuvenis! Ergo tue nationis hostem in apostolatu collocabis? Et scedule fidem dabis eius hominis, qui non habet fidem? Tu scedulam habebis, Avinionensis cancellariam. Nam quod tibi promissum est, illi et promissum et affirmatum est. Illine an tibi servabitur fides? Gallo an Cathelano Gallus amicior erit? Extero an civi magis consulit? Cave tibi, inexperte iuvenis, cave, stulte! Et si non est tibi Ecclesiae Romanae cura, si religionem Christianam nihili pendis, et Deum contemnis, cui talem vicarium preparas: at saltem tui ipsius curam habeto, qui Gallo papatum tenente in postremis eris!" - Audivit haec patienter ab amico vicecancellarius, seque admodum cohibuit.

35 Post haec videns Aeneas cardinalem Papiensem: „Audio" - inquit - „ et te cum hisce sentire, qui Rhotomagensem eligere statuerunt. Quid ais?"

Tum ille: «Bene" - inquit - „audivisti. [Pactus sum] vocem illi dare, ne solus remanerem. Iam enim certa res eius est: tot sunt, qui ei promiserunt."

40 Cui [Aeneas:] „Alium te" - inquit - „virum esse existimavi, quam invenio. En, quantum a tuis maioribus degeneras! Patruus tuus - sive avunculus fuit -, Branda cardinalis Placentinus, cum esset pontificatus maximus ultra montes in Germania (nam Iohannes Tertius ac Vigésimus instituto Constantiensi concilio Romanam Curiam trans Alpes adduxerat), nunquam quievit, donec in Italiam Primam Sedem reduxit; cuius arte, studio atque ingenio factum est, ut abdicatis summo pontificatu, qui de eo contendebant, Martinus Quintus eligeretur, natione Romanus ex domo Columnensi. Branda Curiam Apostolicam ex Germania in Italiam reportavit: tu eius nepos ex Italia transferes in Galliam? Italus homo Galliae melius, quam Italiae consulis? At Rhotomagensis nationem suam preferet Italice, et Gallus in Galliam cum summa dignitate advolabit. - Dices: »Iuratum est, non ibit absque Senatus consilio extra provinciam; non consentiemus ire volenti.« - Et quis cardinalium est, qui sedenti in apostolico trono audeat adversari? Primus tu eris, qui obtenta aliqua divite commenda: »Ito« [81]

55 - inquires -, »quo velis, pater sancte!« - Et quid est nostra Italia absque Romano presule? Retinemus apostolatum Imperio amisso, atque hoc uno lumine videmus lumen; et hoc te fautore, suasore, adiutore privabimur. Aut ibit in Galliam pontifex Gallus, et orbata est dulcis patria nostra splendore suo, aut manebit inter nos, et serviet regina gentium, Italia extero domino, erimusque mancipia Gallicae gentis. Regnum Siciliae ad Gallos perveniet, omnes urbes, omnes arces Ecclesiae possidebunt Galli. Callistus admonere te potuit, quo sedente nihil Cathelani non occuparunt. Expertus Cathelanos experiri Gallos cupis? Cito poenitebit expertum! Videbis Collegium Gallis plenum, neque ab illis amplius eripietur papatus. Adeone rudis es, ut non intelligas hoc pacto perpetuum imponi iugum nationi tue?

60 Quid de vita hominis dicam? An non pudet homini lubrico, et cui anima venalis sit, Christi vices committere? En, paranimphum egregium Sponsae Christi preparas! Ovem lupo

committes! Ubi conscientia? Ubi iustitiae zelus? Ubi hominis mens? Siccine a te ipso recessisti? Num te sepe dicentem audivimus perituram Ecclesiam, si in manus Rhotomagensis inciderit, et te mori malle, quam ipsum eligere? Quae causa mutationis? An ex demonio repente in angelum lucis transfiguratus est ille? An tu ex angelo in diabolum, qui libidines eius et spurcitas et avaritiam diligas? Ubi amor patriae et vox illa semper Italiam ceteris nationibus preferens? Existimabam recedentibus caeteris ab eius caritate te nunquam recessurum. Fefellisti me, immo vero te ipsum et patriam tuam, Italiam, nisi resipis!"

Obstupuit his auditis Papiensis, et correptus dolore simul ac verecundia illacrymatus est, et post aliquot suspiria: "*Pudet me*" - inquit -, [Aenea,] *sed quid agam? Promisi. Nisi Rhotomagensem eligo, prodicionis arguar."*

Cui [Aeneas]: „*Eo ventum est*" - ait -, "*quantum intelligo, ut quocumque te vertas, proditoris nomen incurras. Nunc eligendum est: Italiam, patriam, Ecclesiam, an Rhotomagensem malis prodere?*" - Victus his Papiensis Rhotomagensi deficere minus probri existimavit.

Petrus autem cardinalis Sancti Marci, cum accepisset Gallorum coniurationem, et spem amisisset potiundi pontificatus, commotus amore patriae simul et odio, quo Rhotomagensem prosequeretur, circuire Italos cardinales, hortari, monere, ne patriam relinquerent; nec quievit, donec apud cardinalem Genuensem excepto Columnensi cunctos Italos congregavit, exposuitque coniurationem in latrinis factam, Ecclesiamque perituram, et Italiam in perpetuum servituram, si Rhotomagensis pontificatum assequeretur, dixit; rogavitque singulos, ut sese viros ostenderent, consulerent Matri Ecclesiae atque infelici Italiae; deponerent, si qua essent inter se odia, et Italum potius, quam exterum eligerent pontificem; quod si se audirent, Aeneam ceteris preferrent. - Aderant cardinales VII: Genuensis, Ursinus, Bononiensis, Sancti Marci, Papiensis, Senensis et Sancte Anastasiae; cuncti verba Petri approbavere praeter Aeneam, qui se tanto munere indignum censebat.

Itum est deinde ad rem divinam; qua peracta scrutinium incepere. Calix aureus in ara positus est, et tres cardinales eum observare - Rutenus episcopus, Rhotomagensis presbyter et Columnensis diaconus - inspicientes, [82] ne qua fraus intercederet. Reliqui cardinales suis in locis consederunt, et surgentes ex ordine dignitatis ac senii accedentes altare scedulas in calicem mittebant, in quis nomina eorum scripta erant, quos ad pontificatum eligebant. Cumque iret Aeneas velletque suam papyrum in calicem mittere, expallens tremensque Rhotomagensis: „*En*" - inquit -, „*Aenea, habeto me commendatum!*" Temeraria prorsus vox eo in loco, in quo non licebat mutare scripturam; sed vicit prudentiam ambitio. Aeneas vero: „*Mihi te*" - inquit - „*vermiculo commendas?*" -, nec plura locutus in suum locum abiit scedula in calicem proiecta. Cumque omnes idem fecissent, mensa in medio edis posita est, et tres cardinales memorati super ea scedularum calicem everterunt, scedulasque legentes singulas alta voce nomina eorum annotaverunt, qui erant in illis conscripti; nec quisquam erat cardinalium, qui non pari modo nominatos annotaret, ne qua posset intervenire machinatio. Quae res ex usu Aeneae fuit. Nanque cum fieret dinumeratio votorum, et lector Rhotomagensis Aeneam votis octo expeti pronuntiasset, et cuncti silerent in alieno damno, nequaquam passus est se fraudari, dixitque lectori: "*Inspice melius scedulas, nam votis novem flagitor!*" -, eique omnes assensere. Rhotomagensis, quasi errasset, subticuit.

Modus scedularum hic erat. Scripserat quilibet manu propria: „*Ego, Petrus*" sive Iohannes, sive alio nomine fuerit, „*eligo in Romanum pontificem Aeneam cardinalem Senensem et Iacobum Ulisbonensem.*" Nam et unum et duos et plures eligere permissum est tacita conditione, ut prior nominatus preferatur; quod si non habeat vota, que sufficiant, succedat proximus, ut eo facilius in unum conveniatur. Sed quod est utiliter inventum, nonnulli ad fraudem vertunt; quod Latinus Ursinus ea die fecit nominans septem, ut eo beneficio allecti, quos nominavit, vel sibi accederent in eo scrutinio, vel in alio se eligerent, quamvis ei, qui fraudulentus habetur, non multum afferunt doli.

Publicato scrutinio compertum est - ut ante diximus - novem cardinales Aeneam elegisse: Genuensem, Ursinum, Ilerdensensem, Bononiensem, Sancti Marci, Sanctorum Quatuor Coronatorum, Zamorensem, Papiensem et Portugallensem; Rhotomagensem vero tantum sex, reliquos longe inferius resedissee.

Obriguit Rhotomagensis, cum se adeo superatum ab Aenea vidit. Ceteri omnes admirati, neque enim memoria hominum ad novem voces per scrutinium quisquam ascenderat. Cum nemo satis votorum haberet, placuit consedere, et viam, quam vocant 'per accessum', experiri, si forte ea die posset haberi pontifex; atque hic rursus spem resumpsit Rhotomagensis inanem.

Sedebant omnes suis in locis taciti pallidique, et tanquam in excessu mentis essent, attoniti. Nemo aliquandiu loqui, nemo hiscere, nemo partem corporis movere praeter oculos, quos varias in partes iactabant. Mirum erat silentium, et mira hominum effigies: quasi inter statuas ageres, neque vox audiebatur, neque motus cernebatur ullus. Mansere in eum modum aliquantisper expectantibus inferioribus, ut superiores accessum inchoarent. Exinde Rhodericus

vicecancellarius assurgens: „*Ad Senensem*” - inquit - *cardinalem accedo.*” - Que vox gladius quidam fuit in corde Rhotomagensis, adeo exanguem reddidit [83] hominem. Subsecutum est silentium, et alter alterum intuens suos nutibus indicabat affectus. Iam prope erat, ut Eneam pontificem videre viderentur. Quod verentes aliqui e loco abire, ut eius diei fortunam eluderent; hi fuere Rhutenus et Sancti Sixti cardinales, necessitates causati corporis; sed cum nulli eos sequerentur, mox rediere. Tum Iacobus cardinalis Sancte Anastasiae: „*Et ego*” - inquit - „*Senensi accedo.*”

Exin maior omnes stupor invasit, et tanquam in domo, que incognitis terremotibus agitur, cuncti vocem amisere. Una enim Aeneae tantum vox deerat, duodecim siquidem pontificem efficiebant. Quod animadvertens Prosper cardinalis Columnensis eam sibi gloriam acquirendam putavit, ut pontificem ipse pronuntiaret, surgensque voluit pro more votum cum gravitate proferre. Sed a Niceno cardinali et Rhotomagensi medius apprehensus est, atque acriter increpatus, quod Aeneae vellet accedere. Perseverantem autem in proposito conati sunt viribus extra locum educere, ut vel sic Aeneae pontificatum eriperent, et unus eorum brachium dextrum, alter sinistrum tenens abducere tentavere. Verum Prosper calumnias et inania verba flocci faciens, quamvis in voto suo Rhotomagensem elegisset, Aeneae tamen veteri benivolentia coniunctus, versus ad reliquos cardinales: „*Et ego*” - inquit - „*Senensi cardinali accedo, eumque papam facio!*”

QUO audito ceciderunt adversariorum spiritus, et omnis fracta est machinatio, et cardinales universi nihil morati ad pedes Aeneae sese proiecerunt, eumque pontificem salutarunt; et rursus in locis suis residentes electionem factam approbaverunt nullo prorsus adversante. Ibiq; Bessarion cardinalis Nicenus suo et eorum nomine, qui Rhotomagensi faverant:

„*Laudamus*” - inquit -, „*pontifex maxime, tuam assumptionem, quam ex Deo esse non dubitamus, et sane dignum te hoc munere et censuimus antea, et nunc censemus. Quod autem te non elegimus, id fecit egritudo tua; nam cum pedibus egrotares, hoc tantum sufficientiae tuae iudicavimus deesse. Est enim Ecclesia egens viro activo, qui possit corpus exercere itineribus, et imminentibus occurrere periculis, quae a Turchis formidamus; tu contra quietis eges: hoc nos ad Rhotomagensem traxit. Quod si fuisses corpore validus, nullus erat, quem tibi preferendum existimarem. At cum Deo placueris, et nobis placeas, necesse est. Ipse, qui te elegit, Dominus supplebit defectum pedum tuorum, et tu nostram ignorantiam non mulctabis. Nos te pontificem veneramur, et denuo - quantum in nobis est - eligimus, tibi que fideliter serviemus.*”

Ad haec Aeneas:

„*Existimasti, o Nicene, quantum animadvertimus, de nobis longe melius, quam nos ipsi, qui nobis pedum defectum tantummodo attribuisti. Nos imperfectum nostrum latius vagari non ignoramus, defectusque nostros pene innumerabiles esse cognoscimus, quibus iure merito potuimus a summo pontificio reiici. Merita vero, que huc nos eveherent, nulla scimus, diceremusque nos prorsus indignos; neque delatum amplecteremur honorem, nisi vocantis iudicium timeremus. Nam quod due Sacri Collegii partes efficiunt, id profecto a Spiritu Sancto est, cui non licet adversari. Oboedimus igitur vocationi divinae, ac te, Nicene, et reliquos, cum quibus sensisti, laudamus, [84] si conscientiae iudicium secuti nos tanquam insufficientes non censuistis eligendos. Eritis omnes accepti nobis, qui vocationem nostram non isti aut illi attribuemus, sed toti Collegio et ipsi Deo, a quo est »omne datum optimum et omne donum perfectum.*”

Nec plura locutus priora exiit indumenta, et albam Christi tunicam accepit, et interrogatus, quo nomine vellet vocari: „*Pio*” - respondit, et mox Pius Secundus appellatus est. Et iuratis quibusdam capitulis nudius tertius in Collegio editis, in altari positus rursus a cardinalibus adoratus est, pedes eius et manus et ora exosculantibus; atque eo facto publicata est populo pontificis electio ex alta fenestra, acclamatumque Pium Secundum pontificem haberi, qui fuerat cardinalis Senensis.

Tum, qui erant in conclavi ministri cardinalium, cellulam eius spoliavere, atque argentum - quamvis erat modicum - et libros et vestes turpi more diripere, et domum eius in Urbe vilissima plebs atque infamis non expilavit tantum, sed disruptit etiam marmoribus asportatis. Fuerunt et alii cardinales affecti damno, nam suspensio in expectatione populo cum varie voces iactarentur, et modo hic cardinalis modo ille diceretur electus, procurrere vulgus ad illorum aedes, ac rapinam facere; et Genuensis pro Senensi auditus partem substantiae amisit. Cumque plures nominarentur, nullius vox cum gaudio exaudita est, nisi Senensis: demisere cuncti vultus, atque in terram mesti respexere, et maledixere Collegio, cum vel Rhotomagensis, vel Genuensis, vel Ilardensis - nam de iis rumor fuit pontificatum obtinuisse - clamatum est. Solos eos letitia tenuit, qui erant illis aliqua familiaritate coniuncti; reliquos omnes publicus tenebat meror. At cum certum fuit Aeneam in solio Petri constitutum esse, nemo non exultavit. Vidisses non homines tantum, sed ipsa fere animalia et Urbis edificia gestire; ubique risus,

ubique gaudium, ubique voces clamantium exaudiebantur: "*Sena, Sena! O foelix Sena! Vive Sena! Gaude Sena!*" -Et cum esset armata civitas, nec quisquam in alio, quam in ferro videretur habere fiduciam, mox ut certior factus est populus Aeneae pontificatum obvenisse, deposita sunt arma, adeoque mutata Urbis facies, ut quae paulo ante Martis, e vestigio non
5 dicam Veneris, Troiani quondam Aeneae matris, sed Pacis et Quietis civitas effecta sit, ubique leta atque segura.

Interim novus presul paululum cibo recreatus in basilicam Sancti Petri ductus est et in ara maiori collocatus, sub qua iacent beatorum apostolorum corpora, et paulo post in sublimi solio ipsaque apostolica cathedra pro consuetudine sedit; quo in loco tum cardinales et episcopi, tum
10 multi ex populo eius pedes exosculati sunt, et sedentem in trono Christi vicarium adoraverunt. Nec diu moratum, cum iam advesperasceret, in Palatium reduxere. Adventu noctis lucere in omni trivio atque in omni turre ignes, cantus exaudiri, vicinus vicinum invitare, nulla in parte cornua tubasque non sonare, nullum in Urbe locum non publico gestire gaudio. Ferebant seniores nunquam se Romae tantam populi alacritatem vidisse. [85]

37. Letitia Romanorum et omnium gentium ExPii pontificatu, varieque principum legationes ad congratulationem et obedientiam, et famae miraculosa celeritas

Sequenti nocte primarii Urbis cives equis insedentes, ardentisque cereos in manu ferentes ad
20 Palatium salutaturi pontificem accessere, quorum ordo ex Mole Adriani ad aedem Beati Petri protendebatur. Nec Roma tantum, sed multae Italiae civitates et multi principes audita Pii pontificis assumptione singularem letitiam ostenderunt. Praecipue vero Senenses exultavere, quorum civis adeo exaltatus esset, ut omnium in orbe primus haberetur, quamvis plerosque nobilitatis hostes tacitus occupavit meror.

Corsiniani, quod oppidum octoginta passuum milibus ab Urbe distat, qua hora pontifex electus est, oppidani populariter ex agris redeuntes Laudomiam, Pii sororem salutatum iere, bonum se nuncium accepisse concordi testimonio affirmantes: Aeneam cardinalem Senensem ad summum pontificatus fastigium esse assumptum. Quod vaticinium memoratu dignum sequenti die littere ab amicis misse confirmaverunt. - Mirabilius illud fuit: Cathelanus quidam,
30 dum essent in conclavi cardinales electiones celebrantes, accersitis ex familia cardinalis Senensis Iohanne phisico et nonnullis aliis: „*Hac*" - inquit - „*hora dominus vester eligitur.*" - Percunctantibus, quo pacto id sciret, respondit: "*Vidi hac nocte per quietem cardinales sacellum intrantes, in quo fit electio, omnesque vestrum dominum introducere tanquam pontificem futurum; duos tantum adversari, qui eum e sacello reiicere conabantur, sed non prevaluere. Estote boni animi, mox cardinalem Senensem pronunciari audietis!*" - Prophetiam paulo post secuta res est. De duobus cardinalibus, qui adversati sunt, supra retulimus.

Ferdinando Siciliae regi felix hoc nuncium fuit, qui patris amicum in sede Petri suffectum intellexit. Franciscus Sforzia dux Mediolani, etsi alium pontificem expectabat, Aeneae tamen cognita electione gavisus est, quem olim in castris contra Mediolanum honorasset. Borsius
40 Mutinae dux militares ludos instituit, et multa magnaue suae letitiae signa ostendit; erat enim ei cum Aenea vetus benivolentia ab eo tempore, quo ducatum a Federico imperatore accepit, cuius adipiscendi Aeneas non in ultimis autor fuit. Speravit Borsius Aeneae pontificatum tenente fortunas suas et gloriam aucturum, atque iccirco Ferrariam et omnem ditionem suam singularem ostendere voluptatem novi presulis assumptione curavit. Ut multe patent hominibus ad fenerandum vie! Marchiones Mantuae, Montis Ferrati ac Salutiarum pariter gavis
45 sunt, nulli enim eorum Aeneas non notus et non amicus erat. Veneti tantum et Florentini ex Italis inviti hoc nuncium audivere: Veneti, quod Aeneas imperatoris legatus sepe in eorum senatu visus fuisset asperius loqui, et ipsorum tyrannidem accusare; Florentini, quod more hominum vicinos Senenses odissent, quibus adeo molesta fuit Aeneae assumptio, ut cum iter agentes ab obviantibus salutarentur, et - ut est consuetudo - auxilium Dei super eos expeteretur, indignabundi responderent: „*Atqui circa Senenses occupatus est, quos beare conatur!*" [86]

Dissimulavere tamen et Veneti et Florentini, et - sicut ceteri potentatus Italiae -legatos misere viros honoratissimos, qui Romam petentes novo pontifici congratulati obedientiam prestitere.

Ex ultramontanis principibus admodum letatus est imperator Federicus, ex cuius famulatu
55 Aeneas ad cardinalatum vocatus tandem Beati Petri solium ascendisset. Cuncti quoque Hispaniae reges, qui Christum colunt, gaudium ostendere. At Scotus, Danus, Polonus, Francus ac Hungarus et Cyprius imperatoris amicum non libenter audivere Christi vicariatum obtinuisse; Bohemus vero apprime indoluit, ut qui nosset hereticum sese pontifici notum esse. Philippo Burgundie et Ludovico Sabaudie ducibus Aeneae pontificatus, amici veteris,
60 acceptissimus fuit.

**COMMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
LIBER SECUNDUS**

5 1. De Pii coronatione, et de Turchorum origine et progressu

Pius Secundus pontifex maximus Romae coronatus est apud basilicam Sancti Petri tertio Nonas Septembris anno salutis quinquagesimo octavo supra mille quadringentos, petiitque ipsa die Lateranum solemnibus pompis. Quo in loco vix necem evasit inter eos, qui propter equum, quo insederat, gladiis decertabant; servatus est divina ope. Peractisque solemnibus regale convivium apparavit non cardinalibus tantum, sed omnibus legatis principum et, qui aderant, proceribus Urbis et optimatibus; eademque nocte in suas aedes ad Vaticanum rediit. Atque inter omnes curas, quae animum eius invasere, nulla maior fuit, quam ut in Turchos excitare Christianos posset, atque illis bellum inferre.

Hoc genus hominum ex orientali quondam Scythia digressum Cappadociam, Pontum, Bithyniam et omnem ferme Asiam, quae Minor appellatur, armis subegit. Nec diu post transmissis classibus Hellesponto maiorem Graeciae partem occupavit, et usque ad Sava et Danubium, memorabiles amnes signa protulit. Restabat in medio Thraciae urbs regia Bizantium, quam prior Constantinus cognomento Magnus cum instaurasset ac mirum in modum ampliasset, Novam Romam appellavit; sed vicit obstinatio vulgi, ut ab innovatore Constantinopolis vocaretur. Hanc quoque sedente Nicolao Quinto pontifice maximo Mahumetes Turchorum imperator obsidione cinxit, et deiecta moenium parte - ut ante relatum est - vi cepit atque diripuit, Constantino, eius nominis ultimo imperatore obtruncato, sive - ut fama est - inter equitum turmas oppresso.

Qua victoria elatus ad Europae imperium aspirare cepit, coactisque ingentibus copiis per Superiorem Mysiam in Hungariam traicere statuit. Sed remoratus apud Albam, qui locus Danubio Savoque confluentibus alluitur - Thaurinum vetustas dixit -, sedente Callisto Tertio Romane urbis antistite a Christianis cruce signatis, quos Iohannes Capistranus, Ordinis Minorum professor opinione sanctitatis insignis, et Iohannes Huniatus, Hungarici regni gubernator duxere, magnam stragem perpressus est, et castris deiectus turpem fugam arripere compulsus. Non tamen aut animum aut odium in Christianos remisit, sed novos in dies exercitus comparans nunc Albanos, nunc Rascianos, nunc alios vicinos, qui Christum colerent, vexare adortus est, ut qui sanctum Evangelium ac divinam Christi legem conculcare prorsus ac delere statuisset.

Haec gens inimica Trinitatis Mahumetem quendam pseudopropheta sequitur, qui fuit Arabs gentili errore et Iudaica imbutus perfidia, audivitque Christianos, qui Nestoriana et Arriana labe infecti erant. Crevit potentis viduae stupro, et nobilitatis adulteriis latronum manum coegit, qua dominatum inter Arabes vendicavit, et habens Veteris Novique Testamenti notitiam utrunque corripuit, aususque propheta se dicere et angelorum potiri alloquio, adeo [89]

rudes [illexit] populos, ut legem iis novam dederit, et a Christo Salvatore discedere suaserit. Utebatur enim incantationibus ac prestigiis, et usum veneris ac nepharios indulgens concubitus voluptati deditam plebem facile ad se traxit, cui subtracto vino nihil non concessit, ut legis suae cultum persuaderet. Quae quamvis Christum Dei flatum esse fateatur ex virgine natum, mirabilium operum effectorem, ei tamen divinitatem adimit et tormenta mortisque cruciatum pro nostra redemptione toleratum; nec prophetas recipit, nec apostolorum aut evangelistarum dictis auscultat. Adeoque [portentuose] legis huius auctoritas crevit, ut pene omnis Asia et Africa eius veneno infecta sit, et ducentibus Turchis in Graeciam penetraverit, et Beticam in Hispania per Mauros occupaverit. Et quamvis Romani presules multa adversus hanc pestem arma paraverint, ea tamen hactenus paulatim aucta est, et ad interiora nostra dilapsa.

50 2. Pii adversus Turchos deliberatio et indictio concilii Mantuani, eiusque urbis descriptio ac propheta

Timuit Pius pontifex hoc venenum et occurrere statuit, ne serperet ulterius. Non tamen in se solo - hoc est in Apostolice Sedis viribus - confidebat, nam vincere Turchos non huius aut illius regni opus, sed totius Christianae rei publice videbatur. Necessaria igitur eorum consilia existimavit, quorum auxilia requireret, conciliumque principum et liberorum populorum convocare decrevit, in quo de communi salute communiter ageret. Sed ubi concilium habendum esset, in consultationem venit; cardinalium alii Romae alii trans Alpes aut in Germania aut in

Gallia conventum habendum esse dicebant. Pio nihil horum placuit; neque enim ex honestate arbitrabatur reges, qui trans Alpes morarentur, Romam vocari, neque in Gallia aut in Germania utile concilium futurum, ad quod propter validitatem pontifex ipse transire non posset. Antiquius visum est non procul ab Alpibus conventum cogere in loco, qui medius inter
 5 Romanum presulem et transalpinos reges existimaretur. Duo nominata sunt loca: Utinum in Foro Iulii, subiectum Venetis, et Mantua in Gallia Cisalpina, ut si alter negaretur, alter presto adesset. Veritus est enim pontifex id, quod postea successit, ne Veneti Turchorum arma timentes Utinum clauderent.

(Ferunt in scriptis vatium pervetustis, in quibus Romanorum presulum tempora predicuntur, cum Pii Secundi prophetia subnectitur, hec verba reperiri: *"Et tu, Mantua, exaltaberis. Ita Deo placitum, nec falli numina possunt. Virgilius Mantuanus Aeneam Troianum cecinit, Aeneas Senensis Virgilio patriam ditavit."* - Non tamen haec consideratio presulem traxit, sed loci commoditas. Est enim urbs amplissima in solo fertili et vicina montibus, qui Gallos ac Germanos ab Italia disterminant; lacui adiacens, quem Myntius efficit amnis - is ex Benaco in Padum decurrit idque prestat utilitatis, ut ex omni Gallia Cisalpina commeatus ad Mantuanos navigio valeant importari.) [90]

Diu res agitata est in consilio cum cardinalibus, quorum etsi multi adversarentur - quibus res presentes abunde suppetebant, et placebat otium in Urbe -, vicit tamen presulis constantia, et in eius sententiam itum est.

20 Vocati sunt in sacrario Palatii episcopi, abbates, notarii, oratores regum et omnes, quis [munera Curie creduntur], ut horum quoque consilia audirentur. Ibi pontifex, quod diu tectum fuerat, propositum suum publicavit; quantas in Christianos Turchi clades intulissent, quibus modis evangelicam evertere legem molirentur, exposuit; nihil sibi acerbius esse, quam intueri Christianae gentis ruinam; sacratissime religionis se curam gerere, statuisse occurrere hostium
 25 conatibus; at cum id absque auxilio Christianorum regum perficere non posset, habere concilium aut in Utino aut in Mantua decrevisse, ut eorum ibi sententias audiret, quorum opem imploraturus esset; durum sibi videri Romam relinquere, Beati apostoli Petri sedem et Christianae religionis arcem; durius se pontifice sanctum Evangelium expugnari, pro cuius conservatione non Urbem solum ac Beati Petri Patrimonium, sed corpus et vitam ponere
 30 statuerit; atque iccirco, quamvis senex et egrotus, tamen Appennini iuga et Padi fluentia transire proposuerit, ut cum potentatibus Christianis de salute Christianae religionis consulat. Et multa in hunc modum graviter peroravit.

Laudaverunt omnes animum ac [propositum] eius et in celum extulerunt, qui unus esset omnium salvandae religionis curiosus. Exin publicum de more consistorium est habitum, et littere apostolice recitate sunt, in quis statuta dies conventionis est, et principes ad alterum ex
 35 duobus locis vocati. Epistola eius rei ab ipso pontifice dictata in aliarum volumine continetur.

Romanos cognito decreto ingens meror affecit, qui se privatum iri emolumentis Curiae animadvertabant, pontificem morbis et aetate gravem haudquaquam reversurum aliquando sperabant. Et alii Senas peti, non Mantuam aiebant, fingique conventum Mantuanum, ut in
 40 itinere Senis remoraretur, et pontificis patria ditaretur; alii non solum Mantuam, sed in Alamaniam quoque profecturum presulem affirmabant, qui nutritus inter Germanos libens ad eos rediret, neque indignum putaret Apostolicam Sedem trans Alpes habere. Desperare omnes de reditu, eiulare per Urbem foeminae ac pueri, blasphemare viri, maledicere senes; qui plus sensi haberent, catervatim adire pontificem, damnare recessum, rogare, ut in urbe sua maneret, polliceri multa remanenti. - Solabatur eos pontifex necessitatem profectionis ostendens et
 45 reditum celerem promittens, nec tamen ipse absque lacrymis suam plebem affari poterat. Erant omnia plena luctu, nec tanta in assumptione Pii letitia populi fuit, quanta visa est tristitia, cum profectionis decretum in plebe auditum est: adeo nullum est gaudium, cui non succedat subito meror.

50 Reddebant iter presulis difficiliter ac periculosius nondum compositae regni Siciliae res. [91]

3. De Siciliae situ, nominibus et magnitudine et regno Neapolitano, susceptisque pro eo contentionibus et bellis, et quare Callistus adversatus Ferdinando

5 Sicilia, etsi eadem est, quam prisci Trinacriam vocavere, parvo freto ab Italia discretam, qua Scyllae et Charybdis monstra feruntur, hodie tamen duo Siciliae regna vulgo appellant: alterum in insula, alterum in Italiae continenti, cuius amplius, quam tres partes Supero et Infero mari abluuntur; quod reliquum est, montibus ac fluminibus a reliqua Italia disiungitur. Longitudo eius a finibus Reatini agri, quem umbilicum Italiae dicunt, per Aquilam, Marsorum urbem usque in Brutios et Leucopetram milibus passuum circiter quadringentis protenditur.

10 Multae in eo preclare urbes, sed omnium metropolis est Parthenope, quam divus Augustus Neapolim appellavit. Olim Capua principatum habuit, cum altera Roma diceretur, nondum Romanorum et Hannibalis armis vexata. Hoc regnum directo iure ad Ecclesiam Romanam pertinet; diu gens Gallica eius feudo potita est, censum pendens annum Romano presuli unciarum auri octo milium. Sed cum regina Iohanna, que secunda eius nominis regnum tenuit, Ludovicum Andegavensem, quem prius in filium adoptaverat, aspernari cepisset, atque
15 Alfonso Aragonum regem ex Hispania in regni successione vocasset, mutata est conditio, et pro Gallicis Cathelani sive Aragonenses introiere.

Plura inter Ludovicum et Alfonso proelia fuerunt, fortuna - ut assuevit - nunc istum nunc illum erigente. Ludovico febribus extincto ius eius ad Rhenatum fratrem derivatum est. Regina Alfonso modo diligere, modo habere odio; qua vita functa Rhenatus in Regnum veniens cupide a pluribus exceptus est et tanquam rex adoratus, qui non paucis annis adversus Alfonso de regno dimicans victus tandem abiit, Alfonso in Regno remansit. Non tamen ab Eugenio Quarto pontifice Romano, qui Rhenatum elegisset, obtinere feudum potuit, nisi postquam constitit Rhenatum, que promiserat, neglexisse, ac ius iurandum violasse. Investitus Alfonso ab Eugenio regnumque consecutus non fuit ingratus, sed Franciscum Sfortiam, qui
25 Picentes ab Ecclesia deficere coegerat, armis expulit et provinciam Eugenio pacatam reddidit.

Erat unicus Alfonso filius, Ferdinandus nomine, ex foemina nobili - verum alteri nupta - genitus; hunc Eugenius ad regni successionem idoneum reddidit, idemque fecit Nicolaus Quintus, successor eius, qui regnum Alfonso confirmavit. Quamdiu igitur post Eugenius et Nicolaus vivere, Alfonso absque adversario in summa pace atque ocio regnum tenuit. Mortuo autem Nicolao Callistus Tertius successit, in Alfonsi aula diu versatus et illi apprime obnoxius, qui eius precibus cardinalatum obtinisset. Quas ob causas putavit Alfonso ab eo pontifice, qui sibi aliquando servivisset, et qui suo favore magnificatus esset, nihil se frustra petiturum, eaque fiducia ductus non solum Regni feudum, sed [92]

marchiam quoque Anthonitanam et alia pleraque Ecclesiae loca tradi sibi efflagitavit.

Pontifici longe alia sententia fuit, qui cum se iam Christi vicarium esse cerneret, nec regi cedendum, nec iura Ecclesiae alienanda censuit. Exorte sunt inter eos graves inimicitiae, que usque ad finem vite utriusque perdurarunt; quanquam aliqui dissimulationem putarent - ii presertim, quos Florentia mirata est, et quibus opum vis pro sapientia imputabatur. Existimabant enim duos illos senes externos odium inter se fingere, quo facilius reliquam Italiam sibi vendicarent, qui propemodum duas eius partes obtinuissent. Sed verissime fuerunt inimicitie atque impacabiles, que ad sepulchrum usque perrexerunt.

Obiit prior Alfonsus quadraginta diebus; quod audiens Callistus nec lacrymas nec risum continuit: illacrymatus est humanae conditionis fragilitati, risit inimico sublato, et cum propheta dixit: „*Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.*” Nec Ferdinando paternum regnum petenti aures accommodavit, sed errasse principes ac populos ait, qui eum supra se regem accepissent, accersitisque cardinalibus et, qui docti ex Romana Curia videbantur, prelatis regnum Sicilie ad Romanam Ecclesiam devolutum esse declaravit. Eratque eius animi - quod predictum est -, ut armis illud vendicaret nepotique traderet; et iam non parvam militum manum coegerat, sed morte preventus et cogitationibus suis defuit et nepoti.

4. Picinini invasio et bellum in Ecclesiam Romanam, et arcium redemptio

Dum successoris electio tractatur, Iacobus Picininus, inter duces equitum non ignobilis, qui Alfonso et deinde Ferdinando adversum Sigismundum Malatestam militaverat, hoste dimisso Asisium occupat, munitam Umbrie civitatem; prefectus arcis, natione Cathelanus auro corruptus urbem prodidit. Gualdenses quoque et Nucerni ad Picininum defecere, nam patris eius, qui aliquando eos subegisset, memoriam colebant; arx Gualdi fide et diligentia prefecti servata est. Fulginate et Spoletani et ferme omnes Umbri vix in officio pre terrore consistere, cum vacante Sede Apostolica tantus hostis ex improvise emersisset.

At ubi Pius electus est, subito animi hominum erecti, et spes pulcherrima oblata est Ecclesie subditis. Arx Spoletana sexdecim milibus auri nummum redempta; Narnia quoque, Sorianum, Urbs Vetus, Viturvium, Civitas Castellana - in qua Veios olim fuisse quidam opinantur, nos nihil asserimus - et alia multa oppida non nisi placatis auro prefectis recuperari potuerunt. Molem Adriani - que olim Castrum Crescentii, nunc Sancti Angeli nuncupatur - Collegium cardinalium XX-ti milibus aureis a Borgia, Callisti nepote redemit. Is in Urbem Vetulam et arcem munitissimam non procul a Centumcellis se recepit, ibique brevi febre correptus interiit. Pius misso vicecancellario, eius fratre, et simul thesaurario locum obtinuit, nec multis post diebus universum Beati Petri [93]

Patrimonium recuperavit iis exceptis, que Picininus invaserat - mira populorum inclinatione, qui se Cathelanorum iugo liberatos ad manus redisse Italas gestiebant: adeo levius suorum civium, quam exterorum imperium mortales ducunt. Picininus tantum in omni agro Ecclesie [contumaci animo] Pii mandata contemnere, atque in armis spem ponere, quamvis oppida, que invaserat, paterni iuris fuisse diceret.

5. De coronatione regis Ferdinandi et conditionibus adiectis

Inter haec legati Ferdinandi Pium adeuntes memoriam Alfonsi pre se tulerunt, qui Pium apprime dilexisset, cum Senensis ecclesiae pontifex legatione apud se cesaris fungeretur; oraverunt, ne filium amici sperneret, neve paternum regnum ei negaret, quem populi omnes peterent. Ad quos Pius:

„*Alfonsum*” - inquit - *”pro sua prestanti virtute et dileximus et admirati sumus; idque Ferdinandi rebus admodum conducet, si erga Romanam Ecclesiam, quod suum est, fecerit.”* - Interrogatus, quid ei faciendum esset: „*Censum*” - ait - *”Apostolice Camerae debitum quotannis exolvit; pontifici Romano, quotiens auxilium petierit, libens offeret; ecclesiarum iura non attinget; Picininum ex agro Ecclesiae iubebit excedere; nisi paruerit, armis coget; Sigismundo Malateste eam pacem largietur, quam pontifex dixerit; Beneventum Ecclesiae restituet; Terracinam in annos decem sub censu tenebit, exin Romano presuli tradet.”*

Durae leges Ferdinando vise, sepeque oratores missi ac remissi sunt, qui mentem pontificis ad pauciora deflecterent. Quibus responsum est Pium haudquaquam mercatorem esse, qui

multa petat, ut vel pauca reportet; dixisse illum in primo colloquio, quod in ultimo dicendum erat, nec regi conditionem sperandam fore meliorem, quamvis pontifex Roma sit abiturus: aut hrs legibus Regnum obtinendum, aut eo carendum esse. Victus est tandem Ferdinandus, cum una semper sententia et una vox pontificis esset. Res ad Collegium deducta est. Cardinales
5 exceptis Gallicis, qui non tam Sedis, quam regis erant, pontifici auscultabant; verum et illi rationibus tandem victi consensere, et utile consilium iudicarunt Ferdinando Regnum concedi - quamvis, ne decreto subscribere cogerentur, impetravere.

Erat eo tempore Romae decanus Carnotensis, regis Francie legatus, qui ad Callistum de rebus Turchorum acturus venerat. Is sue gentis studio magnopere instabat, ne Regnum Ferdinando
10 concederetur, laturum id aegre regem suum, atque in Apostolicam Sedem ulturum dictitans. Advenerat et Massiliensis episcopus, homo loquax et vanus, a rege Rhenato missus, qui Regnum domino suo asservari petens ingentibus promissis Curiam replebat, si preces audirentur sue; si minus, ruituram Curiam affirmabat. Audivit eum sepe numero Pius et multa promittentem interrogavit: possetne Rhenatus Picinum Ecclesie cervicibus imminentem
15 armis expellere? Quod cum negaret: „Et quid ergo est” - inquit -, *”quod expectemus ab eo, si nobis pereuntibus nullam valet opem afferre?”* [94]

Nobis in Regno necessarius est, qui et sua possit et nostra tueri. Vos Regno iam pridem caruistis, ac tamdiu carebitis, donec vires adsint, quibus hostem nobis indulgentibus possitis eicere. Interea fortiori cedite!” - Atque ita verbose legationi verbis occurrit. Ferdinando Regnum concessum est ex decreto Senatus, et Latinus cardinalis Ursinus, qui regem in verba Pii ac successorum eius iurantem corona donaret, in Apuliam missus; et cum eo Nicolaus Thyanensis electus, qui postea cardinalatum consecutus est, iter fecit, ut [occultiora] quaedam cum rege transigeret.

25 6. Ordinatio rei publice Romane et curialium constitutio

Exin vocatis ad Urbem baronibus agri Romani mandatum est, ne quis absente pontifice res novas moliretur, pacemque inter sese ut observarent, iure iurando adacti sunt; qui contra fecisset, in eum ingens pena statuta. Et quoniam Romanos magnus timor invaserat, ne abeunte pontifice in perpetuum Romana Curia privarentur, decrevit Pius annuente Senatu, ut si extra
30 Urbem claudere se diem extremum contingeret, successoris sui electionem alibi, quam Rome fieri non posse, statuto dierum termino, quo cardinales, qui Rome reperirentur, expectare absentes deberent, et relictis nonnullis cardinalibus et auditoribus Rotae, advocatis ac litigatoribus in Urbe toto absentiae sue tempore Romanam Curiam apud eos non minus, quam secum esse declaravit. Legatis civitatum ac regulorum, qui ex universo Patrimonio Ecclesiae
35 Romae venerant, privilegia, que ab antiquis pontificibus obtinuerant, quoad sine controversia iis usi fuissent, confirmavit, et amplius haud parvam censuum partem ad tres annos remisit; quae res supra octuaginta milia auri nummum ascendit.

Referendarios instituit eos, qui fuerant precessoris, et novos aliquos adiecit ex omni natione, diligenter admonitos ac iure iurando adactos, ne pecuniam neve dona sui officii causa ulla
40 reciperent; nam symoniacam pravitatem precipuo insectabatur odio. Atque ob eam rem, cum secretarios more maiorum peracto prandio aliquot diebus ad se admisisset, atque his fidem habens epistolas, quas illi attulerant, obsignasset, repperissetque postea infideliter secum esse actum, et iniqua per pecuniam absoluta negocia, deinceps aditum ad se cunctis inhibuit exceptis duobus - Iacobo Lucensi, qui postea cardinalis effectus est, et Gregorio Lollo, fratre consobrino
45 -, quorum spectata virtus ab omni labe procul aberat.

E manu cardinalium supplicationes noluit accipere; si quas obtulerunt, ad referendarios remisit, ne per potentiam res iniquas extorquerent. Supplicationibus iura partium concernentibus Eberardum episcopum Spoletanum, egregium iure consultum et integritate
50 morum ac opinione iustitiae laudatissimum prefecit, qui et ipse demum rubro pileo donatus est. Ac per hunc modum et facilis expeditio rerum erat et incorrupta et Romanam Curiam sequentibus [95]

admodum accepta, quibus non fuit necesse ad fores cardinalium dies ac noctes pro precibus impetrandis excubare.

7. Iohannes Solerius ab episcopatu priore deiectus a Pio restituitur, et Roverius ingratus punitur, Piique integritas

5 Per idem tempus venit Romam Iohannes Solerius, Divinarum Scripturarum sublimis
 10 interpres, de quo supra mentionem fecimus. Hunc Callistus vivente Alfonso rege Aragonum
 Barchinonensi prefecerat ecclesiae, deinde illo mortuo invitum ad alteram transtulerat in regno
 Siciliae, sibi apud Barchinonenses Bartholomeum Ragacium, thesaurarium suum nominis
 haudquaquam probati suffecerat. Iniuria se affectum Iohannes querebatur, suamque repetebat
 15 ecclesiam, atque amicitiam pre se ferebat, qua Pio pontifici apud Neapolim iunctus fuerat
 nondum pontificatum adepto maximum. Exaudivit amicum presul, et abrogato Callisti decreto
 ad priorem ecclesiam remisit, quam ille summa cum laude gubernavit accepti beneficii et
 memor et gratus.

15 Dispar animus erga Callistum Tertium inventus est Bernardi Roveri. Hunc haud merentem et
 minus doctum Callistus ad collegium auditorum assumpserat, pluribusque beneficiis et
 honoribus affecerat, pro quibus vita functus insignem contumeliam rettulit. Scripsit enim
 Roverius ecclesiae Valentine capitulo Callistum tandem vita excessisse, sul seculi dedecus atque
 20 ignominiam Valentine urbis, que illi patria fuerat; gessisse cardinalatum turpiter, papatum
 fedissime, rapinis ac pessimis moribus Romanam Ecclesiam deturpasse; in ultimo vitae articulo
 scientem se Gehenne mancipium esse nec confiteri voluisse, nec more Christiano ecclesiastica
 sacramenta suscipere; letandum tamen, quod tam horribili monstro Ecclesia tandem liberata
 sit. - Non tulit eam ingratitudinem pacato animo Pius pontifex, sceleratumque hominem, qui
 tanta mentitus esset, comprehensum coniecit in vincula, ac nepoti suo in Arce Sancti Angeli
 commendavit. Ille incautus petenti cardinali Sancti Petri hominem tradidit. Increpavit nepotem
 25 Pius durissimis verbis, neque dignum venia reputavit, quamvis diceret in Romana Curia
 cardinali credendum esse, qui se iussa pontificis exequi affirmaret - que consuetudo ad
 prefectos arcium nequaquam extenderetur -, nec mora, Roverium rursus in carcerem arripi
 iussit. Que res cardinali Sancti Petri et Sancti Eustachii molestissima fuit, sed utrumque
 contempsit pontifex indigna petentem.

30 Cardinalis Sancti Eustachii regio sanguine tumens - erat enim regis Portugalliae consobrinus
 frater - pontificem adiit, ac pre iracundia vix verba formare potens: „Oro” - inquit -, "*pontifex,*
Roverium mihi dones. Nisi dederis, non avellar a tuis pedibus." - Negavit se pontifex sontem
 hominem et tanti criminis reum impune dimissurum. Institit iterum atque iterum cardinalis, et
 ampullosa verba profundens longe ab ea reverentia recessit, quam summo pontifici cardinales
 35 impendere consueverunt. Tum pontifex: [96]

ignoscimus" - ait - *adolescens tuae.*" (Erat enim cardinalis tres et viginti natus annos.)
 „*Nondum nosti, quibus verbis alloquenda est maiestas summi pontificis. Sanguine ortus regio
 Christi vicarium contemnis? Longe sublimior est Christi, quam tua nobilitas. Reris obeundo -
 si tamen possis abire! - Romanam Curiam perituram, quasi tuo splendore fulgeat? Desipis!
 40 Clarum te Sedes Apostolica facit, non tu illi decus affers, quae, et si nunquam natus esses, suo
 tamen fulgore orbem illuminaret, mater ac magistra morum, lex religionis et veritatis regula.
 Abi! Nunquam Roverius libertatem assequetur, nisi Callisti nepotes, quibus iniuria facta est,
 veniam ei dederint.*"

45 Atque his dictis in cubiculum se recepit. Cardinalis plenus irarum domum concessit, et paulo
 post repetens verba pontificis ad se reversus amare flevit; nec multos moratus dies presulem
 adiens errati veniam petiit, qua facile obtenta a nepotibus Callisti impetravit, ut peccatum
 Roverii sibi dimitterent, eiusque libertatem secum una a summo pontifice peterent. Quo facto
 Roverius non absque turpi notha dimissus est; neque cardinalis absque rubore abiit, qui cum
 summo presule contendere fuisset ausus.

50 8. Petri, Sancti Marci cardinalis petulantia Piique sancta redargutio

Similem contumaciam et Petrus cardinalis Sancti Marci per eosdem fere dies ostendit,
 similemque confusionem reportavit. Unus is fuerat ex cardinalibus, qui summo conatu Pium in
 adipiscendo apostolatu adjuverant, atque iccirco non equa tantum petenti sibi, sed iniqua
 quoque negari nefas arbitrabatur. Pius etiam amicis indigna querentibus durus erat.

Obiisse fama fuit per eos dies apud Viturbium rectorem parrochialis ecclesiae Sancte Marie Prunetanae agri Florentini, in qua Virginis imago est, quam mira religione populi venerantur tanquam pluviae serenitatisque donatricem, cum necessitas ingruit. Dives illic templum est et assiduis mortalium votis insigne. Accepit vacationem eius cardinalis, et adiens pontificem id commendari sibi efflagitavit, nec aliud honestatis sue petitioni adiunxit, nisi familiarem suum fuisse, cuius morte sacerdotium vacaret - quanquam neque hoc ipsum erat verum, sed cardinalis omnes in familia sua ascribebat, qui se aliquando salutassent. Pio indigna petitio visa est, responditque parrochialem ecclesiam, ad quam plebes multae concurrerent, cardinali non esse commendandam, et eam presertim, quae laicos haberet patronos; monuitque cardinalem, ut maiora expectans aequo animo ferret non impetrasse minora. Ille indignatus, tanquam gravi contumelia fuisset affectus:

„*Si parva*” - inquit - „*non impetro, qui sperem magna? Non est, ut video, cur amplius apud te morer. Melius in ecclesia mea Vicentina serviam Deo. Sine me domum ire, atque illic tandem post multos labores ocio frui!*” - Cui pontifex: [97]

15 *“Perge!”* - ait. - *“Et sine te Romana Ecclesia suam gloriam retinebit. Nemo facultatem abeundi petat, qui nolit impetrare: decipietur! Nulli negabitur, quando nemo est, in cuius locum eque bonus aut melior suffici nequeat.”*

20 Cardinalis his auditis, tanquam in alteram diem Romanam Curiam relicturus, exobsculatis pontificis pedibus in aedes suas apud Sanctum Marcum concessit, iussitque ad recessum cuncta parari. Sed nocte consilium maturante cogitare coepit, quam minima est cardinalium existimatio, qui absque legatione a Curia Romana procul agunt, et quam contemptui sunt omnibus, quos sequitur pontificis odium. Nam sicut tenebrosus est lunare corpus, cum Terra interposita non illustratur a Sole, ita et cardinalis extra pontificis gratiam agens luce caret, et obscurus habetur atque abiectus. Interposuit igitur Philippum cardinalem Bononiensem, qui se Pio reconciliaret, et ipse mox secutus errorem suum professus in gratiam rediit.

25 Nec diu post in alium incidit errorem, scedulam per Thomam cubicularium pontifici mittens, in qua petebat litteras omnes [arrestari], quae de rebus sub ditione Venetorum consistentibus se inconsulto decernerentur; atque hoc idem a Callisto concessum asseverabat. Scedulam cum legisset Pius: *“Ergo”* - inquit - *“non me Veneti, sed cardinalem Sancti Marci summum pontificem adorabunt? Si potuit Callistus superiorem ferre, non potest Pius mortalem hominem! Deo tantum et Sacris Litteris subiecta est auctoritas nostra!”* - Atque his dictis supplicationis papyrum in ignem proiecit. Quod cum accepisset cardinalis, subticuit, ne maioribus urgeretur stimulis.

35 **9. Promotio Bernardi ad ecclesiam Agrigentinae, et Francisci Veneri mutata fortuna**

Vacavit et tunc ecclesia cathedralis in Agrigento, quae urbs in Trinacria olim celeberrima fuit, et apud veteres rerum scriptores late memoratur. Hanc Pius Bernardo Bosco, prestanti iuris interpreti et auditori Rotae, nihil petenti et prorsus ignoranti commisit, quia et boni nominis erat, et olim Basilee socius eius fuerat, atque uno hoc opere et amico satisfacit, et auditores omnes in spem erexit eadem premia suis laboribus expectantes, quae suum collegam assecutum viderant. Nec decepti sunt, nam Pius plerosque postea excellentes viros ex eis ad pontificales assumpsit ecclesias. Verum Bernardo perniciose fuit pontificis gratia, qui dum ecclesiae suae possessionem summo studio querit, nec assequi potest obstante non aequo rege, labore simul et tedio confectus aegritudinem incidit, quae vitam eius brevior reddidit atque ipsum extinxit - etsi viro bono in lucro est quantotius mori!

45 Fuerat apud Callistum potens Franciscus Venerius, natione Venetus, qui ut pecuniam pontifici permultam accumularet, mensariorum libros inspicere voluit, et sumpta occasione, quod res Apostolice Camere male tractassent, grandi eos ere mulctavit. Illi apud Pium Callisto mortuo recurrentes aes omne [98]

recuperarunt, et Cosmas quidem Medices uncias auri mille quingentas vendicavit; nec Ambrosio Spinochiae minor summa restituta est, idemque circa reliquos servatum, qui se male mulctatos a Francisco ferebant. Illum Callistus in extremis sue vite diebus vinctum in Arcem Sancti Angeli miserat; Pius inde deductum senatori tradidit, ut creditoribus in Capitolio satisfaceret; sed ante mortuus est, quam eius facta cognoscerentur.

10. Pii discessus et eius dissuadentibus amicis constantia

Sic rebus in Urbe dispositis, ad cuius regimen Nicolaus Sancti Petri cardinalis dimissus est, pontifex maximus ad XIII Kalendas Februarias, que dies profectionis dicta est, ex palatio apostolico, quod est apud Sanctum Petrum in Vaticano, intempesta nocte ad aedem Sancte Marie Maioris in Exquilio monte se contulit; ibique sequenti die commoratus frequenti populo ac vehementer lacrymanti lacrymans ipse benedixit, et postridie sole nondum orto per thermas Dioclitiani et collem Suburre ad portam Flamineam - nunc Populi vocant - et deinde ad pontem Milvium descendit. Cardinales eo usque secuti sunt, et optimatum Urbis plebisque maxima pars.

Ibi equitum in armis expectabant turmae, que pontificem tutum deducerent. Tum dimisso populo sex cardinales delecti sunt, qui papae servirent iter agenti: Vilhelmus Rhotomagensis, e regia stirpe natus; Alanus Avinionensis, nobilis Brito; Philippus Bononiensis, Nicolai pontificis quondam frater; Petrus Sancti Marci; Prosper Columnensis; Rhodericus vicecancellarius - qui Romanorum pontificum nepotes fuerunt: Eugenii, Martini, Callisti. Cardinales reliqui, ex quibus nonnulli valitudinarii fuerunt, iussi sunt Rome manere, aut mitius veris tempus expectare, ac tum pone sequi. Et cum aliorum aegritudinibus pontifex ignosceret, sue nequaquam pepercit, qui podagrico dolore et pluribus affectus morbis subire mortis periculum maluit, quam constitutam profectionis diem negligere. Obstabant amici, multisque artibus remorari presulem adnitebantur, horridam hyemem et rigidas Apennini alpes et itineris mille pericula memorantes. Que cum frustra [obiectarentur], non defuere, qui dicerent:

"En, pontifex, si nulla tui corporis te retinet cura, respice saltem, quae tibi commissa est, Romanam Ecclesiam, et quot ei insidiae preparentur, animadvertite! Et quis Patrimonium Beati Petri te absente tuebitur? Quam primum Padum transmiseris, invadent regnum tuum lupi rapaces. Nam que terra est tyrannis, ne dicam latronibus magis fecunda, quam tua? Picenum alii, Umbriam alii, alias alii provincias dilacerabunt, nudabuntque prorsus tuam Sponsam. Cum redieris, non invenies locum, ubi reclines caput, quem possis tuum dicere." - Ad haec pontifex:

"Meliora" - inquit - prestabit Deus, cuius acturi causam peregre proficiscimur. Quod si permiserit divina miseratio id fieri, quod timetis, privari his temporalibus bonis Ecclesiam, quam fide malumus. Nisi servamus, quod promissum est, perit fides nostra; et quis amplius credet nobis? Religio quoque in discrimine ponitur, quam Turchi [99]

oppugnant, adversus quos conventus indictus est. Sin pergimus, nutat temporale regnum Ecclesiae. At hoc sepe amissum est et sepe recuperatum. Spirituali si semel exciderimus, incertum est, an vendicari aliquando poterit. Pereant hec fluxa, dum solidiora illa retineamus!" - Nec plura locutus iter ingressus est.

11. Pontificis profectio et Asisii restitutio, Eversique callida mandata et Pii ad Picininum responsum

Prima illi pernoctatio apud Campinianum fuit, qui locus Ursinorum est, passibus ab Urbe XVI milibus distans. Hic Tranensis archiepiscopus, Latini cardinalis frater et Pium pontificem et universam Curiam magnifico apparatu exceperit.

Nondum Picininus Asisium restituerat, nec tamen pontifex a cepto itinere destitit, etsi per agrum, quem ille occupaverat, transeundum esset. Ibat spe plenus, nec auxilium Dei sibi quovis pacto defuturum arbitrabatur, cuius causam ageret. Neque frustrata se est pia presulis intentio, nam die sequenti, cum inter Nepesum et Civitatem Castellanam medio ferme spatio viam faceret, litterae allatae sunt, quae restitutionem Asisii Gualdique ac Nucerie certissimam nunciavere.

Vix eas legerat, cum festinanter aequitans cancellarius quidam Eversi Anguillarie comitis pontificem petit, et habere magna, que referat mandante comite, dicit. Iussus fari: *"Herus" - inquit - „meus eunti tibi longinquam viam predicit: antequam adsint Augusti Kalendae, non*

parvas in regno tuo oborituras turbas; tumque cogniturum te, qui fidem tibi asservaverint." - Cui pontifex: "*Redito*" - ait - "*ad eum, qui te misit, et Asisium Ecclesiae restitutum referto!*" - Atque his nuncium tristem dimisit; sciebat enim id molestiae futurum Everso, qui Picininum meretriculae nomen mereri aiebat, si se aliquando Asisio et tam egregia munitione extrudi sineret.

Picininus autem, antequam occupatas urbes restituere statuisset, saepe per internuncios papae dixerat: "*Videto, quid agas, pontifex, adversus fortunae hominem arma capiens!*" - Ad que pontifex: „*Stulte*" - inquit - *Picininus egerit, si suam fortunam experiri cum nostra tentaverit. Nam si fortune ascribere status hominum licet, longe maior fortuna est in solio Beati Petri sedere, quam equitum aliquot alas ductare; quanquam si recte loqui velimus, Deus ipse est, qui regna et status omnes distribuit. Fortunae inane nomen et vana gentilium inventio.*"

12. De Eversi origine et moribus

Hic - quoniam Eversi mentio incidit, et sepe huius hominis faciendus est sermo - pauca de ipso dicenda sunt, ut intelligant posteris, cum quibus monstis Pio pontifici concertatio fuerit. [100]

Anguillaria vetus est oppidum quatuordecim milibus passuum ab Urbe distans, lacui adiacens, qui propter anguillarum capturam oppido nomen dedit. Hoc sibi nobiles quidam ex Germania profecti vendicarunt, qui successu temporis dominatu et opibus aucti comites tandem Anguillariae dicti sunt, Ursinorum familie federibus et amicitia coniuncti. Horum domus nostra aetate ad duos fratres redacta est, quorum alteri Dulcis nomen fuit, Eversus alteri. Dulcis rei bellice apprime peritus, multis facinoribus nobilitatus relictis duobus filiis excessit e vita. Eversus nepotum tutelam iniiit - etsi predonis magis, quam tutoris personam gessit, cui nihil dulcius fuit, quam rapere: assuetus in armis non minus consanguineis et amicis, quam hostibus nocuit; Romanis pontificibus, quamvis dominis suis, semper infensus; sui tenax, alieni cupidus; de religione, de Deo nihil sentiens, mundum casu regi, et mortales animas dictitans hominum eque ac iumentorum; blasphemus ac crudelis, cui tam facile hominem occidere, quam pecudem fuit; ad captivorum cruciatum, quos oderat, durissima et prius inaudita excogitavit tormenta.

Subiectos predis ac furtis aluit, qui vellent in armis servire; reliquos durissimo attrivit imperio, quos sex dierum suorum agrorum cultura fatigatos, unde soluto censu viverent, septima quaque die, ut sibi laborarent, coegit, quae iccirco dominica diceretur, quia domino esset obnoxia; dominum autem se ipsum esse aiebat. Uxores eorum et filias in palatium rapiens prostituebat, stupris et adulteriis cuncta permiscens; neque incestus caruit infamia, tanquam pudicitie filiarum illuserit. Filios sepe numero everberavit ac ferro impetiit. Ecclesiarum bona diripuit. In audaces timidus, fortis adversus ignavos. Laboris et inedia patiens, cum fuit necessum; ubi quies data est, temulentus et vorax et voluptatibus serviens. - Ursinorum relicto federe Columnensibus iunctus est, cum de successione comitis Taliacozii cum illis non conveniret, diuque bellum inter Ursinos et ipsum agitatam est eventu vario. Tandem indutiae in annos XXX-ta facte sunt. Nepotibus Anguillariam, que fuerat eorum hereditas, abstulit occasione recepta, quod Ursinorum parti faverent.

Haec de Everso hoc in loco dixisse sat fuerit, cuius in sequentibus sepe fiet mentio. Nunc ad Pium revertamur, qui ubi Asisium absque armis recuperatum cognovit, longe iocundior iter suum secutus est, intelligens Deum, qui ceptis aspirasset, sibi faventissimum esse, et optimis auspiciis res inchoatas. Non tamen recta via per Tusciam eundem censuit, ut qui Senas ingredi nolebat, priusquam suis civibus conciliaretur. Erat enim eis paululum subiratus, qui nobilitatem ad urbis regimen, quamvis rogati crebro, admittere noluissent.

13. De Senarum origine atque imperio

Urbs Senarum in Etruria admodum nobilis est, et agrum late patentem possidet. De conditoribus eius multa referuntur fabulosa, verum origo gentis a Romanis est, atque ab his insigne lupae receptum, et infantes gemini [101]

pendentes ab ubere. Quidam et permixtum his Gallorum genus esse volunt ab eo tempore, quo Galli Senones Urbem irruerunt, et a Kamillo duce victi fugatique sunt. Aiunt enim utriusque reliquias exercitus, ubi nunc Senae iacent, remansisse, et duo edificasse oppida, quae postmodum per tempora Magni Karoli simul iuncta urbem magnam reddiderint; signumque huiusce historiae adducunt, quod usque in hanc diem pars tertia civitatis a Camillo nomen retinet - Camilliam enim vocant -, et Brandum fontem paulo immutatis litteris a Brenno dictum existimant. Gallorum duce. Nos vetustiora haec neque asserimus, neque reiicimus; illud affirmamus: multos in hac urbe fuisse nobiles et admodum potentes, qui palatia sublimia et altas turres templaque nobilissima extruxerunt rem publicam administrantes. Sed cum inter familias nobiliores ob gubernationem civitatis lites oborirentur, et armis aliquando decerneretur, placuit nobilitati regimen plebi dimittere paucis sibi muneribus reservatis - arbitrati populares, quamvis rem publicam administrarent, nihil tamen iniussu nobilium facturos, quorum potentiam formidarent; quod aliquandiu servatum est. At ubi assueta regimini plebs dulcedinem honoris et potentie fructum gustare cepit, aucta divitiis et gloria nobilitatem dedignata est, pulsisque urbe nobilium quibusdam familiis, reliquas quasi mancipia sub iugum misit, etsi minores aliquos honores cum eis partiebatur.

Quinque - ut supra memoratum est - in urbe hominum genera fuere: alii 'novem' appellati, quia dum rem publicam soli tenerent, rectores novem constituerunt; alii eadem ratione 'duodecim' dicti; alii 'reformatores', quia reformationes civitatis aliquas fecisse sunt visi; 'nobiles' a vetustate ac potentia olim vocati nomen retinuerunt; aliqui 'populares' nominati.

Duodecim iam pridem a gubernatione deiecti nullam rei publice partem habuere; nobilibus quorundam munerum quarta pars credita, verum neque arcibus preesse, neque inter priores in Palatio residere, nec portarum claves custodire permitti. Vis tota regiminis inter novem, reformatores et populares remansit, inter quos succedente tempore, sedente Callisto Tertio graves inimicitie succrevit, parsque non parva regentium falso insimulata est, tanquam urbem tradere Picinino conspirasset; ob quam rem quidam securi percussi sunt, nonnulli in exilium acti, alii relegati et pecunia mulctati, adeoque urbs ipsa civili discordia vexata est, ut libertatem amissura propediem cunctorum iudicio videretur.

Sed respexit piis oculis magnus Deus dicatam sue matri, Mariae Virgini civitatem. Assumptus enim mortuo Callisto Pius pontifex mox dulcissime patriae curam cepit, machinamenta, quae in illam preparata fuerant, disiecit, et omnes eius hostes auctoritate sua deterruit. Ad salutem autem urbis pertinere magnopere existimavit, ut loco civium, qui e regimine cecidissent, nobilitas sufficeretur, neque sue dignitati convenire arbitrabatur nobiles, ex quibus ipse natus esset, in patria sua pro servis haberi. Quod Senenses futurum existimantes, ut viam querele precluderent, familiam Picolomineam, ex qua Pio esset origo, ad regimen vocavere, existimantes eum nil amplius quesiturum. Verum [102]

ipse non sue domus, sed totius civitatis curam gerens nihil actum censuit, nisi nobiles universi ad rem gubernandam accerserentur, missisque legatis efflagitavit, ut ceteri nobiles Picolomineis pares fierent.

Tumultuare hac petitione populus; dicere pontificem indigna rogare; nunquam id facturam civitatem, etiamsi pati obsidionem et filios fame cogatur edere. - Contra Pius instare, et nisi pareant, patrie iusta neganti benignam subtracturum se manum asserere; atque ob hanc causam iter flexit, et dimissa Tuscia per Umbriam profectus est Senensibus interminatus, nisi morem gererent, se patria posthabita (per) Perusiam, Arretium et Florentiam in Galliam profecturum.

14. De Castellana Civitate et Tyberis ponte transmisso. De Narnia, Spoleto et eius arce

Petiit igitur Civitatem Castellanam, quam nonnulli - ut ante diximus - Veiorum olim fuisse patriam arbitrantur, et Camillum ingrante patrie iudicia fugientem illic exulasse. Locus est in plano situs, verum ita preruptis undique rupibus, ut instar altissimi montis teneat, et propemodum inexpugnabilis videatur. Episcopus eius loci, vir doctus et ameni ingenii, Pium pontificem, cuius in minoribus constituti amicissimus fuisset, singulari gaudio excepit in palatio, quod Nicolaus Quintus pontifex maximus quasi refugium in persecutione, si qua emersisset, magnifice construxerat. Exin Tyberim transiit per pontem ligneum recens factum,

hedera et virentibus arborum ramis ornatum, non procul ab oppido Malliano, quod in Sabinis Romano populo paret.

5 Quacunq; iter fecit, populi obviam effusi pontificem salutare; sacerdotes sacra ferentes felicem viam eunti precari; pueri innupteque puellae redimiti tempora lauro et olivarum ramos manu gestantes vitam et felicitatem magno presuli optare; qui fimbrias vestimentorum contingere possent, beatos sese arbitrari. Plena ubique populi itinera et strata virentibus herbis, oppidorum et urbium plateae preciosioribus operte pannis, domus civium templaque magni Dei precipuis ornata modis. Sic per Narniam et Interamnem - ubi propemodum mortis periculum adiit, dum cives propter equum eius inter se gladiis decertant - Spoletum usque ventum est; 10 neque hic minor pontifici honor exhibitus.

Hec urbs in monte sita, in cuius cacumine arx eminent nobilissima - Egidii quondam cardinalis opus -, cum natura et situ loci tum murorum altitudine et humana ope munitissima, ex qua tota vallis, que appellatur Spoletana, visitur. Amenus certe locus et saluber. E regione mons est preruptus atque sublimis, in quo - velut in heremo religioni dicata - multi anachorite famulantur Deo. Insunt et monachorum nonnulla cenobia, in quibus viri sanctimonia celebres degunt. Gothis in Italia regnantibus et deinde Longobardis rerum dominis ac postea Francis imperium obtinentibus magni momenti Spoletum fuit et Umbriae caput ducumque sedes, et usque in hanc diem Spoletani ducatus [103]

20 manet nomen. - Hic biduo pontifex moratus cardinalibus, qui se comitabantur, convivium apparavit, et cum eis hylare epulatus est.

15. De legatione et responso ad imperatorem pro regno Hungariae suscipiendo

Miserat ipse, priusquam Roma excederet, Baptistam Brendum, civem Romanum iure consultum ad imperatorem Federicum, qui eum ad conventionem invitaret aut in Utino, aut in 25 Mantua; et cum eo ire iusserat Mattheum cognomento Fugel, unum ex aulicis suis, natione Germanum, qui mores hominum nosset et regionum itinera, ut Baptistam instrueret. Convenerat iam imperatorem ille, et habito apud Gretiam, Styriae oppidum colloquio Mattheum cum responso remisit, qui pontifici Spoleti occurrit. Summa rerum erat imperatori gravia apud Austriam incumbere negotia, que negligere non posset, nec vocatum in unum ex duobus 30 locis alternatim nominatis ad veniendum astringi. - Cui pontifex remisso Mattheo in hanc sententiam rescripsit:

35 Quamvis in Austria multa essent, que presentiam imperatoris exigent, non tamen idcirco fidei orthodoxe negligenda negotia; nam et Roma pontificis presentia egeret, reliquisset se tamen et Urbem et omne regnum Ecclesiae, ut conventum peteret pro Christiana salute indictum, nec minus a nominatis locis Romam distare, quam vel Gretiam vel Civitatem Austriae Novam, imperatoris sedem; pontificem annis plenum et morbis gravem longius iter acturum; indecorum videri caesarem validum et florenti aetate recusare brevioris viam; consulat honori suo, consulat Christianae religioni, neque committat, ut sua negligentia Christianam rem publicam perisse aliquando dici possit, neque causidicorum ineptias audiat, qui subtilitate 40 quadam iuris negant eum obedire oportere, qui ad loca vocetur alternatim nominata; sciat summum ius summam esse iniuriam, neque utendum cavillationibus, ubi bona fides requiritur, et Christiana res in discrimine sita est; neque ad incertum locum se fuisse vocatum, qui priusquam domum relinqueret, edocendus erat, ex duobus locis quem deberet accedere; parceret his excusationibus, quae apud viros graves ridiculae viderentur; neque Ulricum audiret 45 iuris interpretem magis, quam suam conscientiam. - Exin, quia scripserat imperator manu sua secretiores litteras, in quibus consilium pontificis exposcebat, an regnum Hungariae acceptandum sibi esset, si - ut spes erat - regni proceres eum eligerent, in hunc modum rescripsit:

50 "*Qui te regem Hungariae sunt electuri, si fides his habenda est, et regnum dare possunt, non dissuademus accipere, quod offertur. Sin litem offerunt et belli materiam, contra sentimus, maximeque cavendum censemus, ne quid agas, quod expeditioni adversus Turchos instituende impedimento sit. Vale.*" [104]

16. Reconciliatio Senensium, et Venetorum turpe fedus cum Turchis

Inter hec Senenses pontificis indignatione cognita, atque admodum veriti, ne se posthabitis per Florentiam peteret Mantuam, molliores facti legatos decreverunt, qui pontificem benigne salutantes iter ei per patriam suaderent. Veneti vero, qui per legatos multa Rome adversus Turchos pontifici promiserant, electionem Utini pro conventu Christianorum celebrando respuerunt, ut qui Turchorum animos, quibus federe coniuncti essent, irritare vererentur; nam cum Constantinopolim Mahumetes occupasset, diffisi suis viribus Veneti et aliorum Christianorum auxilia desperantes pacem cum Turchis his legibus fecere:

- In Asia et omni Grecia usque ad Adriaticum sinum inter Venetos Turchosque pax esto.
- Venetus, qui per Propontidem navigaverit, in conspectu Bizantii vela deponito et regiam urbem honorato.
- Mancipia si qua vehit, que Mahumeteis initiari sacris velint, libera dimittito.
- Christiani, qui Turchorum arma fugerint, in munitionibus Venetorum re fugium non habent.
- Turchi ante Christianorum faciem evadentes in agris atque oppidis Venetorum liberi tutique sunt.

Sic Turchis obligata civitas [more plebis, que nihil generosum cum periculo audet, pontificem maximum in suis oppidis excipere recusavit, non tam Christianam amans religionem, quam Turchos timens]. Quod cum Pio nuntiatum esset, quamvis dolens [tantam inesse potenti populo ignaviam], plenus tamen animo et in Salvatore Christo spem habens, reiecta Utini mentione epistolis ad reges missis, per quas eos Mantuam evocavit, Fulginium adiit.

17. De Fulginio et Asisio ac Divi Francisci nobili templo

Haec civitas Eugenio Quarto sedente ex manibus tyrannorum ad Romanam Ecclesiam rediit. Ferunt eius urbis regulum sanctum quendam virum, propheticum habentem spiritum olim consuluisse, an regno sua posteritas aliquando privanda esset, illumque respondisse privandam, cum boves circum moenia civitatis evolarent. Quod cum impossibile videretur, eternum sibi posterisque imperium urbis tyrannus persuasit. Verum nepotibus regnum tenentibus Iohannes Vitellensis Alexandrinus patriarcha eo cum copiis profectus cum obsidere urbem cepisset, explicatis vexillis - in quis insigne fuit par bovum, qui flante vento et agitante vexilla volare quodammodo videbantur - magnum civitati terrorem incussit; erat enim cunctis optimatibus notum [105]

vaticinium. Nec multis post diebus civitas dedita est, que usque in hanc diem Romanis pontificibus paret; tyranni dissipati sunt.

Ex hoc loco Pius Asisium petiit, fuitque illa in arce, quam Picininus per prodicionem emerat, miratusque vehementer est „hominem" (ut aiebat) "fortune" et rebus novis intentum adeo munitum locum et ad pacem Italie turbendam idoneum restituisse. Nec aliud, quam divine pietatis opus arbitratus est, quae pavorem armato immiserit, ne conventus Mantuanus interrumpere.

Nobilitavit hanc urbem Divus Franciscus, Ordinis Minorum inventor, cui nihil paupertate ditius fuit. Huic nobile templum erectum est, in quo sua ferunt ossa iacere; et duplex ecclesia est: altera super alteram picturis illustrata Iotti Florentini, quem constat sui temporis omnium pictorum fuisse nobilissimum. Hic et Egidius cardinalis Hispanus iacet - cuius supra fecimus mentionem -, qui laceratum Ecclesiae regnum et a tyrannis ferme totum usurpatum singulari virtute recuperavit ac resarcivit; quamvis nonnulli ossa eius in ecclesia Sancti Martini supra Viturvium, in monte Cimino recondita dicant. Monasterium, quod ecclesie Beati Francisci coheret, totius ordinis caput habetur, nec structura toto orbe huiusce ordinis invenitur, quae hanc superet.

Pius arce considerata cum animadvertisset uno tantum ex loco oppugnari posse, illic turrim erigi iussit, quae postea magnis sumptibus perfecta inexpugnabile monimentum reddidit.

18. De Perugia et eius civiumque splendore, ac Braccianorum fortuna et moribus

Inde Tyberi rursus transmisso Perusiam profectus est, ubi honores hr ei sunt exhibiti, qui humano ingenio potuerunt excogitari. Nam quamvis aspera seviret hyems, non tamen aliter adornata civitas fuit, quam si vernum tempus adesset. Virere tota urbs, gestire viri ac mulieres, qui Romanum pontificem intuerentur, nam ante annis LXXX-ta nemo illic Christi vicarium viderat. Pendere per omnes urbis vias insignia pontificis et lunae aureae nondum plene, ludi militares exhiberi, omnia profusam ostendere letitiam; cardinales et universos curiales humane ac benigne tractari.

5 Ea urbs pervetusta est, et una ex duodecim civitatibus, quas Etruriae principes antiqui commemorant; et adhuc murorum pars cernitur, quos Caesar Augustus instauravit. Claruit iam pridem et armis et litteris et potissimum scientia iuris, in qua Bartholus excelluit, et post eum Baldus et Angelus. In armis principatum obtinuit Braccius Montonius, nobili loco natus, verum hostis Ecclesie. Qui cum sue patrie tyrannidem invasisset, complures Umbriae civitates sibi subiecit; ad ultimum cum Aquilam Marsorum urbem quatuordecim mensibus obsedisset, ab exercitu Martini pontificis prelio superatus, captus atque occisus est - non sine gloria Francisci Sforciae, qui tum primum genitore mortuo exercitum ductare coeperat. Cadaver occisi Romam delatum [106]

sepulturam cum bestiis obtinuit, quamvis postea defossum Eugenio iubente ac Perusiam translatum intra ecclesiam collocatum fuerit [- non sine infamia iubentis].

20 Fuit Braccius honesto corpore, quamvis sinistri lateris impotens; alloquio blandus et dulcis, verum animo truci, ut qui vel ridens torqueri et durissimis excarnificari suppliciis iuberet homines, oblectareturque altis ex turribus miseros iactari mortales. Spoleti ex alto ponte nuntium, qui adversum se litteras attulisset, precipitari iussit. In Asisio e turri, que est in foro sublimis, tres viros iactavit. In domo Fratrum Minorum decem et octo monachorum, qui contra se senserant, percuti atque atteri [super incude] testes mandavit. In aqua Viturviensi, quod Pelacantum vocant, ferventissima immergi captivum quendam cum imperasset, illeque preter spem omnium exisset incolumis, rogantibus universis, ut divina ope salvato ignosceret: „Age” - inquit lictori -, *“iterum demergito! Si exierit, liber esto!”* Ille amplius non comparuit. - Plurima eius sevitiæ extant exempla, que longum fuerit recensere. De superis atque inferis nihil sensit, Ecclesie ac religionis hostis, et prorsus indignus, cui ecclesiastice concederentur exequie.

30 Comilito eius Nicolaus Picininus fuit, rei militaris gloria non inferior, verum genere ignobili, cuius genitor infime plebis ex macello apud Perusiam sustentavit vitam. Invasit et hic sue patriæ dominatum, multisque damnis Eugenio sedente Romanam affecit Ecclesiam. Etsi enim plus religionis, quam Braccius, videretur habere, par tamen eius in Ecclesiam persecutio viguit. Is cum Philippo Mariae Mediolanensium duci aliquandiu militasset, multasque clades Venetis ac Florentinis intulisset, videreturque omnium, qui arma gestarent in Italia, fortunatissimus ac peritissimus imperator, ad extremum in Thuscia atque in agro Arretino apud Anglariam, cum adversus Ecclesiam et Florentinos bellum gereret, victus est. Nec postea dignum laude aliquid gessit, obiitque tandem inglorius Mediolani, et in ecclesia maiori sepultus est. Ferunt eum post cladem in Thuscia apud Anglariam acceptam sepe solitum dicere: intulisse sibi terrorem, omnemque victoriae spem ademisse vexilla Ecclesiae, in quibus Beati Petri, cuius tunc festivitas aderat, claves inspexisset; ulciscitur enim Deus suas iniurias, nec perlonga est malorum hominum foelicitas. - Huic duo filii successerunt paterni ductores exercitus, Franciscus et Iacobus. Ille, quamvis ferox et in armis prestans, temulentie tamen succubuit, nec diu postea vita functus est; milites sui Iacobum secuti sunt, de quo sepe nobis erit dicendum.

45 Fuit et Nicolaus Stella, Braccii cognatus copiarum dux audacissimus, qui cum maiorum vestigia sequeretur, Romanamque vexaret Ecclesiam, atque in Deum contumeliosus esset, suae impietatis brevi poenas dedit equo lapsus cervice fracta procumbens. Fuerunt et alii complures Perusini in armis clari, inter quos Cecholinum memorant et Ludovicum Michelotium, cui capiundi Braccii gloriam dedere; erat enim factionis illi adverse.

50 Duæ sunt apud Perusinos partes, que se invicem persequuntur: nobiles ac Raspantes. Ii longo tempore urbi prepuerunt; Braccius eos expulit; ab illo [107]

55 tempore usque in hanc diem nobilitas imperavit. Etsi enim Picininus - ut diximus - aliquando tyrannidem ibi exercuit, cum esset plebeius, partes tamen nobilium sequebatur. (Inter Raspantes, cum civitatis regimine potirentur, quatuor fratres fuere, quorum matrem, prudentissimam feminam, sepe dixisse traditum est sibi quatuor filios esse: Biordum, qui et dicendo et faciendo excelleret; Cecholinum, qui facere quidem egregie nosset, eloqui nesciret; Antonium, cui dicendi copia cum esset, faciendi non esset; et Eganum, qui et facere et dicere ignoraret).

Venit in hanc urbem Pius pontifex in vigilia Purificationis Beate Marie Virginis, matris Domini, et in die festo candelas de more largitus est. Paucis post diebus templum Divi Dominici et amplum et nobile dedicavit.

5 Federicus Urbinas visendi pontificis gratia eo se contulit, et perbenigne acceptus est, legatique Ludovici Sabaudie ducis hic obedientiam Romano presuli pro veteri consuetudine prestiterunt. Occurrerunt et Senensium oratores [iter ad se] petentes; vidit eos pontifex non invitus, et vocari rogatique dulcem in patriam hylari animo accepit. Voluit tamen inermem reperire urbem, et liberum sibi futurum, cum Senas intraret, de forma regiminis cum senatu agere; quod illi, quamvis aegre, concesserunt.

10 **19. De Trasimeno lacu et Clusio et Sartheano**

Mansit Perusiae pontifex tribus ebdomadis; exin non sine merore civium, qui longiorem sui domini moram optabant, Senas versus iter arripuit, et ad lacum Trasimenum pervenit, Romanorum clade et Hannibalis victoria nobilitatum. - Huius lacus tempestate nostra nullus erat exitus, ac propterea decurrentibus in eum multis rivulis paulatim creverat, et adiacentium oppidorum magnam partem demerserat. Braccius effosso monte inundantibus aquis iter per
15 altos cuniculos prebuit, et vallem, quae alioquin arida erat, humectavit, molisque plurimis ditavit - atque hoc uno opere laudem meruit.

Exagitaverat pluribus diebus, cum eo pervenit pontifex, aquas lacus valida tempestas ita, ut navigandi nulla pateret facultas. Tum vero quasi divino nutu repente vis omnis ventorum
20 conquievit, et intranti navigium presuli velut animal domitum sese prebuit mare, et undique sedatis fluctibus mira tranquillitas oborta, adeo, ut ingens captura piscium facta sit, dum navigatur in insulam, in qua pontifex apud religiosos Divi Francisci monachos pernoctavit. Siluerunt flatus vesperi et nocte tota, et mane, quod secutum est, donec navigium Pii ad litus pervenit; exin iterum sevir et inter se colluctari vehementer venti ceperunt, ita, ut qui
25 pontificem sequebantur, vix periculum submersionis evaserint admirantibus accolis, quod per universam hyemem procellosus et intractabilis Trasimenus pontifici navigabilem se prebuerit. Ventum est deinde ad Clanium amnem - seu palus est -, que Senensem agrum a Perusino dividit; illic legati Senensium magno comitatu et ingenti laetitia [108]

presulem excepere Clusiumque duxere, antiquam urbem et Porsenae regis patriam, opibus olim et gloria pollentem, nunc vero inops oppidulum paucis incolis habitatum. Plinius hic Laberyntum fuisse commemorat inter miracula orbis non extremum, cuius nulla extare vestigia miraculum videri potest. Hinc Sartheanum itum est, oppidum Senensi populo [socium magis, quam] subditum, quod olim ad Urbem Veterem pertinuit. Ladislaus rex Siciliae, cum adversus Florentinos copias ingentes duceret, negarentque transitum Senenses, hoc in loco tredecim
35 diebus commoratus nulla non die oppidum oppugnavit. Laboratum, sed frustra est tum virtute defendentium, tum proditione Pauli Ursini, qui cuncta regis consilia per internuncios ad oppidanos deferebat.

20. De Corsiniano, nunc Pientia

Pontifex e Sartheano Corsinianum petiit. - Mons editus est ex valle amnis Urcie surgens, in cuius vertice planicies mille passus longitudinis habet, latitudinis multo minus. In eius angulo, qui solem hyeme orientem respicit, situm est oppidum parvi nominis, verum aere salubri et vino ac rebus omnibus, quae ad victum pertinent, optimis. Qui Romam e Senis petunt, postquam Sancti Quiriti castellum reliquere, et Rhadicofanum recta pergunt, Corsinianum in colle relinquunt, qui ad sinistram cernitur tribus milibus passuum extra viam publicam
45 clementer elevatus.

Maiores oppidi pars Picolomineorum quondam fuit, et Sylvius, Pii pater avitas hic possessiones habuit, atque hic natus est Pius, et hic pueritiae rudimenta peregit. Quo tunc rediens speravit voluptatem aliquam sumere eos allocuturus, quibuscum adoleverat, et aspectum natalis soli cum gaudio revisere. Sed contra evenit, quando maior pars aequalium vita excesserat, et qui adhuc spirabant, gravati senio morbisque domi detinebantur, et si qui sese exhibebant, mutatis vultibus vix agnoscere poterant exhausti viribus, deformes et quasi mortis nuncii. Offendebat pontifex ubique sue senectutis inditia, non poterat se non senem et cito casurum recognoscere, cum iam aetate graves filios inveniret eorum, quos pueros reliquerat.
50

Fuit oppidum mirifice ornatum gestiente populo et nimium festivo ob presentiam maximi presulis, quem apud se natum gloriabantur, nec satis aut intueri aut consalutare eum poterant. Mansit hic Pius in festo, quod Beati Petri Cathedram appellant, ac rem divinam peregit. Statuitque hoc in loco novam ecclesiam et palatium aedificare, conduxitque architectos et operarios non parva mercede, ut [memoriale] sue originis diuturnum relinqueret. Concessit et indulgentias plenarias quotannis in festo Inventionis Sancte Crucis his, qui parrochialem ecclesiam visitarent, quae postea cathedralis effecta est. De quibus rebus suo loco dicemus.

[109]

21. De ecclesia Patavina, de Bono Conventu, de ingressu Senarum et gravissima oratione ad populum

Cum abiisset ex Corsiniano presul, inter equitandum nuntium allatum est, ex quo didicit ecclesiam Patavinam morte sui pontificis vacuam esse; vocavitque mox cardinalem Sancti Marci, aitque: *Existimasti nos erga te ingratos esse, qui iam pridem nullo te beneficio offerimus. Noluimus minutiora tibi conferre; expectavimus aliquid magni, ex quo disceres te nobis carissimum esse. Id iam occurrit: vacat ecclesia Patavina dives ac nobilis; ad eam - si libet - ex Vicentina te transferemus, et Gregorium Corario, notarium nostrum Vicentine proficiemus; monasterium, quod ille in Verona obtinet, nepoti nostro commendabimus.*" - Placuit cardinali oblatio presulis et gratias egit. Cumque [Bonum] Conventum introissent, ubi quondam Henricus Septimus Romanorum imperator ex hostia consecrata - ut fama est - venenum hausit, celebrato consistorio cum cardinalibus, qui aderant, peracta sunt, que pontifex statuerat, et silentium eius rei, donec Senas perveniretur, indictum. (Ceca mortalium consilia et prorsus ignara futuri! Arbitratus est presul rem se gratissimam fecisse Venetis, ex quorum nobilitate cardinalis esset. At illis nihil molestius visum est rabida invidia, et que presulem latebant, civili simultate agitatis.)

Dormivit ea nocte Pius in hospitalis Sancte Marie predio, cui Cuna est nomen, sexto a Senis miliario. Sequenti die magno civium comitatu et incredibili plebis alacritate pulcherrime adornatam et festivantem ingressus est patriam, nec usquam maior ostentatio letitiae visa est. Inter primores tamen urbis inviti non pauci presulem intuebantur, quem [nobilitati] faventem sciebant; silebant autem metu plebis, et prementes altum corde dolorem vultu gaudium pretendebant haud ignari, quin populi contra se furorem excitassent, si pontificem introentem non benigne visi fuissent admittere. Secuta est paulo post solemnitas in medio Maioris Ieiunii, dominica dies, cui Rose vocabulum imposuere. Pontifex, ut civitatem honestaret, rosam auream, que quotannis dari consuevit, priori priorum urbis, cuius magistratus triduanus est, tradidit adhibita oratione, in qua de Senensium laudibus disseruit, iussitque cardinales deferentem rosam ad Palatium usque comitari medium inter ultimos euntem; que sors in familiam reformatariam incidit, cui ex insigni bono cognomentum dedere. Post haec de restitutione nobilium cepit agere, et accersito ad se urbis senatu in hunc modum locutus est: [*"ingentes vobis] gratias habemus, viri Senenses, qui gentiles nostros, Picolomineos in partem regiminis admisistis, nobis quoque, cum in minoribus ageremus, sepe adiumento presidioque fuistis. Verum nec nos ingrati aut onerosi patrie fuimus, qui diu procul a domo et inter exterarum nationes vitam agentes - in Mediolano apud Philippum Mariam, in Basilea apud generale concilium, in Sabaudia apud Amedeum, quem pars orbis pro Christi vicario coluit Felicem appellatum, in Austria apud Federicum imperatorem, Neapoli apud Alfonsum regem et in urbe Roma apud Callistum pontificem maximum -, et ante cardinalatum et in cardinalatu res vestras summo [110]*

studio et audivimus et defendimus. Nunc quoque, ad summum presulatum divino vocati consilio, libertatem vestram prorsus labantem remque simul et dignitatem conservavimus. Nihil enim tam nobis cordi est, quam patrie incolumitas atque libertas, quas res per nostram assumptionem divino munere assecuti estis.

Sed non erit hec foelicitas diuturna, nisi alium sumitis vivendi modum, nisi vestrum regimen in melius reformatis. Non potest Veritas nostra mentiri, que ruiturum omne regnum in se divisum in Evangelio tradit. Et que unquam civitas tam divisa fuit, quam vestra? In aliis urbibus sepe duas fuisse partes constat, que inter se dissidentes ruinam fecere; apud vos pars populi spem omnem regiminis amisit; [nobilitas]; etsi honorum aliquorum est particeps, ex Palatio tamen reicitur; rursus qui rem publicam tenent, alii 'novem', alii 'reformatores', alii 'populares' appellantur, neque absque invidia et simultatibus inter se vivunt, et superare alios alii ac videri meliores volunt. Nutrit procul dubio factiones in populo, et animos in diversa trahit ipsa nominum diversitas. Et paulo ante nostrum pontificatum - quod gravius est - novum discidium emerit: cives aliquot ex his, qui vobiscum urbi presidebant, aut securi percussistis, aut in exilium misistis, aut pecunia mulctatos relegastis. Fortasse digna expenderunt supplicia, at non sine iactura civitatis! Morte affecti e numero vestro periire; qui exulant et qui relegati sunt, reditum in patriam meditantur, vobisque dies atque noctes insidias parant; neque desunt in civitate, qui eis student vel sanguine vel benivolentia illis adiuncti. Nam quanto plures e civitate deiecistis, tanto maior est numerus eorum, qui vobis infensi sunt, et res novas in civitate moliuntur.

Hec et alia pleraque in corpore vestro sunt mala; extra vero quibus inimicitis impliciti sitis, vos ipsi nostis. Vicina in vos odia sunt, amicitie procul absunt. Quis ei civitati bene speret, que nec foris nec intus tuta est? At salutem aperuit vobis Deus ab externa vi, qui nos in cathedra Beati Petri collocavit, in qua dum sedemus, nemo aperto Marte invadere vos audet. Norunt

5 *inimici vestri Apostolice Sedis vires, et scientes nos huius urbis cives esse, tam vobis, quam nobis ipsis inferre bellum verentur. Sub umbra nostra ab his, qui foris sunt, satis tuti estis; ab his, qui sunt intus, non est opis nostre vos tueri. Consulere tantum possumus et id suadere, quod unicum est civitatum omnium firmissimum tutamentum: id est, ut invicem ametis, et concordibus animis rem publicam gubernetis.*

10 *Nam difficile monimentum et insuperabile est amor civium. Nostis illud Salustianum: »Concordia res parvas crescere, discordia magnas dilabi.« Concordia est, que servat civitates; hec perpetuo vos coniunget et hanc civitatem tuebitur, si iustitia inter vos dominabitur, quae una est mater atque regina virtutum. Iustitia aequitatis quedam ratio est, que pro meritis inter homines poenas ac premia distribuit. Beata civitas, quae iustitiae utitur moderamine; et vos, Senenses, beati eritis, si honores publicos inter merentes partiemini. Quod iam diu a vobis neglectum est, qui civibus nobilitate prestantibus, quorum maiores hanc urbem condidere, et qui non coacti, sed sponte sua civitatis regimen in vos transtulere, annos supra quinquaginta tanquam mancipiis usi estis. Redeundum est iam denique ad iustitiam, et honorandi sunt nobiles et eorum loco suffiendi, quos eiecistis necastisque! Implendus est, qui*

20 *vacat, locus, et tot amici [111]*

assumendi, quot inimicos fecistis! Aut enim cavendum est, ne quis nos oderit, aut si hoc non possumus assequi, parande sunt amicitiae, que odia superent.

25 *Hoc abunde prestabunt nobiles, si damnatorum loca conscenderint. Utilitas hoc et honestas suadet. Nam quomodo grati eritis, nisi hos honoratis, quorum parentes vobis rem publicam commisere, et patriam hanc fundavere, et qui - licet contumeliis a vobis affecti quam plurimis fuerint - nunquam tamen rebellaverunt, aequo animo cuncta tulerunt, et ad omne imperium vestrum presto fuere? Potuissent aliquando per divisiones vestras cornua erigere: maluerunt in civitate per quietem servire, quam per seditionem dominari. Et quis non eiusmodi cives dignos regimine arbitretur? Bene instituta civitas, et quae radices vult altius figere, malos cives pena, bonos premio afficit. Nemo, qui sapiat, ea in urbe manendum duxerit, in qua virtuti non adsint premia. Vos, si sapietis, nobiles - iam enim timore divitiarum deposito vestri similes et aliquanto humiliores effectos - in societatem gubernanda civitatis amplectemini, nec vobis ipsis minores esse patiemini.*

35 *Atque hoc summum est retinende libertatis et urbis conservanda remedium; hoc est consilium nostrum, quod amantissime damus patrie. Si spernitis hortamenta nostra, non possumus de hac re publica bene sperare. Imminet enim divise civitati ruina, nec pax illic habitat, unde iustitia exulat. Vos si nobilitati, quod sibi debetur, attribuetis, si qua ingruerit adversitas, nedum auxilia nostra presto erunt, sed ipsius Dei, qui iustis partibus semper adest, omnipotenti manu adiuti et proiecti eritis."*

40

22. De [nobilitate] restituta et concessio Radicofano Senensibus

Haec cum dixisset pontifex, cardinales quoque, qui astabant, pro suo quisque ingenio in eandem sententiam verba fecere. - Responsum est priores urbis senatum de more coacturos, et quod ab eo decretum fuerit, pontifici relatuos. Exin abeuntes inter se cives fremere, presulem blasphemare, verba eius - etsi nonnullis placuissent - carpere, animos in diversa iactare;

45 *quicquid unquam peccasset nobilitas, in medium afferre, nihil difficilius dicere, quam regni socios asciscere; armis rei publice gubernationem acquiri, non verbis. Illi partiri honores egre ferebant, hi lucra communicare; quidam exclusum se iri existimabant, si digniores nobiles includerentur. Cunctos ambitio retrahebat: nemo regni comitem facile admittit. [Generosi aliquando viri honores aliis cedunt, ignobiles nunquam;] nec plebs est, cui honesta facile suadeas; nisi utilitati cedat, vi cogenda est.*

50

Difficile senatoribus videbatur negare pontifici, quod peteret, difficilius concedere. Reddebantur postulata eo impetratu magis laboriosa, quod in senatu ex tribus suffragiorum partibus duas concurrere et trecentos adesse senatores per leges oportebat, nec suum satis bonum intelligere multitudo poterat odio, avaricia et ambitione corrupta. Diu frustra in senatu

55

res agitata est, cum seniores, et quibus plus pensi erat, pontifici auscultandum censerent, iuniores [112]

5 et imperiti, [quorum turba longe maior fuit,] adversarentur, [et conventiculas agentes exilium patribus necemque minarentur.]

[Dolebant tam miserum rei publice] statum, quis erat sanior mens; horum nonnulli, clientelis et opibus potentes, clam pontificem adeunt, et quod verbis obtineri non posset, ferro querendum suadent, haud dubium esse dicentes, quin armato populo pontificis partes superiores invenirentur; cuncti enim regiminis expertes, quorum ingens multitudo est, pontificem sequerentur. Quibus pontifex, etsi victoriam suam esse, ubi prelium fieret, non dubitabat:

15 „*Patriae tamen*” - inquit - „*vim non afferemus. At si spernimur, a civibus nostris beneficam subtrahemus manum, [et hoc ingratae civitati satis ad supplicium, nobis satis ad vindictam fuerit.]*” - Publicata est vox hec in populo, quae multorum terruit animos. Reventum est sepe in consilium, suffragia iterum atque iterum reddita, nec tamen haberi due partes senatorum poterant, qui postulata admittenda esse censerent. Sed cum pontifex urgeret ac responsum exposceret, priusquam abiret, indignabundusque videretur, nisi vinceret, ad extremum censuit senatus deinceps [nobiles] ad honores omnes admittendos esse, et munerum aliquorum quartam, reliquorum octavam partem eis indulisit.

20 Publicatum decretum universam mox urbem implevit gaudio. Senatus frequens et cuncti magistratus urbis rem gestam exposituri pontificem convenere. Pontifex, etsi non satis suo desyderio factum animadvertit, ne tamen civitatem tristitia afficeret, hylarem se ostendit, egitque senatui gratias, laudans, quod factum erat; sperare se tamen amplius aliquid dixit, cum ex Mantua reverteretur.

25 Ad noctem signa letitiae passim visa per urbem, lucere ignes, campanae ac tubae concentum reddere; salutare, invitare alter alterum, et in amplexus ire mutuos populares ac nobiles. Pontifex maximus, ut gratitudinis vicem suis civibus redderet, Radicofanum, quod est in Amiate monte munitum oppidum, et ad Romanam Ecclesiam iure directo pertinet, de consilio fratrum Senensibus perpetuo tenendum concessit prescripto censu, quem Camere Apostolicae quotannis dissolverent; a predecessoribus prefinitum fuerat tempus, quod iam prope desitutum erat.

30 Id oppidum Nannes Picolomineus, copiarum dux non illaudatus armis olim ex manu predonis cuiusdam eripuerat, tradideratque Senensibus; atque ita factum est, ut Picolominea domus et possessionem et titulum eius loci in civitatem suam transtulerit.

35 **23. De ecclesia Senensi metropoli facta, et Silvii ac Victoriae, parentum sepulchro nobilissimo**

Ecclesia quoque Senensis tum primum ad metropolitici iuris honorem erecta est Grossetana, Massana, Suanensi et Clusina ei subiecta; tantopere suam decorare patriam pontifex adnitebatur. Primus archiepiscopus Antonius fuit ex [113]

40 familia Picolominea, quem sibi Pius, ut primum Petri cathedram ascendit, successorem in eadem ecclesia designaverat.

Mater pontificis quatuor ante annis obierat, pater bis totidem; hic Corsiniani iacebat, mater Senis, ambo in monasteriis Minorum. Pierius quidam eques ex gente Picolominea apud
45 Minores, qui pro foribus urbis collocati sunt, sibi suisque posteris marmoreum sepulchrum magno sumptu iam pridem struxerat, in quo et ipse et multi suorum conditi sunt. Fratres eius ordinis matrem Pii, tunc Senensis episcopi in Germania commorantis, quae apud Creulam, episcopatus munitam arcem dormivisset et in monasterio Minorum sepulturam elegisset, in hoc tumulo sepelierunt. Id aegre fuit Pierio, primi Pierii nepoti, rem prorsus indignam existimanti inter ossa maiorum suorum alieni sanguinis carnem misceri. (Nam Victoria, mater Pii, quamvis nupta in domo Picolominea fuerit. Forteguerrarum tamen, non Picolomineorum sanguis erat.) Iussit igitur nocte, quae secuta est, illinc extrahi cadaver et alio quocunque loco recondi. Monachi nobilem feminam intra ecclesiam apud altare maius reponere, humi tamen

et absque marmoreo lapide, sperantes filium aliquando genetricis corpus honoraturum. Nec frustra spes fuit. Veniens enim in patriam suam Pius iam pridem edoctus, quae circa funus matris obtigerant, Silvii patris ossa ex Corsiniano Senas deferri iussit, et utrique parenti nobile sepulchrum aedificari ex candido marmore, quod ex Lygusticis montibus allatum est, epythaphiumque ipse dictavit hoc distico:

Silvius hic iaceo, coniunx Victoria mecum est. Filius hoc clausit marmore, papa Pius.

24. Multorum legationes, maxime regis Bohemiae, et eius heresis

Dum Senis moratur presul, imperatoris Federici legati et Henrici Castelle et Matthiae Hungariae et Alfonsi Portugalliae et Georgii Bohemiae regis et Philippi Burgundiae et Alberti Austriae ducis et Federici atque Alberti marchionum Brandenburgensium adventarunt, Christi vicarium pro veteri more adoraturi. Inter quos magni et prestantes viri fuerunt, ex quis duo paulo post ad cardinalatus honorem assumpti sunt: Iohannes episcopus Atrebas et Brocchardus prepositus Salzburgensis - alter ab imperatore missus, alter a Burgundo. Verum Brocchardus et eius college, Iohannes Inderbachius et Arthongus cognomento Capel iure consulti, cum Florentie applicuissent, aliquandiu illic remorati sunt indigne ferentes Matthiam Hungariae regem a Romano pontifice appellatum esse, eiusque oratores eos in Curia consecutas honores, qui regem legatis exhiberi consueverat, cum barones Hungariae imperatorem supra se regem elegissent, atque ipse delatum titulum accepisset. Pontifex ea re cognita iniustam esse querelam dixit, quando mos esset Apostolice Sedis eum regem appellare, qui regnum teneret, et prior ante se Callistus Matthiam regem [114]

compellasset. Atque hoc modo imperatoris legationi satisfactum est, quae deinde in templo Divae Marie Virginis publice prestitit obedientiam. Legatus vero Bohemiae regis in consistorio secreto idem egit, veritus, ne domino suo regni partem alienaret, si eum Apostolice Sedi palam submitteret.

Regnum Bohemiae bifariam divisum est: alii Romanam Ecclesiam sequuntur, alii respuunt, qui appellantur Hussitae, multis heresibus infames, quemadmodum in *Historia Bohemica* ab ipso Pio scriptum est. Georgius Poggebracius Hussitarum partium fuit et eorum errore respersus, quorum armis atque presidii regnante Ladislao, Alberti filio regni gubernationem, et illo mortuo coronam arripuit vocatis ex Hungaria duobus episcopis - Iaurinensi et Vacciensis - , qui se unctum coronarent. Illi homini, qui hereticus censeretur, id honoris [negare], nisi errorem prius abiuraret, et Romani presulis obedientie se subiiceret. Georgius seu vere seu simulate - quod vero similis est - in penitiori parte Palatii vocatis nonnullis testibus atque tabellionibus Hussitarum heresim abiuravit, et Apostolice Sedis auctoritati iussionique sese submitit. Cuius rei publica documenta episcopi acceperunt, atque deinde regem coronarunt, cui mox Bohemi omnes paruerunt. Moravi, cum aliquantulum restitissent, postea imperata fecerunt. Apud Sclesitas maior fuit renitentia: Vratislavienses missis ad Pium legatis nullo pacto se suscepturos regem dixere, quem de fide suspectum haberent, inventoque Senis pontifice multa de Georgio questi sunt, qui neque hominibus neque Deo fidem servaret, indignumque esse dixerunt, quem suis litteris Apostolica Sedes regem appellasset.

Pontifex, cum vocari ad Mantuanum conventum principes iussisset, regemne Georgium nominaret, aliquandiu hesit; erant enim in utranque partem suasiones. Callistus antea regem vocaverat, et ipse abiuraverat heresim, verum simulata eius opera putabantur. Consulibus denique cardinalibus et scribere et regem appellare placuit, verum litteras imperatori transmitti, qui si sibi videretur, eas Georgio traderet; regnum enim Bohemiae Imperii feudum est, et vacante regno ad imperatorem pertinet Bohemis regem constituere. Imperator litteras apostolicas nihil moratus Georgio restituit, quas ille ingenti gaudio accepit, iussitque pro sua gloria maioribus in urbibus publicari, ut intelligerent omnes Apostolicam Sedem nomen regium sibi tanquam catholico detulisse. Quae res multorum offendit animos, ac presertim Vratislaviensium, qui ob eam rem legatos - ut diximus - ad Pium misere. A quo cum facti rationes accepissent, subveniri sibi petierunt, ne vel fraudibus Georgii vel armis Christianam fidem perdere cogerentur. Pontifex consilium suum esse dixit, potentis regis uti furorem declinarent; scripturum se illi, ab armis abstinere, et quas habet adversus Vratislavienses, Sclesitarum principes controversias, Apostolicae Sedis arbitrio dimittat; nisi paruerit, aliis se remediis usurum. Atque hoc responso Vratislaviensium legatos dimisit. [115]

25. Dissuasio multorum a firmo Pii proposito, et perfidia Tarentini

5 Exin Mantuam versus iter continuare decrevit, multi hoc dissuadebant. Senenses emolumentis carituri Curie recessura presuli mille instare pericula affirmabant: iter per Florentiam discrimine plenum esse, [Florentinos calliditate omnibus prestare, Senensibus, quos oderint, pontificem maximum invidere;] timendum esse [venenum], et omnis generis insidias formidandas. Alii frustra presulem Mantuam petere, in quam paucissimi conventuri essent; provocaturum in se odia principum, quasi eorum contumaciam accusaturum; satius esse manere Senis, quam ulterius proficiscentem nil aliud, quam aere magno regum inimicitias emere, quorum reprehensurus desidiam atque ignaviam videretur. Alii magnos instare in Italia motus; pontificem, si Appenninum transierit, nunquam in Thusciam rediturum, perditurumque Romam et patrimonium Ecclesiae universum. Nec defuerunt, qui [per derisionem atque contemptum Pium papam quasi segetibus benedicientem huc atque illuc peragrantem]
10 dicerent, [insulsumque predicarent, qui] non exploratis regum animis ad conventum pergeret; potuisse domi quiescere, donec certa principum accepisset responsa.

Et hi rumores passim exaudiebantur. Cardinales, quamvis consilium pontificis, quod ante probaverant, publice damnare non auderent, mordere tamen clanculum aliqui non verebantur, inter quos inventi sunt, qui multa contra presulem scripsere. Unius autem cardinalis litterae ad regem Franciae in hunc modum scriptae pontificis manus inciderunt:

„Karolo Francorum regi presbyter cardinalis salutem. - Apud Mantuam Christianorum conventus indictus est. Eo sese Pius pontifex confert, cuius ingens studium est, ut Federicum imperatorem conveniat; quod absque tuo dedecore damnoque fieri non potest. Tu, si sapias, hanc conventionem disturbabis. Vale.“

25 Exhorruit Pius tantam inter cardinales perfidiam invenisse, nec tamen plectendum facinus existimavit, quod sine scandalo fieri non poterat. Rumores autem omnes contempsit; de Florentinis, qui viri prudentes essent et graves, nihil mali timendum esse censuit, nec sibi recta vadenti formidandas insidias; nec tam hostem humani generis metuendum, qui bonis operibus adversatur, quam Dei sperandum auxilium, cuius causam acturus iret in Galliam. Quod si reges conventum negligerent, illos in culpa futuros; se, qui pergeret, laudem mereri, neque alienam desidiam sua negligentia excusandam fore. [Stultam illorum videri prudentiam, qui reges prius consulendos fuisse, quam conventus indiceretur aut eo iretur, assererent. Quae res longum tempus expetivisset, neque de loco neque de die inter se reges convenissent. Murmura et vulgi blasphemias ab his, qui rei publice presunt], contemni oportere, tantoque Romanum pontificem indulgentiorem esse detractoribus, quanto pre ceteris altius ascendisset; cui non ignota est vox Salvatoris, qui discipulos suos tum beatos dixit futuros, cum eis homines maledicerent. [116]

40 Cardinalis Sancti Petri unus ex his erat, qui transeundum Appenninum prorsus negabat, scripseratque pontifici ex Urbe, ne Germanos proceres ea veluti contumelia afficeret, ut illis non venientibus Mantuam peteret. Cui pontifex in hunc modum rescripsit: „*Sapis, qui tuae nationi cum nostra infamia demere ignominiam studes!*“ -, nec moratus amplius, fidens animi et constantia peditus, sequente extra urbem populo atque illacrymante tanquam illum ultra non visuro e patria discessit. Vixque altero peracto miliario nuntiatum est Tarenti principem, qui a rege Ferdinando defecerat, interventu Bartholomei archiepiscopi Ravennatis, quem pontifex in Regnum ad res visendas miserat, et adnitentibus Venetorum legatis domino suo reconciliatum esse. Quae res perfidia principis - ut postea dicitur - infirma fuit.

26. De oppido Bonitii, et occursu Galeacii, et Florentiae ingressu

50 Ingresso presuli Florentinorum agrum legati ad oppidum Bonitii occurrerunt, primores urbis, magnificis verbis Christi vicarium honorantes. Id oppidum tempestate nostra parvi momenti est, et in plano iacet apud Elsam fluvium; olim in alto monte, qui ei supereminet, situm fuit, ambitu magnum, populo plenum, neque expugnatum facile. Quod cum esset Gibellinarum partium, Florentinisque sepe multa attulisset incommoda, ab eis muro primum apertum est, deinde prorsus deletum, et in eum locum translatum, quem ante diximus.

Hic pontifex nocte peracta sequenti die apud castellum Sancti Cassiani novos legatos habuit obvios, numero plures et dignitate praestantiores, qui eum non longe ab oppido in predium pulcherrimum privati civis deduxere, atque ibi pernoctatum est. Postera die dum Carthusiam peteret pontifex, Faventinum, Foroliviensem et Corneliensem vicarios occurrentes invenit, et paulo post Galeacium, primogenitum Francisci Sfortiae Mediolanensium principis. Adolescentulus hic egregia specie nondum sextum decimum impleverat annum, verum his moribus, ea eloquentia, eo ingenio atque industria praeditus, ut plus quam virilem prudentiam pre se ferret. Erat in vultu gestuque gravitas digna principe; loquebatur ex tempore, quod vix alius diu cogitans effari potuisset; nihil pueriliter agebat, nihil leviter; stupor fuit audire seniles ex iuvenili ore sententias, et nondum barbatum cani hominis sensa proferre. Hunc genitor ex Mediolano cum quingentis equitibus, splendido et ornatissimo comitatu Florentiam usque misit pontifici obviam; qui ad tertium lapidem paulo citra Carthusiam ei occurrens et ab equo desiliens sacros de more pedes exobsculatus est. Pontifici prandium in monasterio Carthusiensi apparatus, atque eo peracto in urbem properatum. Extra portam duobus circiter stadiis Guelfarum duces partium occurrere et pretor urbis et multi magistratus, in porta priores, quos vocant dominos; qui pontifice verbis humilibus salutato et pedibus obsculatis urbem et populum ei commendarunt. [117]

Propter aegritudinem pedum non poterat equo pontifex vehi; sella sedens aurea humeris hominum portabatur. In ipso urbis ingressu, postquam sacerdotes sacra ferentes benedictionem pontificis acceperunt et pompam ducentes precesserunt, Sigismundus Malatesta et alii Ecclesiae vicarii, quorum supra meminimus, sellam pontificis subiere, suumque dominum humeris aliquamdiu portare - [dicente] non absque indignatione Sigismundo: "*En, quo deducti sumus! Urbium domini lecticam iam tandem evasimus!*" - Tulit tamen vel invitatus onus. Galeazius, qui minor esset et cruribus paululum invalidis, quamvis onus ferre non posset, manum tamen apposuit quasi adiutor, cupiens unus videri portantium; priores urbis hinc atque inde pedibus incedebant. Mutabantur autem portantes per dimensa loca, et honoratiores cives id sibi muneris expetebant.

Galeazius, cum aliquantis pedibus ambulasset, iussu pontificis equum ascendit, et paulo post Ecclesiae vicarii. - Urbs plena populo fuit, et suo et alieno; vicini ex oppidis et agris novum visuri presulem undique concurrerant. Foeminarum dives ornatus visabatur, mira vestium varietas, domesticus simul et peregrinus cultus, [verum dealbatae facies lituram haud dubiam ostendere.]

- Ingressus presul ecclesiam Sancte Reparate et sacellum Beati Iohannis utrobique populo benedixit. Diversorium ei apud Sanctam Mariam fuit, cui Novella cognomen est, ubi et Martinus et Eugenius, sui predecessores collocati fuerunt.

27. Florentiae origo eiusque gesta et factiones

Florentia - olim Fluentia dicta a fluenti Arno, qui eam interlabitur - Etruriae nunc caput est; crevit ex ruinis Fesularum, quas Tothila diruit, Gothorum imperator. Volaterras, Pistorium, Arretium, Cortonam, Pisas sub iugum misit, Lucensibus magnam agri partem ademit, Senenses magnis affecit cladibus, a quibus et aliquando detrimentum passa est; Germanis imperatoribus sepe numero adversata. Henricus Septimus circa moenia castra tenuit, duraque urbem cinxit obsidione; domuissetque prorsus, nisi vocatus Neapolim adversus Robertum regem, dum eo pergit cum parte copiarum, apud Bonum Conventum

- ut ante diximus - veneno perisset. Karolus III-us ad portas usque Florentinas cum exercitu profectus Gibellinos urbe pulsos in civitatem restituit.

Mediolanensium duces acerrimis odiis Florentinos insecuti sunt, damnisque permultis affecerunt, neque ipsi sine detrimento fuere. Franciscus Sfortia eorum ope Mediolani ducatum assecutus iis amicissimus fuit. Neapolitani reges modo amici modo hostes habiti, et aliquando urbis imperio potiti sunt, in qua et dux Athenarum dominatus est. Quo tandem pulso populus in libertatem se vindicavit, quamvis tum maxime servire cepit, cum se liberum existimavit, ut qui uno eiecto domino multos admisit. Exagitata sepe urbs est civilibus procellis, cum optimates inter se de primatu contenderent. [118]

Prestantissimi cives visi sunt aetate nostra Pallas Strocus, Nicolaus Uzanus et Rodolphus Peruzius. Pallas opibus cunctos superavit, Nicolaus prudentia, Rodolphus armis.'

28. De Cosmae divitiis et potentia

Adversus hos factionem excitavit Cosmas Medices, propter quam rem urbe pulsus Uzano iam vita functo exilium aliquandiu tulit. Deinde sub Eugenio pontifice maximo Florentiae sedente studio partium ab exilio rediit, et tumultuante civitate deterritis, qui sibi adversabantur, suum locum recuperavit, Rodolphum et Pallantem pluresque alios cives urbe pepulit, qui postea nunquam rediere, quamvis Rodolphus Nicolaum Picinum adversus patriam alliciens

5
10
15
nunquam rediere, quamvis Rodolphus Nicolaum Picinum adversus patriam alliciens Mugellanum agrum ingressus vastaverit; nam postea in exilio decessit. Pallas aequo animo fortunam adversam ferens Patavi usque ad extremam senectutem philosophiam sectatus est, ibique obiit iam ferme nonagenarius, quem sui cives eiecissent, indignus.

Cosmas deinde sublatis emulis pro suo arbitrio rem publicam administravit, easque opes accumulavit, quales vix Croesum possedisse putaverim. Aedificavit in urbe pallacium rege dignum, ecclesias alias instauravit, alias a fundamentis erexit; monasterium Sancti Marci miro construxit opere, in quo bibliothecam Grecis ac Latinis voluminibus refersit; villas magnifice adornavit. Videbatur iam preclaris operibus invidiam superasse, sed populi excellentem virtutem [omnes] oderunt: inventi sunt, qui [tyrannidem] Cosme ferendam negarent, eiusque conatibus multis modis obviam irent, [et quidam probra in eum iacerent.]

20
25
30
Estimatio bonorum, que quisque possideret, per idem tempus faciunda fuit - cathastum Florentini vocant, Senenses libram -, per quam magistratus facultates civium non ignorantes ex aequo possint inter subiectos onera partiri. Suadebat cathastum innovari Cosmas, inimici adversabantur; ob quam rem parlamentum fieri placuit. Quod dum cogeretur, armati undique collecti iussu Cosmae forum circumdedere, manifestumque imminere periculum ostenderunt his, qui consilium eius damnarent. Decretum est cathastum armorum metu, et cives, qui prius contradicebant, alii relegati sunt, alii ere mulctati. Post hec nihil Cosmae negatum: is belli pacisque iudex et legum moderator, non tam civis, quam patriae dominus haberi; consilium de re publica domi suae agitari; magistratum hi gerere, quos ipse designasset; nihil sibi ad regnum, nisi nomen et pompa deesse. [Ob quam rem cum rogasset aliquando Pius pontifex episcopum Ortanum, quid sibi de Florentia videretur, indignumque diceret tam pulchram feminam viro carere, respondit ille: "*Viro, non medio caret!*" - ac si diceret: "*Tyrannum, non regem habet*" -, designans Cosmam, qui tanquam urbis dominus non legitimus duro plebem servitio premeret.] - Egrotabat [ille], [119]

30
cum Pius Florentie fuit - [seu, quod plerique putaverunt, ne pontificem accederet, aegroti faciem induit.]

35
40
[Maiores Cosmae ex Mugello in urbem venerunt.] Iohannes, qui pater eius fuit, [in clientelam] Medicorum [receptus] familiae [quoque] nomen assumpsit, ingentesque opes liberis suis, Cosmae et Laurentio reliquit. Cosmas, supra quam credibile sit, eas ampliavit per omnem Europam negociatus, et ad Aegyptum usque mercimoniis intentus. Fuit hic egregio corpore, statura plus quam mediocri, aspectu et alloquio placidus; littere in eo plures, quam mercatores assequi soleant, Grecarum non prorsus ignaro. Ingenium ei perspicax et ad omnia promptum, quae ageret; animus neque ignavus neque fortis. Laborem et inedia facile pertulit, et noctes crebro insomnes duxit. Nihil ignoravit eorum, quae in Italia gererentur, quippe quod eius consilio magna pars urbium et regulorum duceretur. Nec eum res extere latuerunt, cui ex orbe fere toto mercatores socii responderent, et que apud eos fierent, crebris epistolis indicarent. Ad extremum podagra laboravit, cuius antea, quam vita excederet, successores filios ac nepotes vidit. Annum agebat Florentiam transeunte pontifice supra septuagesimum.

45 **29. De Antonio presule Florentino eiusque sanctimonia ac morte**

50
55
Per idem tempus migravit in Domino Antonius, ecclesiae Florentinae archiepiscopus, Ordinis Predicatorum professor, vir memoria dignus. Domuit avaritiam, calcavit superbiam, libidinem prorsus ignoravit, potu ciboque parcissime usus est; non ire, non invidiae, non alteri passioni succubuit; doctrina theologica emicuit, scripsit plura volumina, que docti laudant; predicator acceptus in populo, quamvis scelerum insectator vehemens; correxit cleri et populi mores, lites diligenter composuit, inimicitias - quoad potuit - ex urbe pepulit; proventus ecclesiae inter Christi pauperes distribuit, in cognatos et affines suos, nisi admodum inopes essent, nihil contulit; vitreis ac fictilibus tantum vasis est usus; familia, quae parva illi fuit, contentari modico voluit et ad philosophiae leges vivere. Mortuo nobile funus ex publico ductum. In domo nihil repertum est preter mulum, quo insedere solitus erat, et vilem suppellectilem: cetera

manus pauperum asportavere. Civitas - nec vana putanda opinio est - ad vitam illum migrasse beatam putavit.

5 Magistratus urbis, ubi se tanto privatum patre, et orphanorum tutorem viduarumque iudicem defecisse animadvertit, accedens Pium pontificem non istum aut illum, sed aliquem ex civibus suis in eius locum surrogari petiit, qui tanto viro dignus videri successor posset. Laudavit pontifex Florentinos, qui [non ut Veneti] obstinate unum aliquem petivissent, auditurumque sese ait honestas preces. [120]

30. De viris illustribus Florentinis

Superiori aetate complures viri apud Florentinos illustres fuere, quorum hodie quoque nomen extat, verum Dantes Arhingerius cunctos superasse videtur, cuius insigne poema et nobilis illa de superis, inferis ac [medioximis] inventio doctrinam pene divinam redolet, etsi ut homo nonnihil erravit. Proximus ei Franciscus successit cognomento Petrarcha, cui vix parem inveniremus, si Latina eius opera his, que Thusco sermone conscripsit aequari possent. Tertio loco Iohannem Bochacium haud iniuria collocaverim, quamvis paulo lascivior fuerit, neque admodum tersus. Hunc sequitur Colutius, qui et prosa scripsit et versu ad suam aetatem accommodato, ad nostram rudi; is dictandis epistolis apud Florentinos praeest, cuius calamum plus sibi obesse Iohannes Galeazius Mediolanensium dux solitus erat dicere, quam Florentinorum equitum, qui sibi hostes erant, XXX-ta cohortes. Erat enim vir prudens, et quamvis elegantiam scribendi non teneret, locos tamen egregie callebat, quibus moveri homines solent, eosque scribens cautissime attingebat. Successit pluribus post annis Leonardus, natione Arretinus, verum Florentina civitate donatus, Grecis ac Latinis litteris apprime imbutus, cuius eloquentia prope ad Ciceronem accessit, multis operibus e Greco in Latinum translatis egregiam laudem assecutus. Par prope huic oratione soluta, carmine maior inventus est Karolus, et ipse Arretinus origine, privilegio Florentinus. Fuit et Poggius in hac urbe clarus, qui cum aliquamdiu apud Romanos pontifices secretarium gessisset, et aliquot opera egregia scripsisset, postremo in patriam reversus ac cancellariae prefectus inter cognatos suos vitam finivit.

In armis qui ex Florentinis claruerint, magna est Pipponis gloria e familia Scolarium, qui regnum Hungariae multis annis administravit, in quo rege potentior visus est. Ex Acciarolis quoque magister militiae in regno Sicilie Nicolaus fuit preclari nominis, cuius filius arma in Graeciam proferens Thebas atque Athenas occupavit, et posteris possidendas reliquit, quas illi nostra demum etate perdidit a Mahumete Turchorum imperatore deieci. Permulti praeterea viri commemorari possent, quorum virtute Florentia et opibus et gloria est aucta.

31. De magnificentia aedificiorum Florentinorum et ludicro apparatu

Florentiam qui laudant, non solum viros illustres, qui fuerunt in ea, commemorant, verum urbis amplitudinem, qua nulla est praeter Romam in Italia maior; murorum ambitum, qui prealtus est et spissitudine precipua; viarum et platearum munditiam, quae tum ample sunt, tum ad longum directe prospectum; templorum magnificentiam ac palatiorum et publicorum et privatorum, quae et altissima et ornatissima sunt. Ceterum inter aedificia [121]

nullum memorabilius est aede Sancte Reparate, in qua fornix est ad amplitudinem eius proxime accedens, quam Rome in Agrippe templo admiramus, quod Pantheon vocavere. Proximum ei est palatium, quod priores inhabitant, et tertium a Cosma aedificatum. Laudant et Divi Baptiste sacellum et aedem, quam Cosmas idem Beato Laurentio construxit.

Afferunt pontes, qui civitatem Arno discissam coniungunt, et numerosum populum et ornamenta tum virorum tum foeminarum, et omnis generis opificia et praedia et villas egregias, que civitati adiacent plene delitiis, et non minori sumptu, quam civitas ipsa, exaedificatae, et ingenia hominum dexterrima, quamvis in mercatura magis excellunt, [quam philosophi sordidam putant; videntur et ad rem plus aequo intenta - ac propterea cum honorandi pontificis gratia primores urbis auri quatuordecim milia nummum ex plebe corrasissent, maiorem sibi partem retinere, partem in Galeacium eiusque pascendos comites contulere.] Impensa erga pontificem minima fuit, nec in apparandis ludis magni sumptus facti, [quamvis] leones in forum producerint adversus equos et alias bestias pugnuros, et equestria instituerint certamina, in quis [multo plus vini haustum, quam sanguinis effusum.]

Hic pontifex octo diebus commoratus est, per quod tempus a Sigismundo Malatesta multis precibus oratur, sibi ut pacem daret cum Ferdinando Sicilie rege bellum gerenti.

32. De Sigismundo Malatesta eiusque flagitiosis sceleribus

Sigismundus ex Malatestarum nobili familia, verum extra matrimonium natus multa vi animi et corporis fuit, eloquentia militari et arte preditus; novit historias, philosophiae non parvam

peritiam habuit; quamcunque rem sectatus est, ad eam natus videbatur. Sed mali mores plus apud eum valere: [avaritiae adeo sese dedit, ut non predari tantum, sed furari quoque non vereretur; libidinis ita impatiens fuit, ut filiabus ac generis vim intulerit; adolescens nupsit in foeminam, et sepe muliebria passus sepe masculos effeminavit; nulla apud eum sancta fuere
5 matrimonia, virgines sacras incestavit, Iudeas violavit, pueros ac puellas, qui ei non consensere, aut neci dedit, aut crudelibus modis everberavit; mulieres, quarum filios e sacro fonte levavit, complures adulterio polluit, earumque viros necavit. Barbaros omnes crudelitate vicit; cruentae manus diris suppliciis sontes et insontes affecerunt.] Pauperes oppressit, divitibus bona diripuit, nec viduis aut pupillis pepercit; nemo sub eius imperio securus vixit: reos nunc opes
10 nunc uxores aut liberi forma prestantes fecere. Sacerdotes odio habuit, religionem contempsit, de venturo saeculo nihil credit, et animas perire cum corpore existimavit. Aedificavit tamen nobile templum Arimini in honorem Divi Francisci, verum ita gentilibus operibus implevit, ut non tam Christianorum, quam infidelium demones adorantium templum esse videretur; atque in eo concubine suae tumulum erexit et artificio [122]

et lapide pulcherrimum, adiecto titulo gentili more in hunc modum: "*Dive Isottae sacrum.*"

[Duae uxores, quas duxerat ante Isotte contubernium, alteram post alteram seu ferro seu veneno extinxit; tertiam, que has precesserat, nondum cognitam accepta dote repudiavit. Foeminam nobilem ex Germania Romam petentem in anno Iobeleo non procul a Verona, cum esset forma egregia, vi rapuit, ac reluctantem vulneratam et cruore madentem reliquit. Rara in ore suo veritas, simulandi ac dissimulandi egregius artifex. Perfidus atque periurus: Alfonso Siciliae regi et eius filio, Ferdinando, Francisco Mediolani duci, Venetis, Florentinis, Senensibus fidem abruptit, Ecclesiae quoque Romanae sepius illusit. Postremo, cum nemo esset in Italia, quem prodere posset, ad Francos abiit, qui odio Pii presulis eius secuti fidem non meliorem, quam reliqui principes, successum habuere.] Rogatus aliquando a subditis, ut quieti tandem se traderet, parceretque patriae, que sua causa sepe rapinis exposita fuisset: „*Ite*" - inquit -, „*et bono animo estote! Nunquam me vivo pacem habebitis!*" - Huiuscemodi Sigismundus fuit: quietis impatiens, voluptatum sequax, quamvis laboris patiens et belli cupidus; [hominum, qui unquam fuerunt, quique futuri sunt, pessimus; Italiae dedecus et nostri infamia seculi.]

Hunc Alfonsus in eo bello, quod cum Florentinis gessit, ut sibi militaret, magno auri pondere conduxit. Ille novo auro inarratus ad Florentinos defecit, atque in Alfonsum arma convertit, perfidiae suae id causae pretendens, quod non omne sibi stipendium in tempore persolutum fuisset. Gravis hec regi iactura fuit, qui eum hostem passus est, quem propugnatorem paraverat. Nec dubium, quin ea Sigismundi proditio rem Florentinam salvaverit. Ob quam rem, cum pax universalis facta est, et inter potentatus Italiae fedus percussum, Sigismundus et Genuenses et Aestor Faventinus exclusi sunt, rege in eos, qui sibi ius iurandum fidemque abruptissent, liberum sibi bellum reservante. Atque idcirco valida in Genuenses ab eo classis parata est, et adversus Sigismundum ultimo Callisti pontificis et sue vitae anno Picininus, Nicolai filius cum magna militum manu transmissus - procurante id potissimum Federico Urbinate, qui privatis inimicitiis Sigismundo erat infensus. Bellum aliquandiu tractum est vivente Alfonso et eo fatis functo, cum filius aequae ac pater Sigismundo indignaretur. Ferebant subditi pro peccato domini supplicium, et impio superbiente pauper incendebatur. Vastabatur ager tota Italia nobilis, quamvis tyranno subiectus [impiissimo], directo tamen iure ad Romanam Ecclesiam pertinens.

Quod miseratus Pius pontifex - ut ante retulimus - inter alias leges, quas Ferdinando imposuit regno Siciliae honestato, illam adiecit, ut pacem Sigismundo his conventionibus donaret, quas pontifex ipse dictaret. At cum Asisium recuperavit, hec libertas restricta est, constitutumque, ut prescripto quodam modo pax constitueretur, aut si hoc ex Sigismundo obtineri non posset, compromissum remitteretur, quod liberum in pontificem factum fuerat; [123]

cautumque, ne ultra mensem Februarium potestas compromissi duraret. Additus postea Martius est et Aprilis mensis.

5 Restabant ex compromissi tempore quatuor tantum dies, cum Pius Florentiae fuit, nec regis procuratores aderant, qui causam agerent. Advenerant tamen Federici Urbinatis et Iacobi Picinini legati, ad quos rex id negotii remiserat. Iussit pontifex quatuor cardinales audire partes et ad concordiam reducere. Frustra id fuit. Audivit et per se ipsum pontifex disceptationes et iura partium; nec dubium erat, quin reus proditionis Sigismundus esset. Ventum est ad transactionem, ut delictum pecunia redimeretur, et cum illa deesset, oppignorarentur castella. Sed cum regis nomine multa peterentur, Sigismundus pauca offerret, res propemodum desperata videbatur. Illi victoriam in manu
10 sua esse aiebant; Sigismundus nondum se victum affirmabat, passurumque prius extrema queque, quam ea traderet, quae petebantur. Cumque ferocius loqueretur:

15 „Tace!” - inquit pontifex. - „Generi tuo, non tibi studemus; populi tibi subiecti, non tui miseremur, qui pro tuis sceleribus non satis plecti potes. Sic vixisti hactenus, ut nulla ultio tuis iniquitatibus inveniri maior queat; et quamvis multis te verbis excusas, nemo tamen non proditorem Alfonsi iudicat. Infamis tua vita contra te est [et supplicium tibi expetit]. Stant pro te tantum maiorum tuorum opera, qui de Romana Ecclesia bene fuerunt meriti, et quod dum poena de te nocente queritur, innocentes luunt. His de rebus pacare te hostibus querimus. At si recedis a bono et aequo, in quo te gurgite repperimus, in eodem relinquemus; nec mirabimur, si pauperes ad tempus permiserit divina pietas affligi, ut tandem [scelestissimus omnium] puniaris, et aut in bello pereas, aut perdito
20 patrimonio miser in exilium eas.”

Territus his auditis Sigismundus his consensit, quae proxima concordiae videbantur. Sed altera pars, victorum more superba, nihil mutare ex postulatis voluit. Pontifex, quamvis arbitrari posset de Sigismundo, quae vellet, indignum tamen putavit victoriam magis, quam aequitatem respicere, diuque
25 adnixus est ex voluntate partium litem dirimere. Quod postquam non successit, et regi et Sigismundo compromissum remisit non satis intelligens, bellum huiuscemodi an pax rebus Ecclesiae magis conducere, cum constaret Picininum quiescere non posse, veroque simile esse liberatum eum Sigismundi bello adversus Ecclesiam infestis signis iturum. Iudicavit igitur voluntatem Dei esse pacem non potuisse componi. Idemque Florentini existimarunt, quibus venisse diem placebat, in qua flagitiosus tandem homo meritas daret poenas.

30 **33. De Austria et eius ducibus**

Inter haec et legati Sigismundi Austriae ducis pontificem adiere, qui [Svicenses] propediem in armis futuros dixerunt, Austrialemque domum bello aggressuros; id si fiat, magnam Germaniae partem vexatum iri, cunctosque presulis cogitatus adversus Turchos eo pacto perituros fore. [124]

Austriale familia apud Germanos nobilissima est, atque latissime dominatur. In ea quinque fuerunt Romanorum imperatores: duo Alberti, duo Federici, quorum primus prelio victus cessit Ludovico Baioario, et qui prior his suscepit imperium, Rodolphus - qui non magnus in Suevia comes imperator electus adversus Octocarum Bohemie regem, cui et Austria et Styria parebat, bellum gessit, ac prelio -
5 ut dictum est - superatum interfecit, et Austriam suis possidendam reliquit; quae circa Danubium nobilis provincia est, et aliis pluribus regionibus imperat. Olim, quod est citra Danubium, Norici et Pannonii tenuere; quod ultra, barbari: partim Sarmate, partim Germani.

Nostra aetate tres Austrie principes fuere: Federicus et Ernestus germani fratres et patruelis eorum, Albertus, qui eam partem sortitus est, que proprie Austria dicitur, in qua Vienna - prisci
10 Flavianum dixerunt -, urbs nobilissima, mercatura et liberalium artium scola illustris. Federicus in montibus regnavit, ex quibus Athesis et Enus, memorabiles amnes defluunt, salis et argenti mineris inexhaustis. Ernestus Styrie preffuit, quae olim Valeria dicta est, ac (per) Charinthiam et Charnos usque in Adriaticum sinum protendit imperium. Albertus Bohemis atque Hungaris et deinde Romanis imperavit, sed brevi functus vita Ladislaum, filium postumum reliquit, qui editus in lucem Romano
15 dempto Imperio in ceteris regnis patri successit, atque apud Bohemos in adolescentia - ut fama est - veneno periit.

Ernesto duo filii fuere, Federicus et Albertus, qui patre defuncto sepe de successione armis contenderunt. Federicus Romanum Imperium sortitus est, cui in hanc usque diem presidet variis
20 fortunae casibus actus. Federicus senior Sigismundum impuberem filium reliquit, cuius tutelam gessit Federicus iunior. Attigerat hic iam duodeviginti annos, nec tamen e tutela dimissus est, nisi postquam provinciales assumptis armis magistratus, quos Federicus in vallibus Athesis Enique constituerat, eiecerunt. Tum quoque certis conditionibus emissus est, quae sibi et suis gravissimae visae sunt; recepte tamen, cum aliter Sigismundus libertatem consequi non posset. Hinc multe inter eum et
25 Federicum suborte contentiones, quae nondum sopiri potuerunt, cum alter male administratam tutelam diceret, alter non servari conventa quereretur.

Sigismundi provincie [Svicenses] contermini sunt, quos - ut diximus - ipse in Austriales arma moturos pontifici significaverat.

34. De Svicensibus et eorum gestis atque virtute, et dalphini bello

[Svicenses,] quamvis in Gallia siti, Germani tamen lingua et moribus habentur. Montani et feroces
30 populi, parvam olim villam incolere, quae lacui Lucernensi adiacet. Euntibus ex Mediolano Basileam per Alpem, quae Sancto Gothardo dicata est, et hunc lacum navigantibus vallis ipsa ad dextram occurrit, quam vix homines quingenti incolunt, solis pecoribus abundantes. [125]

Inter hos et Austriae duces leves ob causas graves emerferunt inimicitie, que armis agitate sunt. Cumque priores insultationes prosperae [Svicensibus] evenissent, qui Austrialibus acie superatis Leopoldum gentis ducem interfecerunt, et animis et amicis aucti sunt adeo, ut vicinorum montium accole et oppida permulta in eorum clientelam transierint, quorum precipua sunt: Lucerna, Sophinga,
5 Balneum, Solotrum, Berna et alia pleraque. Que licet populosa et potentissima essent, vocari tamen [Svicenses] non recusarunt, quorum nomen a lacu prope Lemanno et Rhodano fluvio usque ad Brigantinas aquas et flumen Rhenum protenditur, et ab Alpibus Italicis Basiliensem contingit agrum, facileque bellatorum triginta milia, ubi necessitas ingruit, expeditorum in armis habet virorum, qui fugere nesciant. Iustitie his hominibus precipua cura; fures acriter puniunt, acrius latrones.
10 Hospitalitatem diligenter observant, sacerdotes honorant, religioni parent, pace gaudent et suo contentantur. Bella non movent nisi irritati; ex prelio fugisse capitale est; eorum, qui cadunt in pugna, liberos atque uxores publice alunt.

Robusta his pectora et insuperabiles animi. Adversus Philippum Mariam Mediolani ducem transgressi Alpes non procul a Belinzona infoelici pugna decertarunt, quamvis cruentam victoriam hosti reliquere; Angelus Pergula eos delevit. Occisus est in prelio magne staturae vir, cuius cadaver Mediolanum delatum gygantis propemodum staturam pre se ferebat. Cum Thuricensibus dispari eventu bellum gessere, cum illi societate eorum dimissa ad Federicum caesarem defecissent; nam circiter octingentos viros unica pugna obtruncaverunt. Austriales pluribus cladibus affecere, et partem agri illis ademerunt; postremo in L-ta annos pax statuta, que tunc [rupta] est, cum dalphinus
20 Viennensis, regis Francie primogenitus magnis equitum copiis circumdatus Basiliensibus bellum intulit; tunc enim Austriales subditi in spem erecti dalphini partes secuti fedus rupere. Miserant [Svicenses] quatuor milia militum auxilio Basiliensibus bello sociis, que manus, priusquam urbem ingrederetur, non tam virtute hostium, quam sua temeritate cesa est; que cum esset pedestris, adversus ingentes equitum copias - ut postea dicitur - congregari non dubitavit. Nec tamen inulta cecidit
25 magna strage Gallorum edita. Abeunte dalphino [Svicenses] Albertum Austriae ducem bello persecuti sunt, et varia cum eo fortuna aliquandiu certaverunt; postremo fessis partibus et multo sanguine fuso rursus pax in quinquaginta annos redintegrata est - non ut tanto tempore quies esset, sed quod supererat priorum annorum, paci tranquillitatieque cederet. Neque hoc stare posse videbatur novis litium subortis causis, et iam [Svicenses] veluti ferociores, et qui se lesos crederent, bellum
30 minabantur. Quod intelligens Sigismundus Austriae dux, nec suis fidens viribus, ad pontificem, qui bellum interciperet - ut ante diximus - oratum misit. Pius id minime negligendum ratus notarium suum, Stephanum Nardinum, egregia virtute virum, quem postea Mediolanensi prefecit ecclesie, ut tantum incendium restingueret, in Germaniam misit. [126]

35. Appenninus mons quantus sit et unde dicatur

Ipsa pontifex Florentia discedens prima nocte in villa Cosmae, quae est in Mugello pulcherrima, quievit. Sequenti die summum Appennini iugum transmisit, et in oppido, cui Florentiola est nomen, pernoctavit.

5 Appenninus mons est altissimus, qui ab Alpibus descendens universam Italiam percurrit, a dextris Liguriam, Thusciam, Umbriam, Campaniam et alias complures provincias dimittens, a sinistris Galliam Cisalpinam, Flamineum, Picenum, Aprutium, Apuliam et alias Italiae partes respicit; ex cuius dorso fluentes amnes alii (in) Superum, in Inferum mare alii devolvuntur.

10 Quidam Appenninum a Penno dictum putant, eo, quod Penu Hannibal in eius transitu alterum oculum amisit; Illyri summa montium iuga 'planina' vocant, hinc alii vocabulum paucis mutatis litteris receptum existimant. Nobis neutrum placet, nominum interpretationem atque originem difficillimam iudicantibus; si quid tamen coniectari licet, non ab re fuerit Appenninum quasi Alpinum per diminutionem appellatum arbitrari, ut est Italice linguae modus.

15 Florentiola dimissa alterum Appennini iugum non sine labore atque incommodo pontifex superavit, ac Planorium venit, Bononiensium legatis paulo ultra Caprennum inventis, ubi Florentinorum ac Bononiensium terminantur agri.

36. De Bononia et Baioariis et Xantho tyranno et factionibus urbis

20 Bononiam - prius Boioniam dictam - Galli, quondam Boi, eiectis Etruscis occupavere, qui a Romanis pulsi trans Alpes migraverunt, Danubioque adiacentem agrum atque omnem Eni fluminis vallem possederunt, inde Noricorum gente deiecta. Retinuerunt non parvo tempore Boiorum nomen, deinde Boioarii et postea Baioarii appellati sunt; nostra aetas corrupto vocabulo Bavaros vocat. Quibus ab orienti Austriales occurrunt, ab occidenti Suevorum gens, qua in parte fuit ager Reticus, a meridie Italici montes, ab aquilone Francones et Bohemi, quos Boiorum reliquias nonnulli arbitrantur, quamvis eorum historia genus esse Sclavorum dicat.

25 Bononiensis ager inter Appenninum et Padum iacet; regionem hanc Emiliam dixere Romani, nunc Romandiolam vocant, sic enim intransitibus Italiam Longobardis eam Cisalpinam Galliae partem vocare placuit, que in officio cum Romanis mansit. - Civitas ad radicem Appennini sita est, in quam parvi Rheni fluvii pars derivatur. Abundat urbs tritico vinoque, sericum plurimum colligit; aer hic saluber et laetus; scola insignis legum ac philosophiae, verum mores bonos non tam cives, quam externos docet.

30 Civitas Ecclesiae Romane iure subiecta est, (verum) male parens populus factionibus studet, [nec regere novit, nec regentem ferre; rapine avidus atque in cedes pronus.] Sepe nostra aetate tumultuavit; nunc Bentivolii nunc [127]

Cannetuli seu Ianbeccharii [excusso Ecclesiae iugo] illic tyrannidem exercuere. Martinus Quintus urbem amisit. Eugenius Quartus recuperavit; [sed cum Antonium Bentivolium, nobilem equitem aut imperasset aut permisisset gladio percuti, rursus Ecclesiae perdidit. Hannibal, Antonii filius, et Baptista Cannetolus] Nicolaum deinde Picininum pulso presidio Ecclesiae cum equitatu intromisere.

5 Nec Picininus longo tempore placuit: Franciscus, eius filius hic captus malo modo mulctatus est. [Baptista insidiatus Hannibali hominem obruncavit;] nec mora, oborto tumultu fugatis Cannetoli partibus [Baptista e latebris eductus, in quas effugerat, multis vulneribus confossus scelerum poenas dedit; cadaver lacerandum canibus et suis traditum; nec defuerunt, qui more ferarum rabidi cruorem eius ebiberint corque commanducarint. Tum] Bentivolii et Malvetii et Maliscotti urbis

10 principes facti; at cum Bentivolii capite carerent - nemo enim erat in ea familia ad regimen urbis aptus -, et filius Hannibalis, Iohannes impuber egeret tutore, Xanthum quendam nomine [lanificem] ex Florentia vocaverunt, quem Bentivolorum sanguine natum, [quamvis ex adulterio, putabant.]

Memorable dictu: ignotus homo, [lanificio, et quidem vilissimo] vitam ducens, et nihil prorsus tale expectans ad tutelam nobilis pupilli et ad gubernationem potentis atque indomiti populi favore

15 incredibile est assumptus! In quibus rebus ita se gessit, ut non tam [sordidam] - qua vixerat - artem, quam sanguinem - ex quo natus dicebatur - pre se ferre, et inter urbis principes primum tenere locum haud iniuria videretur, ac si cum vestibus et ingenium mutasset et animum.

Interea, cum obiisset Eugenius, Nicolausque illi suffectus esset, qui adolescens olim in ea urbe nutritus ac episcopatum postea sortitus fuisset, civitas cum eo in gratiam rediit, prescriptisque

20 nonnullis legibus legatum admisit - qui verius 'ligatus' appellari potuit, cum omne urbis imperium penes sexdecim viros esset, quorum princeps Xanthus habebatur, qui [miserabili] servitute civitatem oppressit, quando aliter [rapax et] inquietus populus in officio retineri non poterat. Is cum accepisset Pium pontificem statuisset Mantuam petere, accersitis factionis sue ducibus: „*Quid agimus?*” - inquit. - „*Si nobis pretermisiss Mantuanum concilium adierit pontifex, amaro in nos esse animo iudicabitur.*

25 *Exulibus nostris cum spe crescet animus, et auxilia prestabunt amici, quibus nos urbe pellant. Si hac iter habuerit, populus, qui nos odit, omne ad eum imperium deferet, et nostra peribit auctoritas.*”

Diu res agitata est in consilio, cum anceps periculosaque videretur. Tandem suadente Francisco Sfortia Mediolanensium duce, quem ea de re consultum habuere, Iacobum cognomento Ingratum Romam misere, qui pontifici Mantuam ituro, suam Bononiam ut inter eundum viseret, quam

30 efficacissimis precibus supplicaret, idque magistratibus et universae civitati gratissimum futurum diceret; verum cum exularent in agro Ferrariensi complures Bononienses, qui res novas per omnes dies molirentur, et urbis non satis pacata plebs illis aliquando aures accomodaret, opus esse non parva militum custodia, qui [128]

providenter, ne res Bononiensis per ingressum pontificis aliquid detrimenti pateretur; ad quam rem Mediolanense presidium querere statuissent.

5 Intellexit pontifex, quorsum ea tenderent verba, remque in utranque partem [pensitans] neque armatam intrare Bononiam, neque civitatem Ecclesiae preterire honestum censuit, responditque demum ituro sibi ad conventum animum esse Bononia transitum habere, nec causam sibi occurrere, cur Bononienses metuant; consulerent tamen suo timori, et armarent, si possent, formidinem, urbemque pro suo arbitrio custodirent, dum milites ad custodiam accersiti in verba Pii iurarent.

10 Placuit ea conditio Bononiensibus, qui accersita Ex Mediolano magna equitum manu in adventu pontificis urbem armis complevere. Cohortes decem affuere, quarum duces ad Planorium pontifici occurrentes iuramento se illi astrinxere. Galeazius, cui parere omnes iussi erant, in manu Pii Florentiae iuraverat, et precedens eum Bononiam venerat, ubi equitatu patris accepto iterum pontifici obviam factus est cohortibus non aliter instructis, quam si prelium essent initure cathafractis equis et fulgentibus armis insignes.

37. Ingressus pontificis in Bononia, et Bornii oratio, Bononiensiumque licentia

15 Intravit Pius Bononiam ingenti plebis alacritate, primoribus urbis sellam eius portantibus. Sequentique die apud Sanctum Petronium peracta re divina populo publice benedixit, et reversus in Palatium dicendi, quae vellent, civibus, qui frequentes aderant, copiam fecit; venerant enim pontifici gratias acturi, qui suam visere urbem haud aspernatus fuisset. Orandi partes Bornio iure consulto demandate sunt: viro, qui multa legisset, et cuius os dulce sonaret. Is non quod iussus erat, sed quod

20 sibi placuit, longo sermone disseruit; laudato enim pontifice, quantum sufficere arbitratus est, de Bononiensis agri fertilitate, de celi clementia, de litterarum studiis, de templis, de menibus, de privatis et publicis aedificiis multa pulchre locutus est. Invectus autem in cives miro modo hos legum hostes, boni et aequi inimicos nullis teneri frenis ait, alieni avidos, sui prodigos; neque matrimonii iura neque hospitii federa custodire; nihil sanctum apud eos inveniri, qui neque fidem neque iuris iurandi

25 religionem colerent; alios tyrannos esse, alios servos, et illos rapere, hos furari, illos gladio inimicos occidere, hos veneno, illos adulteros esse, hos lenones; scelera et turpitudines omnes hic sibi proprium domicilium elegisse, nec ullius esse tam fedam urbis faciem, quam Bononie. Orare igitur, ut urbis suae curam gereret, daretque operam, ut eliminatis vitiis civitas tandem reformaretur, quando Superum ope eo sospes adventasset.

30 Quae cum audacter atque intrepide et in modum torrentis fluenti oratione depromeret, cives, qui aderant, contra se magnopere excitavit, exteros in admirationem adduxit. Quis enim de sua patria quenquam talia dicturum [129]

expectasset? Patrie omnes ignoscunt, cuius dedecus suum ducunt. [Caeterum oratio Bornii vera est habita, et ipse non tam orator existimatus, quam philosophus]. Pontifex facundiam eius doctrinamque laudavit, et ad reformandos civitatis mores suam operam est pollicitus, si tamen eum populum inveniret, qui coerceri legibus posset.

- 5 Scola Bononiensis non apud Italos tantum, sed apud externos quoque clarissima est, multosque viros erudit, qui postea sapientiae civilis arcem tenere cum suorum civium tum aliorum, quorum comentaria vigorem quodammodo legis habent. Nec philosophia hic sterilis fuit, cuius auditores adeo profecerunt, ut multis postea in locis cathedras rexerint. [In armis non extat ingens Bononiensium laus, quos domi crudeles magis, quam fortes, foris esse ignavos constat.]
- 10 Opinione sanctitatis duos etate nostra memoria dignos novimus: Nicolaum cardinalem Sancte Crucis, Ordinis Carthusiensium professorem, et Franciscum Parvipassus, qui Mediolanensi prefuit ecclesiae; ille Francis Burgundos conciliavit, iste in bello, quo Braccius, hostis Ecclesiae Romanae cecidit, Martini pape vices gessit.

38. De Orlando presule Florentino et eius stulta morte

- 15 Mansit Bononie Pius sex diebus, et in primo consistorio, quod illic habuit, Orlandum Florentinum, causarum Sacri Palatii auditorem patriae suae presulem designavit, qui eius rei accepto nuncio pre gaudio illacrymatus est. Fuerat enim in omni vita pauper, verum doctus et iustitiae tenax; et quamvis bene de Pio speraret, nunquam tamen episcopatum urbis alicuius ambivit; satis se felicem arbitrabatur, si aureos quotannis trecentos ex minoribus dignitatibus consequi posset. At cum certior
- 20 factus est Florentinam sibi ecclesiam esse creditam, more hominum insanire cepit, qui nunquam adeo sublimem gradum ascenderunt, quin altiora querant, et tum miserrimi sunt, cum felices esse videntur. Existimavit Orlandus, cum tam facile atque insperato pontificatus sibi obvenisset, cardinalatum longe facilius obventurum: tantum sibi de pontificis benivolentia blandiebatur. Ad quam rem si non satis sua sponte insaniebat, necessariorum et amicorum verbis instigabatur, nihil de Pio desperandum esse
- 25 dicentium, qui sibi absentem et prorsus ignorantem archiepiscopalem mandasset honorem. Ille infoelix adeo spem hanc arripuit, ut nunquam ad se nuntium ex Curia venientem viderit, quin sibi allatum pileum existimaret; atque iccirco creatis postea cardinalibus cum sui nullam mentionem factam intellexisset, merore confectus morbum incidit, ex quo mortuus est. Pius amicum occidit, dum honestare contendit - adeo parum est, quod mortalibus ex sententia cadit. [130]

39. De Ferraria eiusque origine, et qui in ea fuerint dominati, et Estensium (spurcitia)

Ipsa deinde relicta Bononia per flumen Rhenum et deinde per Padum Ferrariam petiit. Borsius eius loci pro Romana Ecclesia vicarius ad agri fines obviam factus est magno nobilium comitatu stipatus.

- 5 Ferraria in una ex insulis Padi fluminis sita est. Priusquam civitatis nomen sortiretur, ecclesiae Ravennati paruit. Ferunt Ravennatem presulem tribus oppidis suis ex tribus metallis indidisse nomen: Aureolum ex auro, Argentam ex argento, ex ferro Ferrariam appellasse, que [vilior] ceteris videretur. Smaragdus patricius et exarchus Italie primus hanc urbem muro cinxit, que vastantibus Italiam Longobardis in Ravennatum Romanorumque partibus constantissime perseveravit. Victor Karolus
10 Magnus inter alias Ravennatis exarchatus urbes Ferrariam quoque Romanae Ecclesiae et Beato Petro dono dedit. Persequentibus Ecclesiam nonnullis Germanorum imperatoribus hec urbs ad eos defecit, sed comitissa Mathildis, fama excellens foemina Henrico Tertio armis eam eripuit Ecclesiaeque restituit. Salinguerra deinde, privatus civis suasu marchionum Estensium et auxiliante Federico Primo perfidia usus tyrannidem arripuit; hunc Innocentius Quartus pontifex maximus expulit. Paulo post
15 marchiones Estenses Ecclesiae deiecto presidio introiere; qui cum annos octo et sexaginta regnassent, a Venetis sunt repulsi. Hos pontifex maximus Clemens Quintus extra communionem Ecclesie fecit, et bona eorum per Gallias diripi iussit; cum neque hoc modo parerent, misso legato armis aggressus est, victorque civitatem recuperavit, ac marchiones Estenses, qui auxilio fuissent, et egregiam operam in bello navassent, vicarios in ea constituit; qui postea in hoc usque tempus Ecclesiae censum prebuere.
20 Eugenius Quartus decem mille aureos, quos illi singulis annis Apostolice Camerae dissolvebant, ad quattuor milia reduxit, et concilium Latinorum ac Graecorum in ea urbe celebravit, quod eius opes mirum in modum auxit.

- Ii marchiones Francorum sese genus esse dicunt, neque Francie reges id negant, a quibus insigne liliorum acceperunt. [Nonnulli ex Maguntia profectos asserunt, et sanguinem esse Gayni, quem
25 prodidisse Francos in bello adversus Saracenos infeliciter gesto fama est. Veri periculum in medio relinquimus, quamvis et Gaynum Francum fuisse tradunt.] Illud in hac familia singulare, quod patrum nostrorum memoria nemo legitime natus ad principatum pervenit, adeo concubinarum, quam uxorum filii fortunatiores fuere - res non Christianis modo, sed omnium fere gentium legibus adversa. Nicolaus nostro tempore extra matrimonium genitus eius gentis princeps fuit, magno vir ingenio, [verum
30 sequax voluptatis] ; felicem putasset vulgus, nisi comperto uxoris ac filii adulterio utrunque gladio percussisset. [Digna Dei ultio: qui alienas nuptias percerebro fedavit, thalami sui corruptorem perpressus est filium!] Huic plures fuerunt nati cum ex matrimonio tum ex adulterio. Legitimos iudicium patris exclusit, Leonellum ex concubina Senensi genitum [131]

successorem constituit, qui regis Alfonsi filiam - et ipsam spuriam - duxit uxorem, cum prius ex domo Gonzage duxisset alteram. Leonello frater successit Borsius eadem matre natus; filius preteritus est, sive quod legitimus esset, sive quod aetate minor.

40. De Borsio et dubiis eius moribus, et ingressu Ferrariae

- 5 Borsius egregio corpore fuit, statura plus quam mediocri, crine pulchro et aspectu grato; multiloquus auscultavit se ipsum dicentem, ut qui sibi magis, quam auditoribus placeret. [Multa in eius ore blandimenta commixta mendaciis.] Magnificus ac liberalis videri magis, quam esse cupiebat, quamvis Federicum caesarem Romam euntem atque inde redeuntem magnis honoribus ac donis prosecutus fuerit, a quo Mutine comitatum in ducatum erigi et se ducem creari - ut ante diximus - obtinuit.
- 10 Uxorem nunquam duxit, venationi magnam operam dedit. Statuam sibi viventi in foro erexit, quae sedens ius dicere videretur; adiecti sunt et tituli, quos palpans adulatio excogitavit; nihil enim Borsio laude fuit dulcius. Coemit lapillos preciosos quam plurimos, et nunquam non gemmis ornatus in publicum prodiit. Suppellectilem domus ditissimam cumulavit, argenteis et aureis vasis etiam ruri usus.
- 15 Is, cum Pius electus est, multa ostendit letitiae signa: ludos militares instituit, victoribus premia posuit, donavit nuntios, ignes tota in ditone sua incendi iussit, epulumque amicis fecit, inter quos Pium sibi affinem esse gloriabatur, quoniam mater eius Senensis fuisset ex domo Ptholomea, que Picolominee sanguine iungitur. Agebat quoque Deo gratias, qui eum sibi pontificem dedisset, a quo nihil impetrare non posset; neque id falso fuisset opinatus, si concessu digna petivisset. At cum
- 20 indigna quereretur, repperit apud Pium presulem non tanti benivolentiam esse, quam honestatem. Petiit enim Ferrariae se ducem creari, censum sibi remitti, et Franciscum Ferrariensem episcopum non damnatum a sua ecclesia removeri. Non est exauditus, noluit enim pontifex aut Romanam Ecclesiam suo censu privare, aut pontificatum incognita causa laudato viro auferre; ducatum concessisset tributo retento, quem ille contempsit. Obtinuit tamen concessionem alias magni ponderis, speravitque maiores in dies accipere; atque ob eam rem - et quod aliorum exemplis admonebatur - summis honoribus Pium excepit, adnixusque eos superare, per quos iter fuerat habitum, in porta claves urbis pontifici obtulit, [pedesque] ad sellam eius inter portantes tandiu profectus est, quoad equum ascendere iuberetur.
- 25 Tecta pannis omnis via fuit et strata floribus, per quam itum est ad maiorem ecclesiam; adornate domus, et omnia plena cantibus ac personatibus erant, acclamante populo: "*Pio pontifici vita!*"
- 30 Cardinalibus et universae Curie ministrata ex Palatio cibaria, ludi multiplices exhibiti, orationes complures ab oratoribus disertissimis habitae. [132]

Celebritas hic Sacratissimi Corporis Domini acta est. Solemnis pompa per forum ducta pontifice populo benedicente et Hostiam Immaculatam portante.

5 Mansum est hic octo diebus; multa in secreto colloquio pro negatis sibi petitionibus questus est Borsius, quem pontifex facile confutavit. Rettulit et ad consistorium litem, quam contra episcopum suum haberet, et in arbitrio pontificis posuit; qui cognito negotio pollicitus duci est, quamprimum facultas adesset episcopum ad aliam ecclesiam se translaturum - idque Senis postea factum est -, sponnditque dux in conventu Mantuano sese minime defuturum, ut qui rem Christianam inter omnes, qui viverent, conservari maxime cuperet.

41. De Guarrino, Aurispa, Poggio et Iannotio oratoribus et eorum morte

10 Guarrinus Veronensis, grandevus et venerabilis senex, *magister fere omnium*, qui nostra aetate in humanitatis studio floruerunt, pontificem adiit dignamque suo nomine suisque moribus orationem habuit. Adiit et Iohannes Aurispa Siculus, Graecae atque Latinae linguae peritissimus, annum prope nonagesimum agens, qui pauio post mortem obiit.

15 Fuit hic annus trium eloquentissimorum virorum dormitionibus insignis; nam et Poggius - cuius ante meminimus - Florentie et Iannottius Manettus Neapoli ex hac luce migravit. Iannottius et ipse Florentinus fuit, vir admodum doctus, qui cum Latinis Graecisque litteris coniunxit Hebraeas. Horum nemo de nature legibus conqueri potuit: septuagesimum cuncti annum excessere, et sortem vicere communem. Iniurius est, qui plus sibi deberi censet.

42. Padi fluminis origo et magnitudo

20 Relicta Ferraria pontifex adverso Pado Rovarium navigio petiit, marchionis Mantuani oppidum.

25 Padius in Alpibus Cocciis ortum habet, omnemque Galliam Cisalpinam percurrens multis amnibus, quorum plerique navigantur, in se receptis quinque ostiis in Adriaticum mare defertur. Greci Heridanum vocavere, Eliadum fabulis et Phetontis incendio, cui restitisse creditur, memorabilem; eorum, qui sunt in Europa, fluminum nulli cedentem, quamvis Rhenus et Ister longiora dimensi spatia pluribus fluviis augeantur.

Navigante Pio duae inter se classes concurrere: altera ducis, marchionis altera; illa Pium ferebat, ista ferre optabat. Tubicines hinc atque inde omnes circum valles mirabili clangore rapiebant, vexilla ventis agitata instar silvae pre se ferebant. Accole in utraque ripa consedentes pontificis benedictionem exposcebant, ac benedicenti "*Vitam!*" acclamabant. Postquam marchionis in [133]

finis navigatum est, et pontifex novi hospitis navigium intravit, Borsius salutato marchione et impetrata a Pio potestate discedendi retro abiit.

Secuta nox Rovarii peracta est, quo in loco regium palatium semiedificatum structura et artificio singulare architecti ostendit ingenium.

5 **43. De Mintio flumine et Virgilio villa. De Mantuae origine et Mathildis dominatione, et Gonzagae strumositate, et Ludovici praestantia**

10 Postera die ad ostium Mintii fluminis perventum et in stagnum usque navigatum, in cuius sinistro litore tumulus ostenditur sacer habitus, in quo divini Maronis fuisse lares affirmant; villa circum parva iacet, quae tantum peperit vatem. Ab eo loco (secundo) ferme miliario, in predio principis pontifex pernoctavit, ut sequenti die urbem ingrederetur.

15 Mintius amnis ex lacu Benaco defluit, stagnumque efficit, quod Mantuam magna ex parte ambit. Ipsa urbs in paludibus iacet, neque adiri potest, nisi pontibus aut navibus. Ampla est et ingentis populi capax; multae in ea splendide domus et palatia regibus apta, verum aestate pulvis, hyeme lutum incolas molestat. - Populus perhumanus et amans hospitem. Monasteria multa insunt virorum et foeminarum, in quis sanctae degunt animae. - Etrusci trans Apenninum in Gallia et ultra et citra Padum duodecim colonias condidere, quarum unam fuisse Mantuam tradunt, opus nobile Bianoris, Tyberini regis et Mantonis filii.

20 Multas hec urbs perpessa est calamitates; nam praeter illud, quod ait Virgilius: "*Mantua, ve, miserae nimium vicina Cremonae!*" - et Hunorum et Gothorum et Longobardorum et Baioariorum armis invasa nunc direpta, nunc deiectis menibus immunita prorsus relicta. - Memoriae proditum est per tempora Karoli Magni sanguinem hic Domini nostri, Salvatoris Christi miraculosum apparuisse, atque ad eum visendum Leonem Secundum pontificem maximum accessisse, qui rem cognoverit atque probaverit. Hic Karolus Calvus, Magni filius veneno interiit, quod Hebraeus medicus propinavit. (Hic Nicolaus Secundus, urbis Rome presul concilium celebravit, in quo statutum est Romani pontificis electionem per cardinales faciendam esse.) Mathildis, gloriosa mulier - cuius supra meminimus - huius olim urbis dominatum habuit; qua defuncta multae regiminis mutationes factae sunt, et modo imperatores Germani, modo Romani pontifices imperium tenuere. Postremo nobiles, quis Gonzaga cognomen dedit, favore populi ad principatum pervenere, eoque longo tempore potiti sunt.

30 Primus eius familiae dominatum arripuit Aloysius Gonzaga, cuius posterius adeo clementes habitus sunt, ut [tyrannidem in iustum imperium commutaverint,] vicariatum [que] urbis a Romanis imperatoribus obtinuerint. Demum vero Iohannes Franciscus, magno vir ingenio et armorum gloria illustris, aetate [134]

nostra a Sigismundo caesare, cum Roma rediret in Germaniam, marchionatus honorem adeptus est; cui coniunx clarissima fuit Paula, moribus et litteris excellens, cuius solertia monachi omnes, qui Mantuam incolunt, instituta patrum ad unguem - ut aiunt - usque in hanc diem custodiunt. Ex his
5 nam et parentis gloriam militans adequavit, et Victorinum oratorem audiens preceptoris propemodum doctrinam assecutus est; mitis ingenii et iustitiae observantissimus. Uxorem duxit ex familia Brandeburgensi Barbaram nomine, prestanti animo atque ingenio foeminam, et quae dominandi artem calleret, queque viro prolem pulcherrimam peperit - quamvis gibbus et struma in nonnullis apparuit, postquam pueritiam exivere. (Quod in ea puella accidit, que prior Galeazio Mediolanensi
10 desponsata est; propter quod repudiata in monasterio se clausit sorori cedens, que in locum eius surrogata est.) Divina haec ultio creditur in ea familia propter aliqua parentum delicta; frequenter enim pulcherrimi pueri, postquam adoleverunt, deformes facti sunt. Felix alioquin domus, subditorum et vicinorum benivolentia gaudens.

44. De Bianca ducissa Mediolani et Ipolita filia ac dignissima prole, et de ingressu Mantuae in pompa triumphali, et Ipolite puelle oratione pereleganti
15

Ingressus est Mantuam Pius VI-o Kalendas Iunii, quinque diebus ante prestitutum terminum. Civitas plena hospitem fuit, vicinarum urbium populi frequentes aderant. Et Bianca Mediolanensium princeps affuit, Philippi Mariae quondam ducis filia, tunc Francisci Sforciae coniunx, magni animi et singularis prudentie mulier; et cum ea nobilissima proles utriusque sexus: mares quatuor non alio
20 aspectu, quam missi e celo angeli, et desponsata filio Siciliae regis puella, Ipolita nomine, vultu moribusque prestans; multe insuper virgines ac matronae nobiles et illustrium virorum comitatus. Bianca in suggestu apud ecclesiam maiorem apparato et Barbara simul pontificis adventum expectavere, qui pompam huiusmodi ducens intravit urbem:

Precesserunt servitia Curiae et cardinalium ministri, tum minoris ordinis curiales, exin equi candidi absque sessoribus duodecim, frenis sellisque aureis ornati; tum vexilla tria - in primo signum Crucis resplenduit, in altero clavium Ecclesiae, in tertio quinque lunarum, quod est Picolomineorum insigne -
25 , et ea viri nobiles armis tecti et phaleratis insedentes equis portavere. Mox umbella secuta est rubro et croceo colore distincta; proximi sacerdotes urbis diviti apparatu sacra ferebant; post hos regum et principum legati; tum crucem auream comitantes subdiaconi apostolici, auditores Palatii, scriniarii et
30 advocati. His arcula iungebatur aurea equo albo vecta et multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Eucharistia, id est Hostia Salvatoris sacrata, et siriceum desuper umbraculum. Huic proximi Galeazius Mediolanensis et Ludovicus [135]

marchio, et post eos cardinalium venerabilis ordo. Tum pontifex ipse sella sublimi sedens, sacerdotali paludamento et onusta divitibus gemmis mytra fulgens, nobilium procerum portatus humeris, benedicens populo incedebat, et iuxta eum cubicularii et corporis custodes. Episcopi et notarii et abbates et ingens prelatorum turba pontificem sequebantur.

5 In porta urbis Ludovicus equo desiliens claves civitatis pontifici obtulit. (Idem fecere omnes, ad quos Pius in itinere declinavit, preter Senenses et Florentinos, [qui populari oppressi tyrannide retentis clavibus videri liberi voluerunt.]) A porta urbis usque ad ecclesiam Sancti Petri, quae cathedralis est, nihil non tectum pannis fuit, et parietes undique et floribus et auleis ornati. Mulieres, pueri ac puellae fenestras ac tecta compleverant, nec tamen pressura defuit cunctis aditibus populo occupatis. Altaria
10 multis in locis incenso thure fumabant, nec alia vox exaudiebatur, quam populi clamantis: „*Vita Pio pontifici maximo!*” Ubi ad ecclesiam ventum est, supplicationibus Deo factis et hymno decantato et annuntiata cunctis, qui aderant, plenaria peccatorum remissione, pontifex in amplissimo palatio exceptus est, et mansiones suas quisque petiere.

15 Postridie Bianca et Barbara pontificem visitarunt, exobsculatisque sacris pedibus spirituales, quas optaverunt, gratias impetravere. Ippolita, Blancae filia Latine coram pontifice oravit adeo eleganter, ut omnes, qui aderant, in admirationem adduxerit.

COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI LIBER TERTIUS INCIPIT

1. De initio conventus et prima pontificis oratione, et Blancae discessu

5 Kalendis Iuniis, quae dies statuta initiando conventui fuit, pontifex ex Palatio cum
cardinalibus, episcopis et omni clero ad ecclesiam descendit, urbis religiosi viris ex omni
ordine iussis adesse. Res divina solemniter apparatu et ingenti astantium devotione peracta est.
Tum Coronensis episcopus, vir doctrina et honestate insignis, sermonem habuit, in quo et
pontificis propositum et conventus causam et necessitatem rei gerende explicavit, hortatus
10 eos, qui adveniant: pronis et volentibus animis desiderium presulis adiuvent. Pius autem
ex solio suo, cum iam omnes assurgere vellent, manu silentium indixit, atque in hunc modum
affatus est:

15 *"Speravimus, fratres ac filii, hanc urbem adeuntes frequentes, qui precessissent, regum
legatos invenire. Pauci adsunt, ut videmus. Decepti sumus: non est religionis cura apud
Christianos, quantam credidimus. Conventionis diem longissimam statuimus: nemo
temporis brevitatem accuset, nemo viarum incommoda causetur! Nos aegritudine
laborantes et affecti senio Appenninum et hyemem contempsimus, nec nos alma Roma
remorari potuit, quamvis medios inter latrones constituta nostram presentiam magnopere
desideraret. Reliquimus Ecclesiae patrimonium non sine periculo, ut fidei catholicae
subveniremus, quam Thurci pessundare nituntur. Videbamus illorum opes in dies augeri, et
20 arma, quae iam Greciam et Illyricum obtinuissent, in Pannonia grassari, et Hungarorum
fidelem gentem multis afflictare cladibus. Verebamus, quod futurum est, nisi sapimus:
devictis Hungaris et Germanos et Italos et omnem prorsus Europam subactum iri, quod
absque religionis nostrae subversione fieri non posset. Cogitavimus hoc malum avertere;
indiximus hoc in loco conventum; vocavimus principes ac populos, ut communi consilio rem
25 Christianam tueremur. Venimus spe pleni, quam vanam fuisse dolemus. Pudet nos tantam
esse Christianorum negligentiam: alii delitiis indulgent, alios avaritia retinet. Thurci pro
sua damnatissima secta non recusant mortem - nos pro sancto Christi Evangelio nec subire
sumptus, nec labores perferre vel minimos possumus? Si sic pergimus, actum de nobis
fuerit. Peribimus brevi, nisi alios adsumimus spiritus. Ob quas res vos hortamur, viri
30 religiosi, ut orationibus assiduis Deum precemini: Christianis regibus aliam mentem
prebeat, sui populi animos excitet, corda fidelium incendat, ut iam tandem arma sumentes
iniurias ulciscantur, quibus religionem nostram in dies Thurci afficiunt. Agite, fratres, agite,
filii! Convertimini ad Deum toto corde, vigilate, orate, ieiuniis et elemosynis peccata vestra
redimite! Facite opera digna poenitentiae! Sic enim placatus Deus nostri miserebitur, et
35 audientibus nobis hostes tradet in manus nostras. Nos hic tandiu manebimus, donec animos
principum exploremus. Quod si venturi fuerint, simul cum ipsis rei publicae consulemus; si
minus, necessarium erit domum [137]*

repetere, eamque sortem ferre, quam Dominus dederit. Verum defendende religionis propositum, quoad vires vitaeque suppetant, nunquam deseremus, nec durum putabimus, si res petierit, pro nostris ovibus animam ponere."

5 Exceperunt cardinales et episcopi mira attentione pontificis verba, eiusque mentem magnis preconiiis extulerunt, ac rebus gerendis honestum putavere principium datum venia delictorum omnibus concessa, qui suam conscientiam per confessionem rite purgassent. Bianca his visis admodum leta cum plerisque vicibus pontificis alloquium obtinisset et animo suo abunde satisfacisset, sese, virum ac liberos apostolicae pietati commendans Deo devota Mediolanum rediit.

10 **2. De multorum vanis perversisque calumniis in pontificem et maxime Aquilegiensis, et dissuasionem perseverandi**

Post aliquot dies, cum pauci convenissent, nec fama esset conventuros plures, spernebatur consilium praesulis, qui tantum laborem frustra suscepisset. Murmurare passim curiales de pontifice, cardinales obloqui, suae cervicis et parum [pensi] habentem dicere, neque parcere calamo: ii per Italiam, illi per Gallias et ad omnes ultramontanas regiones probrosas epistolas missitare (qui per se ipsos scribere non auderent, aut amicis aut servis hanc provinciam demandare): venisse Mantuam stulto consilio Pium, oratores principum paucissimos adventasse, pauciores venturos; locum palustrem atque insalubrem esse, cuncta aestu fervere, neque vina sapida neque res alias ad victum necessarias placere; aegrotare quam plurimos, febres admodum multos absumere; nihil audiri nisi ranas. Fuerunt et qui regi Francie litteras dedere, in quis concilium ad alium locum transferendum asseverarunt. Nonnulli prolatum conventionis diem nunciavere. [Neminem tamen contemptibilius de pontifice locutum ferebant, quam Ludovicum cardinalem Aquilegiensem, qui modo inter domesticos modo etiam in corona prelatorum pueriles fuisse cogitationes presulis affirmabat, inexpertum eum et parum providentem dictitans, qui relicta urbe Roma per aliena hospitia vagaretur, crederetque suis hortatibus reges in bella trahere, atque Thurcos delere, quorum insuperabiles vires essent; melius mansisse domi, et ecclesiae suae consuluisse. Venetos autem dehortabatur, ne legatos ad eum conventum mitterent, qui nullos parituros esset effectus.]

30 Iacobus quoque cardinalis Sancte Anastasiae venenatis inter amicos sermonibus utebatur [fatuitatem] pontificis palam accusans, qui ditaturus alienos subditos Mantuam venisset, suis pauperiem reliquisset. [Verum est, quod vulgo dicitur: "*Inter quadrigarum rotas eam stridere, quae peior sit.*" - Iacobus germani, qui Callisti medicus fuit, non meritis suis ad cardinalatum ascendit; statura parvus, sapientia minor, nulla rerum experientia praeditus, nec doctrina nec moribus excellens, genere ignobilis. Ex Umbria Romam venit loco natus [138]

vili, qui vulgo Colliscipolis appellatur (quidam 'Scipionis' interpretantur, quidam 'ceparum').]

Accedentes autem nonnulli ex cardinalibus praesulem:

"Quid agis?" - aiebant. - „*Frustra hic nos retines, nisi aere hoc pestifero nos paras interficere. Quin abis? Venisti ad prestitam diem, satisfacisti termino. Principes domi manent, et te nosque contemnunt. Intellexerunt omnes curam tibi fuisse tutande fidei: sufficit honori tuo. Quis te arguat, si solus vincere Thurcos nequeas? Repetamus propriam sedem! Si qui sunt, qui bene consultum rei Christiane velint, non recusabunt te sequi, quocumque ieris.*"

5
10
15
Inter has voces constans atque immobilis perstabat presul, nec rumores ponebat ante salutem, Deo placere, non multitudini studens. Fuerunt et inter cardinales plerique melioris consilii, qui perseverantiam suadebant - ut Bessarion Nicenus et Iohannes Sancti Sixti: Grecus alter, Hispanus alter. Quidam, etsi aliud mente gerebant, pontifici tamen blandiebantur, tanquam non inviti manerent. Qui abeundum dixerant, cum non impetrassent, per vicina castella dilapsi urbanum aestum evitaverunt. Aquilegiensis sub specie lavandi apud balneas Patavium petiit, deinde Venetias profectus est. Quibus in locis adversus cardinalem Sancti Marci multa molitus, ne Patavinam consequeretur ecclesiam, de conventu Mantuano pessime loquebatur, quecumque illic agerentur, extenuans.

3. De Peloponneso seu Morea eiusque situ, et despoti legatione, ac Pii et Blance presidio ad eum misso, et Demetrii perfidia

20
25
30
Dum hec aguntur, legati Thomae despoti Amoree presulem adeunt. - Hec olim provincia Peloponnessus dicta est, et arx quondam Graeciae habita. Formam cheronnessi habet. Aegei atque Ionii pelagi fluctibus illiditur. Hic nobilis Corhintus fuit et Elis, ludorum memoria insignis; et vetus Lacedemon, Agamemnonis et Menelai sedes, qui rapinam Helenae vindicantes Ilyon delevit; et vetustiores Argi et Nestorea Pilus. Hae olim preclare urbes fuere, nunc sine nomine iacent preter Corhintum, cuius ad Histmum nonnullae visuntur reliquiae, et castellum Argos. - Occupata per Thurcos Constantinopoli - ut ante diximus - et interfecto Constantino Paleologo, gentis imperatore, fratres eius, Thomas ac Demetrius huc se receperunt, et modo Turchis tributum penderunt, modo arma in eos verterunt. Latinorum auxiliis et loci munitionibus freti. Exin orto inter eos dissidio Demetrius Turchorum partes secutus filiam suam Mahumeti despondit. Thomas auxilio Albanorum, qui Peloponnesum frequentes incolunt, et fratrem magna regni parte mulctavit, et Thurcos, qui arma in se verterant, prelio fudit, captivosque multos cepit, ex quibus sexdecim per legatos - quos diximus - pontifici dono misit, auxilium secundis rebus efflagitans. Nec magno exercitu opus esse dicebat: Italarum parvam manum sufficere ad eiiciendos peninsula Turchos. [139]

Re in Senatu discussa placuit trecentos illuc pedites mittere. Bianca Mediolanensium dux centum suo aere conduxit, Pius reliquos. Quamvis non probaret ceptis ingentibus tam debile fundamentum apponi, Bessarioni noluit denegare, cui ea res cordi erat. Cuncti Mantuam ad pontificis pedes se contulere, egregie armata et robusta iuventus. Ianonus Cremonensis his praeiit, quos Bianca delegit,
5 pedestrium copiarum non ignotus ductor; aliis Dotha Senensis, propter civiles discordias patria extorris. Qui suscepta benedictione per Padum Ravennam petiere, dein terra profecti apud Anthonam ingressi mare foelici vento in Peloponessum navigavere, ubi comiter a Grecis excepti Patracensem urbem primo congressu expugnare. Verum dum alia quedam summa contentione oppugnabant oppida, seu virtutis emulatione seu prede cupiditate inter se dissidentes incepta reliquere, dispersique
10 milites in diversa cum dedecore abierunt. Infaustum rebus gerendis omen!

4. Germanorum dissidia, et Svicensium pax legati opera confecta

Inter hec gravissima Germanos exagitare principes discordia cepit. Ludovicus Baioariae dux auro et amicitiiis potens Verdeam, imperiale oppidum armis invaserat, atque in deditionem acceperat. Id egre tulit Federicus imperator, iussitque marchionem Albertum Brandeburgensem arma capere, et insolentiam Ludovici comescere, quem declaraverat hostem. Paruit non invitus Albertus, qui alioquin propter iudicium Noremburgense Ludovico erat infensus. Vocati utrinque amici sunt: Alberto Saxonie duces, comites Virtembergenses, Maguntinae, Bambergensis et Herbipolensis ecclesiarum presules et civitatum, quas vocant imperiales, pars maior arma coniunxerant; Ludovicum sequebatur Federicus comes Palatinus et non pauci suae familiae principes. Iam vexilla Imperii Albertus, dux belli designatus acceperat, iam undique arma et auxilia concurrebant, nec dubium videbatur, quin superior Germania omnis rueret in ferrum. Incendium atrox et nulli parsurum excitabatur hinc Federico imperatore illinc Baioariae ducibus bellum cientibus.

Quae res magno merore pontificem affecit, cum et rem fidei hoc modo perituram, et nobilem Germaniam exustum iri animadverteret. Querele Germanorum ad eum undique deferebantur
15 asserentium, nisi papa succurreret, alium esse neminem, qui tantum ignem restinguere posset; nationis principes bifariam divisos, alios caesarem alios Baioarios sequi; qui belli expertes essent, minus idoneos pacis ministros esse.

Anxius inter hec presul felici nuntio recreatus est, quod apud Constantiam Nardini, legati sui opera inter [Svicenses] et Austriae duces, Albertum et Sigismundum ita compositae res fuerant, ut restituta ducibus Rapisvilla in quinquagesimum annum dicta pax olim servaretur, cuius adhuc tres anni restarent; medio tempore, cum Pio pontifici maximo et Karolo Franciae regi placeret, dies inter partes constitueretur, ad quem cum legatis aut in Constantia [140]

35 aut in altero vicino loco convenirent de controversiis suis regis et pape arbitrio iudicium recepture. Qua re cognita iussit pontifex Nardinum propere Noremburgam petere, quod eo in loco Germanorum principes conventuri essent, collegasque illi dedit Spirensis episcopus et Henricum Semfleben, aulicum suum, qui summo conatu Germanorum animos ad concordiam traheret, belloque, priusquam initium caperet, finem imponeret.

40 Convenerant iam Noremburge Ludovicus et Albertus, belli futuri duces amicorum stipati gregibus, Sigismundus et Albertus Austriae principes, et cum his Iohannes episcopus Estetensis ac magister Alamaniae Ordinis Prutenorum, qui tanquam pacis arbitri illos accersierant. Verum legatis pape plus fidei atque auctoritatis inerat, minus suspicionis. Concordia pluribus diebus quesita est. Difficilis et prope desperata res fuit, animis partium ira succensis et ad bellum paratis. Albertus quatuor et viginti milia militum expedita in armis coegerat, plenusque victoriae spe maiora belli, quam pacis emolumenta sibi persuadebat. Ludovicus, etsi non tam pugnae accinctus erat, munitionibus tamen locorum ferre hostis impetum, et auri dives propediem maiores se copias habiturum non dubitabat. Cum obstinacius utraque pars detrectaret pacem, accedentes conventum apostolici legati in hunc modum locuti sunt:

5. Oratio legatorum pontificis ad Germanos (de) pace eiusque confectione, et Palatini pertinacia

5 *"Saepe et multum, illustres principes, cohortati sumus, ut sepositis odiis in pacem coeatis. Vobis plus cordi bellum est: vastare agros, villas incendere, urbes delere, Christianum sanguinem fundere paratis. Non iura propinquitatis, non patrie caritas, non religionis zelus vos retrahit; non cedes innocentum, non virginum raptus, non adulteria matronarum, non ecclesiarum incendia, non alia prope infinita mala, quae bella pariunt, horrere videmini. Furore atque ira pleni non cernitis Christiane rei publice vulnera, quae vestra inferunt odia.*

10 *Pius pontifex maximus melius intuetur, qui nobilis Germaniae misertus ferre non potest tot viros illustres, tot fortia pectora, tantum Christiani robur exercitus in sese ferrum stringere. Intelligit sapiens presul Germanorum calamitatem Thurcorum esse foelicitatem, tantumque vires illorum crescere, quantum vestrae diminuantur, atque illorum ferocitati vestro disscidio portas in Christianos aperiri. Dolet vicem vestram, dolet communem cladem, dolet hoc pacto Christianam fidem conculcatum iri. Facit, quod sui officii est: Christianos in concordiam revocat. Ne sanctum*

15 *Evangelium detrimentum sustineat, suum est providere. Vester est communis pater et iudex et catholice caput Ecclesiae, cui qui resistit, Dei ordinationi resistit, et mancipium se diaboli facit. Cupidus Christiane quietis iubet vos Pius arma deponere, quae vestra in viscera stringere paratis, et fraterna pace composita adversus fidei hostes de bello cogitare. Nisi hec agitis, extra Ecclesiam vos faciet, et in omni ditone vestra sacris interdicit. Eritis Gehennae filii, Deo et hominibus infesti, et*

20 *omnis vestra posteritas [141]*

infamia notabitur. - Diximus, quod Sedes Apostolica iussit; deinceps innoxii sumus a vestro sanguine."

His commoti principes paulo post concordiam iniere, cuius haec formula fuit:

- Facessant inimicitie, pax ex integro redeat.
- 5 - Verdea imperatori restituatur.
- Iudicium Norembergense Alberto liberum esto.
- Ludovicus arbitrio imperatoris plectitor, aut Pii precibus absolvitor.
- Federicus Palatinus viduae, quam frater reliquit, auri quindecim milia
- 10 nummum quam primum dissolvito et deinceps, quoad vitam duxerit, tria milia quotannis.
- Capitulo ecclesiae Maguntinae cyrographum novem milium aureorum vi extortum reddito.
- Feudum Bercabrensis oppidi ad naturam suam reducito.
- Stefardum comitem sub publica imperatoris fide captum libertati dimittito.
- 15 - Reliqua, quae componenda restant, in festo Sancte Crucis apud Norembergam iterum convenientes arbitri decidunto.

His compositis exercitus hinc atque inde dimissi sunt, et datae dexterarum. - Non interfuit conventis Federicus Palatinus, neque oratores eius assensum prebuere; verum Ludovicus Baioariae et Albertus Austriae duces itemque Iohannes episcopus Estetensis facturum illum, quae iussus esset, in se receperunt. Federicus autem, ubi res compositas accepit, litteras in hunc modum ad Ludovicum dedit:

20 *Federicus Palatinus Ludovico duci salutem. Dexteram inimico dedisti, eamque pacem amplexus es, quae te nostramque familiam inhonestet. Timuisti ferrum, et exertos spectare gladios horruisti, et amator videri vis. Et quae mulier deinceps amare te poterit, seculi nostri dedecus et monstrum infame Baioariae domus? Aut rescinde conventa, aut me hostem habeto longe ferociorem Alberto!*

25 *Quae meo nomine promisisti, scito me neque precibus neque vi facturum. Vale."*

His receptis illacrymatus est Ludovicus, et poenitentia ductus causas querere cepit, quibus pactam dissolvere fidem posset. Federicus ipse misso ad pontificem Bernardo Hebersteynensi comite multis se rationibus excusatum reddidit, quod ad Mantuanum conventum - ut ante pollicitus fuerat - pro suo desiderio non accederet; exin causas adiecit, cur pacem Noremberge compositam sibi onerosam et

30 minime amplectendam putaret, iudicium eius litis aut in imperatorem aut in papam referens.

6. De variis legationibus Orientalium, et perfidia Bosnensium in prodenda Sinderovia

Interea legati ex Cypro, Rhodo, Lesbo ac nonnulli ex Asia presto adsunt. Tum vero Albani, Epyrotae, Bosnenses et omnis ora Illyrii missis oratoribus auxilium petere, et iam frequentes tota urbe apparere

35 ex Orienti homines, qui adversus [142] Thurcos opem efflagitent. Hinc ortum verbum: *Orientalis, quos Levantes vocant, celeres ac solertes esse; Occidentales, qui Ponentes nominantur, et pigros et inertes* - quod perinde est, ac si dicas: morosi et difficiles sunt, qui opem ferant, diligentes, qui petant. Ab occiduus nanque partibus auxilia expectabantur, atque inde pauci adventabant; ab Orienti nulla legatio non querula venit. Ragusei tantum pro suis facultatibus auxilia in Thurcos promiserunt; rex Bosnae, quanquam Thurcis clam reconciliatus esset, legatos tamen ad pontificem misit adversus illos

40 opem flagitans.

Regnum Bosnae in montibus situm Rascianis Hungarisque coniungitur. In eo multi sunt Manichei, qui etsi Christiani videri volunt, longe tamen absunt a Christi lege: blasphemi homines et erroribus pleni, adversus quos Aurelius Augustinus librum scripsit. Ragusei et Trigurienses ad littus Adriatici maris iacentes vicini sunt Bosnensibus, quos Illyricam fuisse gentem non est ambiguum. Hos Croatini,

45 qui et Dalmatae sunt, orientales et boreales habent.

Sicut Romani quondam suos principes vel Caesares vel Augustos vocaverunt. Aegyptii vel pharaones vel Ptolomeos, ita et Bosnenses suos reges appellaverunt Stephanos. Quorum qui legatos Mantuanum misit, vafer homo fuit et inconstans animi. Is paulo ante ad Matthiam Hungariae regem profectus interventu Iohannis Sancti Angeli cardinalis, apostolici legati fedus cum eo inierat multa in Thurcos pollicitus, plura mentitus. Rasciani per id tempus Thurcorum impetum aegre ferebant; ob quam rem

50 passus est rex Hungariae, ut Sinderoviam, oppidum apprimè munitum et ad ripam Danubii situm Stephani filius defendendum acciperet; qui paucis post mensibus, quam intromissus est, accersitis Thurcis magno auri pondere oppidum vendidit. Quae res non minus Hungarorum animos fregit, quam perdita olim Constantinopolis. Est enim Sinderovia porta quedam ex Rascia in Valachiam ad bellum

Hungaris inferendum opportuna, quo in loco multe sunt naves ad fluvium transeundum, et in alteram ripam descensus faciles. Verum prius legati Bosnenses ex Mantua recesserunt, quam proditio innotesceret, que ad legatos Hungaros primum delata est. Ii fuerunt episcopi duo: Cenadiensis et Segniensis, et cum his Stephanus Croatie comes - ab origine Romanus Frangepania gente, quae Sanctissimum olim pontificem Gregorium produxit, presulum decus ac normam - et Tarvisinus quidam doctor, cui postea Pius apud Dalmatas episcopatum commisit.

7. Lex lata de contentione presidentie et episcoporum adversus notarios prelatione

Cum iam legati regum principumque convenire cepissent, magna de sedibus orta contentio est, nec reges regibus, nec duces ducibus cedere: locum sibi quisque in consessu primum arrogare, verbis nutibusque contendere. Quod ne rebus gerendis officeret, pontifex legem edidit, ne vel postpositi detrimentum, [143]vel prelati lucrum honoris iurisve aliquod ferrent. Nec tamen hoc pacto pacari omnes potuere, sicut postea dicemus, nec ordo episcoporum consuetudinem Romane Curiae animo ferebat equo, quae notarios apostolicos anteponebat. Contra plurimi morem Curiae sacram esse legem et nullo mutandam pacto censebant; scandalum ingens futurum et orbem quodammodo ruiturum affirmantes, si quid adversus notarios statueretur. At Pius altitudinem episcopalis eminentiae animo volvens, qua nichil est in Ecclesia sublimius, et quod ipse Romanus presul, Iesu Christi vicarius episcopi nomine contentatur, notarios corruptela quadam, non consuetudine prelatos episcopis iudicavit, idque deinceps fieri prohibuit edita lege, quam totus ferme orbis collaudavit. Notarii, etsi ambiendo cardinales contra niterentur, et multa in presulem probra iactarent, legem tamen vel inviti receperunt.

8. De Maguntia urbe ac Dyetheri simoniaca electione

Migraverat ex hac luce Theodoricus archiepiscopus Maguntinus non multis ante diebus, indoctus homo, et qui scorta inter et convivia virilem animum effeminaverat; una tantum laude memorandus, quod in schismate Basiliensis concilii Apostolice Sedis partes secutus est - quamvis et hanc quoque dotem amisit in extrema senectute parum fidelis et novitatum sequax.

Maguntia preclara urbs est, sinistram magni Rheni ripam obsidens e regione intrantis in eum Mogani amnis, a quo nomen accepit. Olim Gallica fuit, nunc Germanica est; de qua illud elogium fertur: "*Maguntia ab antiquo Nequam.*" - In ea divitem ecclesiam veteres fundavere, cuius archiepiscopus inter electores Imperii primum obtinet locum. Suffraganeos habuit XIII, qui ab Italia usque in Saxoniam parrochias protenderunt, nam et Curia in Alpibus Lepontiis et Hildesemensis civitas apud Saxones metropolitico iure Maguntine subest ecclesie, cuius temporale imperium instar amplissimi regni longe lateque patet, atque iccirco vacantem multi ad eam aspiravere potentes viri; quorum ardentissimus fuit Dyetherus Hisenburgensis, nobili loco natus, quamvis non tam genere, quam perfidia et ambitione insignis. Hic cum sedente Callisto Treverensem ecclesiam, pro qua magnum auri pondus offerens emere non potuisset, ad Maguntinam deinde convertit animum, cuius erat canonicus. Et cum certo sciret in capitulo per suffragia maioris partis electionem in se cadere non posse, quia difficile corrumpitur multitudo, in paucos fieri compromissum studuit. Septem viri nominati sunt, hisque data potestas pontificis eligendi; quorum tres iam pridem corrupti Dyetherum elegerunt, tres Adolphum Nassaum, genere ac probitate illustrem, cuius maiores ad imperium ascendissent; septimus alium quendam nominavit - sed tandem tribus milibus aureis inarratus ad Dyetherum accessit, qui mox electus est declaratus et ad possessionem bonorum ecclesiae malo exemplo receptus. [144]

Is legatos Mantuam misit, superbe et arroganter nimis confirmationem petens. Pius, qui rem gestam ignoraret: "*Conventum*" - inquit - „*hoc in loco de rebus Christiane religionis agimus. Accersivimus Theodoricum, dum viveret, archiepiscopum, qui magne pontifex ecclesiae consilio et auxilio esset catholicae fidei, quam Thurcorum impietas ac feritas delere conatur. Illo fati functo veniat electus, aequum est, quem e vestigio confirmabimus.*"

Legati febricitare Dyetherum dixere et inopia laborare; longa esse itinera et insegura. Pontifex convalescentiam expectari posse respondit, paupertatem et viarum incommoda confutavit. Remissi et iterum missi oratores sunt. Vicit pietatem impietas et mansuetudinem pervicacia: persuaderi adventus ad tantum conventum de tam sancta re indictum Dyethero non potuit. Pontifex facta relatione per cardinalem Sancti Marci absentem confirmavit, ea lege adiecta, ut intra annum accedere Sanctam Sedem Apostolicam teneretur, et ab ea vivendi normam recipere, idque iure iurando affirmaret; quod per legatos potestatem habentes promissum et iuratum est. Sed, ut postea suo loco dicemus, barbara fides nec promisso facit satis, nec iuris iurandi religioni.

9. Legatio imperatoris non satis digna et Pii ad eum mandata

15 Federicus imperator ad conventum interea tres oratores legavit: Antonium Tergesti episcopum, Iohannem Inderbachium Tridenti prepositum et Henricum Senfleben decanum Vratislaviensem; qui licet viri prestabiles essent, pontifici accepti, et mandatum plenum attulissent, non tamen eam pre se auctoritatem ferebant, quam tanti conventus dignitas ac maiestas exposcere videbatur. Ideoque iussit presul Henricum cum hisce mandatis ad imperatorem reverti:

20 „*CEPTUS Mantuae conventus de tutela religionis sollicitus est adversus potentissimos hostes, quos perdere post Hungaros tua in primis interest. Pius pontifex maximus relicto Ecclesiae Romanae regno eo se contulit, nec pericula nec sumptus [pensis] dum rei publice bene consulere posset. Speravit te simul conventurum, cui non plus itineris, quam sibi faciundum fuit. Tu neque venisti, neque legatos tanta re teve dignos misisti. Qui haec animadvertunt, aut te sumptibus parcere per avaritiam putant, aut orthodoxe fidei defensionem contemnere, neque te dignum existimant, qui Christianis imperes. Nam quo pacto protector et advocatus Ecclesiae dici potes, qui non modo Ecclesiam deseris, sed ipsam quoque religionem Christianam et fidem negligis? Pio fortasse invides, qui tibi honorem preripuerit, nec vis ob eam causam convenire cum eo? Erras: non tam suum honorem Pius, quam tuum quaerit, qui te anima sua cariorem habet; de gloria tua cogitat, atque ut eam conserves, hortatur, ut secum de communi salute acturus convenias. Si non potes, at saltem legatos illustri loco natos et auctoritate peditos mittas, neque hac tua dissimulatione (sive avaritia vocanda est?) Ecclesiam Dei perire sinas!*" [145]

10. Philippi ducis Burgundi mutatum propositum legatioque eius splendidissima, et regis Gallorum emulatio, et quomodo accepti Burgundi honoratique sint, quaque transierint

- 5 Profecto cum his mandatis Henrico Philippus Burgundie dux, qui se venturum ad conventum scripserat, et unus omnium ardentissimus iudicabatur, qui Thurcorum genus perdere cuperent, mutato consilio domi remanere statuit - non tam suo ingenio, quam suorum suasu, qui res in Gallia novas suboriri verebantur. Succensebat rex Franciae Philippo, qui Ludovicum dalmatum Viennensem, primogenitum suum ad se fugientem domi recepisset, neque curasset patri reconciliare. Contra Philippus indigne agere regem aiebat, qui nonnulla in ducatu Lucemburgensi - id est in Imperii ditione
- 10 - oppida occupasset adversus antiquum fedus, quod Franciae reges cum Romanis imperatoribus apud Tullum percussere, in quo cautum sit, imperator in regno Franciae, rex in Imperio ne dominatum sibi vendicet, etiamsi volentes aliqui sese dedant; iniuste regem agere, qui fedus violet, et oppignoratum sibi Lucenburgensem ducatum molestare audeat. Sic inter se rex duxque mandata miserant, neque alter alteri cedebat. Augebantur in dies querelae, et simultates in aperta evaserant odia.
- 15 Quibus ex rebus inconsulte agere ducem suum Burgundi existimabant, si domo abscederet, et alii insidias in itinere timendas aiebant, alii seni non esse laborem subeundum, alii Italicum caelum et estivum ardorem timendum, alii alias viarum incommoditates obiiciebant. Victus Philippus cum remanere in patria decrevisset, Iohannem ducem Clivensem, sororis suae filium mittendum censuit et Iohannem Croium, qui multorum preliorum victor tota Gallia clarissimus habebatur, tum plures
- 20 equites et alios divini et humani iuris interpretes fame celebris, quibus adiunctus est Iohannes episcopus Atrebas, apud pontificem referendarium agens, litterarum ferme omnium doctrina preditus (et acceptus Pio).
- 25 Iter Clivensi ex curia Philippi recedenti per Flandriam, Piccardiam et Parisios et reliquam Galliam ac Sabaudiam fuit. Viderunt Franci splendidam legationem, qualem antea nunquam, adeuntesque regem maiora de magnis referebant; laudare Burgundum, qui rem fidei curae haberet, arguere Francum, qui negligeret; pontificem magnis de rebus concilium indixisse, eoque Roma relicta senem venisse; non esse regiae dignitatis tanto in conventu deesse. Quibus clamoribus excitatus Karolus et ipse magnam et claram legationem decrevit.
- 30 Clivensis et qui eum sequebantur, per Sabaudiam et montem Iovis - qui hodie Sancti Bernardi melius appellatur - Augustam Pretoriam petiit, et per Hipporegiam, Vercellas ac Novariam Mediolanum venit, Insubrium caput. Quo in loco nonnullis immoratus diebus a Francisco duce summis honoribus cumulatus est, deinde per Laudam et Cremonam iter ad conventum habuit. [146]

Quesitum est in Senatu, intranti quis honor impendendus esset. Pontifex duos cardinales e Collegio mittendos censuit; illi suae dignitatis amantes indignum esse aiebant atque insolitum, minori dignitati maiorem occurrere; cardinales regibus pares haberi; vilescere, si duci obviam mitterentur. Pontifex de dignitate cardinalium nihil adversari, quae pontificali proxima esset; nihil tamen ei deperire, si ducem
5 venientem paulo extra urbem exciperent; vidisse se caesarem, qui non esset cardinalibus minor, sepe ducibus ac marchionibus ad se venientibus occurrisset; Clivensem ex ultimis Galliarum finibus atque ab Oceani litore iussione apostolica Mantuam petere; non parem esse causam eorum, qui privata, et eorum, qui publica curaturi negotia Romanum pontificem adeunt;tribuendum plus aliquid honoris his, qui dicto parentes fidem catholicam defensuri accedunt; fugiendam arrogantiam cunctis odiosam;
10 humilitati, quam nemo non laudat, inserviendum; [non placere hominibus cardinalium fastum, qui se quasi deos existimantes mortalium neminem dignarentur; purgandam hanc superbiae notham, quae alio modo, quam per humilitatis opera, tolli non posset]. - Vicit pontificis sententia duobus cardinalibus electis, qui duci occurrerent: Latino Ursino et Prospero Columnensi; quod reliquum fuit Curiae, ad honorandum legationem his adiunctum.
15 Exceptus est summo honore Clivensis cunctis admirantibus et hominum maiestatem et ornatum externum procerum ac doctorum.

11. Oratio Burgundorum et Pii responsum

Sequenti die consistorium publicum habitum est, ubi episcopus Atrebas sedente in maiestate Pio orationem habuit, in qua et presulis propositum de tuenda religione et desiderium Philippi et
20 legationis dignitatem et genus sui principis et vetusta novaque Burgundionum gesta magnifice collaudavit, et cur Philippus ipse ad conventum non adventasset, exposuit. Postremo facturum illum, cuncta professus est, quae pro tutela Christiani nominis expectari ab eo possent. Auditus est cupide et attente, omni contione Philippi animum laudante.

Pontifex e sublimi trono respondens clarissimum Philippi genus ignorare neminem inquit, in quo
25 Burgundionum Francorumque sanguis elucesceret, et utranque gentem extendisse factis famam; quamvis non egeret Philippus maiorum imaginibus, qui virtute propria suam illustraret aetatem; vidisse se illum, et saepe cum eo miscuisse sermones apud Baioarios in Ratispona; intellexisse ex eo tempore, quo animo esset in Thurcos, qua fide ferveret, quo zelo teneretur tuende atque ampliande religionis; non esse mutata mentem, quantum legatio eius affirmaret; stare propositum votumque
30 principis; utinam venisset, quemadmodum spem dederat: cognovisset profecto, quanti fieret apud Apostolicam Sedem; at retentum domi novarum metu rerum venia dignum fore, et presertim tot viris excellentibus, qui suam vicem agerent, emissis. Collaudavit et Clivensem ducem, qui longissimo et laboriosissimo [147]

itinere ad eum conventum se contulisset, in quo de servanda religione agendum esset, quam Thurci passim dilaniarent; fecisse enim, quod suum erat, atque ut principem Christianum, que sunt digna principe, procurasse; quod si reliqui pari studio tenerentur, neque Christianis insultarent Thurci, neque sepulchrum Domini Saraceni custodirent; facturum fortasse Dominum misericordiam cum

5 populo suo, et exemplo Philippi ducis atque Clivensis Christianos alios commoturum, mendacesque redditurum, qui Mantuanum contemnentis concilium cuncta, quae fierent in eo, derisoriis verbis extenuarent; reliqua in alios dies reservanda esse.

Atque his dictis contio soluta est. Cardinalis Eduensis ducem Clivensem ad hospitium usque suum honoris causa secutus.

10 **12. De discordia Clivensis ducis cum Coloniensi presule Susatensium et Xantensium causa**

Huic duci multa odia et plura fuerunt prelia adversus Theodoricum antistitem Coloniensem. Causa belli Susatum, magni nominis oppidum, quod ab ecclesia Coloniensi deficiens dux tutandum recepit.

15 Susatum in Vesfalia situm est, lata et non ignobili terra, in qua latrones facilius, quam stultos invenias. Iacet Vesfalia inter Rhenum et Visurgim amnem, eam intersecat Amasia fluvius, qui ex montibus oritur, quos Anobos Claudius Ptolomeus appellat, et Vesfalam ab Hassia disiungunt. Ex hac olim provincia Longobardos exisse compertum habemus, qui peragrata Germania in Pannoniam migravere, et denique vocatu Narsetis, Iustiniani cesaris eunuchi Italiam invasere; a quibus in hanc

20 stagnantes terre Vesfalam ad septentrionis oram concludunt. Habet Vesfalia nomen ducatus, qui ad ecclesiam Coloniensem iure feudi pertinet.

Ubi nunc Susatum est, pauper quondam villa fuit, quam annos supra sexcentos Coloniensis emit episcopus, et cum diu postea conflente populo mirum in modum coaluisset, successores cinxere menibus, et ad ius oppidi reduxere. Quod cum aliquotiens rebellasset, armis evictum est et ad

25 obedientiam redactum. Verum sub Theodorico presule gravior rebellio facta, propter quam non parvo tempore in curia Federici caesaris litigatum est. Sed cum damnati Susatenses iudicia eluderent, Theodoricus ad arma recurrit, vocatisque in auxilium Bohemis et maximis copiis congregatis Susatensem agrum ferro et igne vastavit, ipsamque urbem durissima cinxit obsidione. Illi ad Clivensem ducem defecere, cuius paulo ante fecimus mentionem.

30 Clivense oppidum in Belgia situm est, populo plenum et nobile. Sigismundus imperator ducalem in eo dignitatem erexit, cum esset antea comitatus. Agrum habet non admodum latum, verum divitem et frugum feracem. Insula Rheni duci paret, quam Batavi quondam incoluerant, viri bellicosi atque adeo robusti, [148]

ut armati Rhenum tranarent. Ex his Clivensis militem legit obsessisque Susatensibus auxilio misit. Coloniensis, etsi omni tormentorum genere aggressus est oppidum, atque admotis scalis muri partem ascendit, expugnare tamen non potuit oppidanis cum presidio ducis summa vi resistentibus. Diu ducta
5 obsidio est, et multi mortales periere. Clivensis, ut a Susato cladem averteret, in Coloniensis ecclesiae subditos duxit; Theodoricus ab obsidione recedens in Clivensem agrum se convertit, atque alter alterius incendit agros.

Santense oppidum est non procul a Clivis, cuius pars altera ad ecclesiam Coloniensem spectat, ad ducem altera. In eo nobile fanum habetur, Helenae, Constantini matris opus, cuius preposituram Pius
10 obtinuit, cum cardinalis esset; ad pontificatum assumptus nepoti reliquit. Hoc oppidum Clivensis iure belli ad se totum traxit; Coloniensis pleraque alia, que Clivensis erant, armis evicta in deditionem accepit, exarsitque bellum atrox, quod magno partium detrimento tandiu ductum est, donec Nicolaus pontifex maximus missis legatis arma deponi iussit. Nicolaus Sancti Petri et Iohannes Sancti Angeli cardinales pacem in hunc modum composuere: arma uterque ponito, captivos dimittito, occupata
15 servato, donec causa cognita Nicolaus cum consilio Philippi Burgundiae ducis litem dirimat.

Agitata est causa longo tempore, testes in partibus auditi, dicta eorum ad Curiam missa, consilium Philippi habitum. Nunquam tamen vivente Nicolao sententia ferri potuit: tot fuerunt intercessores, qui iustitiae cursum impedirent. Neque sub Callisto Tertio iudicio locus fuit: potentiae Clivensis adulatus
est.

Apud Pium cum legati Colonienses administrari sibi iustitiam petivissent, non censuit pontifex
20 relinquenda esse nobilis ecclesiae iura, sed admonendos Susatenses ac Santenses, ut ad dominum suum aliquando redirent. Illi scriptis apostolicis, et quae comminabantur, plane cognitis Clivensem adeunt, parumque sibi fuisse dicunt materiali gladio vicisse, si spirituali mucrone feriantur; vereri se apostolicum anathema, nec sacris carere posse, quibus interdicturus esset pontifex, nisi ad priorem
25 dominum redirent.

Commotus his Clivensis cum Mantuam petivisset, nihil de re publica tractare voluit, priusquam rei
sue consuleret, iniuriatum sibi pontificem asserens, qui etsi apostolicis litteris pollicitus fuisset adversus se, priusquam vocaretur, nihil acturum, nihilominus non vocato eo Susatenses atque
30 Santenses redire ad Coloniensem ecclesiam sub censuris gravioribus commonuisset. - Pontifex servatum esse promissum ait; non enim Clivensem aut ei subiectos monitorio comprehendere, sed Susatenses atque Santenses, quos ad Coloniensem ecclesiam pertinere exploratissimum esset; ipsum preterea monitorium vim vocationis habere. - Clivensis contra hos suos esse subditos contendere, qui iusto bello in sua iura venissent; instare, urgere, ut monitorium tolleretur; nisi hoc impetraret, abiturum se retro dicere, nec de re fidei quicquam acturum. Superba ducis verba et aliena videri, que
35 prodirent ex ore nobilis principis!

Aderant et legati a Coloniensi antistite missi, viri prestantes, quorum princeps fuit Robertus, nobilis comes Firnenburgensis, vir forma egregia et [149]

5 moribus prudentiaque singularis, nondum quinque et viginti natus annos; qui postea, cum domum rediret, magno suorum damno et Theoderici maiori mestitia non longe a Basilea diem obiit. Hic multa de iure Coloniensis ecclesiae in medium adduxit; Clivensem perverse atque inique agere, qui cum esset ecclesie vasallus et intra parrochiam natus, adversus matrem et dominam suam arma sumpsisset, neque imperio paruisset, neque Deum fuisset veritus: poenas eum incidisse, quae adversus fellones et dominorum suorum proditores statute sunt; egregias eius virtutes nunc apparere, qui missus ad res publicas privatas agitat; 10 faciendum ergo, quod petit: iudicium in eum de privata causa reddendum; id Coloniensi antistiti gratissimum esse, aequitatis ac iustitiae cupido.

15 Pontifex concordiam ac iustitiam Clivensi proposuit: eligeret, utram vellet. Ille plane intelligens nec uno nec altero modo se tutum esse, Piumque omnia facturum, que vellet, antequam se rebus, ad quas venerat, infectis dimitteret, utrumque negavit. Erat in eo constituta res, ut vel iustitiae partes ad tempus negligere oporteret, vel conventum absque fructu dissolvere, siquidem retrocedente per indignationem Clivensi nec Veneti nec alii multi ad concilium venturi erant, eam occasionem, per quam domi honeste remanerent, cupide arripientes. Anxius presul atque incertus, quid ageret, etsi gravissime ferebat ius postulanti negare, non tamen adeo periculosum existimavit iudicium suspendere, quam fidem 20 catholicam indefensam relinquere. Consueverunt enim Romani presules, ubi iustitia sine publico scandalo ministrari non potest, tandiu dissimulare, donec temporis oportunitatem capiant; neque id legum conditores vetant, semper enim maiori malo est occurrendum. Revocavit igitur monitorium, Clivensi ut morem gereret, promittens Coloniensibus id denuo concessurum, postquam fidei negocia suum cursum accepissent. (Idque Atrebas episcopus 25 clam suis Pio suasit.) Quibus peractis ad publica transitum est.

13. Mandata Burgundi et Pii confutatio divina

Interrogati Clivensis atque collegae, quid consilii quidve auxilii Philippus afferret, se missos a suo principe dixere, ut audirent pontificis mentem, exin cogitata Philippi referrent. 30 Rursus dicere iussi Philippum sepe numero inter amicos de proposito pontificis cogitasse affirmaverunt, quod quamvis sanctum esset, difficile tamen et pene impossibile videretur; gerendum enim in Thurcos bellum maximas vires exposcere, qui victoria in multos annos potiti auctoritate fama que ipsa apud Christianos terrori essent; maiores, quotiens in orientales duxere, ex Gallia, Germania et Anglia copias quesivisse; has provincias aut 35 domesticis agitari discordiis et civilia inter se arma vertisse, aut cum finitimis de agri possessione certare; pacandas prius esse, bellum deinde Thurcis indicendum; male in exteris ferrum stringere, qui domi cum suis civibus [150]

contenderent; Philippum, ut concordibus principum animis bellum decernatur, ea facturum, quae pontifex iusserit.

Pius ad hec non se ignorare ait ad superandos Thurcos magnis viribus opus esse, atque iccirco evocatos ad concilium Christianos reges, ut communibus auxiliis expeditio fiat; valere
 5 Thurcos et armis et ingenio, aliquanto tamen minus, quam fama ferret; qui cum una Hungarorum gente per annos LXX varia victoria contenderent, claritatem adeptos Grecorum ignavia, quos inermes atque effeminatos vicerint; quod si Germanorum, Gallorum, Itolorum aut Hispanorum arma tentaverint, cum viris sibi pugnandum intellecturos; pudere se tam
 10 fedam gentem Christianis esse timori, qui omnibus olim timorem incussissent; salubre consilium Philippi, qui componendas eas censeret regiones, ex quibus essent legendi milites; fateri, quod diceretur: raras in Orientem pro tutela religionis expeditiones sine Francis ductas, propriumque Francorum videri bellare pro fide; daturum se operam, ut lites inter Francos et Anglos componantur, ac Germanorum quieti consulturum; verum hec longum
 15 exposcere tempus: mittendos legatos, vocandos ad communem locum dissidentes ex longinquis regionibus, tractandum, suadendum, artibus diversis utendum; nam quo pacto diebus paucis multorum annorum tollantur odia? Interea Hungaros propemodum exhaustos bello perituros; his Thurcos imminere, neque dubium, quin proxima estate omni conatu in eos ducant; iam Rascianos sentire cum eis, et Bosnensium defectione Sinderoviam occupatam, qua copiae per Danubium facile traiciantur; si cedat Hungaria Thurcis, et in
 20 Germaniam et in Italiam patere illis apertam ianuam, viresque pene adduplicari; nec ambigendum, quin Hungari a reliquis deserti Christianis aut deleantur, aut societatem cum hoste iungant; utrunque perniciosum; ponenda ante oculos exempla veterum: Hunorum, Gothorum, Vandalorum, Erulorum, Gepidarum, Longobardorum, Hungarorum aliorumque barbarorum innumerabiles fere irruptiones per Pannoniam, que nunc appellatur Hungaria, sepe numero in Italiam ac Germaniam factas, quae deinde ad Gallias atque Hispanias penetrarunt; cavendum, ne hac tempestate idem fiat, quando certissimum sit Thurcos ad
 25 Occidentis imperium aspirare; occurrendum esse, dum vinci possunt, et antequam Hungaros sibi subiiciant, neque tanti faciendos, ut insuperabiles videantur; cecidisse apud Albam triennio ante ipsorum exercitum, Christianorumque impetum ferre non potuisse, cum tamen
 30 armati adversus inermes et multi adversus paucos cruce signatos preliarentur; virtutem Christianam semper Thurcis fuisse formidini, neque unquam succubuisse, nisi aut fraude deceptam, aut vincendo defatigatam nimia multitudine circumventam, aut Domino Deo nostro super nostris iniquitatibus indignato; quod si comparentur vires, non solum Christianitatem, quae tot latissimis provinciis continetur, sed Italiam solam, si concursus
 35 fuerit, ad delendos Thurcos sufficere; nihil tam illis prodesse, quam Christianorum inter se odia, qui se invicem lacescentes privatas potius iniurias, quam publicas ulciscerentur, et domesticos fidei acrius, quam hostes persequerentur; neque iam hoc tempore [151]

sperandum vel Francos vel Theutonicos aut alios collectis copiis expeditionem in Thurcos ducere, qualem aut Gotfridus aut Corradus aut alii complures in hostes fidei duxere, quando nemo regum inveniatur, qui non vicinum et relinquere vacuum domum timeat.

5 Que quamvis ita se haberent, non tamen de communi salute desperandum, neque sociis
 10 auxilia deneganda; patere viam, qua possit Hungaris subveniri, modo principes velint;
 conandum esse summo studio, ut dissidentes inter se reges missis legationibus in pacem
 15 coeant, eoque facto generalis expeditio decernatur; interea, cum id longum esset, Hungaris
 auxilia mittenda ex milite, qui aequali contributione facta deligeretur; neque enim aut
 20 Burgundo aut Franco aut Anglo timendum hoste suo aequae, atque ipse, conferente, neque -
 ut ipsi et alii multi existimarent - ducenta aut trecenta armatorum milia ad id operis
 necessaria; nam qui res Thurcorum noscerent, non amplius, quam pugnantium aut
 quinquaginta aut ad summum sexaginta milia cogenda dicerent: maiores copias neque regi,
 neque ali facile posse, neque in acie explicari; hunc numerum Christiano populo non esse
 25 magnum, citoque colligendum, si quaelibet provincia vel paucos milites daret; possent et
 reges aurum conferre, quo miles ex Hungaria, Theutonia, Bohemia ac Polonia conduceretur,
 qui duce legato apostolico et Hungariam tueatur et proximas provincias, donec viribus unitis
 - si tandem placuerit - maiores parentur exercitus; nisi horum alterum fiat, verendum, ne
 30 amissa Hungaria Christiana res pessundet; debere Philippum hec animo volvere, qui
 quanto potentior esset, tanto servire Deo magis ac magis teneretur; bellum Thurcorum sibi
 hereditarium esse, cuius pater ab illis in prelio captus non nisi auri magno pondere
 libertatem obtinuerit; meminisse sui voti debere, qui audita Constantinopolitana clade
 ducere in Thurcos Deo promiserit; nisi voto satisfecerit, ultionem ei divinam imminere.

14. Burgundi oblata, et Clivensis aegrotatio

25 Attenti hec audivere legati, et quamvis essent nonnulli eorum rei militaris peritissimi, ac
 facundia valerent, nihil tamen adversari presulis orationi sunt ausi. Dixerunt pauca in
 excusationem principis, qui non per se solum ducere in Thurcos vovisset, sed conditione
 30 adiecta: si vel rex Franciae vel imperator vel alius princeps se non inferior in eam
 expeditionem proficisceretur; nullum adhuc inventum, qui se offerret, quamvis Alfonsi duo -
 alter Aragonum rex, alter Portugallie - signum Crucis non tam corde impresserint, quam
 vesti consuerint.

Pontifex aliter cum Deo agendum, quam cum hominibus ait; cogitandum Philippo esse,
 35 quantis a Deo donis cumulatus esset, qui tot ditissimis provinciis imperaret, tot delitiis
 afflueret, tamdiu valitudine inoffensa frueretur, qui filium haberet, quem relinqueret
 successorem, qui unus inter Christianos principes [152]

felicissimus existimaretur; nisi Deo, a quo (hec) acceperit, gratum se redderet, non aliam erga se divinam pietatem expectaret, quam ipse in eos esset, quos pro receptis beneficiis offenderet ingratos.

5 Multa super his et legati simul et pontifex locuti sunt, frustra que non pauci dies inter tractandum abiire. Nec profuit cardinales adhibuisse, nihil enim ex legatis haberi potuit, nisi postquam semel atque iterum soli cum pontifice verba fecerunt; tunc enim demum victi sunt, promiseruntque Philippum, quando pontificis nomine requireretur, missurum in Hungariam, aut ibi suo aere conducturum equitum duo milia, peditum bis totidem, qui tandiu contra Thurocos militarent, quamdiu reliquus Christianorum exercitus in bello perseveraret.

10 Hac promissione facta mox Clivensis de recessu agere cepit; presul eum tandiu immorari cupiebat, donec Mediolani et Mutinae duces adventarent, qui propediem affuturi credebantur. Mansit ea de causa Clivensis plus, quam statuisset: diebus octo; sed cum alter illorum, Borsius, promissa revocaret, alter differret, impetrata presulis potestate recessit.

15 Difficilis est magnorum conventio principum, qui neque se amant, neque invicem cedunt; rara inter potentes concordia, rarior fides: nihil tutum relinquit invidia.

Abiit Clivensis paululum egrotans. Iohannes Croius gravissimas perpressus febres mortis filius a medicis iudicatus est - quorum consilia spernens salutem recuperavit; gravi enim aestu laborans attenuatis viribus itineri se commisit, et paucos intra dies curru vectus pristinae validitudini restitutus est. Manserunt nihilominus ex Philippi legatis aliqui usque ad finem, duo ad imperatorem profecti sunt.

15. De Francisco Sfortia eiusque origine et rebus gestis ac gloria rei bellice singulari

25 Paucis post diebus Franciscus Mediolanensium dux affuit, belli domique clarus. - Sfortias Attendolus pater eius fuit, apud villam, cui Cotiniola nomen est in Emilia, tenui censu et modicis parentibus ortus, qui paterna rura relinquens in militiam profectus ad Brolium Brandolinum Foroliviensem, egregium sui temporis copiarum ducem se contulit; at cum equis armisque careret, sordida mulionis arte prima stipendia meruit, et paulo post inter calones receptus cum egregiam in quodam certamine navasset operam, equestri militia ornatus est. Erat prestanti corpore vir, militari facundia preditus, manu promptus, presenti animo atque ingenio versatili; qui cum excelleret inter equites aetatis suae, multaque rei militaris insignia edidisset facinora, Brolio mortuo non paucis copiis prefectus est.

35 Prima eius incrementa apud marchionem Estensem fuerunt, cum Ottonem Parmensem, clarum in armis ducem dolo captum apud Riveriam interfecisset; de qua re celebre carmen extat, quod in hanc usque diem vulgo cantatur. [153]

Militavit et in regno Siciliae sub regina Iohanna adversus Alfonsum regem. Troiamque et alias nonnullas civitates in Apulia tenuit. Martino quoque pontifici maximo stipendia fecit vexillifer Ecclesiae declaratus. Sed dum Braccium Perusinum, Romani pontificis ac reginae Iohanne hostem persequitur, in flumine, quod Piscariam vocant, periclitanti puero opem ferens submersus est; cadaver eius nusquam repertum.

5 Adolescens Franciscus, eius filius in castris agens magna indole [repertus] mox paterni exercitus concordi militum voto ducatum accepit. Ferunt ex concubina natum, saepe ab astronomis et qui genetliaci vocantur, patri commendatum, quoniam dux clarissimus evaderet, Sfortiamque sepe dicere solitum: *Franciscus, si vixerit, et virtutem et fortunam meam superabit. Siquidem eorum iudicio, qui astrorum cursus metiuntur, nativitatem eius tam benigna sidera invenerunt, ut regnum ei et maxima queque portendant.*"

10 Occupaverat per id tempus Braccius Perusinus patriam suam, Asisium; Tudertum multasque civitates Ecclesiae Romane ademerat, et Aprutiorum caput, Aquilam magnis copiis obsessam tenebat, brevique potiturus urbe et infestis signis Romam petiturus ferebatur. Quod veritus Martinus pontifex conducto milite obsessis opem ferendam censuit; dux copiarum Franciscus designatus est, vix quatuor et viginti natus annos. Commisso prelio diu Marte dubio pugnatum; ad extremum cum cedere suos Braccius animadverteret, ex pugna dilapsus fuga salutem querere conatus est; sed cognitus a suis civibus, qui patria eiecti Ecclesiae militabant, ex fuga retractus ad Franciscum victorem in castra relatus ex vulnere,

15 quod fugiendo acceperat, mortem obiit. Cadaver eius Romam vectum - ut ante diximus - apud Sanctum Laurentium extra muros Urbis in agro cum bestiis sepulturam obtinuit; quamvis paulo post defossum Eugenio permittente in patriam fuerit translatum. Crevit hac victoria mirum in modum Francisci nomen, qui a Philippo Mediolanensium duce vocatus diu sibi adversus Venetos militavit, et Blancam, eius filiam, ut sibi desponderetur, obtinuit;

20 quam cum ducere pro suo arbitrio non posset - nam Philippus id matrimonium in dies suspendebat -, ab eo tandem defecit. - Erant eo tempore Florentini simul et Veneti federe iuncti; Philippus utrunque populum armis urgebat.

Restaverat ex Braccio proles nomine Oddo, qui ad Florentinos defuncto patre confugerat, eorumque stipendia merebatur; at cum per aetatem exercitum gubernare non posset,

30 Nicolaus Picininus, qui patris commilito fuerat, eius copias regebat. Is adversus Philippi duces in vallem, quam vocant Amonis, missus prelio fusus et ab agrestibus terre occisus est; Nicolaus captus et Faventiam ductus civitatis regulum, ut Florentinorum partes adiuveret, persuasit; verum ipse non diu post ad Philippum defecit.

Non ferebant se duo duces inimicarum gentium. Iam enim factiones duae clarissimorum tota Italia militum emergerant: alii Sfortiani, qui 'violatores' dici possunt, alii Bracciani vocabantur, et magnis inter se odiis dissidebant. Itaque [154]

35

non tulit Franciscus sub eo principe militare, qui emulum ad se traxisset, et desponsam sibi filiam retentando negaret: querebat abeundi occasiones.

Exortum iam erat inter Basiliense concilium et pontificem Eugenium grande dissidium.

5 **16. De bello Philippi ducis Mediolani adversus Ecclesiam et Venetos, et eius morte**

10 Philippus Eugenio infensus, qui superiori bello Venetorum partes iuvisset, concilio adhesit misso Francisco, qui Picensem agrum invaderet ac concilii nomine possideret. Neque sic pontificem satis ultus paulo post Picinum ire iussit, qui pari modo reliquum Ecclesiae patrimonium laceraret. Ingens tum motus Ecclesiae terras involvit, Francisco Pycenum, Nicolao Umbriam vexante.

15 Eugenius paulo ante civili tumultu Romae captus, plerisque diebus apud ecclesiam Beate Mariae trans Tyberim custoditus tandem clam fugerat, et Florentiae sese receperat. Cumque nullo a Venetis auxilio iuvaretur - nam populi fere omnes calamitosos oderunt [fortunae magis, quam virtutis amici] -, victo apud Anglarium Picinino e Florentia Senas concessit, et reconciliatus Philippo fedus cum eo percussit; Alfonsi quoque, qui regnum Siciliae armis obtinisset, societatem quesivit. Quibus adiutoribus et Picinum ad se traxit, et Franciscum magna Pyceni parte exiit, quamvis a Venetis Florentinisque obnixie iuvaretur, ad quos relicto
20 Philippo iam dudum defecerat, et oppida, quae nomine alieno pervaserat, in proprietatem suam receperat. Multa Franciscus in Pyceno rei militaris facinora egregia edidit, Picinumque prelio fudit, tandem Alfonsi armis invasus perpauca retinuit, Venetis adversus Philippum in Gallia militans socerum magnis afflixit cladibus, coniugem extorsit Blancam Mariam et dotalem Cremonam, invitoque pacem suasit. Sed cum denuo bellum suscitaretur,
25 vocatus in auxilium periclitanti socero non potuit opem negare.

17. Franciscus Mediolanum in deditionem recipit caeso legato Venetorum

30 Laborabat Philippus et aegre admodum defendebatur, ac modo Alfonsi regis, modo Federici imperatoris et aliquando Gallorum implorabat auxilia, nesciens, quid potissimum ageret. Nam Veneti ad duodecimum lapidem prope Mediolanum castra locaverant, predabundique adeo prope urbem excurrerant, ut clangor tubarum intra moenia exaudiretur. Festinabat Franciscus ex Pyceno suppetias afferre, sed Philippus morbo simul
35 ac merore confectus prius obiit, quam ille veniret - Alfonso herede instituto. Mediolanenses vero, tanquam [155]

- tyranno privati, in libertatem se vendicarunt, venientique cum copiis Francisco stipem dedere, atque adversus Venetos arma ceperunt, qui tum Placentiam [per deditionem] acceperant; Comani, Laudenses, Novarienses, Therdonenses in fide Mediolanensium mansere, plerique ad Sabaudienses, plerique ad Francos defecere; Papienses Francisco se
- 5 dediderunt, qui benigne eos complexus est Mediolanensibus etiam invitis. Deinde Placentiam magno Venetorum presidio munitam vi cepit, in qua expugnatione ictu lapidis tormentalis equus sub eo interfectus est. Franci, qui audita morte Philippi manum militarem in Italiam miserant Mediolanum atque omnem Insubriam invasuri, virtute Bartholomei Pergamensis apud Alexandriam deleti sunt. Veneti, quibus fortuna Mediolanensium
- 10 suspecta esset, Francisco suadent: rem suam potius, quam alienam agat, Mediolanum sibi acquirat, ad quam rem inito federe auxilia pollicentur. Franciscus occasionibus longe quesitis adversus Mediolanenses arma convertit, eosque dura cingit obsidione. Illi ad Venetos confugiunt, qui - ut est populorum proprium - mutato consilio tanquam Italice pacis arbitri huiusmodi leges dicunt:
- 15 - Mediolanenses liberi sumto, ac suis legibus utuntor, civitatesque, quibus imperant, retinento.
 - Franciscus Papiam, Cremonam Placentiamque contentus esto.
 - Florentini, Mediolanenses Franciscusque prescriptas equitum peditumque copias non excedunto.
- 20 Verum neque Franciscus neque Florentini ratas leges habuere. Franciscus, etsi grave duceret cum Venetis simul ac Mediolanensibus contendere, dubium tamen belli eventum experiri maluit, quam eam complecti pacem, quae manifestam sibi perniciem pararet. Florentini clam eum adiuvere pecunia omni exutum, veriti, ne Venetus Mediolano potitus Italiam omnem invaderet - qui dum simulat Mediolanensibus adversus Franciscum opem
- 25 afferre, eos sue ditioni subiicere querit. Sed deceptus est; nam dum Mediolanensi populo frumentum parce ministrat, impatiens ieiunii plebs Leonardum Venerium legatum Venetum per indignationem obtruncat, ac Franciscum intra urbem recipiens dominum ac ducem - ut ante diximus - appellat. Magna hec Francisci laus, qui relictus a Venetis tantam belli molem sustinuit, atque illis contra nitentibus nobilissimae urbis imperio potitus est.
- 30
- 18. Bellum Alfonsi et Venetorum contra Franciscum et Florentinos, et eorum concordia**
- 35 Exin Veneti cum rege Alfonso societatem inierunt, ut ille Florentinos adoriretur, ipsi Franciscum opprimerent Braccianis in militiam receptis. Indicto bello leves sepe congressus habiti sunt, nunquam totis viribus certatum. Franciscus sue virtuti innixus castra contulit castris, neque unquam hosti cessit - Rhenato rege in auxilium accersito, et Mantuano principe suas partes tuente. [156]

Alfonsus, quamvis in Thusciam duxisset, et in agro Volaterrano castella quedam expugnasset, parum tamen Florentinis nocuit a Sigismundo Malatesta - ut dictum est - deceptus. Obsedit Populinum in litore maris Inperi; quod cum expugnare non posset, non sine dedecore domum abiit. Deinde remisso filio suo more morando bellum trahebat. Quibus
 5 ex rebus Veneti, cum inde a Thurcis, hinc a Francisco premerentur, pacem cum illis - quam supra rettulimus - et cum Francisco eodem fere tempore neglecto rege constituerunt. Pax Laude clam tractata est arbitro Symonetto, boni nominis monacho, atque ita confirmatum Francisco regnum, cum paulo post et Alfonsus et omnis Italia faedus cum eo percusserit, et ipse affinitatem cum Alfonso inierit Hippolyta, filia eius nepoti desponsata. - Sic mortalia
 10 vertuntur: Lombardia, olim potens regnum et dives opum terra ad Sfortiadas delata est, quorum maiores patrum nostrorum memoria vix terram possederunt, quantam arare possent. Infima summis et summa infimis mutare sors humana gaudet. Verum raro absque virtute ex paupere domo ad regnum quisquam ascendit: diligentia, fortitudine, providentia queruntur imperia - inertia, [ignavia,] ignorantia, negligentia perduntur.

15

19. De Francisci fortuna et dotibus, et que ei acciderunt

Franciscus et suis et patris meritis ducale solium est adeptus. Is Mantuam cum peteret, sexagesimum agebat annum - matre adhuc vivente, quae biennio postea decessit -, atque in
 20 modum iuvenis equitabat. Statura eminens, maiestate corporis eximia, vultu gravis, sermone placidus, conversatione benignus; mores universi principe digni. Unus nostra etate visus, quem Fortuna diligeret: corporis et animi dotibus excellens, bello invictus ad regnum ex humili genere pervenit; uxorem duxit forma, genere, virtute prestantem, ex qua sobolem pulcherrimam sustulit. Valitudine raro pulsatus adversa: nihil non potitus, quod magnopere desideraverit, nec mentiri astra perpepus, quae nascens - ut aiunt - perbenigna offendit.

25

Adversa tamen nonnulla ei acciderunt: Perpetuam, concubinam, quam perditae amavit, coniunx zelotipia extuans interfecit; Troilus et Brunorius, commilitones et amici veteres ad Alfonsum eo relicto defecere; Ciarpollonem, item amicum et commilitonem prodicionis reum laqueo suspendit; Alexandri, fratris insidias pertulit, qui profectus in Galliam ulteriorem
 30 Francos in eum provocare conatus est; Sfortiam, filium novas res molientem coniecit in carcerem; Picensem agrum armis quesitum armis amisit. - Nemo tam composite felicitatis existit, qui non aliqua ex parte cum sui status varietate rixetur. Ille felix est, quem pauca urgent incommoda. [157]

20. De Francisci magnifico ingressu magnifice excepto, et Philelphi oratione Piiique responso

5 Venienti Mantuam Francisco duo cardinales occurrerunt. Iter illi ex Cremona per Padum
et Mintium navigio fuit. Stagnum, quo Mantua cingitur, ubique lembi et alia navigiorum
genera venientium et occurrentium operuere. Egressa multitudo ad visendum ducem fama
clarum nec intueri satis, nec collaudare satis potuit, aut formam eius aut gestus imperio
dignum cuncti censebant. Comitatus illi permagnus fuit, admodum nobilis, in quo nemo
10 visus est, cuius vestimenta non auro fulgerent, aut argento splendida essent. In eius ingressu
multa de Sedis Apostolice dignitate ac gloria vulgata sunt; audiebantur passim dicentes: "*En,
quam sublimis et excellentissima est Romani presulis auctoritas ac maiestas, ad cuius
deobsculandos pedes tantus princeps advenit!*"

15 Postera die pontifex in publico consistorio Franciscum ad se admisit; qui postquam sacros
pedes deobsculatus est, et aliqua verba per se fecit, sedere iussus in loco, qui diaconibus
cardinalibus designatus erat, Franciscum Philelfum, satyrarum scriptorem, insignem poetam
Latinis ac Grecis litteris ornatum, qui suam causam oraret, interposuit. Is aliqua de Francisci
deque pontificis laude locutus multa de Thurcis, plura de Graecis dixit, et quam necessaria
esset in Thurcos expeditio, et quantum Franciscus eam probaret, et quanta promitteret
Christianis auxilia, exposuit.

20 Quo audito laudavit pontifex magnificis verbis orationem Philelfi, eumque Musam Atticam
appellavit; deinde Franciscum intuens satisfecisse eum suo nomini et omni expectationi
respondit, vestigia sui clarissimi genitoris secutum, qui pro Romana Ecclesia, fidelium Matre
olim magnis se periculis obiecisset; egregium illum fuisse virum et omnium, qui suo tempore
25 arma induissent, excellentissimum, alterum in preliis Aiacem, alterum in consilio Nestorem,
neminem metuentem, metuendum omnibus; res ab eo gestas mortales, qui viverent, cunctos
celebrare; se illas ex Iohanne Ptolomeo, patruo suo, qui sub ipso militasset et ordines
duxisset, adolescentem didicisse, et admiratum tanti viri virtutem ac gloriam fuisse;
superasse filium insuperabilem patrem, victorem omnium, quibuscum aliquando
30 contendisset, idque nomen consecutum, quod fortissimis Romanorum veteres attribuerunt,
et quod apud Italos maximi esset honoris; Insubriae gentis ducatum non successione paterna
- quod fortune -, sed electione populi - quod esset virtutis - adeptum; in una re tantum a
patre superatum, nam ille causam Ecclesiae semper defendisset, ipse aliquando
impugnasset; verum neque in hac re patri omnino cessisse, qui e Saule factus Paulus Callisto,
35 predecessori adversus Picininum auxilio fuisset, et sub praesulatu suo multa Ecclesiae
adiumenta prebuisset, et modo ad concilium profectus non solum Romanam Ecclesiam, sed
ipsam religionem, ipsam fidem catholicam, ipsum Christi nomen adversus impios Turchos
magno et excellenti animo pro suis facultatibus tueri promitteret; facere ipsum, quod
Christianum deceret principem; quod si reliqui eius similes invenirentur, non [158]

40 modo Thurcorum arma Christiani non timerent, sed ultro eos invadentes et Greciam et
Asiam maiorum negligentia perditam facile recuperarent; sperare se Francisci exemplo
multos ex principibus Christianis, qui dormire viderentur, excitatum iri, et tandem cognito
periculo, in quo res Christiana versetur, adversus hostes arma sumpturos; quod si fieret - ut
45 spes esset -, Franciscum inter primos futurum, cui et Romana Ecclesia et omnis Christiana
religio precipuas gratias referre deberet.

Atque his dictis summo omnium applausu soluta eius diei contio est.

21. De Borsii instabilitate

50 Promiserat - ut retulimus - Borsius Mutinensium dux, qui pro Romana Ecclesia Ferrariam
gubernabat, iturum se Mantuam, cum Pius vocaret. Vocatus rescripsit paucos intra dies
venturum. Iterum vocatus mutato consilio renuit, [astronomorum iudicia causatus, qui sibi
mortem portendere astra confirmarent Mantuam petituro]. Increpavit eum pontifex, [qui
gentilium sequeretur ineptias, et per astrorum inspectionem futuri se conscius diceret;
55 excogitata haec, ne conventum accederet; vereri inter bonos viros apparere, malle cum
bestiis, quam cum hominibus vivere;] ingratum Deo atque indignum, qui tot bonis afflueret,
quando in causa fidei nollet unius diei navigatione fatigari; nec religiosum nec Christianum

esse, qui conventum pro tuendo Christi nomine indictum effugeret; [astrologorum iudicia mense Martio edita prius sibi nota fuisse, quam pontifici promississet adventum;] nihil principem minus decere, quam promissa rescindere.

5 Respondit multa Borsius, [verum iuvenilia et indigna, quibus pontificis aures obtunderentur]; cumque rationibus vinceretur, vinci noluit. Febri se tandem laborare affirmavit, et egere quiete - [verum] egressus Ferraria per Emiliam profectus medios inter
10 estus [venaticas] sequebatur aves [non sine irrisione omnium, qui eam fabulam novere.] (Sic mores nonnullos principes urgent: sequuntur desideria sua, perire potius rem publicam sinunt, quam minimam partem detrahi suarum voluptatum patiantur, [et adulatoribus
15 credentes - quorum plene sunt aulae - que faciunt, sicut in presentia, sic et in absentia laudari putant. Contra multo evenit: raro absens colitur, qui coram celebratur. Borsius quacun-
que iter fecit inter subditos, voces applauserunt populi; in aliena terra nomen eius infame fuit, quamvis dicere consueverit Ferrariam scholam esse, in qua disceretur, quicquid Itali nossent, seque magistrum ei presidere. Sapiebat multum suo iudicio - alieno parum;
statum eius non tam prudentia sua, quam fortuna gubernavit: felicem Ferrariam vicinorum inter se conflictationes prestitere, non industria principum].)

Ceterum Borsius crebris nunciis ac litteris ex venatione ad conventum accersitus, [confusus] tandem venturum se Augusto exacto rescripsit, [quod is esset fatalis mensis - non
20 minus, quam antea mentitus. Leve est assueto [159]

fallere, nec claudi mendacio facile possunt ora, que mentiendi usum induerunt. Misit] tamen oratorem unum ex [nepotibus] suis, nomine Gurrone, cui duos adiunxit iure consultos, hisque mandatum dedit, pro necessitate rei publice auri ut CCC-ta milia nummum pollicerentur - tanquam magnificis verbis [turpia] facta compensari possent.

5

22. De variis legationibus, et missa adversus Thurcos pecunia, et perfidia principis Tarentini

10 Aderant iam Florentinorum legati et Senensium et Lucensium et Bononiensium, viri suarum urbium primarii, suas partes ad tuendam rem publicam oblaturi. Genuenses episcopum quendam ex Corsica, virum bonum clam miserant, qui pontificem certiore redderet non defuturum illius urbis senatum, si quid pro tutela fidei decerneretur; publice se offerre non audebant iniussu regis Franciae, cuius paulo ante dominatum subierant. Ferdinandus rex Siciliae archiepiscopum Beneventanum, [qui postea propter sua scelera depositus est,] et Andriae ducem transmiserat, qui suam vicem implerent. Archiepiscopus pro consistorio publice auditus acriter in Genuenses invectus est perfidiam et insolentiam eorum accusans, qui Ferdinando regi contra fedus molesti essent. Pontifex graviter eum correxit, qui privatas inimicitias eo in loco commemoraret, ubi de publica Christianorum pace ac salute agendum esset.

20 Litterae Ferdinandi multo meliores, quam verba legatorum fuere: illi pauca de tuenda religione locuti sunt, he preclarum et magnum regis animum ad tutelam fidei ostenderunt. Cum recitarentur pro contione legatorum omnium, qui aderant, mandata, nullum plenius visum est eo, quod Ferdinandus misit. Id enim votum et iuramentum continebat de gerendo in Thurcos bello; ad quod cum se accingere statuisset, Tarentini principis agitata insidiis in magnas incidit calamitates - de quibus suo loco dicemus.

25 Misit et ille legatum ad concilium, Pyrrhum quendam Ordinis Minorum professorem, non indoctum virum, [verum non tam oratorem, quam exploratorem;] qui cum aliquando presuli de suo domino verba faceret, eumque fidelem Ecclesie filium diceret et singulari virtute preditum: "*Quid tibi dicam?*" - inquit pontifex. - "*Dominus tuus - periurus est et proditor, qui adversus dominum suum arma suscepit, et [symoniacus, qui sacerdotia vendit, et hereticus, qui Hebraicam perfidiam confovet, et inimicus Crucis Christi,] qui missa legatione Thurcos adversus Christianos provocat! His dotibus pollere tuum dominum [vero testimonio] didicimus! An virtutibus aliis preditus sit, ignoramus.*" - Haec de principe Tarentinorum effatus pontifex.

35 Sequenti die laborantibus Thurconico bello Hungaris et opem obnixe petentibus auri viginti milia nummum transmisit, que numerata Venetiis Stephanus Croatiae comes domum rediens apportavit. [160]

23. De Sigismundi pace diu agitata et tandem a Pio confecta

Dum hec agerentur, Sigismundus Malatesta, cum magis ac magis Picinini armis premeretur, pacem petens causam suam modo Francisco Mediolanensium duci, modo Pio pontifici commendabat. Aderant ob eam causam missi a Ferdinando episcopus Bituntinus, non minus callidus homo, quam festivus, et Antonius Cincinellus, unus ex purpuratis, qui Pium magnopere urgebant, ut pacem inter partes componeret. Pius nil se facturum aiebat, nisi statuendae pacis libera sibi facultas concederetur; nam primum compromissum iam pridem spiraverat, eratque pontificis animus ex bono et aequo litem dirimere. Ferdinandus et Federicus Urbinas et Iacobus Picininus prescriptis quibusdam legibus concordiae annuebant, que duriores videbantur. Multos dies agitata res est; postremo consensere omnes, pro suo arbitrio pacem ut pontifex statueret.

Dubia res fuit, paxne pontifici an bellum magis conducirer. Constabat Picininum, quamvis Sigismundo reconciliaretur, copias tamen retenturum, resque novas moliturum, neque alios, quam Ecclesiae subditos aut Senenses invasurum, nam Venetis, Florentinis, duci Mediolanensi aut regi Siciliae, qui potentiores essent, non auderet bellum inferre, neque duci Mutinae, quem diligeret; in agro Ecclesiae multas esse factiones, que absente pontifice Picininum accersere possent. Contra, si bellum sineret, alterum e duobus eventurum: aut scilicet Malatestam Venetorum auxilio rem suam defensurum, aut bello victum Picinino cuncta dimissurum. Utrunque perniciosum: si Veneti pro Sigismundo arma capiant, futurum, ut omnis rursus Italia dissensionibus agitetur, et adversus Thurcos expeditio negligatur; si succumbat Malatesta, ventura omnia in Picinini potestatem; vicinum Ecclesiae perniciosum parari, murem in pera nutriri aut in sinu serpentem. Posse quoque et tertium emergere: Picininum scilicet et Sigismundum simul coire, et iunctis armis agros Ecclesiae vastare, atque inter se partiri provincias, ut sunt arma tenentium varia et alta ingenia, mutabiles voluntates et regni cupide.

Anxius inter hec praesul honestatem pretulit utilitati: pacem statuere pulchrius et acceptius Deo censuit, neque timenda esse incommoda vadenti recta: agrum, in quo bellum grassaretur, ad Ecclesiam spectare; subditis quietem dandam, miserendum inopum agricolarum, qui domo pulsi bobus, uxoribus ac liberis amissis panem in alienis laribus mendicarent, illudque [pensitandum], quod non auctorem incentoremque malorum, sed innoxios pena sequeretur: pueri atque puellae indigna suis moribus ferrent, fana diriperentur, cedes atque incendia passim committerentur, divina atque humana iura perirent; iam annum belli furore provinciam agitatam: nisi mox pace donetur, funditus perituram; tribuendum aliquid Sigismundi maioribus, quorum virtus militie quondam ac domi spectata fuisset. Statuit igitur pontifex - quamvis rei sue nonnihil timeret - in presenti rebus afflictis consulere, de futuro magni Dei benignitatem sperare, cuius est in optimum finem cuncta dirigere. Iudicii ergo suscepto in se arbitrio iussit quamprimum partes arma [161]

deponere, captivos dimittere, Pergulam et alia pleraque loca Federico Urbinati cedere, Senegalliam, Mundavium cum vicariatu et [Montem Martianum] nomine pignoris in manu sua manere, donec sententiae, quae ferenda esset, satisfaceret. De reliquis intra duos menses iudicaturum sese promisit potestate retenta - si sibi videretur -, quotiens vellet, prorogandi terminum, ac declaratione adiecta, quod Sigismundum neque supra sexaginta milia aureos, neque infra quinquaginta milia pro erratis damnaret dissolvenda, priusquam annus efflueret; alioquin pignora in solutum regi cederent, neque Sigismundo fas esse intra biennium adversus regem militare.

Missi, qui sententiam exequerentur, aegre sunt auditi; dura utrique parti mandata videbantur, Picinino maxime, qui se victoriae premiis spoliatum iri non ignorabat. Deposuerunt tamen paulo post ex decreto pontificis arma, et oppida tradita sunt excepta Petra Rubra, in qua per dolum Sigismundi rebellionem incolae simularunt; et Picininus pleraque loca vi capta militi diripienda concessit. In reliquis [paritum] est, et Sigismundus Italici federis commoditate donatus, cuius antea fuerat expers, ut ocio frui posset - quamvis inquietus animus et iniqua mens bellum paci semper anteposuerit.

24. Viturbium ab Everso occupatur et a Ravennati presule recuperatur

Eversus Anguillariae comes, dum hec aguntur, Viturvium per traditionem paucorum civium occupat misso Antonello Foroliviensi, genero suo. Bartholomeus archiepiscopus Ravennas, qui postea cardinalis effectus est, coactis subito copiis captae iam civitati subvenit. Antonellus, ubi auxilium appropinquat cognovit, urbe direpta et multis civibus in captivitatem abductis preda onustus recessit. Arx recuperande civitatis causa fuit, quam Martinus olim a fundamentis diruit, Callistus restaurare cepit, Pius ad summum aedificavit: per hanc auxilia intromissa civitatem Ecclesiae reddiderunt, que alioquin in potestate hostium diu perseverasset. Pius accepto [pervasae] urbis nuntio: "*Hoc*" - inquit - „*est, quod Eversus comminabatur, cum Roma recessimus. Verum neque hoc pacto defensionem fidei negligemus. Adiuvabit Deus causam suam, neque superiorem esse patietur iniquitatem!*"

Effluxere deinde quattuor circiter dies, et ecce nuntius, qui fugisse hostes asserit, et supplicium de proditoribus sumptum esse. Gubernator eius urbis pro Romana Ecclesia Oddo quidam Perusinus erat, Apostolicae Sedis notarius, sed aberat, cum Antonellus ingressus est; qui audita rei novitate circumvicinos populos in arma coegit, iunctusque Ravennati ad victoriam consequendam non parum adiumenti prebuit. Verum cum se causam recuperationis ruisse multis verbis gloriabundus assereret, memor illius, quod de Fabio apud Livium legitur, Ravennas: "*Probe*"-inquit-, „*nunquam enim Viturvium recuperassem, nisi tu prior amisisses!*" [162]

25. Legatio Polonorum et Sabaudiensium, et negligentia Venetorum

Inter hec legatus Casimiri Poloniae regis cum splendido comitatu Mantuam ingreditur, vir doctus, Sbignei quondam Cracoviensis episcopi et cardinalis nepos. Multi ei fuerunt famuli unius vestis, more gentis pennatos pileos et pharetram et balistam gestantes, equis prepinguibus insidentes. Venerunt et Ludovici Sabaudiae ducis oratores (- episcopus Thaurinensis, marescallus Sabaudie -) et alii domi nobiles ac disertis viri.

Soli ex Italia Veneti aberant, qui etsi presuli, antequam Roma discederet, pluribus et nuntiis et epistolis affirmaverant se inter primos legationem missuros, vocati tamen minime parebant. Duae hos cause tenebant: altera, quod ecclesiam Patavinam pro suo desiderio non fuerant assecuti, altera, quod magnopere verebantur, ne soli cum Thurcis in bello remanerent, si Mantuam petentes Christianos reges non satis voluntarios ad tuendam religionem invenissent. Multa preterea Veneti, qui Curiam sequebantur, ad amicos suos domi scribebant, que populares animos a bono proposito retrahebant. (Maledica est enim et perversa curialium plerumque natura. Nam cum avaritiae et ambitioni omnes ferme inserviant, pontifex vero ex multis paucos extollere ditareque possit: qui neglecti sunt, tanquam iniuriam passi presulem oderunt, dictis scriptisque damnant, mordent, laniant, nec minus quispiam laudatur, quam Romanus pontifex, dum vivit; mortuus aliquando probatur: successoris opera antecessorem commendant.) Quicumque igitur ex Venetis Curiam sequentibus optata non impetravere, ad amicos epistolas dedere, quas presulis desiderio contrarias putavere. Civitas vero, ut est popularitas obnoxia suspicionibus, omnia in peiorem partem trahebat, mercatores presertim, quibus in lucro erat cum Thurcis pacem habere.

26. De Venetiarum origine et finitimis locis, et qui primum habitarent, cognitu dignissima

Libet de Venetis altius hoc loco disserere, quando terra marique potentissimi sunt, et ad imperium maius, quo aspirant - ut sunt hodie mores -, non inepti videntur.

Venetia et urbis et provinciae nomen est. Apud veteres Veneti omnes appellati, qui eas paludes incoluerunt, quae mediae sunt inter Aquas Gradatas et ostium Padi, quod Ad Fornaces vocitant. Id spacium octuaginta milibus passuum continetur, et rursus ab Adriatico mari, quatenus infra terram salse fluunt ac refluunt aquae.

Quidam etiam Ravennam addidere Venetiae; Strabo eius sententiae videtur, qui de paludibus et magno portu, quem Brenta fluvius efficit, loquens: „*Intra paludes*” - inquit - „*urbs maxima Ravenna posita est, tota ligneis compacta aedificiis*, [163]

aquis diffusa, pontibus et lembis peragrata; cum a mari fiunt inundationes, non mediocrem recipit maris partem, adeo, ut universa cenositas hinc fluctu marino, illinc fluminibus abluentibus eiecta tetrum medicetur odorem." Verum sicut Adria, que olim in continenti fuit, nunc mari ac paludibus immersa est, ita et Ravenna, que fuit in aqua, remansit in arida. Aquileiam vero, quamvis idem maris sinus per Natisonem fluvium salsa contingat aqua, extra Venetiam nihilominus Strabo ponit. Nonnulli ab Abdua fluvio omnem regionem, quae Pado, mari et Alpibus clauditur ad Brintam usque, Venetie tradiderunt; nonnulli Vicentinum et Veronensem agrum huic descriptioni ademerunt.

Venetorum originem alii ex Gallis ducunt, qui extremas ad Oceanum oras incolunt, ubi nunc civitas est Venetensis non ignobilis, quam Pius Secundus liberalium artium et omnium litterarum, quae mortales honestant, schola donavit; alii Enetorum gentem esse affirmant, qui post bellum Troianum cum Anthenore salutem assecuti cursum huc e Paphlagonia tenuere. Haec de provincia.

Urbem non auctor unus, sed plurium populorum concursus edificavit post Christi Salvatoris ortum sexto et quinquagesimo anno supra quadringentesimum. Nam cum Athila rex Hunorum Aquileiam armis captam excidisset, attonite civitates finitime relictis antiquis sedibus in eas paludes populariter migravere, quibus a priscis Venetiae - ut diximus - nomen inditum; ii fuerunt Altini, Concordienses, Patavini et qui Montem Silicis incolebant, Opitergini, Heracliani, Equilini, Gradenses, Caprulenses, Lauretini et ipse Aquilegiensis excidii reliquie. Ferunt ex Vicentia, Verona, Mantua, Brixia, Mediolano ac Papia opulentissimos huc cives confugisse, cum Athila eorum urbes affligeret. Nec tamen ab his mox una urbs coherentibus aedificiis, sed divisa in plures insulas erecta est civitas. Nomina insularum, quae veluti Cyclades quedam palustribus aquis abluuntur: Torcellum, Maiorbum, Burianum, Amoriacum, Constantiacum, Aimanum, Rivus Altus, Dorsum Durum, Metamaucum, Albiola, Pelestrina et Fossa Clodia, que nunc civitas Clugia nomen habet.

Narses eunuchus, Iustiniani Primi copiarum ductor auxilio Ravennatum Patavium instauravit; Arnolphus Longobardorum rex paulo post ferro et igni absumpsit. Patavini secundo migrare coacti in stagna Venetorum confugientes Rivum Altum impleverunt, et Olivense Castrum, ubi nunc Castellanum est, episcopium condidere. Diruta Aquileia Gradenses partiarchalem sedem acceperunt, Longobardis vero Iulii Forum obtinentibus dux gentis eius, Gisulphus consentiente Agilulpho rege Aquileie suam dignitatem restituere aggressus Iohannem quendam abbatem patriarcham appellavit. Lis quinquennio cum Gradensibus ducta est; exin pontifex Romanus consensu partium instituit, ut Aquileiensis patriarcha omni continentis regioni moderaretur, Gradensis Venetiarum genti preesset. Diruit et paulo post Opitergium Rotharites Longobardorum rex; urbis episcopus, nomine Magnus, ad stagna confugiens sedem suam annuente Severino pontifice maximo in Heraclea collocavit, et Paulus Altini episcopus eodem pontifice permittente adducto [164]

secum populo, qui cladibus superfuerat, Torcellum se contulit; episcopus quoque Patavinus ex urbe pene deserta et Arianam heresim sapiente Metamaucum petiit.

Fuerunt inter Longobardos et Venetos plures de finibus controversiae; tandem convenit, ut
 5 omnis Venetia ab Abdua usque ad Aquas Salsas mutato nomine Longobardia vocaretur,
 Venetiae paludibus tantum salsis fluctibus agitatis continerentur. Vicum, qui est in Torcello
 primarius, Constantius imperator, Heraclii filius, cum Romam peteret, eoque transitum
 faceret, de suo nomine Constantiacum appellavit; Heraclea ex patre suo vocabulum
 acceperat; que cum populo aucta multitudinem capere non posset, partem plebis in vicinam
 10 iussit insulam commigrare, ubi Equilium condidit civitatem. Heraclea non longe post
 destructa rursus a Venetis duce Agnello instaurata Novae Civitatis imbuuit nomen.

27. De forma et modo gubernandi Venetorum et locorum mutatione, primisque regibus Italicis, et Adriensibus victis, atque Hungarorum incursu

15 Forma regiminis apud Venetos multiplex fuit. Primo tribunis parvare, postea ducibus,
 tertio magistris militum; quos cum antiquassent, rursus ad duces redire. Tribunitia potestas
 annis duobus ac triginta duravit supra ducentos; quibus summotis primus ducem gessit apud
 Heracleam Paulinus, eius urbis civis; in Heraclea enim res Veneta primum gubernata est.
 20 Paulino successit Ursus, et ipse Heracleanus, qui civili tumultu interfectus est, et ad
 magistrum militum res publica perducta, quorum primum Dominicum Leonem creaverunt.
 Quattuor eo defuncto alius post alium rem Venetam gubernarunt; ultimus, Iohannes
 Fabritiacus domestica seditione magistratu depositus et oculis privatus est, moxque anno
 salutis septingentesimo et quadragesimo secundo sedes imperii Veneti ad Metamaucum
 25 translata est, rursusque ducalis dignitas elevata. Filius Ursi, quem supra interfectum
 rettulimus, nomine [Deusdedit] ducatum accepit, qui cum ad ostia Brinthe amnis - quem
 Modoacum Strabo vocitat - castellum aedificare cepisset, in suspitionem tyrannidis adductus
 haud patre felicior magistratu simul et lumine privatus a suis civibus miserrimam egit vitam.
 Parem fortunam Galla, successor eius invenit.

30 Tunc quarta regiminis forma reperta: duci Dominico Monegario Metamaucensi duos
 annales tribunos ad clavum pari potestate consessuros creaverunt. Nec sic vel audacia ducis
 vel populi temeritas correcta: Dominicum tumultuans populus et solio et oculis privavit,
 rursusque ad Heracleanos res Veneta rediit Mauritio duce in locum Dominici suffecto, qui
 post annum inusitato exemplo filium sui magistratus consortem assumpsit, aususque est
 35 manus in Iohannem patriarcham Gradensem iniicere, qui paulo post ex percussione interiit.
 Fortunatus, successor eius vindictam meditatus cum [165]

conspirasset in ducem, exorto tumultu pulsus in Franciam se contulit. Nec diu post pater et filius magistratu eiecti sunt, et Obelerius Metamaucensis unicus tribunus creatus, qui eodem anno patria pulsus apud Tervisium exulavit, ubi a Venetis simul exulantibus ducis nomen consecutus Beatum fratrem imperii consortem accepit, et venientem in Italiam Pipinum, Karoli Magni filium, quem Adrianus pontifex regem Italiae constituerat, adiuvante patriarcha Fortunato in Venetos arma sumere persuasit. Prelio apud Tervisium commisso Veneti victi fugatique manus dedere. Non tamen Obelerius aut Fortunatus pristinas dignitates vendicavere apud Metamaucum in exilio dimissi.

5
10
15
20
25

Eo anno Heraclea a Venetis deleta est, et populus Venetias ductus; tuncque rursus ex Aquileia multi eo confluxere, ita, ut secunda eius civitatis fundatio videretur, Agnellus autem [Partitiacus] Heracleanus, qui patriam suam instauravit, primus fuit, qui apud insulam Rivi Alti dux eligeretur. Is palatium ducale, quod nunc extat, erexit, et tunc Olivensis ecclesia Castellana est appellata, pro Veneta Rivus Altus civitas dicta. Idem Agnellus duos filios suos imperii consortes assumpsit, adversus quem conspirantes Iohannes Ternaricus et Bonus Bragadinus capti et appensi patibulo interierunt, eam passi mortem, quam victores intulissent victo. Defuncto Agnello Iustiniano Partitiacus solus Venetos duxit; corpus Sancti Marci evangeliste sub eo ex Alexandria Venetias advectum est. Iustiniano successit Iohannes frater eius, qui ecclesiam Sancti Marci aedificavit, et in Metamaucum ducens Obelerium ibi exulantem occidit, urbemque, olim Venetae rei caput, delevit. Vocatus in Franciam propter necem Obelerii eo profectus est; interea Castellanus episcopus et duo cives Rivi Alti curam civitatis gessere. Reversus civili tumultu magistratu deiectus atque in monasterio clausus merens obiit. Successor ei datus est Petrus Trundonicus Pola oriundus, qui filium sibi consortem ascivit. Sub eius imperio Sclavi Caprulas, Venetorum urbem vi captam destruxerunt. Eo vita functo Iohannes filius solus ducatum obtinuit; quem ab ecclesia Sancti Zacharie redeuntem concitatus populus interfecit et in eadem ecclesia sepelivit, Urso Partitiaco successore delecto. Domestici ducis occisi palatium tamdiu defendere, donec Pupiliam insulam magna immunitate colendam obtinere.

30
35

Ursus filium sibi consortem potestatis accepit, campanas duodecim anno salutis octingentesimo septuagesimo imperatori Constantinopolitano dono misit, quas ferunt primas fuisse in Grecia visas. Huic filius successit in ducatu solus, qui Comaclum civitatem de Ravennatibus vi cepit, et denique Petrum fratrem suum in ducatu socium obtinuit; ambo tamen infra tertium annum magistratu se abdicarunt. His successit Petrus Candianus, qui cum Sclavos uno prelio superasset, in altero ab eis superatus et interfectus est. Iohannes Partitiacus, qui se ducatu abdicaverat, rursus - ut [fatiscenti] patriae consulere - principatum accepit sextoque mense deposuit. Suffectus est ei Petrus cognomento Tribunus. (Tum primum Italia posthabitis Francis duos reges sui generis sibi delegit: Berengarium Foroiuliensem et Guidonem Spoletanum ducem.) Petrus partem urbis muro cinxit a Rivo Castelli usque ad [166]

Sanctam Mariam in Iubanico, ibique canale maius ferrea cathena conclusit. (Hungari eo anno Italiam ingressi a Tervisio Mediolanum usque cedibus omnia incendiisque vastarunt, et ingressi Venetiarum stagna pelliciatis navibus tumultuarie fabricatis Civitatem Novam Clugiamque et Caput Aggeris populati sunt; quos Berengarius non armis, sed pecunia ingenti data retro in Hungariam misit.)

5 Petro Tribuno Ursus Partitiacus Secundus successor datus est imperante Corrado Alemanno, ex ea gente primo. Ursum secutus est alter Petrus Candianus, qui potentiam Venetorum in Liburnis ac Dalmatis magnifice auxit, quo tempore Genuam Saraceni ex
10 Aphrica venientes populati sunt. Hunc cives cum ducali solio vellent eiicere, et is se armis in palatio tueretur, iniecto igni pice ac sulphure mixto palatium ipsum exussere; quo incendio et ecclesiae multae ac civium edes arserunt, duxque cum filio et complicibus interfectus est. Petrus Urseolus, Candiani successor exusta aedificia reparavit, et Gradum civitatem muro cinxit. (Circa idem tempus, anno salutis millesimo Adrienses apud Lauretum congressi
15 Venetis ad internitionem usque deleti sunt, atque ita memorabilis urbis, que nomen Adriatico mari dederat, reliquie funditus defecere.) Post Urseolum Petrus Barbolanus rei Venete prefuit, quem Dominicus Urseolus per arma deiecit, ac ducatum invasit.

Quietum deinde urbis regimen fuit usque ad annum salutis primum et septuagesimum supra millesimum centesimum; quo tempore Michael dux a suis civibus est occisus. Tumultuatum quoque in civitate non multis annis postea invenimus propter vectigal
20 moliture, incentoribus novarum rerum captis ac suspendio necatis. Fuit et ingens in urbe motus, cum Baiamons Theupolus regnum affectans Quirinos, Barocios, Doros, Badoarios et Basilios, primarias in urbe familias sibi pellexit, in quos non sine magno labore ac periculo publico consilio animadversum est. Deinceps, etsi non pauce seditiones rem Venetam agitavere, non tamen digne fuerunt, quae adaequari superioribus possent, etsi Franciscus
25 Foscari non sine iniuria ducali solio fuerit amotus.

Cur autem civitas liberam sese asserat, paucis referendum est; [quae nec semper libera fuit, neque - si ratio vera spectetur - nunc libera dici potest, que duro et intractabili paucorum civium servitio premitur].

30 **28. Quod Veneti non semper liberi fuerint, [neque hodie vere sunt libertatis, et duplex imperium: Grecum et Germanicum. Nova et recondita]**

Fuerunt Veneti ab initio conditionis sue sub protectione imperii Grecorum, [eisque paruerunt] usque ad tempora Karoli Magni. At cum imperium orbis terre, quod apud Grecos erat, Romanus presul, Iesu Christi - cui dedit Pater omnem potestatem in caelo et in terra - verus vicarius ad Germanos in persona magnifici Karoli transtulisset, neque paruisent
35 Greci, sed ultro resisterent, [167]

imperiumque retinere contenderent, scissum est Imperium, et orientales quidem Grecis, occidentales Germanis paruerunt. In Italia vero a Neapoli et Manfredonia quicquid ultra Siciliam versus excurrit, in partibus Grecorum fuit, citeriora ad Germanos pertinere -
 5 excepta Venetia et Beneventana urbe, quae quamvis Greco magis imperio, quam Germano faverent, nullarum tamen partium habitae sunt, et in federe, quod olim cum Hyrene imperatrice et demum cum Nicepharo imperatore Grecorum Karolus ipse percussit, cautum esse referunt, ut Veneta urbs Italiae maritima utrunque reverita Imperium suis legibus
 10 uteretur, neque bello neque pace huius aut illius partis censeretur. Fortunatus autem patriarcha Gradensis, cum adversus Iohannem et Mauritium duces - ut ante diximus - conspirasset, ea potissimum ratione Pipino suavit in Venetos ducere, quia cum Grecis contra
 15 fedus sentirent. Niceta vero patritius, qui Populonium depopulatus est, Venetorum auxilio adversus Pipinum classem instruxit, et Comaclum, quod tunc Pipini fuit, expugnare adorsus turpiter repulsus est, Obelerio ac Beato rei Venetae ducatum tenentibus; quos cum pacis
 20 arbitros Greci Francique admisissent, Pipinus tandem recusavit, dolos inesse tractatibus arbitratus, redintegratoque bello Venetos tanquam Grecis amicos magnis afflixit cladibus; et sunt, qui tum captas Venetias tradant. Illud constat: Pipinum Brodulensibus, qui primi ad orientem solem Venetorum populi sunt, Clugiensibus et Pelestrinensibus subactis in Albiolam duxisse, et priusquam eam caperet, Valentinum ducem sedem rei Venetae ex Metamauco in Rivum Altum transtulisse, moxque Albiolenses et Metamaucenses deditionem fecisse.

Expugnatio Rivi Altii incerta est; quidam affirmant pontem ligneum a Metamauco in Altum Rivum a Pipino deductum, quem cum Veneti exussissent, Pipinus abierit; alii territum redeunte classe Pauli Ceffaranae Dalmatarum Venetorumque copias afferente effugisse tradunt. Veritas in obscuro est. Pax tamen inter Nicepharum Grecorum imperatorem et
 25 imperatoris filium, Pipinum convenit, in cuius federibus concessit Pipinus, ut Veneti immunitatem, qua fuerant a Karolo genitore donati, retinentes Nicephari partium bello paceque censerentur.

Easdem leges et Michael imperator confirmavit, qui Nicepharo a Bulgaris occiso et Staturatio eius filio deiecto Graecam rem tenuit, verum immunitatem a Karolo concessam
 30 Venetis extra Italiam extendi noluit. Invenimus Michaelem, qui secundus huius nominis apud Grecos imperavit, Venetis tanquam subiectis inhibuisse, ne merces Occidentis in Orientem veherent, et ut adversus Saracenos Siciliam vastantes classem ducerent, imperasse, illosque paruisse; imperante quoque Basilio cum Saracenis navali proelio decertasse, idemque fecisse contra Bohemundum Nortmannum Dirachium obsidentem,
 35 iubente Nicepharo Batamaco Grecorum imperatore.

Constat itaque Venetos Imperio Greco subiectos fuisse, verum illo deficiente descivisse, et multa de Graecis ad se traxisse. Hinc libertas Veneta! Nam cum orientales imperatores, quibus ex consensu occidentalium suberant, prorsus [168]

elanguissent, erigentes cornua Veneti in libertatem se facile vendicarunt, cum neque Greci possent eos compescere, nec Latini curarent.

5 **29. Alexandri Tertii Senensi beneficia in Venetos, bellaque varia cum Genuensibus et Pisanis fortuna diversa, et Italica eorum bella**

Auxit maxime dignitatem Venetorum Alexander Tertius Romanus pontifex, natione Senensis, qui Venetorum armis adversus Federicum imperatorem adiutus preclaris eos rarisque privilegiis honestavit. Ipsi vero, qui Grecorum imperium expilaverant, etiam
10 Germanorum et Hungarorum regnum opprimere conati sunt, atque utinam intactam Romanam Ecclesiam reliquissent! Sed in [populari] dominatu [nihil religiosum, nihil sanctum:] res publica [inanimis est], neque [Gehennae] veretur [ignem]. Duces suos Veneti complures exilio damnare, alios oculis alios vita privarunt, nec tribunis nec magistris militum mitiores fuere. Prerigidum genus hominum et suarum legum
15 observantissimum. Pro religione sepe classes armare, cum Saracenis diu variante fortuna contenderunt, illosque, cum oram Dalmatiae diripuissent, et Gradum usque infestis classibus excurrissent, navali prelio superatos Adriaticum sinum relinquere penitus coegerunt.

Christianis Hierosolymam obtinentibus sepe auxilia prestiterunt, cum Francis societate inita bis Constantinopolim vi ceperunt, Egeique maris insulas omnes armis obtinuerunt.
20 Cretam, quae nunc Candia dicitur, pecunia [coemerunt] a Bonifacio marchione Montis Ferrati, ad quem Cretenses deleto Grecorum imperio inclinaverant. Adversus Hungaros propter Iaderam et alias Dalmatie civitates crebro dimicare. Andreas Hungarorum rex cupiens Christianis apud Syriam laborantibus opem ferre, ut navigia, quibus veheretur, a Venetis obtineret, eis Dalmatiam cessit, non tamen successores potiri quiete Venetos permiserunt; Ludovicus enim Genuensibus et Austrialibus iunctus adversus eos auxilia
25 misit, et Sigismundus aetate nostra misso Pippone Florentino cum magnis copiis in Italiam rem Venetam ingentibus affecit cladibus, quamvis ad extremum victus non sine ignominia retrocesserit.

Romanos pontifices - Alexandrum Tertium et Gregorium Nonum - adversus Federicum
30 Primum magnifice adjuverunt. Mathildi comitisse adversus Henricum Tertium Romanorum imperatorem opem tulere, qua Ferrariam egregia mulier vendicavit. Verum Ferrariensibus, qui postea ad ius Ecclesie pervenerant, Romano pontifici rebellantibus auxilia non negaverunt, ac Ferrariam ipsam in potestatem acceperunt. Propter quam rem facti extra Ecclesiam, [et in servitutum dati his, qui eos caperent, diu Christianis fere omnibus fuere contemptui,] nec prius gratiam meruere, quam dicto pontificis paruerunt. Cum Bohemundo Nortmanno, qui regnum in Italia obtinuit, apud Dyrachium iubentibus imperatoribus Grecis
35 navali prelio ter congressi priori [169]

certamine superiores fuerunt, in aliis succubuere; deinde terram eius in Italiam invadentes, ut pacem Grecis redderet, compulerunt. Sedente Clemente Tertio cum Pisanis societate inita triennio pro religione in Asia classem habuere, neque dignum laude quicquam fecere, cum sociorum emulatione impedirentur. Reversi domum cum Pisanis, qui Polam in
 5 Istria ceperant, bellum gessere, et Pola recuperata murisque urbis ad mare deiectis Pisanos complures occiderunt; apud Metonem duas eorum naves onustas mercibus intercepte; exin pax composita est. Imperante deinde Federico Secundo cum Pisani triremes centum contra Genuenses armassent, requisiti ex federe sexaginta triremes Genuensibus auxilio misere. Classis prefectus cum appulisset Dyrachium, accepto nuntio, quod Pisana classis apud
 10 Corsicam fugata fuisset, reversus Polam, quae medio tempore rebellaverat, ferro atque igne vastavit. Deinceps Veneti simul et Pisani contra Genuenses federa percusserunt; sepe enim inter Genuenses et Venetos decertatum est, saepe pax facta, sepe interrupta, et Pisani modo istorum modo illorum socii fuere.

Cum Henricus Piscator Malee comes classe Genuensium fretus Cretam auferre Venetis conaretur, bellum inter Genuenses et Venetos primum cepit, duobusque preliis non admodum magnis Veneti superiores fuere. Maior deinde contentio inter hos duos populos emersit sedente Gregorio Nono propter res Grecas, quibus [diripiendis] uterque inhiabat. Pontifex partibus ad se vocatis ea lege pacem composuit, ne alter sine altero Vattarim
 20 Grecorum imperatorem vel amicum vel hostem assumeret; si quis contra faceret, excommunicationem et interdicti penam incurreret. Tertio deinde pro monasterio Sancti Sabae, quod erat apud Ptolomaidam, ubi et Veneti et Genuenses frequentes inhabitabant, inter se contendere ceperunt. Philippus, natione Gallus, qui urbi preerat, tanquam divisionum incentores Venetos urbe deiecit; illi Tyrum concessere, cuius urbis tertiam partem obtinebant, et Pisanis in federa tractis Ptolomaidam reversi Philippum et Genuenses
 25 expulerunt, eosque rursus congregari audentes inter Ptolomaidam et Tyrum strage magna ceciderunt. Cum Michael Paleologus, tutor filiorum Theodori Vattaris proditione civium expulso Balduino imperatore Constantinopolim recepisset, et pupillis occisis arrepto imperio adversus Vilhelmum Achaiae dominum arma movisset, Genuenses Greco, Veneti Latino suppetias tulere, et congressi simul inferior Genuensis fuga salutem quesivit; Venetus
 30 onerariam navim apud Tyrum Genuensi eripuit, apud Lylibeum tres triremes interceptit, apud Drepanum octo et viginti triremium classem superavit, rursusque inter Ptolomaidam et Tyrum Genuensium classis a Veneto superata est.

Ludovicus denique rex Franciae, qui Philippo in Asia defuncto successerat, Cremonam veniens vocatis ad se Venetis, Genuensibus ac Pisanis pacem inter eos quinque annorum constituit; qua finita Nicolaus Pisanus prefectus Venetae classis congressus Genuensi in
 35 Aegeo pelago victor evasit. Philippus Auria interea, prefectus alterius classis Genuensium Euboiam multis cladibus affecit, et Choum insulam in eodem mari vi cepit. [170]

Cum Genuensium onerosa potentia Venetis videretur, regem Aragonum et imperatorem Grecorum in societatem vocavere, classemque octuaginta quattuor triremium simul instruxere, quam Genuensis prefectus, Paganus Auria circa Bosforum Thracium ingenti pugna superatam disiecit. Nec diu postea Aragonenses et Veneti simul iuncti duce Nicolao Pisano conserto cum Genuensibus apud Corsicam prelio unam et quadraginta triremes hostium captas cum hominibus in profundum demersere. Genuenses eo affecti detrimento Iohanni archiepiscopo Mediolanensi se dedidere, cuius auspiciis apud Sapientiam, Peloponnessi promontorium Nicolaum Pisanum Venetorum prefectum cum quinque milibus hominum captum abduxere, et secundum hanc victoriam pax mortuo archiepiscopo equis conditionibus recepta est.

Nec diu postea memorata apud veteres insula Thenedos novum bellum excitavit, quam Kaloiohannes Grecorum imperator Venetis tradiderat, filius eius Andronicus Genuensibus promiserat. Pugnatum est apud Antium, et Genuenses conflicti sunt, et rursus sex eorum triremes ex Cypro redeuntes captae, quae Barnabovis filiam insulae regi nuptam eo vexerant. Versa deinde fortuna Lucianus Auria, Genuensium classis prefectus Victorem Pisanum apud Polam aggressus duodeviginti triremes ei abstulit. Elati ea victoria Genuenses mare Superum duabus classibus Venetis clausere, quarum altera in Piceno stationem habuit, altera apud Iaderam, nec terra patebat Venetis Francisco Carraria Romanum oppidum de Tarvisinis obsidente. Ceperunt Genuenses Bebas, [Caput Aggeris et Sancti Lazari vicum et Clugiam, Metamaucum] cremavere, [Lauretum] vi expugnare. Deinde ad capiendam urbem animos intendere, sed conclusi paludibus et brevibus aquis a levioribus Venetorum navigiis magnum detrimentum accepere, et paulo post [Clugia] obsessi, multis affecti cladibus, fame laborantes deditionem fecere.

Decimo Kalendas Iunii anno salutis M-o CCC-o LXXX-o ingens ea Venetorum victoria fuit; Andreas [Cantareus] dux civitatis, Victor Pisanus, Dominicus Michael, Karolus Zenus et Thadeus Iustinianus eius precipui auctores habiti sunt; hostium quatuor milia trecenti quadraginta vivi in potestatem venire. Nec tamen pacem petivere Genuenses, sed classe in Istriam missa Tergestinos ad rebellionem compulere, Iustinopolim incendio absumpsere, ad portum Venetum per contemptum venire, Polam et Signiam vi cepere, a Parentio egre repulsi sunt. Tandem arbitro Sabaudiae duce sequenti anno pax conclusa est ea lege adiecta, ut castellum in insula Thenedos demoliretur, quod fuerat discordiae causa; idque factum est.

Postremo sub Philippo Mediolanensium duce rursus Genuenses navali prelio cum Venetis contenderunt victique sunt, et Franciscus Spinola classis prefectus in captivitatem ductus. Deinceps Veneti domini maris habiti, qui diu in continenti Italiae nihil obtinuerunt.

Prima eorum possessio Tarvisium fuit, quae civitas cum modo Austrialibus modo Patavinis paruisset, tandem sese Venetis dedit anno salutis quarto et XXX-o supra M CCC-tos. Contenderunt et Veneti cum Bononiensibus annis [171]

tribus. Quadraginta milia militum Bononienses in armis aliquando coegerunt, et castellum in ostio Padi erexerunt; vicerunt tamen eos Veneti, et castellum destruere compulerunt. Anthonitanos sepe armis afflixerunt, Carrarios subacto Patavo eiecerunt, Scaligeris, quorum potentia olim in Italia ingens fuit, Veronam et Vicentiam ademerunt; cum Vicecomitibus, 5 Mediolani dominis varia sepe fortuna terra marique decertarunt, Iohannem archiepiscopum et Barnabovem et Iohannem Galeazium admodum timuere, Philippum Mariam Florentinis iuncti bello attrivere, Brixiam, Bergamum et insignia pleraque oppida ei abstulerunt, Abduaue transmissa ad Mediolani usque menia praedabundi excurrerunt. Illo mortuo cum Placentiam et Laudam occupassent, a Francisco Sfortia, qui Philippo successit, eiectioni sunt, et 10 cum eo demum aequis conditionibus - ut ante diximus - pacem fecere. Regi Alfonso adversus Franciscum et Florentinos socii fuere, deinde hostes, tandem in amicitiam rediere, cum pariter timerent et timori essent.

Apposuerunt et in rebus Ecclesiae manus: patriarcham e Foro Iulii deiecerunt, Ravennam occupaverunt, Eugenium Quartum - quamvis sue urbis civem - aliquandiu persecuti sunt. 15 Postremo cum tota Italia exceptis Genuensibus et Romandiolae tyrannis, [qui sprete fuerunt,] in federa coisset, priores Veneti reperti sunt sue fidei violatores, qui Ferdinando Sicilie regi adversus Francos ex federe auxilia petenti denegaverunt.

20 **30. De situ Venetiarum et navali maximo ac templo Divi Marci, aliisque aedificiis et viris claris**

Venetia - ut diximus - ab initio insulas, que sunt inter Aquas Gradatas et Lauretum, fere omnes occupavit, uno civitatis corpore ex pluribus oppidulis constituto; hodie continua sunt aedificia, que unam urbem efficiunt canalibus tantum, in quis aquae salse decurrunt, 25 tanquam viis quibusdam inter se divisas. Latitudo canalium maiorum triremem capit remigio vadentem. Sunt et viae lateribus strate, quas pedibus ambulant.

Merces huc ex toto fere orbe convehuntur, neque aliud est Europa tota nobilium emporium. Negociatores totius Occidentis huc res deferunt, et orientales accipiunt merces. Armamentarium et navale, quod 'arsanal' vocitant, ditissimum habent omni machinarum 30 genere referctum, in quo triremes et alia navigia absque intermissione aedificant. Opinio est eos, cum velint, brevissimo tempore centum triremes armare posse; quod aliquando fecerunt.

Urbs tota lateritia; verum si stabit imperium, brevi marmorea fiet, et iam nobilium aedes marmore incrustate plurimo fulgent auro. Beato Marcho evangeliste nobilissima aedes 35 constructa est ex orientali marmore; testudines artificio, quod 'musaicum' vocant, undique deauratae. Hic thesaurum esse asserunt regales opes excedentem, carbunculis, adamantibus et omni gemmarum genere adornatum, quem nostra aetate Greculus quidam subtili furatus [172]

ingenio, tandem captus et ultimo supplicio affectus est - dissuadente duce Francisco Foscari, qui ausum talia servandum esse dicebat. Turris campanariae pinnaculum sexaginta milibus aureis inauratum ferunt. - Ducale palatium amplissimum est - quod supra incensum et deinde instauratum diximus -, super columnas marmoreas aedificatum, omnibus ornamentis illustre. Sunt et alia templa per urbem sumptu et opere admiranda et religiosorum cenobia. Crescit in dies civitas nullis circumdata menibus; aqua pro muro est; continens ubi propius accedit, passuum tribus milibus distat.

5 Viros habuit nostra aetate litterarum doctrina illustres: Paulum Ordinis Sancti Augustini professorem, cuius dialecticos libros hodie sequuntur; Franciscum Barbarum, Grecis ac
10 Latinis litteris eruditum, et qui ex Grecis multa in Latinum vertit.

31. Adventus et oratio legatorum Venetorum et Pii responsum

15 Hec de Venetis paulo altius repetivimus, qui etsi diu legatos suos ad Mantuanum conventum mittere recusarunt, postremo tamen, cum accepissent ducem Clivensem adventasse, oratores Francos propediem venturos, ipsumque Franciscum Sfortiam Mediolanensium principem adesse, neque alios ex tota Italia, [quam se ipsos] desiderari, [infamiam veriti publicam] duos oratores cum deiecta nobilium iuventute Mantuam misere adiunctis equitibus circiter quingentis, qui honoris causa itineris essent comites. Franciscus
20 Sfortia ob reverentiam urbis Venetae his extra moenia obviam processit, mediusque inter duos oratores introivit.

Ludovicus, alter ex legatis, in consistorio publico luculentam orationem habuit; erat enim non iure consultus modo, verum etiam eloquentiae studiosus. Orationis hec sententia fuit: detestari Venetos Thurcorum audaciam, qui aliena invaderent; Christianorum ignaviam
25 accusare, qui sua non tuerentur, neque arma pro religione capere auderent; laudare pontificem, qui de communi salute anxius non sine labore et sumptu Mantuam petivisset; bellum contra Thurcos suscipiendum suadere, si unitis Christianorum viribus geri posset, atque in eum eventum sese magna facturos promissere.

30 Pius de origine Venetorum deque gloriosis eorum gestis nonnulla praefatus oblata eorum pro tuenda religione collaudavit, quamvis eam conditionem haberent, quae difficillime posset impleri. [Tarditatem] legatorum accusavit, qui cum essent conventui propinquissimi, ultimi tamen omnium venissent. Commemoravit et, Alexandri III Romani pontificis quanta (fuisset) in Venetos caritas, nec se minus erga eos dilectionis habiturum affirmavit, si ad tutelam religionis - ut par esset - suam operam navarent. [173]
35

32. Progressus concilii et Pii oratio luculentissima, Bessarionisque responsum, et Francisci Sfortie vulgaris oratio

5 Cum plenum iam concilium esset, quamvis nondum Franci venissent, placuit Romano pontifici, priusquam Franciscus dux Mediolani abiret, qui diu retineri non poterat, simul omnes adloqui, qui praesentes aderant, atque ad belli susceptionem cohortari. Facta igitur divina in ecclesia cathedrali principes ac legati omnes in contionem accersiti sunt. Multae ibi de sessione contentiones fuere, sed nulla maior, quam Venetorum et Sabaudiensium: illi potentiam et antiquitatem sui imperii preferabant, isti nobilitatem sanguinis et consuetudinem. Pontifex, cum alio modo sopiri controversia nequiret, crescerentque paulatim iurgia, et iam Ursatius non tam prudens, quam arrogans accinctus ad rixam videretur, Venetis post oratores ducis Burgundiae collocatis Sabaudienses ad scabellum sui solii sedere iussit, atque imperato silentio horis circiter tribus peroravit tanta auditorum attentione, ut nullum exciderit non intellectum verbum; et quamvis tussi per eos dies gravissime laborasset, divina tamen ope adiutus inter orandum neque tussivit unquam, neque vel minimum ostendit impedimentum. De bello in Thurcos gerendo multa copiose locutus id non modo utile, verum etiam iustum, facillimum ac necessarium demonstravit. (Eius oratio postmodum edita est, et inter alias [eius] continetur.)

20 Cum finem fecisset, Bessarion cardinalis Grecus pro Collegio locutus non pauciora, quam pontifex, verba fecit ostendens, quantam passi iacturam Christiani essent perdita Constantinopoli, et quae instarent mala, nisi Thurcorum conatibus obviam iretur. Docuit facilem esse audentibus victoriam, suasitque multis rationibus bellum esse capessendum. Laudare probareque omnia Sacrum Collegium affirmavit, quae pontifex maximus orando dixisset. - Laudata est eius oratio, etsi Grecam facundiam quantum Latina preiret, ostenderit.

25 Aderat ab imperatore missus Antonius episcopus Tergestinus, qui nihil ausus est in tanto conventu proloqui; collega eius, Iohannes Inderbachius aegrotabat. Ceteri oratores regum, principum, civitatum concordibus votis verba pontificis probavere. Franciscus Sfortia militari eloquentia et verbis patriis suscipiendum in hostes fidei bellum magnopere suasit, seque et sua in eam rem obtulit.

33. Oratio Hungarorum et Pii responsum

35 Aderant et oratores Hungariae, qui suo loco dicendi copiam adepti - ultimi enim fuere, qui loquerentur, cum petituri opem venissent - pontifice laudato, qui de communi salute sollicitus esset, imperatorem pluribus verbis criminati sunt, qui laborantibus Thurcorum bello Hungaris molestias addidisset, novis tumultibus regnum involvens. Fremebat his auditis adversus imperatorem tota [174]

contio, nec orator eius in tanto consessu obiecta diluere audebat, ut qui contiones non esset adloqui solitus. Tum pontifex:

5 *"Preter rem et contra rem" - inquit -, «Hungari, locuti estis. De bello contra Thurcos gerendo nunc agimus, et causae vestrae consulentes imperatorem et Christianos reliquos in auxilium vestrum armare conamur. Vos opem queritis, et qui possunt opitulari, verbis lacessitis? Non est hoc, quod regno vestro conducatur, neque hic locus est, in quo iurgia iactare conveniat. Male miseria et arrogantia simul habitant. Nos imperatorem iusti amantem novimus, nec regem vestrum ab honesto discedere arbitramur. Quamvis de regno dissentiunt, nemo tamen iniustam habere se causam arbitratur. Cum veritatem noverint, obediunt veritati. Danda est opera, ut in amicitiam redeant. Misimus ad eos legatum unum; mittemus et alium, si opus fuerit, ne quid ad reconciliandos inter se principes desit. Interea, quod in manibus est, absolvamus! Facessantque prorsus hoc in loco dissensiones, nec maledictum aliquod audiatur!"*

15 Siluere his auditis Hungari. Reliqui omnes pontificis verba probavere, et unitis animis bellum esse gerendum adversus Thurcos decreverunt. Et contio eius diei soluta est.

34. De belli consultatione, quo milite quibusque modis esset ineundum, cum Italicis habita

20 Postridie cuncti, qui aderant Italici nominis oratores ac principes, ad presentiam pontificis accersiti sunt. Convenere in palatio Franciscus Mediolanensium dux, Ludovicus Mantuanus et Vilhelmus Montis Ferrati marchio ac Sigismundus Malatesta; et quoniam rex Aragonum Siciliam, Corsicam ac Sardiniam, Italici iuris insulas possideret, oratores eius interfuere. Tum regis Ferdinandi legati, archiepiscopus Beneventanus et Andrie dux, deinde Veneti, Florentini, Senenses, Ferrarienses, Lucenses ac Bononienses. Sabaudienses, quamvis cis Alpes late dominantur, ad Francos inclinantes cum Italicis adnumerari noluerunt. Genuenses nondum publice aderant, clam tamen auxilia pollicebantur. - Cardinales sinistrum dextrumque latus pontificis obtinebant, principes ac legati e regione sedebant; quibus audire paratis:

30 *"decrevimus" - inquit pontifex - „vestro consilio, filii, bellum Thurcis inferre, nec dubitamus, quin arma, equi, homines, naves, pecuniae abunde suppetant, si Christiani suae salutis affuerint. Nunc cogitandum est: mari an terra, an utrobique aggrediendus sit hostis, et quae classis quisve terrestris exercitus sit necessarius, et quibus ex populis legendi sint milites; utrum pecunia Hungari an milite sint adiuvandi. Consulite in medium, et quae promittitis auxilia, palam proponite!"*

35 Primus ad haec Franciscus respondit, et quae pridie promiserat, confirmavit, deinde hoc consilium dedit: videri sibi necessarium esse mari terraque Thurcos summis viribus invasum iri; de quantitate exercitus se, qui vires hostium nesciret, loqui non posse; milites autem ex his regionibus deligendos fore, quae Thurcis essent proxime, nossentque mores hostium et insidias callerent; ex Italia [175]

ceterisque remotioribus provinciis pecunias corradendas, quibus Hungarorum et aliorum exercitus alerentur; incognitas Hungaris gentes haudquaquam mittendas, que facile cum illis tumultuarentur, nec sine gravissimo sumptu aut mitti eo possent aut retineri. - Aragonenses, quorum princeps erat Elnensis episcopus, multa et magna sui regis nomine promiserunt, et Francisci consilium laudarunt. - Veneti, [qui nihil polliceri auderent] consilium tanquam privati homines dedere: mari terraque hostem esse premendum; classem XXX triremium et octo navium cetearum in mari sufficere, que in Hellespontum traiciens litora hinc Greciae inde Asiae infestaret; sic fieri, ut multi Turchorum ad custodienda maritima loca distinerentur; terrestres copias ex Hungaria vicinisque locis cogendas esse; equitum XL-ta milium, peditum XX milium, nec minores esse oportere; argentum bello necessarium ex reliquis Christianorum provinciis hauriendum. - Qui postea locuti sunt, omnes fere in hanc sententiam pedibus iverunt preter Sigismundum Malatestam, qui ubi ad eum ventum est, assurgens militari quadam et precipiti facundia:

„Ego" - inquit -, „pater sanctissime, rem nauticam pretereo, cuius me fateor ignarum; Venetis hanc provinciam relinquo in bello campestri exercitatus. Qui ante me locuti sunt, omnes eas gentes armandas dixere, quae Thurcis coherent, et mores illorum norunt. Mihi longe alia sententia est. Nam qui Thurcis proximi habitant - Hungari, Valachi, Rasciani, Bulgari, Epirotae, Graeci -, sepe ante illorum ora ceciderunt, neque vultum possunt Thurcorum ferre. Ego, si hoc bellum sim gesturus, Italici generis equites ac pedites armaverim eo numero, qui satis fuerit, nec de victoria dubitaverim. Prestant enim nostri milites ac duces longe alios, equos preterea et armaturas meliores habemus; neque illud obstat, quod genus pugnae nescimus, quo illi utuntur, quando neque illi nostrum novere, et facilius nos illorum insidias, quam illi nostras, vitabimus, ut sunt Italorum dexterrima ingenia. Quare suadeo, ut reliqui pecunias contribuant, Itali bellum gerant."

Laudata est Sigismundi oratio, quamvis hominem nemo laudaret. Postquam vero cuncti finire, Pius in hunc modum locutus est:

„Et nos quidem, si fieri posset, o filii, hoc bellum Italico milite gereremus, quando nulla est alia gens, quae sit prestantior armis. Sed hoc difficillimum est atque propemodum impossibile. Quis enim tantum auri sumministret, quantum hae copiae consumant, quae ab Italia in Greciam proficiscantur? Nec duces nostri sunt, qui militare extra Italiam velint: inter nos sine vite discrimine et magno cum emolumento belligerant; cum Thurcis cruenta fiunt prelia, nec lucra magna queruntur, nisi animarum - quae nostris militibus in corpore carissime sunt, extra corpus vilissime. Rursus Theutones atque Hungaros sive Bohemos pecunia conducere, qui bellum gerant, arduum est; nisi Italia pecuniam dederit, nulla provincia dabit. Avari et suspiciosi sunt barbari, semperque falli circa pecuniam existimant; fortasse armatum militem dabunt, aurum non dabunt, et si eo pacto plus conferant, pecunia Italica vix classi sufficet. Quod possumus, non quod volumus, necesse est facere. Eo milite gerendum est bellum, qui haberi potest. Galli et Angli et Theutones et Bohemi et Poloni copias pollicentur, hisque terrestre bellum instruemus; ex Hispanis, qui Castellani vocantur, propter [176]

5 *Mauritanos, quibuscum certamen habent, excusatum se mittent; Cathelani et Aragonenses et Portugallenses si quid obtulerint, ad rem nauticam pertinebit. Labor erit - non imus inficias - tot diversissimas gentes in unis castris continere; licebit tamen et plures duces et plura castra constituere ea moderatione adhibita, ut altera subveniant alteris, cum necessitas ingruerit. Unum tamen ducem cuncti respicient: Apostolicae Sedis legatum, et unum signum sequentur: vivifice Crucis. Verum haec prematura est cura."*

10 **35. Quanto milite opus et unde pecunia exigenda sit, Venetorumque [insatiabilis avaritia,] tergiversatio [atque superbia]**

15 *"Nunc, unde copias habeamus, in consultationem venit, et quam multas cogere oporteat; his habitis et de ducibus et de concordia gentium transigemus. Multa de potentia Thurcorum in medium adducta sunt. Nobis compertum est plus quam ducenta hominum milia eos ad bellum educere non posse, et in his rusticos inermes atque imbellem turbam contineri; robur sui exercitus in genizeris consistere, qui quadraginta milia non excedant; nec dubitandum esse de victoria Christianorum, si vel quinquaginta milia ad pugnam ierint, quando et armis multo ac virtute prestant. Verum equites esse oportet maiori ex parte, qui bellum gerant; loca enim campestria sunt, in quibus pugnandum erit, et Thurcorum equitatus est magnus, et maiores copie neque regi facile neque ali possunt. -*

20 *Bello maritimo XXX triremes et octo ceteas naves affirmant Veneti victoriam tradituras. Id est ferme omnium, qui Thurcos novere, iudicium. Quod si decem triremes adiiciantur, non est dubium, quin nostri mare possideant, neque sinant ex Asia transire Thurcos, quorum maxima pars ad tuenda, quae circa mare sunt, oppida distinebitur, et multo minores erunt copiae ad campestre bellum iture. Sic rerum gnari loquuntur.*

25 *Diximus, unde legendi sint milites, et quantas terra marique copias haberi oporteat; nunc de pecuniis transigamus. Nostra sententia est, si consulitis, ut clerici suorum proventuum in hunc usum triennio decimam afferant, laici trigesimam, Iudei omnium, quae possident, vigesimam: hinc pecunias abunde corrademus huic bello necessarias; si qui plus conferre voluerint, in lucro erit. Vos, si melius aliquid cogitastis, proponite in medium; nos consilia vestra sequemur."*

30 *Placuit omnibus sententia pontificis, et secundum eam decretum ediderunt, cui preter oratores Venetos ac Florentinos ceteri omnes subscripserunt. Florentini admodum reprehensi, quod ad concilium missi tantum verba dedissent, semotis arbitris pontificis colloquium petiere; quod cum obtinuissent, tandem duobus intromissis cardinalibus -*

35 *Bessarione Niceno et Iohanne Sancti Sixti - Florentinum populum ad observationem decreti obligaverunt, petentes id occultum esse, donec navigia mercibus onusta ex Constantinopoli rediissent, quod ante natalem Salvatoris diem futurum esse confidebant. De qua re solemnem stipulatio intercessit, et nihilominus, ne Florentinorum negligentia res [177]*

Christiana impediri videretur, Franciscus Mediolanensium dux publice pro Florentinis se vadem constituit.

5 Post hec multa cum legatis Venetis agitata sunt, quorum verba longe ab animo dissentiebant: bellum in Thurcos ore laudabant, corde damnabant. [Non sunt populi, qui res magnificas amplectantur; mercatores plerumque, quorum natura lucris intenta res claras, quae sine impensa fieri non possunt, mente abhorret.] Existimabant Veneti inito cum
10 Thurcis bello futurum, ut omnis negotiatio, ex qua victitant, in Orienti cessaret, nec passuros Occidentis principes vindicata Grecia, ut plebs Veneta Dalmaticum et Orientale imperium obtineret. Verebantur quoque, ne occupatis Thurcorum bello Mediolanensis inferret arma [- ut semper de alio suspicantur homines, quod in se sentiunt.] Mandaverunt igitur oratoribus, ut rem verbis traherent, spem bonam facerent, solidi certique nihil promitterent.

Cum pressius urgerentur, dixerunt Venetos ita demum socios belli futuros, si rem nauticam soli administrare permetterentur, si sua facerent ex hoste rapienda, si classis impensa levarentur, si exercitus ex Hungaria contra Thurcos quinquaginta milium equitum
15 et viginti milium peditum proficisceretur. Classem autem sexaginta triremium et navium viginti [cetearum] necessariam esse aiebant, et in his ultra remiges et reliquos nautas octo milia militum requirebant, quamvis antea multo minorem sufficere affirmassent; corpora navium et armamenta tantum se gratis exhibituros promittentes, pro ceteris rebus pecuniam exquirebant, atque in hunc usum decimas, vigesimas ac trigesimas suae ditionis, quas
20 centum quinquaginta milia auri nummum conferre arbitrabantur. Neque his contenti amplius auri quindecies centena milia ex publico postulabant. - Huiuscemodi Venetorum liberalitas fuit; quibus pontifex ita respondit:

„Non est - ut videmus - in animo vestro, Veneti, religionem tueri, qui mercedem
25 impossibilem queritis. Dolendum est [adeo] civitatem vestram [degenerasse], ut quae olim maximas classes pro tutela fidei libenter armavit, nunc ne unam quidem navim, [si omnia pensitamus,] armare velit. Contra Pisanos, contra Genuenses, contra reges et imperatores pro sociis aut subditis ingentia sepe bella vestro aere gessistis; nunc pro Christo pugnaturi adversus impios Thurcos pretium poscitis, nec, si detur, arma sumetis! [Heu gens Veneta, quantum de priscis moribus perdidisti! Nimia conversatio tua cum
30 Thurcis amicam te Mahumetis fecit, nec amplius tibi cura religionis est]. Nos tui procuratores sumus, tuam rem agimus, dum bellum Thurcis inferre querimus. Hostem tuis cervicibus imminentem studemus avertere, et tu surdis auribus verba nostra repellis! [Veniet, veniet aliquando tempus, cum petes a nobis, quod abs te petimus, et fortasse non audieris!] Quis regum unquam tantum auri in apparatu alicuius belli promptum habuit,
35 quantum ex nobis queritur? Sufficit tantum adesse, quantum principia requirunt: reliquum bella ipsa ministrant, si modo homines sunt, non foemine duces. Vos insuper, oratores, sexaginta triremes et XX naves exigitis - nuper dimidiatam classem satis esse dixistis. Septuaginta milia pugnatorum ad bellum campestre deposcitis; qui res Thurcorum inspexere, quadraginta milibus confici bellum [178]

posse diiudicant. Difficultates ingentis, ne bellum fiat. Agite, non fiat: vos primi dabit is poenas!"

5 Multa in hunc modum et saepe durius dicta sunt. Oratores, ut erant cauti, artificiose [magis, quam vere] respondebant. Nihil erat in ore, quod animo consonaret; nunc istam nunc illam viam aperiebant, et hostium vires augentes, nostras attenuantes tempus trahere conabantur, donec solveretur conventus, [nec veniebant ad Palatium, nisi predicta die. Incessus eorum pompa et fastu plenus; pontifice coram inviti flectebant genua; et quamvis oratores regum atque ipsius caesaris et magnos principes obsculatis pedibus summi presulis diu iacere prostratos viderent, ipsi tamen sive pro innata superbia, sive pro piscatoria illa ruditate, quam de suis traxere maioribus, mox assurgebant. Si detinebantur paulo ante cubile pontificis, mox quasi contempti murmurabant, scripseruntque senatui non aliter se a Romano pontifice honoratos fuisse, quam si Anthonitanorum legati venissent. Quae res populum Venetum magis ac magis adversus pontificem concitavit, qui alioquin propter ecclesiam Patavinam amarulento erant in eum animo. Verum pontifex in honorandis Venetis non tam remissus, quam profusus ac nimius fuit! Illi, ut mala malis adderent, et haec et alia complurima ementiti sunt.]

36. Legatio Francorum, Britannorum, Genuensium et Rhenati

20 Interea de legatis Francorum rumor oboritur, quod amici Venetis, infesti papae propter regnum Siciliae veniant, nec deerant, qui pontificem in illorum adventu confundendum assererent. (Dux Mediolani subscripto decreto promissionis domum repetiit.) Ex oratoribus regis Franciae, qui nominati erant, unus precessit: decanus Carnotensis, cuius supra meminimus. Is cum esset electus suae pontifex ecclesiae, et secundum Pragmaticam Sanctionem a suo metropolitano confirmatus, non tamen satis tutus se iudice videbatur, nisi a Romano presule approbaretur. Accepto itaque legati titulo, ut causam suam melius ageret, ante alios oratores iter arripuit. Cumque Mantuae proximus esset, significavit se tanquam electum episcopum cum veste linea sub pallio ingressurum, idque licere sibi ex venia pontificis arroganter petebat, nec arbitrabatur ob dignitatem legationis id posse negari. Sed iussus est aut id vestis deponere, aut retro in Franciam reverti. Ille humiliatus pontifici obedivit, et obtenta demum confirmatione prius domum rediit, quam ceteri legati adessent - [usus arte Gallica, cuius est longe quesitis titulis mendicare favores, ac nulla in re non immiscere mendacia.]

35 Secuti sunt paulo post oratores alii minori admiratione, quam fuerant expectati. [(Nominaverat rex plerosque sui sanguinis proceres iactantiae causa, qui postea domi mansere, cum viatici sumptus non tam facile, quam nuntii reperirentur.)] Legationis principes fuere Turonensis archiepiscopus, venerabilis senex, episcopus Parisiensis, disputator acutus, Thomas Corcellus, [179]

insignis theologus, et bailivius Rhotomagensis. Rhenatus Sicilie rex oratores suos his adiunxit episcopum Massiliensem, quem supra nominavimus, et militiae suae magistrum. Sequebantur et ducis Britannie legati: nepos eius et Macloviensis episcopus et alii complures viri prestantes. Affuit et legatio Genuensium, qui Francis tanquam dominis adulabantur.

5 Britannia hodie Galliae portio est ad Oceanum sita; olim insula fuit, quae apud Ptolomeum cosmographiam Albion appellatur; Angli, Germanicum genus Britannis insula pulsas a se Angliam vocavere. Illi in continentem navigantes inter Guascones ac Nortmannos sedes sortiti sunt, in quis nomen et linguam retinere multis civitatibus occupatis, quarum una est Venetensis appellata, cuius ante meminimus, cum de Venetis Italicis ageremus. - Dux
10 Britanniae, etsi minor est Francorum rege, eiusque terra circumdatur, suis tamen legibus vivit, neque recognoscit in temporali ditioe superiorem. Eapropter cum Franci Pragmaticam quandam Sanctionem edidissent, quae Apostolicae Sedis eminentiam gloriamque circumscribere videbatur, non obtemperavit illi, neque Gallicas [ineptias] secutus est, in obedientia Primae Sedis more maiorum perseverans. Legati sui Mantuam
15 profecti cum animadverterent cunctari Francos in exhibenda pontifici obedientia, non expectatis illis consistorium petiere, in quo sui principis mandata referrent, impetratoque:
„Adsumus” - inquit Macloviensis episcopus - *”Britanniae ducis legati, filii tui obsequantissimi; obedientiam tibi et reverentiam more maiorum exhibemus. Te Christi vicarium profiteamur, verum Beati Petri successorem, militantis Ecclesiae caput ac magistrum. Christiani sumus, et te ducem sequimur Christiani exercitus. Maiores nostri post accepta semel Christi sacra nunquam apostatarunt: vixere Romanis legibus, neque unquam Primae Sedis mandatis adversati sunt; Pragmaticam Sanctionem, Gallicae gentis inventum respuere, precessoribus tuis constanti animo adhererunt. Sequitur princeps noster suorum vestigia progenitorum; te iubente nos hunc adire conventum voluit auditurus facturusque mandata tua. Accepit te velle in Thurcos expeditionem ducere. Laudat propositum tuum, et necessarium sanctumque opus esse affirmat, quod meditaris. Non deerit tibi, cupit esse particeps predari huius operis: arma, equos, naves, viros apparabit, cum iusseris, pro suis facultatibus, teque sequetur. Tantum curato, ut adversus potentissimum hostem potenter proficiscaris!”*

30 **37. Pollicitationes legatorum et Pii responsa**

Laetatus est pontifex legatione Britannica, et amplissimis verbis ducem et gentem collaudavit. - Inter legatos Francos dies aliquot disceptatum est, obedientiam prius
35 prestarent, an res Siculas aggredierentur. Sed cum Pius inobedientibus audientiam negaret, coacti sunt obedientiam premittere. Verba fecit Parisiensis episcopus, qui Daviticum illud pro themate - ut aiunt - pretulit: *„Secundum nomen tuum, ita et laus tua in fines terrae; iustitiae plena est dextera tua.”* Deinde orationem suam partitus de laude pontificis, de Sedis [180]

Apostolicae eminentia, de gloria sui regis ac regni multa locutus, tandem obedientiam regis nomine prestitit - filialemque illam appellavit, ut 'servilem' excluderet. De Thurcis pauca libavit, paucioraque adversus eos auxilia promisit. Massiliensis deinde Rhenatum regem obedientem obtulit. Et Brocchardus Genuensis orator pro sua civitate orationem habuit,
 5 ornatam quidem, sed quae superbam olim urbem iam servam ostenderet, Francorum arrogantiae ac tumori ancillantem.

Pontifex omnibus auditis indignum se esse respondit, qui tantis preconiiis extolleretur, vilem se vermiculum, pulverem ac cinerem vocitans, nec suis meritis, sed occulto quodam divinitatis iudicio ad Beati Petri cathedram accersitum; optare, ut ministerium iniunctum
 10 pro divina gloria possit explere; attributas Apostolicae Sedi laudes veras esse, quamvis re ipsa minores, quae celestis regni claves accepisset, divinitatemque referret in terris, cuius iudicium qui sperneret, anathema esset; regnum Franciae inter cetera excellere armorum gloria, regum illustria fuisse opera et antiquum sanguinem; Karolum, qui regnaret, a suis progenitoribus haudquaquam degenerare; obedientiam eius erga Romanam Ecclesiam
 15 laudem mereri, quamvis adversus Thurcos pauca promissa essent; sperare se magna de illa domo, cuius proprium fuisset et Romanam Ecclesiam et Christianam religionem adversus hostes defendere. Rhenati quoque regis obedientiam et Genuensis populi devotionem commendavit.

Admirati sunt omnes, qui aderant, Francorum legatos, qui multa minabantur, tam humiles
 20 ac summissos fuisse. Expectabant curiales dura et acerba Francorum audire verba, accusari pontificem de regno Siciliae Aragonensi commisso, negari obedientiam, generale concilium peti. Spe frustrati in admirationem pontificis rediere.

38. Francorum querela de regno Siciliae et Pii confutatio vehementissima, eiusque aegrotatio et animi magnitudo
 25

Post dies aliquot adeuntes Franci pontificem habere se aliqua dixerunt de regno Siciliae, quae presentibus nonnullorum principum legatis exponere vellent. Pontifex libertatem fecit
 30 advocandi, quos cuperent. - Adventaverat imperatoris nova legatio, cuius principes fuere Iohannes episcopus Estetensis, virtute et auctoritate insignis et Georgius Tridentinus, pontifici iam pridem notus, tum Karolus marchio Badensis, cui soror imperatoria nupsit. Aderant et legati Castelle regis: episcopus Ovetensis et monachus quidam Ordinis Minorum, ex Iudeis ad Christianam religionem conversus - indigna tanto principe legatio. Miserat et
 35 Alfonsus Portugalliae rex oratores suos non ignobiles. Hos et alios complures accersiverunt Franci, adeuntesque pontificem Rothomagensi bailivio dicendi provinciam mandavere. Qui facto silentio Francorum - quos appellavit 'liliatos' - egregia pro religione facinora, et quot in Apostolicam Sedem beneficia contulissent, longa oratione narravit; regnum [181]

Siciliae quo pacto ad eos pervenisset, et quanto sanguine fuisset emptum, exposuit; Alfonso armis, non iure usum, qui eos eiecit; indigne Pium fecisse, qui filium Alfonsi spurium ac corona indignum tanto regno prefecisset, Rhenatum sprevisset verum regem, quod Callistus, quamvis Aragonensis, efficere noluisse; iniuriam passos esse a pontifice

5 Francos; [insulso ac temerario fretum consilio] Pium, qui nobilissimo liliatorum spreto sanguine pretulisset Aragonenses; petere, ut inconsulte facta consulte revocaret, Rhenato regnum decerneret, Ferdinandum reiiceret: sic futurum, ut contumelia Francis illata compensaretur.

10 Haec orationis sententia fuit; [ceterum verba ampullosa et sexquipedalia et minae et iactationes more Gallico non defuere.] Quibus auditis cristas cuncti erigere, qui Francis erant amici, et quasi victores exultare, nec ausurum respondere pontificem arbitrari. Ipse vero paucis pro tempore usus:

15 "*Audivimus*" - inquit - "*oratores regii, quae pro Rhenati causa dixistis non sine accusatione nostra. Nos quae fecimus in regno Siciliae, consulente cardinalium Senatu gesta sunt; nunc si revocari tanquam iniuste acta petuntur, aequum est, ut eorum consilium exquiramus. Quo habito responsum et querelis et petitionibus vestris dabimus.*" - Atque ita conventum dimisit.

20 Post hec pontifex gravi aegritudine stomachi affectus est, et arida tussi adeo vexatus, ut de vita eius et ipse et medici dubitarent. Franci vero ea re cognita simulationem esse, non aegritudinem dicere, responsum exigere, properare, instare, victum pontificem suis rationibus existimare, ac propterea responsum effugere. Quod cum Pius cognovisset: „*Etsi me*" - inquit - "*media in contione mori oporteat, respondebo [stomachanti legationi], nec vincet animum dolor, nec faciet aegritudo, ut timere videar !*"

25 Vocatis igitur cardinalibus et communicato responso, quod facturus erat, quamvis nonnulli inter paucos respondendum suaderent, ipse legatos omnes principum accersiri iussit, et qui prestantes erant in Curia viri. Cum frequentes convenissent, pontifex languidus et ingenti dolore oppressus cubiculum exiit, et in aula sublimi sedens solio, indicto silentio, pallidus et admodum anxius vix dari poterat. At ubi calor invaluit ardens, dicendi vi dolore superato, affluentibus verbis sine ullo labore locutus trium horarum habuit orationem, que maxima

30 omnium attentione audita est. In ea pontifex Francorum laudes longe melius, quam bailivius explicavit: confessus est multa illos in Romanam Ecclesiam beneficia contulisse, verum non minora ab ea recepisse; quae in regno Siciliae facta essent, nec iure nec ratione carere; iniustas esse Francorum querelas, quorum iuri non esset derogatum; verum iniurios ipsos negari non posse, qui legem in regno suo promulgassent Apostolicae Sedi adversam, que

35 multas animas in Gehennam raperet. (Extat oratio inter alias scripta. Non est, cur singulas eius partes huic loco inseramus; in volumine orationum querenda est, si quis, quam pulchre Gallorum [arrogantia] fuerit confutata, cognoscere cupit.)

Cum finem dicendi Pius fecisset, Franci suum regem lesam dixere; cupere audiri, ne indefensum sui principis honorem relinquere viderentur. Quibus [182]

pontifex: „Vos” - inquit - „audiam, et quando et quotiens placebit. [Verum scitote ultimum verbum in ore nostro remansurum, nec miremini, si functi estis, qui pupugistis! Non est haec Sedes, quae cuiquam cedat quamvis maximo regi!” - Illi indignabundi et minarum pleni Palatium exiverunt.] Pontifex ex aula in cubiculum rediit omni languore ac dolore liberatus: ita calor orationis frigus omne deiecit a stomacho. Cardinales letabundi ad eum ingressi pro servato Sedis honore gratias egere. Curiales, qui pontificem contemnere videbantur, in admirationem eius conversi sunt, illud precipue laudantes, quod de Pragmatica Sanctione fuerat dictum, affirmantes memoria patrum nostrorum nunquam fuisse papam, qui verba fecisset magis papalia.

**39. Altera Francorum querela in consistorio secreto alteraque Pii
[vehementior] confutatio**

Postridie cardinales Galli pontificem accedentes oratoribus Francis publicam audientiam petiere, ita illos cupere affirmantes. Pontifex concessurum se ait, verum publice dicta publice confutaturum; eligerent, publice an privatim confundi vellent, quia non esset elinguis pontifex, neque partes iniuste causae tueretur. Consideraverunt verba pontificis Franci, privatamque audientiam elegere octo tantum cardinalibus accersitis, atque horis duabus Rhenati causam oravere ea locuti, que nullo pacto confutari posse arbitrabantur.

Verum pontifex cunctis memoriae commendatis, quae pondus habere videbantur, ex tempore nihil moratus adeo efficaciter obiecta diluit, adeo acute sua confirmavit, ut gratissimum Francis fuerit coram paucis fuisse certamen. [Quod si publica fuisset audientia, perpetuam infamiam reportassent. Quocunque enim se vertebant, presto erat inculcatio pontificis, neque vel minimum angulum inveniebant, quo confugerent. Parata omnia et ad manum pontificis erant,] quippe qui suarum memor actionum, qua ratione hoc aut illud fecisset, non ignorabat. Nulla fuit argumentatio Francorum, quam non e vestigio dissolverit; qui rubore ac confusione et ipso denique silentio palam se victos reddidere, quorum plurimi, qui antea pontificem blasphemaverant,¹ viri nobiles et legationis principes ad pedes eius prostrati veniam petiverunt; reliqui ad impetrandas gratias se converterunt, neque amplius de regno Siciliae verbum facere praesumpserunt. Quorum feccialis sive - ut nostra aetas vocat - araldus, vir prudens, cum in corona curialium rogaretur, quidnam Franci silerent, quorum mine tanquam tonitrua prius auditae fuissent, facete respondit:

„Demonio” - inquit - „vexati ad ecclesiam dum trahuntur, clamoribus omnia complent, [blasphemant, spuunt, mordent, calcitrant]. At ubi sacerdoti in conspectum venere, et sacris tacti velaminibus [stolaque cincti ante aras collocantur], veluti mortui conquiescunt. Idem nobis accidit: viso et audito Pio pontifice cecidit omnis furor. [Apage te! Victi sumus!]” [183]

1 Plasvemaverant bij Balassi: Totaro: blasphemaverant

40. [Inutilis] legatio Francorum [nec quicquam] ad rem communem afferens, [sed] suis tantum querelis occupata

5 Post hec rogati oratores Franci, quid auxilii contra Thurcos afferrent, vanum esse dixerunt cogitare de Thurcis, nisi res Gallicae atque Anglicae componerentur, quia nemo vellet indefensam patriam hosti relinquere; querendam domi pacem, tum de bello in externos agendum. Ad quos pontifex: „Prius” - inquit -, *”quam Franci et Angli concilientur, debent Thurci Hungaros; sero deinde auxilium afferetis. [Regem vestrum Christianissimum appellatis, neque labenti Christiane religioni subvenire curatis?] Licebat si non milite, at*
10 *saltem pecunia rem Christianam iuvare, quamvis cur militem quoque nequeatis mittere, non videmus, qui et a vobis requiritur et ab Anglis. Quod si pares copias proportionem habita ambo miserint, nil minor erit vestra domi potentia, quam nunc est adversus hostes.”*

[Vincebantur ubique Franci;] cumque rationibus satisfacere non valerent, mandatum sibi fuisse dixerunt, ea de re ut nihil promitterent, nisi venientibus Anglicis et pacem accipientibus; cum illi non venissent, silendum sibi esse; utile tamen illud videri consilium: Anglos citra mare ad locum aliquem accersiri, Francis et illis accommodum, eoque legatum apostolicum destinari, qui partes componeret. Quod facturum se pontifex non recusavit. Sed rebus deinde mutatis, cum Franci Sedem Apostolicam magis ac magis persequerentur, et Angli magnis inter se odiis laborarent, res ipsa neglecta est, nec plura cum Francis acta.

20

41. De rebus Angliae, et legati fraude, ac pace composita

Miserat Pius, priusquam Roma recederet, Franciscum Interamnensem episcopum in Angliam, qui regis auxilia adversus Thurcos exquireret, regnique lites componeret. Henricus, eius nominis sextus per id tempus Anglorum regno presidebat, vir muliere timidior, consilii atque animi prorsus inops, et qui uxori cuncta commisisset; erat tamen religionis amans et circa res divinas valde attentus, qui iussus legationem mittere ad conventum Mantuanum nomine regio et rebus, quae ibi tractande forent, non indignam, episcopos et proceres regni preclaros designavit oratores. Sed nemo illorum iter ingressus est: contempserunt omnes [desidis et ignavi] regis iussionem. Ille duos presbyteros modici nominis ad Pium transmisit, qui et obedientiam offerrent, et cur legati maiores non venissent, causas redderent. In litteris mandati non fuerunt de more aut testes nominati, aut subscripti tabelliones, sed adnotata erat regis manu huiusmodi subscriptio: *”Henricus [teste me ipso]”*, et sigillum regni appensum. Contempsit pontifex derisitque tanti regis tam vilem legationem, nec ultra ad conspectum suum admisit.

35

Interea spretus in Anglia Interamnensis episcopus cum legationis officium, [quo preditus erat,] non permetteretur exercere, indignatus ex Anglia recessit, [184]

ac transmissio mari Calesium venit. Iohannes Varvici comes, vir strenuus et audax indignationem regis eo confugerat; qui paucis diebus ante, cum accepisset regiam classem adversus se brevi navigaturam esse, quae in portu Sanduciaie instruebatur, cum octingentis viris noctu navigans imparatos hostes aggressus, edita non parva cede multisque cum

5 prefecto classis interceptis victor redierat. Is accersito episcopo et cognita sui recessus causa: "Mane" - inquit -, "noli abire! Ego te in Angliam reducam, et tuae legationi locum faciam. Rex noster stupidus est et mente captus; regitur, non regit; apud uxorem, et qui regis thalamum fedant, imperium est. Ego, cum ferre ista non possem, et aliam regni formam

10 requirerem, eiectus sum a facie regis. Breve exilium meum erit. Multi mecum sentiunt, quorum princeps est dux Eboracensis, cuius regnum esset, si iura spectarentur. Armatae nobis copiae propediem aderunt, ferro fortunam experiemur. Si dabit victoriam Deus, eiiciemus hostes a latere regis, et nos ipsi regnum gubernabimus, rex nudum nomen retinebit. Recipiemus te summi presulis legatum, et brevi regno composito classem pro religione parabimus."

15 Acquievit episcopus, et federe percusso cum illo reversus est in Angliam. Comiti armorum XX-ti milia praesto affuere, et paulo post duplicatus exercitus est. In eo episcopus vexilla erexit Ecclesiae Romanae, et quasi adversus hostes fidei praeliandum esset, plenariam peccatorum remissionem indulsit his, qui pro parte Varvici comitis pugnarent, adversus hostes eius anathema promulgavit litteris apostolicis pro castris ostensis - que licet

20 aliud continerent, id ipsum credebantur habere. Commissa pugna ingens occisio facta est, et nonnulli proceres periire. Rex Angliae captus Lundonias ductus, ibique non absque honore regio habitus; regina cum filio et plerisque suae factionis proceribus in Gualiam fugit. Convocati sunt apud Lundonias prelati et proceres regni parlamentum - ut ipsi vocant - de rebus publicis habituri; in quo illud ante omnia placuit, ut acta prioris parliamenti, quod

25 anno precedenti fuerat habitum, rescinderentur. In eo enim dux Eboracensis, comes Sarem et comes Varvici hostes regni fuerant declarati. Rescissione obtenta dux Eboracensis regnum ad se spectare dixit, qui Ricchardo regi quondam occiso propinquior esset, nec ferendum, ut ii regnarent, qui occisori successissent; impium id genus hominum, qui regnandi causa parricidium commisissent; Henricum Quartum patruum suum occidisse, regnumque per tyrannidem occupasse; illi filium successisse. Henricum Quintum et Quinto Sextum, qui tum

30 impii et violenti regis heres esset; parlamenta, quae vi adhibita per metum aliquid decrevissent, non valere; regnum sibi iure deberi, qui parricidiali excluso genere regii sanguinis primus extaret; coronam petere; Henrico ut privato vivendum.

35 Iusta petitio videbatur. Obstabat ius iurandum regi prestitum et longa possessio et patris beneficium, qui Gallos, gentem infestam Anglico nomini compressisset. Sed cum pertinaciter Eboracensis instaret, prope ad arma ventum est, neque enim Varvicius, cuius audacia res acta erat, passurus videbatur eum regno deiici, qui rex esset receptus. Denique legati providentia discordia in hunc modum composita: [185]

- Henricus, quoad vixerit, rex esto; cum obierit, Eboracensis aut eius filius succedito.
- Interea ad priora stipendia marcharum auri decem milia quotannis ex regio fisco accipito.
- Reliquis in rebus pacem habeto.

Sic res gestae sunt ad Kalendas usque Novembris anno salutis M-o CCCC-o LVIII-o.

- 5 Legati toto regno magnum est nomen habitum, in quo multum auri corrasisse creditus est. Sed arma vicere: nullum ferrum tam aptum fodiendo auro, quam ensis!

42. Aliud bellum in Anglia, et regis prioris eiectio, uxorisque pugna et tandem exilium

10

Paulo post regina congregatis in Gualia novis exercitibus, quasi virum e manibus hostium ereptura, ducere Lundonias statuit, occurrentemque ducem Eboracensem in prelio superavit, et cum plerisque baronibus interfecit. Re cognita trepidare Lundoniarum populus, reginae deditionem faciendam dicere, minari, qui contra sentirent. Legatus - non tam in adversis audax, quam cautus in secundis rebus - mortem veritus, si remaneret, relicto Varvicio in Flandriam propere navigavit. Regina animo et viribus aucta non procul a Lundoniis castra posuit, et fugientem ad se regem in eis recepit; obtinissetque procul dubio civitatem, nisi muliebri superbia et ulciscendi nimia cupiditate duriores imponere leges civibus voluisset, quorum plerosque ad supplicium exposcebat. Illi enim, postquam

15 implacabilem regine animum cognovere, spemque solam in armis esse, Eduardum, Eboracensis interfecti filium, ac Varvicium secuti ad pugnam egressi sunt. Regina in prelio superata multis suorum amissis cum viro ac filio fugam arripuit. Victores Lundonias reversi novum parlamentum indixere, in quo Henricus cum filio et coniuge hostis regni, Eduardus vero rex Anglorum declaratus est. Nec diu postea alio commisso prelio superatis Henrici

20 partibus Anglia fere tota ad victores defecit. Victi ad Scotos confugere, atque apud eos ludente fortuna miseri salvati sunt, quos saepe felices timuerant.

25

43. Oblata Germanorum, copiarumque numerus et legatus apostolicus missus

30

His motibus laborantibus Anglicis nihil fuit, quod ad tuendam fidem Pius pontifex illinc haurire posset, atque ita spei sue magna ex parte cecidit, cum opem religioni afferre Franci nollent, Angli non possent. Convertit se tandem ad Germanos, ne quid inexpertum dimitteret.

35

Aderant - ut diximus - oratores imperatoris, tum electorum Imperii et multorum ex Germania principum ac civitatum legati. His ad se pontifex [186]

accersitis, quid imperator quidve caeteri contra Thurcos offerrent, percontatus est; nec facile responsum obtinuit, cum legati principum ab imperatoris sententia dissentirent. Sator maxime discordiarum erat Gregorius Hamburgensis, iuris interpres celebratus et eloquentia Theutonica insignis; oratorem suum Albertus Austriae dux et imperatoris germanus eum miserat, qui per id temporis cum fratre dissidebat. Gregorius quoque, cum imperatori dicacitate sua saepe displicuisset, et a latronibus captus sex milibus aureis se redemisset, quaecunque sibi acciderant, ab imperatore prodiisse arbitrabatur, eamque ob causam singulari eum odio prosequabatur, neque ulli rei consentiebat, in qua putaret estimationem imperatoris crescere; et quoniam expeditio in Thurcos Federici gloriam auctura videbatur, toto ingenio impedimenta suggererat. Superavit tamen obstinata Pii presulis diligentia, cum modo istum modo illum ad se vocitans Ecclesiae ac fidei causam dulcioribus verbis commendaret.

Convenerunt tandem omnes in unam sententiam Germanorum legati, eumque pontifici exercitum promissere, qui pridem Frankfordiae sub Nicolao preside promissus fuerat - id est pedites duo et triginta milia, equites decem milia. Ad quam rem duos conventus necessarios esse dixerunt: alterum Norembergae in Franconia, alterum apud caesarem in Austria, legatumque de latere mittendum, qui conventa prosequeretur. Annuit pontifex, et Bessarionem cardinalem Nicenum ei provinciae prefecit, ducem vero exercitus Federicum imperatorem dixit data potestate, ut si per sese id muneris obire non posset, alium, quem vellet, principem substitueret.

Rogati oratores Franci, cum haec agerentur, interesse recusarunt, ut qui aliorum gloriam suam esse ignominiam existimabant.

44. De Sigismundo Austriae duce et ingenio eius perverso

Dum haec aguntur, Sigismundus Austriae dux, qui se venturum saepe promiserat, cum quadringentis equitibus multaque nobilitate et splendido apparatu Mantuam venit. Obviam iere duo cardinales et omnis ordo Curiae; exceptus est in auditorio publico. Verba eius nomine fecit Gregorius Amburgensis, qui multa de domo Austriae commemoravit digna relatu, et principis animum in Thurcos accensum dixit, qui nationis oblata, quantum ad se pertinerent, presens confirmaret.

Pontifex, qui Sigismundum a teneris novisset unguis, pueritiam et adolescentiam eius summa cum laude peractam ostendit, reliquam aetatem preteriit; laudes familiae a Gregorio explicatas et probavit et auxit; auxilia contra Thurcos acceptavit. - Inter cetera dixerat Gregorius Sigismundum Pii, cum in minoribus ageret, fuisse discipulum, qui suas epistolas avidè legisset, quarum volumen apud se haberet, et alique illarum Sigismundo essent inscripte; quod verum inveniet, si quis epistolas seculares legerit, quas Pius nondum sacris initiatus scripsit. Verum Sigismundi multo melior pueritia fuit, [187]

quam adolescentia, cuius ingenii mores cum aetate - ut paulo post dicemus - perierunt.

(Per eos dies Franciscus Sfortia Mediolanum reversus tres boves mire pinguedinis ad pontificem miserat, quos rapis enutriverat, aquis calidis lavari solitos pectinarique per singulos dies, et strato iacere mundo. Horum Pius unum Sigismundo dedit, alterum inter
5 oratores principum partitus, reliquum sibi et cardinalibus retinuit. Caro ita omnibus placuit, ut suaviori cibo nunquam se pastos fuisse dixerint. Sed neque vili precio empta est, nam qui boves duxere, centum aureis donati sunt.)

Vigebant per idem tempus inter Sigismundum et Nicolaum Sancti Petri cardinalem graves inimicitiae: de feudis et iurisdictione diu contenderant. Tentatum est, si quo pacto reconciliari
10 possent. Sed cum frustra diebus aliquot cardinales et ipse pontifex concordiae operam navassent, discessit Sigismundus - ut ipse testatus est: cardinalis inimicus, papae amicus.

Hic, cum esset puer et deinde adolescens, ad sextum et decimum usque annum sub tutela patruum fuit - ut ante diximus -, indolis supra quam dici posset egregie, vultu decoro et gestibus honestis; amavit litteras, viros coluit bonos, nullius rei cupidior, quam virtutis
15 apparebat. At dimissus ab imperatore postquam in provinciam evolavit et magno tutore caruit, incredibile est, quam brevi mutatus fuerit. Ostendit vita, que secuta est, adumbrata prius in eo, non expressa fuisse signa virtutis: cepit rapere et largiri, prolabi in omne scelus, crudelis atque immanis vulnerare necareque sua manu innocentes, loqui sine fine, aliorum
20 verba non audire; vinum magis, quam cibum appetere, levitatem in omni actione ostendere, delatoribus credere, adulatores amare, iram non retinere, libidini succumbere, virgines ac nuptas prostituere. Uxorem tandem duxit filiam regis Scotiae, sanctam et prudentem foeminam, sed infelicem, quae tali viro nupserit. Gnarus enim Sigismundus suorum scelerum, et quot fedasset alienos thalamos, suum fedari timens uxorem arcissima custodia
25 clausit. Cum accepisset aliquando gladium esse in Austria, quo duae humanae cervices uno ictu amputatae fuissent, quiescere non potuit, donec adnitente Iohanne, imperatoris questore eo potitus est.

Talis Sigismundus fuit, Austriaci familia natus: non dissimilis ei, quem domus Malatestarum fatua et iniqua produxit - cuius mores supra descripsimus.

30 **45. Adventus fortissimi ducis, Alberti marchionis Brandenburgensis**

Hoc e concilio discedente Albertus marchio Brandenburgensis ad pontificem venit, vir celsi animi et rei militaris peritissimus, qui et in Hungaria et in Bohemia et in Polonia et in omni
35 Germania militavit, ordines duxit, et magnorum exercituum extitit imperator; cuius tot victoriae fuerunt, quot prelia. [188]

(Norembergenses octo certaminibus superavit, uno tantum succubuit non magno accepto detrimento; octo et decem vicibus clipeo tantum et pileo tectus ad singularem pugnam vocatus victor evasit; torneamenta tot devicit, quot adiit: Achillem plerique Theutonicum vocavere. Cum Ludovico Baioariae duce bellum gessit, victorque pacis leges pro suo arbitrio
 5 dixit; rursus bello revocato relictus a sociis pacem ab hoste recepit; tertium bello resumpto illatis receptisque damnis, aequis conditionibus interventu archiepiscopi Cretensis, quem Pius in Germaniam miserat, inducias belli sub spe pacis amplexus est.)

Huic Mantuam venienti cardinalis Sancti Petri extra ordinem occurrit. Pontifex in auditorio publico eum excepit, laudavitque magnificis verbis, qui sua opera contra Thurcos alacri et magno animo promisisset; donavit quoque [mille] aureis et equis Apulis duobus. In festo vero Epiphaniae ensem, quo pro Natalitio Domini dignior, qui adest, saecularis princeps ornari solet, et pileum margaritis ornatum dono ei inter solemnia dedit.

46. Provocatio ad futurum concilium a Pio sublata, ac decretum interpositum

Irrepererat iam pridem in Ecclesia Dei exitialis consuetudo adversus Romani pontificis censuras: victi enim damnatique apostolica sententia ad futurum concilium appellabant, atque ita Prime Sedis iudicium eludebant. Appellabant iudicem, qui non erat, et superiorem Romano presuli dabant, qui non invenitur in terris; et cum ipsi a suis sententiis appellari non sinerent, a Christi vicario appellandum esse consentiebant.
 15
 20

Consuluit Pius in ea re patres, qui aderant in conventu, quid censerent. Illi concordi voto responderunt appellationes huiusmodi cum suis auctoribus damnandas esse; atque ita decretum editum est, quod appellantes a Romano presule ad futurum concilium tanquam heresis fautores et lesae maiestatis reos plectendos statuit.

47. Summa rerum in conventu Mantuano confectarum, et Pii supplicatio, dissolutioque concilii

Paucis deinde diebus congregatis in templo Beati Petri patribus et universis principum legationibus, re divina peracta pontifex e solio suo indicto solentio:

„Octavum hic agimus mensem" - inquit -, „fratres ac filii, eos expectantes, qui ad conventum vocati fuerunt. Nostis, qui venere; deinceps sperare alicuius adventum, qui conferre aliquid ad rem nostram possit, vanum est. Licet iam hinc abire. Peregimus, quae hoc in loco facienda fuerunt. Utinam Dei bene acta sit causa - quamvis meliora concepimus, quam invenimus. Non tamen nihil omnino peractum est, neque spes omnis
 30
 35 [189]

cecidit. Dicendum est, quo res deductae sint, ut sciant omnes, quid adsit spei, et qui reges quique populi ad tuendam fidem vel prompti fuerint vel negligentes.

5 *Hungari, si adiuventur, summo conatu et universis viribus suis Thurchos invadent. Germani exercitum pollicentur duorum et quadraginta milium bellatorum, Burgundus sex milium, Itali exceptis Venetis ac Genuensibus cleri decimas, populi trigesimas annuorum reddituum ac vigesimas Iudaicae substantiae, ex quibus navales copie sustentari queant; idem facit Iohannes rex Aragonum. Ragusei duas triremes offerunt, Rhodii quatuor. Haec tanquam certa solemnī stipulatione per principes ac legatos promissa sunt.*

10 *Veneti, quamvis publice nihil promiserint, cum tamen expeditionem paratam viderint, haudquaquam deerunt, neque patientur, ut suis maioribus deteriores videri possint. Idem de Francis, de Castellanis, de Portugallensibus dicimus; Anglia civilibus agitata motibus spem nullam pollicetur, neque Scotia in intimo abscondita Oceano. Datia quoque, Svetia ac Norvegia remotiores provinciae sunt, quam milites possint mittere, nec solis contentae piscibus pecuniam ministrare possunt. Poloni Thurcis per Muldaviā contermini suam causam deserere non audebunt. Bohemos mercede licebit conducere: suo aere extra regnum non militabunt. Sic res Christiane se habent.*

15 *Classē pecunia Italica parabit - si non Venetiis, at saltem Genuae aut in Aragonia; nec minor erit, quam res ipsa deposcat. Hungari viginti milia equitum armabunt, peditum haud minorem numerum, qui Germanis iuncti ac Burgundis duodenaginta milia militum in castris habebunt. Et quis non his copiis superatum iri Thurcos arbitretur? His accedet Georgius Scanderbechius et Albanorum fortissima manus. Et multi per Greciam ab hoste deficient, et in Asia Charamannus et Armenorum populi Thurcos a tergo ferient. Non est, cur desperemus, tantum Deus ipse cepta secundet!*

20 *Ite et narrate domi, quae hic gesta sunt, et ut promissa in tempore faciant, dominos vestros admonitos reddite, utque propitia nobis sit divina pietas, orationibus et operibus piis operam date!"*

25 *Hic dictis oblationes suas cuncti, qui aderant, confirmavere; qui nihil obtulerant, confusi tacuere. Oratores Borsii, ut plus aliquid fecisse, quam reliqui, viderentur, aureorum trecenta milia in expeditionem adversus Thurcos polliciti sunt - non sine auditorum [irrisione, qui vanitatem promittentis norarant], cuius exiguus animus tum minima facturum esset, cum promitteret maxima.*

30 *Postquam omnes finire, iussit pontifex cardinales, episcopos, abbates et sacerdotes cunctos, qui aderant, sacras induere vestes; et ipse suo solio descendens ad gradus maioris arae se convertit, ibique flexis genibus suspirans atque illacrymans supplici voce delectos e psalmis versiculos, qui ad rem accommodati viderentur, respondentibus prelatis et omni clero longo spatio decantavit, et oratione premissa populo benedixit, atque in hunc modum Mantuano conventui finem imposuit.*

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
LIBER QUARTUS INCIPIT**

**5 1. Iohannis Rhenati in belli initio sacrilegium, et principis Rossani [ingrata]
perfidia, et Traiectum oppidum**

Dum haec aguntur, Iohannes, Rhenati regis filius neque ingenio neque corpore piger, classem in Rhodano paravit, ut in regnum Siciliae adversus Ferdinandum proficisceretur.

10 (Alanus cardinalis Avinionensis a Callisto missus in Galliam de latere legatus, ut opem adversus Thurcos ex gente Francorum peteret, indulgente Karolo rege decimam clero imposuit, et indulgentias publicavit his, qui manus adiutrices pro defensione (religionis) porrigerent. Corrasit eo pacto vim magnam pecuniae; [aureorum sexdecim milia Rhodiis misit], triremes quatuor et viginti apud Avinionem construxit; ex auro, quod supererat, [admodum ditatus suppellectilem sibi regiam apparavit], Callisto nihil tradidit.)

15 Iohannes corpora navium pro salute Christianorum aedificata adversus Christianos armavit, profectusque Genuam, quae tunc Francis parebat, auxilia eius populi obtinuit, Gaieta, Tranio et aliquot aliis maritimis urbibus in Regno promissis, si hostem inde repelleret. Cum navigasset in Campaniam, aliquandiu in ostio Vulturni fluminis delituit inter spem metumque dubius, cum nemo eorum, a quibus fuerat vocatus, occurreret.

20 Primus omnium Marinus princeps Rossani ad eum venit Theanumque illi aperuit, se ac sua committens. Hic sororem Ferdinandi uxorem duxerat Alfonso vivente, extra matrimonium natam, et quamvis esset ingenio rudi [et mente hebeti], propter nobilitatem tamen et patris fidem in aula regia inter caros locum obtinuit. - Vacanti ecclesiae Theanensi Pius pontifex Nicolaum Pistoriensem, qui postea ad cardinalatum ascendit, virum doctum
25 prefecit. Negavit princeps possessionem, propter quod anathema factus est, et Theano sacris interdictum, quamvis contumacia cleri principem magis, quam Deum timentis servatum non fuerit. Princeps et a Deo simul et a rege recessit, non aliam ob causam, nisi quia Traiectum, nobile oppidum impetrare non potuit, in alto monte non procul a Lyri flumine situm, in quo
30 primi Scipionis Aphricani sepulchrum ostendunt.

**30 2. Rebellio principis Tarentini et aliorum multorum, [et presertim Herculis
Estensis], et qui in fide manserunt**

35 Huius hominis exemplum et princeps Tarentinus, Ursinorum familia natus - cuius supra meminimus - paulo post secutus est, quamvis antea de rebellione rediisset in gratiam. Poterat grandevus senex absque virili sobole, [191]

- dives admodum et longe lateque dominans feliciter aevum, quod supererat, traducere; sed impatiens quietis canos suos sine bello [ad inferos] deducere noluit. Rebellavit et ipse Ferdinando, ut idem Cathelanos Regno deiiceret, qui prius introduxerat, sive - quod postea demonstravit eventus - ut arbiter Regni solus et moderator esset. Secuti sunt et Caudole domini Iacobum imitati genitorem, [quem sui temporis proditorum fuisse principem constat. (Iacobus, cum aliquando sermonem coram se fieri de proditoribus accepisset, idque genus hominum cuncti detestarentur: „*Fateor*” - inquit - *sceleratum esse ac turpissimum hominem, qui proditionibus operam impartitur, nisi illarum gratia eo pervenerit, ut in presentia compellari proditor minime timeat - quemadmodum mihi usu evenit!*”)]
- 5
- 10 Accessit et Iosias Aprutinorum tyrannus, crudelitate atque impietate celebratus; accesserunt et Aquilani Cathelano sanguini nunquam satis placati, et Sorae dux, [fatui capitis homo], et [nihil prudentior] Honoratus Caietanus Sermonete [tyrannus] et Campi Bassi comites et marchio Crotoni, [non tam boni, quam mobilis ingenii], qui semel captus atque minus diligenter custoditus aufugit; defecit et Karolus Sanguinis et Amelphitanus dux.
- 15 Inter alios et Hercules Estensi gente natus, Nicolai marchionis quondam filius, preter omnium opinionem [proditor est inventus], qui Ferdinandi non venationis solum, sed omnium secretorum comes fuerat. Is Luceriam Saracenorum, in qua cum magna equitum manu hyemaverat, hosti aperuit - [non sine infamia Borsii, fratris sui, cuius se postea secutum imperia dixit].
- 20 Mira rerum mutatio! Pauci, [quos aequus amavit Iuppiter], in fide manserunt! Quorum principes fuere Honoratus Fundorum comes ac Salerni princeps, qui usque ad mortem in fide permansit, quamvis aliquando nutare sit visus; filii eius mortuo patre ad hostes defecere. Familia Sancti Severini aliquamdiu in officio mansit; postea conflictio rege apud Sarnum fortune manus dedit; postremo - ut est regnicolarum variabilis [et infidelis] natura -
- 25 melioribus effectis Ferdinandi rebus ad eum rediit.

3. Auxilium Pii et Mediolanensis erga Ferdinandum regem, cum ceteri Italici federis iura negligenter

- 30 Ferdinandus tot malis circumventus cum iam hosti prorsus imparem se cognosceret, legatos et ad pontificem maximum et ad reliquos Italiae potentatus oratum misit, sibi ut pro federe opem ferrent. Pontifex ex Mantua Nicolaum electum Theanensem ad Franciscum Mediolani ducem ire iussit sciscitatum, quid ei agendum in tanta rei novitate videretur; nam etsi aequum erat federis satisfacere, solus tamen tantum belli pondus assumere non audebat.
- 35 Franciscus subveniendum oppresso censuit, Florentinosque ac Venetos, ut fidem servarent, requirendos Ferdinandi nomine. Quo facto nec Florentini nec Veneti sue fidei fecerunt satis: [plus apud eos Francorum amicitia sive metus, [192]

quam iuris iurandi religio valuit] . Borsius, qui et ipse sextum locum in federe obtinuit, apertus iam [non] hostis [modo, sed proditor Ferdinandi] effectus erat, [quamvis tecta esse opera sua putaret]. Inventus nemo est, qui Ferdinando ex federe responderet, preter Pium pontificem et Franciscum Mediolani ducem, qui postea omnem belli sumptum molestiamque subiere.

4. Legatio Pii ad Venetos, et discessus e Mantua, profectio in Ferrariam, Borsiique occurus

10 Pius, qui nondum spem omnem in re fidei de Venetis amiserat, Gregorium Lollium, fratrem suum consobrinum Picolominea familia donatum ad eos misit; qui saepe in senatu de classe contra Thurcos paranda locutus frustra conatus est, [avaritia eius populi honestatem superante]. Illud tamen fecit, quod raro in ea re publica est auditum. Persequebantur Veneti acerrimo odio cardinalem Sancti Marci propter ecclesiam Patavinam
15 - de qua supra diximus -, eiusque beneficiorum bona ad publicam manum receperant; fratrem e senatu amoverant; ne quis possessionem ecclesiasticorum beneficiorum iniussu rogatorum consequi posset, lege sancierant. Quae omnia Gregorius abrogari pervicit - apud eam rem publicam eloquentia, gravitate et animi fortitudine magni habitus.

20 Pontifex legationibus per Germaniam et alias provincias absolutis ex Mantua recedens cardinalibus quatuor comitantibus Roverium navigio pervenit; alii terra iter fecere. Cardinalis Sancti Petri ad ecclesiam suam [dissuadente pontifice] profectus est, atque ibi - sicut postea dicemus - scandalum passus. Columnensis visere Venetias statuit; quo cum venisset, civitate donatus est et inter patricos urbis ascriptus - tanquam pluris esset apud Venetos nobilem, quam Romanos inter principem esse. Rhutenus, cum in Greciam transire decrevisset collectis ad usum belli pluribus armis, quibus in auxilio sue gentis uteretur, tandem apud Anchonam remansit.

Erat hyems admodum frigida, et omnia gelu niveque Ianuario mense iam inclinante rigeabant. Mirabantur curiales senem papam tam aspera tempestate iter ingredi, sed qui [frigus] eundo non horruit, nec algorem redeundo pertimuit. Nocte in Roverio peracta
30 sequenti die Borsium occurrentem in Pado habuit navi buccinatoria vectum et magna minorum navigiorum multitudine circumdatum, adeo, ut nullam fluminis partem non agitarint pulsarintque remi. Vexilla multi coloris impulsa ventulo aspectum mirabilem reddere; tubae, tybiae et omnia musicorum genera in altioribus collocata puppibus dulcem prebere concentum; personatus apparere diversi deorum ac dearum et gigantum et virtutum;
35 pueri ac puellae cantare; in aggeribus, qui amnis inundationem cohibent, quasi ad spectaculum viri ac mulieres sedere, illi papae, isti Borsio vitam precari. Ludovicus Mantuanus invento Borsio, cum se pape sepius commendasset, domum rediit. Pius buccinatoria Borsii nave conscensa [193]

Ferrariam adnavigavit, ubi occurrentibus sacerdotibus sacra ferentibus et magna populi pompa in arce, que supra litus iacet, collocatus est; et quamvis magnis precibus rogaretur, ut sequenti die maneret, non acquievit. Borsius in navi decretum de decimis, vigesimis ac trigesimis manu sua ultimus subscripsit - [et primus deinde post Florentinos violavit].

5

5. De Picinino et Borsii vana petulantia, et Pii e Ferrara discessu ac laboribus

Per idem tempus Iacobus Picininus in agro Cesenate hyemabat Ferdinando infensus regi, qui Sigismundo pacem dedisset, nec dubium erat, quin ad Gallos inclinaret. Ob eam rem accedens intempesta nocte pontificem Borsius:

10

"Magna" - inquit - discrimina Ecclesiae imminent et universe Italie, nisi sapis, papa. Picininus ad Francos transiturus est, tu Ferdinandi partes adiuvas. Ego illi amicus sum, atque iccirco suaserim, ne sinas tantum belli ducem ad hostes deficere. Si mihi hanc provinciam commiseris, reconciliabo illum Ferdinando, atque ita res eius in tuto erit."

15

Pontifex, etsi sciebat Picininum ita Francis obnoxium esse, ut absque summo dedecore eos relinquere non posset, [Borsiumque fraudulentem agere], percontatus tamen est, quo pacto Picininus auferri hostibus posset. Cui Borsius auri certam summam tradendam Iacobo dixit, et filiam ducis Mediolani, que promissa esset, uxorem, et oppidorum aliquid in Regno, postremo terrarum depositum, quod Sigismundus in manu papae fecisset, in potestatem ipsius Borsii transferendum. Pontifex, qui Mediolanensis principis exploratum haberet animum, de pecunia et oppidis atque uxore nihil adversatus est; depositum sine consensu partium mutari non posse respondit. Conveniebant omnia preter ultimum, quod sine pontificis infamia fieri non poterat. Instabat tamen Borsius, [et existimans pontificem sui similem fluxe fidei, honesta atque inhonesta inverecunde petebat. Vanus homo et levis! Sprevit] pontifex [inania verba, et] dimisso postera die [ventoso] principe Padoque transmissio per paludes usque ad flumen Rhenum - de quo supra est facta mentio - navigio pervenit. Id iter difficillimum fuit, cum serena hyems aquas omnes glacie adstrinxisset: securibus aperire viam oportuit.

20

25

6. De Rheni fluminis glacie, et itinere Bononiam versus continuato, defectioneque Picinini, ac deliberatione ducis eligendi

Sed cum ad Rhenum ventum est, adeo profunda glacies occurrit, ut frangi non posset; nec Bononienses vehicula apparaverant. Necesse itaque fuit, ut presul sella portaretur, et qui eum sequebantur, pedibus irent. Ob quam rem [194]

35

nocte preventi, ut quisque rusticorum casas invenit, in eis non sine incommodo remansere. Pontifex in rure Xancti Bentivolii cum paucis pernoctavit. - Sequenti die Bononiam ingressus in apostolico palatio quievit, neque petentibus suam presentiam Bononiensibus ad secundam diem concedere voluit.

5 Cum Planorium pervenisset, illic certior factus est Picinimum ad Francos defecisse, neque id novum esse: duobus antea mensibus cum illis convenisse; [mendacemque Mutine ducem fuisse, qui rem transeunti papae adhuc integram affirmasset, neque excusari posse, qui auctor eius defectionis fuisset]. Intelligens igitur presul duriores Ferdinandi partes futuras, eique magno auxilio opus fore, scripsit Mediolanensi e re videri, ut tanto bello dux idoneus
10 eligeretur, cuius et auctoritas et fortuna et fides probata esset - que res apud Ludovicum Mantuanum invenirentur -, suasitque illum communibus expensis communi prefici bello. Mediolanensis verbo consilium approbavit, re non est amplexus; etsi enim Ludovicus sese obtulit, ipse tamen nolle eum tam longinquam accipere provinciam rescripsit. Credibile est Mediolanensem aut hoc honoris Alexandro, germano suo reservasse, aut marchionis
15 absentiam timuisse.

Venit deinde presul ad locum, cui [Asinorum Exoneratio] nomen est, in summo Appennino, non sine gravi labore nivosa pluviosaque die peracta, et modo vehiculo modo sella portatus.

20 **7. Introitus Florentiae, et Cosmae conventus, et rerum Italiae disceptatio, [Florentinorumque impudentia]**

Cum Florentiolam venisset, dolore stomachi aegrotavit. Altera die Caphagiolum petiit, in valle Mugellana rus Cosmae magnifice edificatum, in quo Mantuam petens pernoctaverat.
25 Hic Federici Urbinatis nuntius affuit, homo sagax, qui de Picinino quae comperta essent, confirmavit: iturum illum in Aprutios Ferdinandi hostem; Federicum, si iubeat pontifex, iter illi clausurum. Quae res ad Franciscum remissa est.

Presul Florentiam intravit mirificis honoribus ab ea re publica cumulatus. Venere oratores obviam, primarii cives, magistratus urbis in porta civitatis occurrerunt, ubi de conventu
30 Mantuano locuti non sine laude pontificis sequentem apud se diem transigi petiere; neque negatum est. - Martialem, Ordinis Predicatorum generalem ministrum graviter accusavere, qui virgines Deo dicatas passim prostitueret neque homines neque Deum veritus, correctionemque tanti flagitii petierunt; quam pontifex facturum in tempore promisit. Cosmas vero, qui proficiscentem in Galliam pontificem adire [contempserat], redeuntem
35 haudquaquam neglexit: nocte multa ad eum venit, et inter loquendum admirari visus est de bello Ferdinandi causa adversus Gallos recepto. [195]

Pontifex haud ferendum fuisse ait regem a se constitutum armis eiici, neque id Italicae libertati conducere; Gallos, si Regnum obtinuissent, Senas haud dubie subacturos; Florentinos [affectu Gallicos] adversus lilia nihil acturos; Borsium Mutinae ducem Gallis Galliozem videri; Flamminee regulos ad Francos inclinare; Genuam Francis subesse et

5 civitatem Astensem; si pontifex Romanus aliquando Francorum amicus assumatur, nihil reliqui in Italia remanere, quod non transeat in Gallorum nomen; tueri se Italiam, dum Ferdinandum tueretur, atque id honestatem exposcere per federa, que cum Alfonso inita fuissent; non licere sibi fidem abrumpere, sicut Florentinis et Venetis, qui facta pro utilitate metirentur.

10 Laudavit Cosmas pontificis animum, verumque fassus est popularem multitudinem nihil honesti facere, nisi cogat utilitas aut metus, petiitque aliqua non sine modestia, et nepotem inter cardinales assumi, si dignus videretur. Postremo, cum iam abiturus pontificis pedes obscurari vellet, nec moveri posset podagra impeditus, iocabundus:

15 [„Duo” - inquit - *Florentini cum ex agro redirent, Papus Lopusque, atque in foro invicem occurrissent, et alter alteri manumque obscurumque porrigerent, essentque ambo pinguisissimi, tanta utrinque - ut ita dicam - ventrositas obiecta est, ut se nullo pacto nisi ventribus ipsis contingere possent. Quod illis [sagina] vetuit, hoc nobis podagra negat.*”]

Pontifex [ridens] eum dimisit, iussitque postera die cardinales aliquos de decimis, vigesimis ac trigesimis cum Florentinis agere, ne cum tempus esset apparande classis, rem

20 veluti novam incipere oporteret. Delecti cives ad pontificem venere, quibus commemorata est legatorum promissio Mantuae facta et fideiussio Mediolanensis. Fassi sunt omnia Florentini, verum legatos suos, qui civitatem obligaverunt, a prioribus urbis et rogatis quibusdam civibus mandatum habuisse dixerunt, idque fieri solere; sed nullius esse momenti, nisi postea in magno civitatis consilio ratum habeatur; perraro negari, quod legati huiusmodi mandatum habentes promisissent, verum in hac re, quae maxima esset,

25 haudquaquam sperandum fore populi consensum, quia paucissimi essent, quibus persuaderi trigesimarum solutio posset; decimam fortasse cleri non iri negatum.

Demiratus est pontifex tantam Florentini populi impudentiam, multisque verbis iniustitiam eorum accusavit, qui rem fidei tractantes dolis uterentur et fraudibus; turpe esse

30 invalida mittere mandata, turpius illis uti, et si ceteris in rebus confirmari solerent, in hac potissimum, quae omnium esset maxima, servari oportere. At cum frustra tempus tereret, accepit, quod potuit, nec moratus amplius civitatem mercatricem - [ne dicam meretricem] - dimisit, et tertio die Senas rediit. [196]

8. Ingressus Senarum magnificentissime exceptus, et Senensis ecclesia nepoti commendata, Urbinatisque adventus atque eius origo, et belli duces electi

5 Hic summo suorum civium desiderio expectabatur. Introivit urbem quasi triumphans, maximis atque incredibilibus exceptus honoribus; nam cives, qui se nunquam revisurum suum patrem arbitrabantur, preter spem subito recreati reditu mirabili gaudio sunt affecti - precipue mulieres, quarum natura religioni est indulgentior et amantior sacerdotii. Virebant omnia, quamvis Februarius sua consuetudine rigeret, nec platea non ornata floribus, non herbis odoriferis strata inventa est. Plantate ubique arbores fuere, que nullo tempore comas
10 perdunt. Ubique cantus et exultantis populi voces audiebantur. Biduo ante Purificationem Maxime Matris et Intemeratae Virginis reditio fuit, duodecima die, postquam Mantua recessum est. Solemnitas summo civium gaudio peracta, pontifice sua manu sacras elargiente candelas.

15 Obierat paulo ante, cum valitudinis causa apud balneas ageret, [Antonius, urbis archiepiscopus. Pontifex Franciscum, ex sorore nepotem tres et viginti annos natum administratorem ei suffecit.

Federicus Urbinas per idem tempus ad Pium venit, ingeniosus homo et loquendi peritus, sed uno captus oculo, quem hasta ludens amiserat. (Ferunt eum Bernardini Cardensis, copiarum quondam non ignobilis ducis fuisse filium, [quem adhuc infantulum concubina
20 Guidonis Urbinatis reguli pro filio, quem amiserat, supposuerit]. Guidoni vita functo successit filius ex matrimonio natus, Oddantonius, qui ducatus honorem ab Eugenio consecutus cum libidinoso viveret, [uxoresque Urbinatium ac filias passim prostitueret], a civibus suis interemptus est, et una secum Manfredus Carpiensis notarius apostolicus, libidinum comes [ac suasor scelerum], non sine conscientia - ut creditum est - Federici, qui
25 mox patrata cede pro portis affuit, et ultro ab oppidanis intromissus tyrannidem arripuit tanquam Guidonis filius ex concubina susceptus. [Ita sunt enim Italiae mores, ut spurii ferme principentur. Federico non tam verus pater ac legitimus, quam fictus et adulter utilis fuit!])

30 Hunc pontifex multa promittentem audivit pecuniam ei largitus, qua Picinini commilitones ad se traheret, neque sineret Ferdinandi hostem in Regnum penetrare. Increbruerat enim fama preclarum belli ducem, Picininum, qui a Ferdinando defecerat, in Regnum brevi profecturum, nec iam quisquam in Regno erat Ferdinandi amicus, qui tantum nomen non formidaret. Placuit igitur et Mediolanensi duci et Pio pontifici Alexandrum, Sfortiae filium ducales copias, Federicum regias, Iohannem Malavoltam ecclesiasticas Picinino, ne transire
35 posset, in agro Pyceno opponere. Atque ita rebus compositis Federicus domum rediit. [197]

9. De creatione novorum cardinalium contentioneque repugnantium

Aderant tempora quadragesimalis ieiunii, que veluti cardinalium comitia censentur, et iam fama vulgatio (erat) novum pontificem novos creare cardinales velle - tanquam perfectus
 5 per omnia pontifex non habeatur, nisi cardinales assumpserit. Tum preces multorum porrectae sunt: imperator unum efflagitavit, cui pontifex cupide annuebat; rex Franciae duos, unum rex Aragonum, Ferdinandus rex Siciliae et Franciscus Mediolanensis dux plures, dux Sabaudie unum, dux Burgundiae unum, marchio Montis Ferrati unum, Florentini et Cosmas unum. Pontifici ex nominatis pauci placebant, et habebat ipse alios suo iudicio
 10 digniores, et quos sibi fidos existimabat fore. Cepit itaque singulos cardinales alloqui, ut eorum presentiret animos, et nonnullorum quidem scripturam propriae manus exegit, nonnullorum fidem accepit. Postquam vero sibi magna ex parte satisfactum iri cognovit, vocato consistorio secreto ipsa quarta feria, in qua de creandis cardinalibus sermo fieri solet, in hunc modum profatus est:

15 „Messis quidem multa, operarii autem pauci. Messis nostra, fratres, animarum salus est; ager, in quo metimus, Ecclesia, quam vestro consilio accepimus: hanc contra Thurcos et infideles alios tueri debemus, ex hac tribulos et malas herbas, hoc est hereses et pravos mores extirpare cogimur, si volumus messem ad aream Domini multam afferre, et denique puri purgatique tritici in horreo multum recondere. Vos ad haec operarii nobiscum
 20 estis constituti; sed pauci estis, et nonnulli ex vobis aut senio aut aegritudine impediti sunt, ne ipsis uti possimus. Necesse igitur est, ut numerum vestrum augeamus, et aliquos assumamus, qui debilium vires suppleant. Curare tamen oportet - quamvis est id difficile -, ut dignos tanto munere eligamus, ne dicat quispiam: »Multiplicasti gentem, et non magnificasti letitiam«. Verum si dignitas hec merentibus danda est, in celo queramus
 25 oportet, quos rubeo pileo donemus. Nos tamen ut homines eligemus homines, quando non celum aut angelos, sed terram et homines recturi sumus.

Miramur autem tantam esse petentium turbam. Nam quis est clericali caractere insignitus, qui non se dignum cardinalatus honore diiudicet, qui non petat, qui non instet et inter candidatos - ut ita dicamus - videri et esse velit? Nimum viluit hec dignitas, quando
 30 vel pueri eam sibi deberi existimant! [Fecerunt hoc nostri predecessores, qui nonnullos prorsus indignos assumpserunt. Licet de mortuis loqui: cardinalem Sancti Marci novistis, quem scurram vestri ordinis quidam appellavere. Vos quoque in causa estis, qui non eam gravitatem ac sanctimoniam servatis, quae hoc sit culmine digna. Ita enim vivitis, ut non ad rem publicam gubernandam electi, sed ad voluptates perfruendas vocati videamini!
 35 Non venationes, non ludos, neque feminarum consuetudinem evitatis; convivia opulentiora, quam deceat, instruitis, vestimentis utimini nimium preciosis, auro et argento abundantis, equos et famulos plures, quam satis est, alitis. Has delicias cupiunt omnes, nec quisquam est, qui sectari voluptates non sit idoneus. Quod si severitas, gravitas, abstinentia, doctrina, sanctitas hanc [198]

tantummodo dignitatem elargiretur, pauciores eam peterent]. Sed incidimus mores istos: non possumus prohibere petentes - non admittere facile possumus. Cogitate, qui sint idonei! De numero ipsi iudicabimus curaturi, ne vel nimietate vilescat dignitas, vel paucitate rei publicae non satisfaciat." - Atque his dictis nominavit, quinam essent vel per se ipsos vel per alios cardinalatum petentes. Cum finem fecisset:

5 „*Pudet me*" - inquit Ludovicus cardinalis Aquilegiensis - "*hoc in loco sedere, quem sibi deberi nemo non iudicat. Clarissimis viris huc patere consuevit ascensus; sine ruga, sine macula virum esse oportet, qui cardinalatum assequatur. Excellentissima hec dignitas nullam admittit labem. Nobili genere natos, doctrina et sanctitate prestantes predecessores*
10 *tui assumere consueverunt; tu plures nominasti, quos nolim [aut in coquina mihi aut in stabulo] famulari. Nec video, cur novos creare cardinales oporteat: satis multi sumus, sive legatos mittere velis, sive domi consilium habere. Vilescimus nimia numerositate! Non suppetunt facultates nostrae nobis, et tu alios vis addere, qui cibum nobis auferant? Nec aliquem adhuc nominasti, quem rubeo galero dignum censeam."*

15 Cum hec dixisset, subriserunt, qui hominem norant. Pontifex vero:
"*Si Eugenius*" - inquit - „*et Nicolaus et cui successimus, Callistus in creandis cardinalibus tuam, o Aquilegiensis, normam tenuissent, aut cardinalis non esses, aut cum paucioribus in hoc loco sederes."*

Philippus autem Bononiensis: „*Multos*" - inquit - „*nominasti, pontifex, nepotem autem tuum neglexisti; et cur non hunc quoque assumendum reris?"*

20 Ad quem Pius: „*Noster nepos iunior est, neque adsunt caetera, quae cardinalatus exposcit.*" - Atque his dictis iussit cardinales inter se colloqui; ipse in alterum locum egressus paululum cibi assumpsit, iam enim dies multa effluxerat, et res longam exigebat moram.

25 Cardinales diu inter se iurgiis agitati tres legatos ad pontificem misere - Rothomagensem, Ursinum et Zamorensem - oraturos, ne cardinales novi assumerentur, quod antiquorum numerus satis magnus extaret; quod si nepotem assumere vellet, assensuri essent, dum solus assumeretur. Quibus pontifex: „*Adolescens*" - inquit - „*noster est nepos et consilio, quo regatur, eget. Nos eos cardinales querimus, qui nobis et Ecclesiae consulant.*"

30 Tum illi: "*At unum adice, si libet, neque hoc negabit Senatus.*" - Exin pontifice plures petente duos addendos consensere. Cum neque sic pontifici satisfacerent, ad Collegium rediere.

35 Diu res ventilata est, et tres alii cardinales ad pontificem missi multa de numero disserentes nullam invenere concordiam. Rediit ad Collegium presul, et cum multa hinc atque inde dicta essent, consensere cardinales quinque assumi novos, ea lege adiecta, ut nepos unus esset. Pius his obtentis: „*Sextum*" - inquit - „*non negabitis, quem nominavero, omni exceptione maiorem, et quem procul dubio laudabitis nominatum.*"

Illi nominationem petere, priusquam consentirent; pontifex consensum exquirere ante nominationem. Vicit tandem Pius, et assensu habito sextum [199]

nominavit Alexandrum Saxo Ferrato oriundum, Ordinis Sancti Augustini generalem magistrum, virum theologia doctrina celebrem et vitae sanctitate illustrem. Qui ubi nominatus est, non habuit adversarium, nam vera virtus, quamvis occulte saepius impugnatur, propalam tuta est.

5 Ordo novorum cardinalium hic fuit: Angelus episcopus Reatinus primo loco nominatus est, cardinalis quondam Firmani frater, vir castus et innocens, quem, priusquam pontifex Roma discederet, Bononiensibus legatum prefecerat. Post eum Eberardus episcopus Spoletanus, moribus et doctrina insignis et iustitiae cultor habitus, apud Narniam natus, et tunc referendarius et domesticus Pii familiaris. Hunc secutus est Nicolaus electus Theanensis, ex
10 Pistorio oriundus, iuris scientia clarus, ex aula pontificis assumptus. Quartum locum tenuit Brocardus prepositus Salzburgensis, quem publicare non placuit, donec alii crearentur ex Transalpinis. Quintus fuit, quem memoravimus, Alexander. Sextus atque ultimus Franciscus, pontificis nepos, qui per id temporis in schola Perusina iuri pontificio operam dabat, et iam doctoratus insignia acceperat. Hic diaconatus dignitatem in ordine cardinalatus, cum esset
15 adolescentior, obtinuit, caeteri presbyteratus honorem assecuti sunt.

Cum ea convenissent, non expectavit pontifex sextam feriam, in qua pronuntiari cardinales et publicari consueverunt, sed ipsa die preter omnium opinionem pronunciationem et publicationem fecit. Quae res non parvam molestiam antiquis cardinalibus abstulit, quibus ante ora competitorum nulla quies dabatur.

20

10. De vi animi pontificis in perficiendo, quod voluit, et probatissimo iudicio eligendi; et de Alexandro, viro sancto et dignissimo, atque universali letitia ex eius promotione

25 Visus est pontifex Italiae optime consuluisse quinque cardinalibus ex ea creatis; rem quoque prius inauditam fecisse, qui duos ex familia sua cardinales et nepotem suum uno in consistorio creasset. Illud vero laude dignum sine controversia cuncti iudicaverunt, quod nominatus nemo tanta dignitate videbatur indignus, nec ullam aliquando creationem factam fuisse quispiam memoria tenebat, quae in tam parvo numero tot prestantissimos viros
30 complexa fuisset. Huc accedebat, quod absque principum intercessione excellentissimi viri electi fuerant. Multum vero admirationis Alexandri assumptio cunctis prebuit, quae prius audita est, quam cogitata; nec enim quisquam erat, qui pauperem monachum, anguste celle cultorem, quamvis egregium verbi Dei predicatorem et sanctum prestantemque virum inter cardinales assumendum expectaret; summa enim fastigia cardinalatus querit. At Pius etiam
35 in paupere virtutem censuit honorandam, haud ignarus primos Ecclesiae principes pro mundi consuetudine ignobiles pauperesque fuisse. Quesivit etiam in abditis monachorum excellentem animum, nec inopiam auri in eo contempsit, quem [200]

bonarum artium copia illustrasset. Intellexerunt omnes Pio presuli gratam esse virtutem, atque hinc multi postea probitati ardentius incubuerunt. Nulla res adeo virtutem excitat, quam spes ipsa premii, qui est honor.

5 Cum nuntius ad Alexandrum venit rem gestam expositurus, acceperat homo cenam, et paucis intentus curis, emissis fratribus solus in scanno dormiebat. Pulsato ter quaterque celle ostio - apud Augustinenses enim moram trahebat - tumultum audiens excitatus est, et aperiens pulsanti, nihil minus sperans, quam cardinalis appellari, intromisit hominem, qui mox ait: „*Salve, Alexander, bonum tibi nuntium affero. Nam te hodie pontifex maximus*

10 *cardinalem creavit.*” Irrisionem esse monachus arbitratus est; at cum turba salutantium concurreret et certam rem affirmaret, siluit aliquantisper stupore mentis attonitus, deinde ad se reversus: „*Miror*” - inquit -, „*unde presulis hec in me caritas. Hic honor querentibus dari solet, mihi nihil tale ambienti offertur ultro. Quid promerui? Quid feci, propter quod hec dignitas ad me deferatur? Dignum me tam sublimi honore sola presulis bonitas fecit.*”

15 Incredible fuerit, quantum et monachi sui ordinis et cives Senenses et omnes ferme Itali hoc factum laudavere. Multae civitates ei dona miserunt, et civem suum esse voluerunt. Pontifex argentum misit, quo dignitatem sustineret, et cardinales et aulici magnificis eum muneribus donavere.

20 **11. Pii oratio ad novos cardinales: quales esse oporteat tanta in dignitate constitutos, et votum electorum**

Sabato deinde indicto consistorio in ecclesia cathedrali iussit pontifex cardinales novos, qui aderant tres, accersiri, et priusquam venirent, de creatione facta deque meritis singulorum

25 pleraque locutus ostendit omnibus et dignam et necessariam ordinationem fuisse. Post hec adventantes illos ante cancellum stare precepit, et dirigens ad eos verba:

„*Maxima*” - inquit -, „*fili, et excellentissima dignitate donati estis ad Collegium Apostolicum vocati: consiliarii nostri et coniudices orbis terrarum eritis, inter causam et causam, inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram discernere vos oportebit; successores apostolorum circa tronum nostrum sedebitis. Vos senatores Urbis et regum similes eritis, veri mundi cardines, super quibus militantis ostium Ecclesie volendum ac regendum est. Cogitate animo, quos viros, quae ingenia, quam integritatem haec dignitas requirit: humilitatem, non superbiam; liberalitatem, non avaritiam; abstinentiam, non ebrietatem; continentiam, non libidinem; scientiam, non ignorantiam; virtutes omnes, nullum vitium hic honos exposcit. Si fuistis hactenus vigilantes, nunc vigiletis oportet*

35 *adversus malignum hostem, qui nunquam dormit cogitans, quem devoret. Si liberales fuistis, nunc opes in rebus honestis profundite, et maxime in alendos pauperes; si cibi potusque abstinentes, nunc precipue luxuriam fugite! Absit avaritia, facessat crudelitas, exulet arrogantia! Sint libri sacri semper in manibus vestris, dies noctesque aut discite*

40 *aliquid, aut alios docete! Opera efficite, per quae lux* [201]

vestra coram hominibus luceat! Et denique tales estote, quales esse debere cardinales diiudicastis, antequam ipsi hoc culmen ascenderitis!"

Quibus dictis vocavit eos ad osculum pedis, deinde manum osque porrexit, et antiqui cardinales ipsos pariter ad osculum receperunt, locumque sedentibus prebuerunt. Mox
5 advocati causas aliquas perorarunt, quibus decisis cardinales antiqui stantes coram papa fecere coronam, novi genibus flexis votum pro veteri formula voverunt. Exin pontifex uniuscuiusque capiti insigne cardinalatus imposuit: rubrum de more galerum. Chorus hymnum cantavit gratias Deo reddens. Cardinales antiqui pompam ducentes exceptis
10 duobus, qui cum pontifice remanserunt, novos ad altare Beate Virginis deduxerunt, ibique senior cardinalium orationem super capita illorum fudit, bona eis et Ecclesiae Sancte multa precatus. Atque ita rebus peractis ad pontificem maximum reversi sunt, qui dissoluto consistorio in palatium abiit.

Par quoque solemnitas paucis post diebus in adventu Reatini et Senensis cardinalis servata est, cum alter ex Bononia, alter ex Perusia Senas peteret. Laudavit pontifex Reatinum digne
15 pro meritis; Senensem, quia nepos suus erat et annis minor, negavit se promoturum fuisse, nisi cardinales multis id precibus exegissent.

12. Mors Iohannis cardinalis Papiensis, [hominis tumidi et rapacis], et transitus Picinini in Regnum, et Federici cecitas

Hisdem fere diebus Iohannes cardinalis Papiensis, qui Pycenum cum legatione tenebat, anxius, ne Picininus transiret in Regnum, huc equitans et illuc armatus febrem incurrit, que
20 sibi vitam eripuit – [non sine gaudio provincialium, qui gubernationem suam egerrime ferebant. Iohannes enim, quamvis ex familia Castilionea nobili loco apud Mediolanenses natus, ignobilis tamen moribus erat, adeo tumens opinione sui, ut aequari sibi neminem pateretur. Artis oratoriae, civilis sapientiae, philosophiae ac theologiae peritissimum se
25 aiebat, nec cedebat medicis; architectus suo iudicio et musicus et geometer et cocus optimus; cumque avarissimus et rapacissimus esset, perliberalis videri volebat. Ob quam rem petiere civitates eum a suis cervicibus amoveri; quibus non impetrantibus expectata et admodum desiderata mors venit].

Pontifex successorem ei nepotem suum dedit, cui - [ne] per [licentiam et] aetatem [insolesceret] - est enim iuventa imperandi nescia -, preceptorem adhibuit episcopum Marsicanum, virum gravem et regendi peritum, datis mandatis, ut ab eius consilio nunquam
30 discederet.

Priusquam Senensis iret, Iacobus Picininus, iam pridem anceps, quid ageret, transire in Regnum cupiens ecclesiasticas ac ducales copias verebatur, quae ita collocata fuerant, ut
35 Pycenum, Thusciam Umbriamque respicerent, possentque iter, quocumque iretur, precludere. Electa est hosti Pyceni via propter maris litus, et impositis in navibus impedimentis et commeatibus iussi sunt milites [202]

cibaria trium dierum secum assumere. Quibus ordinatis Picininus nocte iter ingressus veloci cursu fluvium transmisit, quem aiunt Marchiae principium facere. Sigismundus Malatesta - cuius vitam supra descripsimus - non recedens a suis moribus, ducentos assumens equites et pedites aliquanto plures, per montana non procul a Picinino viam fecit, ei - si forte opus esset - ut suppetias ferret, quamvis pontifici scripserit partes ecclesiasticas adiuturum se arma sumpsisse.

[Fuit et in castris Ecclesiae proditio.] Urbinas enim, qui nullo pacto viam Picinino per Marchiam posse patere affirmaverat, creditus est tergiversando et differendo [ipsumque Picininum, quid ageret, admonendo] iter expeditum hosti prebuisse, bellum ut tandem procul a domo repelleret. [Cardinalis Avinionensis cum Gallis ceteris eo facto iocundus huiusmodi scommate Urbinatem irrisit: haud enim culpandum Federicum aiebat, qui Picinini transitum non retinuit ea parte diffugientis, qua deerat oculus, quia luscus esset Federicus; cui] multum opinionis id factum ademit; nam si [vir bonus et fortis] fuisset, facile ea die Picininum profligasset. In castris Ecclesiae octo milia pugnatorum fuere; Picininum vix tria milia sequebantur, qui passuum quinquaginta milibus uno cursu peractis fessus atque exanimis ad Tronti amnem pervenit tum novo imbre tumidum, quem vix cum quadraginta comitibus timens trepidansque transmisit; reliqui labore atque inedia defatigati sine ordine et absque ducibus in citeriori ripa pernoctarunt, futuri procul dubio preda, si vel pauci insecuti fuissent.

13. Militia Italica fraudulenta et perfida, et Pii provisio in Ferdinando defendendo

Sed Alexander et Federicus tum primum insectandi hostem diligentiam ostenderunt, cum evasisse [putarunt] .

Perfida est nostri temporis [Italica] militia, que stipendio veluti mercature utitur lucro, quod ne deficiat, bellum producit. Rara est in proelio cedes, nec qui capitur, aliud amittit, quam equos et arma. Perraro totis viribus unica pugna certatur: si coeunt, hinc atque inde vires et signa conferuntur ad pugnam; pars partem admonet ita pugnandum esse, ut materia bello non desit; [publice hostes odisse videntur, occulte amant].

His artibus [et nostrorum scelere], non sua virtute tutus in Regnum Picininus effugit, quem qui laudant, non pugnandi, sed fugiendi peritum dicunt, [et nos quidem fugacem magis, quam fortem esse fatemur]; qui postquam ad Aprutinos pervenit, nonnullis oppidis potitus est nondum ecclesiasticis eum assecutis. Terruit eius transitus Ferdinandi amicos, hostes in spem erexit, cum de virtute tanti ducis rem superaret opinio.

Statuit iccirco pontifex alias copias in Campaniam mittere petenti Ferdinando suppetias, conductoque mercede Simonetto, egregio copiarum duce, qui [203]

diu Florentinorum stipendia meruerat, iussit ipsum et Iohannem Malavoltam cum equitatu peditatuque non parvo in Campaniam traicere provisuros, ne violentia Gallorum Ferdinandum incognita causa Regno deiiceret, exercitumque in Aprutios missum et suis et Francisci Mediolanensium ducis novis adauxit supplementis.

5

14. Patavine, Feltrensis, Ferrariensis, Anthonitane et Venete ecclesiarum provisiones, Pii secessio ad Capriolam et loci amenitas

Dum hec aguntur, audiens pontifex [Venetorum arrogantiam defecisse, qui iam decreta iniqua revocaverant, et cardinali Sancti Marci sua bona dimiserant, cum cardinalis ecclesiae Patavine sponte cessisset, episcopum Feltrensem a vinculo, quo sue tenebatur ecclesiae, absolutum Patavine prefecit, Franciscum vero episcopum Ferrariensem, cum suis ovibus [tyranni culpa] prodesse non posset, ad Feltrensem transtulit; Ferrariensibus Laurentium Rovarellam, aulicum suum antistitem dedit, egregium theologum et honesta vita precipuum. Nec diu post patriarcha Veneto diem functo alium substituit ex Ordine Canonice Regularium Divi Augustini, quem Venetus senatus summis precibus postulavit. Decessit et Anthonitanus episcopus, cui suffectus est Agapitus, natione Romanus, civili sapientia et morum probitate conspicuus, cui et prosa eleganter scribere et carmen facere promptissimum fuit, ex auditoribus Rotae in familiam Pii iam pridem evocato.

Post hec secessit pontifex ad Minores, qui Observantes appellantur, non longe a civitate Senensi. Monasterio Capriola est nomen; Divus Bernardinus erexit, ob cuius memoriam et ampliatum et adornatum est, et a viris eius religionis sanctioribus incolitur. Mansit hic pontifex diebus quindecim Spoletano et Theanensi cardinalibus comitatus, ut aliquantulum quiesceret a negotiis. Non tamen aut signaturam aut secreta consistoria pretermisit, neque audientiam negavit adventantibus: in nemore, quod perpetuo viret lauro et ilice frequenti, auditorium sibi constituit loco aprico sub monte, idque tantum voluptatis hausit solitudinem querens, quod ver ante tempus invenit.

15. Pii egrotatio ac profectio ad balnea. Tractatio reformande civitatis Senensis, et agri eius amenitas

Reversus Senas ante Palmarum diem solemnitates omnes congrua devotione peregit, quae vel pro passionis Christi memoria, vel pro resurrectionis eius gloria quotannis fiunt. Deinde podagra languit, et fluxu capitis maxillas doluit. Curatus aliquantisper balneas adiit apud Maceretum non sine consilio medicorum, quamvis plerique minus docti dissuaderent. Atque haec causa fuit, cur [204]

35

Senis tandiu manserit, quamvis et suae patriae studere ac benefacere voluerit, quae bellis, pestibus ac dissentionibus vexata civilibus paupertate premebatur, ut emolumentis Curiae paululum respiraret.

5 Prius autem, quam balnea peteret, volvens animo infirmitatem suae patriae, quae pluribus in populo scissuris iam pridem factis diu stare non posset, accersitis viris ex regimine prudentioribus, et qui privatis affectibus nudi viderentur, percontatus est, quisnam modus esset reformande solidandaeque civitatis. Illi vocandos esse ad regimen eos, qui 'duodecim' appellantur, respondere - qui viri circiter quadringenti invenirentur, et inter eos plures opulenti mercatores.

10 Placuit consilium pontifici, quamvis factu difficile videretur, commisitque Sancte Cecilie et Sancte Susanne cardinalibus, ut primariorum civium sententias exquirere. Illi pluribus auditis retulerunt multos consentire, plures adversari. Re divulgata venerunt magistratus urbis urgente capitaneo populi - sic enim digniorem civitatis magistratum appellant - et magna civium caterva, supplicaruntque presuli, ne de duodecim verba faceret: [id esse genus hominum inquietum, seditiosum, veneficum, sanguinosum et infestum regentibus; velle se prius filios edere, quam rem publicam communicare duodecim;] de [nobilibus] si quid amplius vellet, inventurum pontificem cives Senenses volenti animo sua iussa facturos.

15 Motus his presul plura querere destitit, ne amplius instans civitatem tristitia afficeret, neque aliud, quam odium acquireret. Hortatus tamen est: circa nobilitatem ea facerent, que cardinalis Sancte Susanne expositurus esset. Illi multa promittentes laeti abierunt, quod duodecim causam exclusissent, de [nobilibus] deliberandi tempus haberent.

20 Pontifex, ut statuerat, ad balneas concessit. Ceperat vernum suave tempus, et circa Senas omnes ridebant colles vestiti frondibus ac floribus, et luxuriantes in agris assurgebant segetes. Situs ipse Senensis agri, maxime civitati vicinus, supra quam dici possit amenum habet aspectum: colles clementer elevati aut domesticis arboribus vitibusque consiti, aut ad fruges arati iocundissimis imminent vallibus, in quibus vel sata virent vel prata, et rivi decurrunt perennis aquae. Adsunt et frequentes silvae seu natura seu arte parate, in quibus dulcissimum modulantur aves; neque tumulus est, in quo cives suburbana predia non magnifice aedificaverint. Hic egregia monasteria sanctis habitata viris, illic in arcis modum erecte visuntur edes civium. Per ea loca letus transiit pontifex, nec minus iocunde fuit in balneis.

25 Locus ab urbe decem millibus passuum abest in valle, quae latitudinis duo triave stadia continet, longitudinis haud minus, quam octo milia passuum. Mersa flumen irrigat agros perpetuis aquis in Umbronem decurrens, et anguillis scatens pluribus albissimis ac suavibus, quamvis parvis. Vallis, qua incipit, cultissima est, multis refercta castellis ac villis; qua desinit prope balneas, silvestrior; saxeo ponte clauditur non parvi operis et nemorosis atque
[205]

opacis rupibus. Ilex arbor nunquam non virens montes, qui vallem a dextris cingunt, vestit ferme omnes; a sinistris glandifera quercus et suber.

Circa balneas domus humiles pro diversoriis habentur; in his pontifex mensem egit, et quamvis singulis diebus bis lavaret, nunquam tamen signaturam aut alia rei publice negocia pretermisit. Circa horam vigesimam et secundam exhibat in prata, et supra litus fluminis, ubi plus erat graminis ac viriditatis, consedit, atque ibi legationes et supplices audivit. Agrestium coniuges singulis diebus flores afferre ac viam sternere, qua pontifex balneum peteret, idque tantum mercedis expectare, ut pedes eius obscurari possent.

10 **16. Indulgentia Senensis ecclesiae, et reditus ad balnea**

Concesserat pontifex in gratiam suorum civium plenarias indulgentias omnibus Senensem ecclesiam in die Penthecostes visitantibus. Cui solemnitati ut initium daret, ex balneis nondum curatus Senas rediit, interfuitque divinis officiis, ad que ingens populi multitudo confluit ex Thuscia, Liguria, Gallia, Umbria ac Pyceno. Presul ob eum motum gravius aegrotavit, Senisque amplius, quam cogitaverat, coactus est immorari. Exin nocte intempesta urbem egressus Macereto repetiit, ibique paucis diebus absumptis ad Petriolenses balneas se contulit, quis et plus sulphuris et plus creditur inesse virtutis. Hic locus quinque milibus (passuum) a Macereto abest via, quae Grossetum et ad mare ducit, in valle profunda, quam Farma fluvius efficit, et trutas gignit; montes undique altissimi surgunt, quamvis lapidosi, nemorosi tamen herbosique. Circa balneas non multe domus sunt, verum capaces hospitum plurimorum, quas Senenses patrum nostrorum memoria muro cinxerunt, ne - quod ante nonnunquam acciderat - insidiari lavantibus latrones possent.

Pontifex aquas calidas in hoc loco viginti diebus per cannale ductas in vertice capitis accepit: sic factu salubre dixerunt medici, quia nimis humidum eius cerebrum videretur.

30 **17. Cardinalis Sancti Petri capitur a Sigismundo Austriae duce. Pii copiae in Regnum penetrant Ferdinandum adiuturum. Belli auspicia, et principis Rossani sceleratissima perfidia**

Inter hec Sigismundus Austriae dux, cum accepisset Nicolaum cardinalem Sancti Petri ad ecclesiam suam profectum esse, irae impatiens ac furoris, coactus, ut potuit, raptim copiis, que sufficere videbantur, Bernecham petit - id est oppidum Brixinonensis ecclesiae, in cuius arcem cardinalis secesserat -, atque in ipso Resurrectionis Dominice sacratissimo die oppidum expugnat, et arcem aggressus omni genere machinarum oppugnat. Cardinalis veritus suorum cedem - iam enim plerique vulnerati fuerant - arcem et se ipsum tradidit, [206]

et in custodia retentus, tandem iuratus absolutionem Sigismundo procurare, iniuriasque nullo unquam tempore vindicare, dimissus est.

Interea Simonettus et Iohannes Malavolta in Campaniam iter facientes, cum iam vias arctiores et loca periculosa evasissent, dum metari castra volunt, non parvam iacturam passi sunt. Malavolta enim et Robertus Ursinus, qui se inter eundem comitem addiderat, dum speculatum cum paucis pergunt, in equites peditesque Sorani ducis incidunt, cum quibus et filius Iacobi Sabelli fuit, ferox adolescens, qui relicta militia ecclesiastica - canonicus enim in basilica Principis Apostolorum ascriptus fuerat - mundiali se dedit. Pugnatum est atrocius, quam tanta paucitas requireret. Sabellus vulneratus occumbit gladio per ora transfossus. Sed cum hostes continuo crescerent, Robertus ad castra confugit, Malavolta casu equi in terram delapsus ab hostibus intercipitur, atque ita [pensatum] est Sabelli damnum. Plus tamen momenti in Malavolta fuit, cuius erat in armis non parvum nomen, quamvis fortunam haberet adversam. - Huiusmodi fuerunt eius belli primitiae, quod Pius pro Ferdinando gessit: inde mors, captura hinc his, qui futura inquirunt, augurandi materiam prebuit.

Simonettus iter suum peregit, et ad regem profectus ingenti favore exceptus est, et adventu eius magna rerum mutatio facta. Rex, qui brevi periturus existimabatur, iam bello superior victorque mox deleturus hostes iudicabatur, cum pontifex maximus et Mediolanensis princeps auxilio essent. Sic natura comparatum est: ubi plus virium, ibi et favor hominum se inclinat. - Quod cum animadverterent Rossani princeps et Deiphebus, Eversi comitis filius, ac Iacobus Montagana, scelestissimum facinus et iam pridem inauditum circa idem tempus meditati sunt. Simulantes enim poenitentiam, quod ad Francos defecissent, Ferdinandum ad colloquium vocavere; ad quod cum rex hinc et Iohannes Vintimilius ac Gregorius Corelia maior domus regis, illinc princeps, Deiphebus et Iacobus relictis procul exercitibus in agrum soli secessissent, postquam paululum collocuti non convenere, princeps frenum equi regalis arripuit, Deiphebus ferrum stringens veneno tinctum iugulum regis quesivit. Ille insidias cernens calcaribus ursit equum, qui cum esset potens et altus, regem periculo subtraxit. Sic scelerati homines defectionis sceleri maius scelus addere tentaverunt, illud volventes animo, quod impii dicunt: victoribus omnia sancta.

18. Populi Senensis divisio, et in Pium vanissime calumniae [ac proterva licentia]

Pontifex cum hec audisset, Senas iam aestate fervente rediit, et apud Minores ameno et salubri loco mansionem sibi delegit.

Iam Senenses in duas partes divisi, alii de [nobilibus] concedendum, quod pontifex cuperet, aiebant, alii negabant. Hi cum recta non possent pape resistere, obliquam quesivere viam: multa de XII viris locuti, qui regentibus infensissimi [207]

essent, nihil aliud pontificem querere dixerunt, quam illos ad rem publicam reducere; confinxerunt et litteras [tanquam ex Ferraria missas,] quibus significaretur urbis exulum ac relegatorum Pium esse amicissimum, eisque subvenire, ut viverent in rei publice detrimentum; [Antonio Petrucio ducentos aureos et duos equos dono dedisse;] mansionem apud Minores extra muros elegisse, ut in fornicibus templi, qui amplissimi essent, clam pedites equitesque collocaret, atque uno impetu civitatem irrumpens exules introduceret. His et aliis nugis ita plebis animum infecerunt, ut verbum amplius de nobilibus audire non possent, et quamvis pontifex vocatos ad se urbis magistratus multis verbis hortaretur, his fidem ne haberent, qui discidium querentes suspitiones ingererent, nihil tamen profecit. Plebs mali credula est. Pollicebantur singuli multa seorsum - coniuncti loqui non audebant.

Fontem in horto et in umbroso loco pontifex edificaverat, ut per aestum apud eum cenaret. Perniciosi iuvenes, [quorum altrix ea civitas est,] noctu ingressi non aliam ob causam illum everterunt, nisi pontifici ut incommodarent. Senenses facinus detestati, [non ulti sunt, quamvis] premia delatoribus, supplicia delinquentibus constituerint.

19. De comitis Armeniaci incestu et Electensis episcopi corrupta nequitia

Dum Macereti apud balneas pontifex ageret, venit ad eum Iohannes Armeniaci comes, magna vir nobilitate et regio Francorum sanguine ortus, dixitque magnam se auri vim Iohanni episcopo Electensi dedisse, ut dispensationem impetraret, qua liceret sibi in matrimonio, quod cum sorore contraxerat, remanere; dispensatum esse, litteras apud episcopum retineri; petere, ut tradere cogeretur, que sub Callisti Piique nomine confecte fuissent; se suumque genus commendare; nam quod sororem sibi coniugem delegisset, paupertatem impulisse: Britannico bello exhaustum dotem suo genere dignam, si nupsisset alteri, non potuisse sorori tradere; suasisse theologos in eo casu dispensari solere.

Hic comes illius pronepos fuit, qui sexdecim milia Gallorum in Italiam ducens Longobardis infestus a Iohanne Galeazio Mediolanensium duce non procul ab Alexandria conflictus amisit exercitum. Remansit hic adolescens compositis parentibus cum sorore unica, quam, dum immoderatus cum ea ludit, tandem libidine victus corrumpit. Sed veritus infamiam tanti piaculi, incestum matrimonium vocavit, atque - ut ille ait - „*hoc pretextit nomine culpam*“, scripsitque Nicolao presuli, ut secum dispensaret; qui tantum flagitium abhominatus litteris eum durioribus increpavit. Karolus rex Franciae non amore iustitiae - [neque enim tanta est honestatis cura principibus] -, sed ira percitus, quia comes occulte sentiret cum Anglicis, omnibus eum oppidis atque arcibus, quae supra ducenta fuerunt, una incursione dispoliavit, comprehensumque [208]

captivum abduxit. Sed dum incaute ducitur, ad Philippum Burgundiae ducem confugit, et nihilominus, turpitudinem suam ut tegeret, Apostolicae Sedis dispensationem querere nunquam cessavit.

5 Erat in Curia Romana episcopus Electensis, quem nominavimus, homo versutus [et fallax, ad omnes fraudes paratus, simoniae egregius artifex,] loquendi peritus, aspectu pulcher, conversatione gratus, profusus in exponendo, attentus in acquirendo, nam omnia cum in
10 cenis meretricibusque consumeret, [nec mentiri, neque peierare lucrandi causa verebatur]. Tegebat tamen vitia sua mirabili arte, ut quamvis millies mentiretur, verax tamen appareret et virtutis amator; propter quam rem referendariatus officium in Romana Curia non satis
15 cognitus impetravit. Qui cum accepisset desiderium comitis, gavisus admodum invenisse avem, quam deplumaret, obtineri posse, quod peteretur, ad eum scripsit, verum non minori precio, quam quatuor et viginti milium aureorum. Comes septem et decem milia promisit, et primo septingenta scuta, deinde mille dissolvit. - Caepit tractatus eius rei primo Callisti anno, et ad ultimum perductus est; ter verba fecit episcopus cum Callisto, sperans [avidum]
senem pecunia demulcere posse. Cum frustra conaretur, ad falsitatem se convertit, si forsitan in Palatio quempiam inveniret, qui eam dispensationem pecunia corruptus fabricaret; nec aliquem repperit in causa tam turpi venalem.

Accidit autem aegrotante Callisto Iohannem quendam [Volaterranum], scriptorem apostolicum, cum accepisset in Palatio multa fraudulenter expediri, in corona plurium
20 virorum dixisse: „*Amici, si quis vestrum res iniustas atque inhonestas querit, nunc tempus adest, [nam pontifex omnihus omnia concedit!*” - Atque haec quasi stomachans et eius Curie mores abhorrens aiebat.] Audivit Electensis, et secutus eum dissoluta corona percontatus est, dispensatio matrimonialis an impetrari posset in primo gradu consanguinitatis. Respondit Volaterranus id perarduum esse atque insolitum, experiendum tamen, si forsitan
25 Borgias, pontificis nepos, rem aggredi vellet; verum opus auro fore. - „*At aurum*” - inquit Electensis - „*praesto aderit. Tentato hominis animum ac referto!*” - Acceptavit provinciam Volaterranus, et postridie conveniens episcopum: "*Habebis*" - ait -, „*quod queris; auri modo tria milia nummum afferas!*" - atque ita cum Borgia conventum affirmavit. Amplexus conditionem Electensis trecentis aureis Volaterranum inarravit. [Volaterranus] - alioquin
30 incorrupte fame ac perliberalis - auri fame insaniens litteras scripsit, tanquam in quarto gradu Iohannes comes et soror eius, Isabella sese contingerent, deditque secretario expediendas; nec mora in eo fuit, nam quarti gradus inter nobiles facilis est dispensatio. Fecerunt litterae suum cursum, ut moris est. Quibus redemptis [Volaterranus] perquam subtiliter scripturam suam radens pro 'quarto' gradu rescripsit 'primum', et Electensi ostendens dispensationem obtentam, ementitus Borgiae operam intervenisse, promissum aurum petiit. Electensis spem bonam fecit pretii quam primum affuturi. Nec amplius vivente
35 Callisto factum est. [209]

In Mantuano conventu duo comitis nuncii septingentos francos Electensi dedere, et ad quatuor usque milia promiserunt obtentis litteris, quas videre voluerunt. [Volaterranus], tanquam mercator esset et pignoris nomine teneret, eas ostendit. Ita enim faciendum esse boni artifices inter se convenerant, ut pecunie persolutae Borgiae crederentur. Nuncii
 5 consideratis litteris, quod nomine Callisti expedite commissionem continerent, eas non valere dixerunt, quia morte mandantis expirassent. Obviavit Electensis, regulam cancellariae producens, in qua cautum erat Callisti commissiones non obstante obitu executioni debere mandari - sic enim Pius statuerat -, Electensisque, tanquam Isabella et frater eius ea regula indigerent, plumbatum Pii pontificis testimonium impetravit; quo viso nuncii pecuniam
 10 brevi affuturam dixerunt. Nec amplius durante conventu factum.

At pontifice Senas reverso secutus comes cum ab Electensi didicisset dispensationis litteras Florentiae apud mensarium retineri, nec haberi posse, nisi aureorum quatuor milia traderentur - de hac enim postrema quantitate convenerat -, indignatus ad presulem venit in balneis agentem, atque ea dixit, que supra narravimus. Cui pontifex:

15 „*Pudet nos*” - inquit - *”tui causa, qui admissio tam gravi scelere Apostolicam Sedem tui similem putas, que dispensationem a seculo inauditam fecerit. Falso Electensis hoc affirmavit, et si quas ostendit litteras, adulterime sunt. Tu, si sapias, flagitium tuum recognosces ac deflebis, rogabisque Primam Sedem, erroris veniam ut tibi elargiatur. Haec est misericordia, qua te prosequi possumus; nobilitatem tuam eo pacto commendatam habemus, si monemus, ut fetido dimisso scelere ea facias, quae nobilitati conveniunt.”*

20 Tum ille: „*At hoc verum est*” - inquit. - *”Ego litteras et Callisti et tuas hisce oculis vidi, que dispensationem admittunt. Electensis iurat rite expeditas esse; quod si pecuniam habeat, id palam faciet. Si dispensari potest - ut theologi tradunt -, et hoc mihi concessum est, cur iuri meo adversaris, et non potius Electensem cogis litteras edere?”*

25 Ad quem pontifex, quod ad Callistum pertineret, non posse se ait vel affirmare omnino vel negare, quamvis saepe in laxiori gradu dispensare recusaverit; se vero nunquam rem talem audivisse; quod si Callisti litterae verae essent, non privaret eum suo iure, tantum faceret, ut ille producerentur. - Abiit Senas comes, et iterum Electensem allocutus nihil impetravit ab eo, qui aurum, non verba querebat.

30 Interea cardinalis Avinionensis Electensem ad se vocatum, de dispensatione an aliquid accepisset, interrogavit. Ille Ottonem Caretum, ducis Mediolani legatum eam dispensationem obtinuisse respondit duce iubente, qui comiti bene cuperet, quia iure suo in ducatu Mediolanensi ei cessisset. Cardinalis, quas audiverat, nugae pontifici scripsit, et iam totam Curiam insolitae dispensationis rumor impleverat. Pontifex Iacobo Lucensi secretario suo Senas misso, ut Electensem interciperet, imperavit. Qui calliditate usus Electensem ad se
 35 vocatum comprehendit, et [Volaterranum] dulcibus verbis ad pontificem [210]

deduxit. Ambo in custodiam dati mendaciis usi sunt, quamvis litteras non recta via expeditas, et se auri cupiditate devictos confessi ad extremum cuncta, que supra diximus, suis manibus vera esse scripserunt.

5 Et de [Volaterrano] nihil amplius compertum est. Electensis nephanda et immensa facinora inventa: simonia, periurium, falsitas, adulterium, incestus, homicidium, proditio, sacrilegium. (Homicidium ipse casu commissum aiebat, duo cardinales voluntarium affirmavere: amasse illum apud Parisios studentem meretriculam, qua cum alio pernoctante suspectam domum armatus adierit, et ostio perfracto ingressus lancea fugientem [

10

20. Corruptorum poena, et comitis obiurgatio atque admonitio a Pio facta gravissima et armis formidolosior

15 His ita compertis pontifex reos iudicandos - Electensem cardinali Sancti Petri iam dimisso et ad Curiam reverso, [Volaterranum] auditori Camerae - commisit. Hic privatus est officio scriptorie et infamis declaratus, ac iudicio seculari relictus. Electensis pontificio amotus perpetuo carceri adiudicatus, et apud fratres Montis Oliveti duodecimo miliario ab urbe Senensi relegatus. Quo in loco vigiliis et orationibus tandiu corpus suum maceravit, quoad

20

fratribus fidem fecit conversionis sue, atque inde male custoditus per altissimas rupes elapsus in Franciam aufugit.

Pius vocato comite in Senatu cardinalium presentibus pluribus episcopis in hunc modum locutus est:

25

«Accepisti, comes, que acciderunt Electensi, et iam plane advertis falsas fuisse litteras, quas petebas. Non potes peccatum tuum tegere. Opus est, si salvus fieri vis, errorem tuum fatearis et veniam petas. Quod si feceris, hanc Sedem benignam invenies, quae piissima est et novit peccatoribus indulgere. Multi et reges et principes lapsi sunt, qui tamen postea ad Ecclesiam rediere. David post adulterium et homicidium suam culpam deflevit, et gratiam Domini meruit. Imitatus es, qui peccaverunt; imitare etiam, qui se emendarunt!. Offuscasti tue domus gloriam teterrimo flagitio; nunquam recuperabis famam, nisi penitentiam agas!

30

Hoc unum est, quo te tuamque familiam nomini bono restituas; hoc more pii patris ex te petimus, misericorditer acturi tecum, si sapias. Sin pertinaciter sic pergis, scito te mortis filium excommunicationis mucrone feriendum et ubique gentium infamandum: sine fide, sine religione, sine Deo existimatus ab omnibus evitaberis. Elige: Romanam Sedem

35

ultricem tuorum scelerum, an venie datricem experiri velis?!"

Attonitus his comes octo dierum inducias ad respondendum petiit; quibus impetratis inter suos ait hostem sibi Karolum Francie regem fuisse, nunquam se tamen eius exercitum adeo timuisse, quam Pium loquentem, cuius linguam veluti gladium acutum expaverit. [211]

21. Atrebatensis poetica et gentilis oratio, [immo insana garrulatio,] Piique Christianissima confutatio, et comitis absolutio

5 Reversus ad pontificem in tempore iisdem vocatis, qui prius affuerunt, Iohannem Atrebatensem, qui faceret pro se verba, supposuit. Ille hoc ferme modo peroravit:

„Non eo inficias, pontifex maxime, quin graviter peccaverit meus cliens. Verum si cuncta noris, quibus impulsus est sorori permisceri, longe minus peccatum censebis, quam vulgo feratur. Audias me tantum patienter, oro. Tria enim sunt, que delictum comitis extenuant: amor, consilium, paupertas.

10 Iohannes conditis parentibus solus cum sorore in domo relictus est, iuvenis cum iuvene. Intervenere ioci lususque; cum dies ac noctes ante oculos versaretur soror, nec superior esset, qui corrigeret adolescentiae mores, cepit alloqui, obsculari, amplexari. Peperit amorem conversatio, flammam amor, atque hinc de coniugio cogitatum est, nam sororem cognoscere absque titulo matrimonii nephas ducebat. Querit diligenter, liceatne fratri
15 sororem nubere. Vocantur in consilium iuris periti ac summi theologi. Negatur coniunctionem fieri posse, nisi pontifex maximus indulgeat, qui solitus sit aliquando dispensare. Accedit paupertatis coactio: exhaustus omni auro comes propter diutina Britannica bella, unde dotem sorori daret, non habebat, qualem viri nobiles exposcerent; neque ignobili tradendus erat nobilissimus sanguis, neque continere puella volebat. Cum
20 ergo hinc amor et consilium, inde necessitas urgeret, sub spe dispensationis cognita est a fratre soror, destinata coniunx.

Non est hic primus, qui amori succubuerit. Nam dii ferme omnes, quos coluit antiquitas, colla summiserunt amori. Et si Vetus Testamentum legimus, quot illic amoris exempla reperies! Nec historiae gentilium aliud canunt, quam victos amore heroas. Quod si sororum
25 fratrumque vel connubia vel stupra requirimus, ipse Iuppiter sorori commixtus est, quae se desertam querens: »Soror« - inquit - »Tonantis, hoc solum mihi nomen relictum.« - Et primi parentes connubia inter filios sacraverunt: Amon sororem violavit Thamar. Blandus est nimis et persuadet Amor facile, quem veteres inter deos annumerarunt. Et quid mirum, si deus hominem superavit? Cessit deo comes, victus est ab eo, qui multos vicit, et qui de
30 omnibus, etiam viris maximis triumphavit. Fatetur errorem suum: ipsa confessio veniam meretur. Adest in conspectu tuo supplex orans, ut secum misericorditer agas, penitentiam, quam imposueris, libenter subiturus."

Dixit et alia pleraque presul Atrebas, que pontifex torvis oculis audivit. Prius tamen, quam
35 ei responderet, interrogavit comitem, an se committeret apostolico arbitrio acturus poenitentiam, quam Prima Sedes imponeret. Quo respondente se mandata omnia suscepturum, Pius haec subiecit:

"Grande crimen, Atrebas, parvum ostendere voluisti, et gentilium exemplis usus incestum etiam levem esse monstrare. Tantum eloquentiae tuae confidis? At te, qui episcopatum
40 assecutus es, ecclesiasticis potius, quam gentilibus exemplis uti decebat. Non puduit te deos appellare, quos nostri maiores aut homines tantum fuisse, et [212]

quidem sceleratos, aut demones affirmaverunt? Quid mirum, si demonia peccata collaudant, quibus in lucro est ad scelera traxisse homines? Nos sacras leges et sanctorum patrum instituta respicimus: imperatorum constitutiones et placita principum incestuosos

5 *Ecclesia, quae mitior est, et non vult mortem peccatoris, sed vitam, ut convertatur, eum, qui sororem stuprasset, ad poenitentiam venientem quatuordecim annis extra Ecclesiam esse iussit, et peregre proficiscentem septem ferri pondo aut in collo aut in brachio ferre, pane tantum et aqua contentum. Nos cum comite mitius agemus. Audi, fili! Ieiunium tibi sextarum feriarum annuum indicimus, sororis commertium atque omne colloquium*

10 *perpetuo interdiciamus; cum primum facultas aderit, contra Thurcos ut milites, iubemus, non minus, quam lanceis quinquaginta pro more tuae patriae associatus; in puellas pauperes nuptui tradendas ecclesiasque reparandas auri quinque milia nummum effundas. Hec si feceris, liber esto!"*

15 *Subiit comes, ut ait, volenti animo impositam penitentiam, atque ita dimissus Romam profectus est sancta visurus loca, priusquam domum rediret.*

22. Legatio regis Castelle, et trium patriarcharum orientalium erga Romanam Ecclesiam reconciliatio

20 *Dum haec aguntur, Henricus Castelle ac Legionis rex, cui maxima pars Hispaniae paret, cum ad Mantuanum conventum vilem atque indignam suo nomine legationem misisset, quasi fame satisfactorius Legionensem episcopum ad pontificem ire iussit, et unum ex proceribus regni primarium; qui egregio comitatu Senas ingressi et in consistorio publico*

25 *auditi non tam vera, quam pulchra ac magnifica verba fecerunt. Discussa enim legationis sue facultate nihil habuere, quod pro tutela fidei adversus Thurcos offerre pontifici valerent. - Episcopus paulo post apud Senas diem clausit; Pius Iohannem cardinalem Sancti Sixti, eiusdem nationis hominem, theologica scientia illustrem et multis scriptis voluminibus clarum illi suffecit. [Rex adversatus ad possessionem pervenire non permisit,] propter*

30 *quam rem multe et magnae contentiones inter regem et pontificem emergerunt. [Circa hoc tempus adiit pontificem Moyses archidiaconus Antiocenus, vir Graecis ac Syriacis litteris apprime eruditus et magni apud Orientales nominis; hunc tres patriarche miserunt: Antiocenus, Alexandrinus ac Hierosolymitanus, et plurimi alii principes Christi cultores. Legatio eius huiusmodi fuit:*

35 *Venisse olim ad pontificem Eugenium inquit imperatorem et patriarcham Constantinopolitanum, et in concilio Florentino nomine Orientalis Ecclesiae cum Occidentali de processione Spiritus Sancti, de igne purgatorio, de pane acimo, de primatu Romane Ecclesiae et aliis plerisque, de quibus antea disceptaverant, convenisse; decretumque deinde fuisse factum, quod tres patriarche, qui se miserant, non suscepissent satore zizaniarum impediante; deinde bono commotos spiritu conventu subditorum habito, suscepto per omnia*

40 *decreto [213]*

Romano pontifici sese commisisse, velleque illi tanquam Iesu Christi vicario deinceps obtemperare; atque ad ea nuncianda se missum.

5 Audivit pontifex legationem et privatim et publice, et collaudatis patriarchis scripta, que Moyses attulerat, in Latinum translata in archivis Ecclesiae Romane recondi iussit, ipsumque donatum ad propria remisit.]

23. Monovassie situs et legatio atque deditio

10 Paucis deinde secutis diebus legati ex Monovassia pontificem adeunt se atque urbem dedentes. (Ea est Peloponnessi civitas ad orientem cherronesi in altissimo monte iacens, rupibus undique preruptis tuta, unico tantum aditu iuncta continenti, portu et navalibus quondam ornata. Lacedemonem hic olim fuisse quidam opinantur, Graeciae robur ac columen; nobis incertum.) Legati publice auditi:

15 „Respice nos, Pie pontifex!“ - dixere. - „Nisi manum porrigis, preda Thurcorum sumus. Demetrius Paleologus noster dominus fuit. Is ad Thurcos defecit, nosque in eorum potestatem traducere adnixus est. Sensimus ac prevenimus dolos, arcem invasimus, uxorem eius ad virum remisimus, Thurcis aditum clausimus; accessimus Thomam, Demetrii fratrem, rogavimusque: urbem, quae sua esset germano ad hostes deficiente, uti acciperet ac defenderet. Negavit Thomas eas sibi vires esse, quibus tueri nos posset, hortatusque est, ut vel te vel alium dominum assumeremus. Consilio his de rebus habito placuit omnibus ad pietatem tuam recurrere, tibi que populum et civitatem tradere. Accipe igitur supplices, et subveni miseris, nec contempseris urbem nostram ad res in Grecia gerendas accommodatissimam! Si classem statuens in Orientem mittere, apud nos stationem et tutissimum refugium inveniet. Si nos relinquis, cogimur iugum subire

20 Thurcorum non sine tuo dedecore, et rei publice Christiane maximo detrimento.“

25 Motus his pontifex illacrimatus est mundanarum rerum varietatem animo volvens. Nam que olim civitas, Graeciae domina, Asiam et Orientem potentissimis classibus infestavit, orbisque magnam partem sibi subiecit, eo demum redacta est, ut stare non posset, nisi dominos in Occidenti querat, atque illis sese dedat et commendet, quorum ingenia prius et opes contempserat. Iannonus - quem supra in Peloponnessum ex Mantua missum retulimus - legatorum comes fuit, multaque de Monovassia locutus locum natura munitum, si parvo presidio defendatur, inexpugnabilem dixit, Pium magnopere exhortatus, ne tantam recuperande Graeciae occasionem pretermitteret. Annuit pontifex, iussisque legatis in sua verba iurare, Monovassiam suo et Ecclesiae Romanae nomine in deditionem accepit misso

30 prefecto, qui populo ius diceret et annonam, cuius erat vacua civitas, ministraret. [214]

24. Iacobi Lucensis, viri prestantissimi promotio ad ecclesiam Papiensem invito duce, et Pii animus invictus

5 Vacavit circa idem tempus ecclesia Papiensis apud Insubres nobilis, et quae soli Romano pontifici subest, dives opum et liberalium artium schola insignis. Iohannes cardinalis ex familia Castilionea ei prefuerat, quem in Piceno, dum legatum agit, obiisse diximus. Pontifex Iacobum Lucensem, secretarium suum ei sufficere statuerat, virum Grecis ac Latinis litteris eruditum. Franciscus Mediolanensium dux animum alio verterat, nec passurus videbatur sententiae pontificis locum fore. Missus est Angelus Volsinensis, Ordinis Minorum professor, 10 qui Franciscum leniret; nec quicquam profuit dicente per iracundiam Francisco: "*Episcopum Papiensibus si alterum, quam cupio, prefecerit Romanus pontifex, experietur non esse usui principes irritare. Reconciliabor Picinino haud difficile, eique agrum Ecclesiae diripiendum mandabo. Et quis erit, qui pontifici opem ferat?*"

15 Ea cum retulisset Angelus, magis ac magis pontificis animum obfirmavit, ut Iacobum promoveret; scripsitque pontifex manu sua Francisco, admonens, ne pugnam adversus pontificem amplecteretur, in qua necesse sibi esset succumbere, quia non mutaret propositum, nec arma sua timeret Pius. Victus tandem Franciscus annuit, et Iacobus magno Senatus assensu et universae Curiae applausu Papiensi ecclesiae prefectus est.

20 **25. Sarnensis pugna, in qua adversante fortuna Ferdinandus occumbit, et Simonetti clara optataque mors, et Castri Maris proditio**

25 Per hos dies auctus animo Ferdinandus Siciliae rex adventu Simonetti et aliorum Ecclesie ducum exercitum in campum educit, pugnandique copiam hostibus facit. Detrectantibus praelium acrius instat, eosque loco pellit, nec cessat urgere, donec omnes intra oppidum Sarni fugientes concludit. Id passibus circiter triginta milibus a Neapoli abest. Pars eius in edito colle sita est, pars in plano iacet non tam muris, quam aquis munita; ex radicibus montis limpidissimi scaturiunt fontes, qui Sarnum efficiunt fluvium - cuius antea fecimus mentionem - tante frigiditatis, ut herbas atque arbores enecet, neque pisces alat preter cancos. In hoc oppido Iohannes, Rhenati filius et Tarentinus princeps et omnis nobilitas suarum partium atque omnis equitatus et peditatus ex fuga sese receperat, cum Ferdinandi regis impetum ferre non potuisset, nec dubium erat, quin brevi urgente fame aut sese dederent, aut in diversa dilapsi hosti campum relinquerent. Clausi enim comeatus 30 introducere nulla ex parte poterant, et iam consilium ceperant, quo potissimum itinere fugam arriperent; quorum saluti nihil tam consuluit, quam Ferdinandi audacia: illum cum 35 natura, tum necessitas supra, quam par fuit, audaciorem prebuit. [215]

- Erat in castris suis non tam validior hoste, quam animosior miles, verum importunus et querulus; stipendia petere, minari, nisi argentum daretur. Regi nihil esse, quod daret - et iam ducenti barbari, quos vocant 'scoppeterios', ob negatam mercedem ad hostes defecerant; vereri, ne discedentibus pluribus obsidionem solvere cogeretur; militi absque auro nihil suaderi posse. In his angustiis constituto utile visum est oppidum repente aggredi, ut eo expugnato ex spoliis hostium exercitui satisfaceret. Re in consilium ducta probantibus pluribus Simonettus contradixit, qui loco munito hostem non facile dimovendum putabat, meliusque fame, quam ferro vinci; placere tamen sibi turrim quandam oppido propinquam invadi, qua capta impossibile esset hostes pabulatum exire. Itum est in sententiam Simonetti. Verum expugnata primo impetu turri crescentibus animis victor furensque miles retineri nequivit: preteriere audaces turmae iussa ducum, et insecute fugientes hostes cum his oppidi portas intraverunt. Pugnatum est intra menia summa contentione, nec pauci ceciderunt; plures tamen ecclesiastici, quorum magnam stragem ediderunt scoppeterii, quos diximus a rege profugisse.
- (Instrumentum est in Germania primum ac nostra demum aetate repertum, ferreum seu cupreum, ad mensuram hominis longum, pugillaris spissitudinis, concavum fere totum, in cuius ore plumbea ponitur pilula ad magnitudinem nucis avellane, immisso prius pulvere, qui ex cinere fici aut salicis conficitur, sulphure et nitro commixto. Mox ignis per foramen parvum in posteriori parte adhibetur, qui receptus a pulvere tantam vim concipit, ut pilulam instar fulminis iaciat. In eius exitu quasi tonitru sonitus exauditur, quem vulgus scoppium appellat; hinc scoppeterii appellati. Ictum eius tormenti nulla sustinet armatura, roborum etiam penetrantur.)
- Regius igitur miles atque ecclesiasticus, quamvis oppidum introisset, et hostes aliquos manu cepisset, ab hisce scoppeteriis non sine vulnere ac cede repulsus est. Hostis insecutus longo spacio extra oppidum signa protulit; cui dum Simonettus occurrit, suorumque fugam retinere conatur, tormentali pilula percussus ex equo deiectus est, nec locutus e vita decessit. Qui etsi diutius vivere optavisset, hunc tamen exitum cupiebat sepe inter suos dicere solitus: *"Det mihi Deus, ut in arte mea et in Ecclesie servitio moriar!"* - Corpus eius ab hostibus inventum honorifice tumulatum est Iohanne, regis filio et omni nobilitate funus ducente.
- Multorum in hoc prelio virtus enituit, precipue Roberti Ursini, qui primus Sarnum ingressus ascendere superiores oppidi partes tentavit, sed vulneratus in facie coactus est pedem referre. Iohannis quoque Malavolte filius egregia sue iuventutis rudimenta prebuit, qui paulo post Senas reversus febre interiit. Primi ecclesiastici pugnam ciebant, primique cesi sunt aut capti, cum tormentorum ictus ferre non possent. Rex fuga salvatus est impedimentis amissis, castra direpta sunt, equi supra duo milia in predam venere.
- Secundum hanc victoriam princeps Salerni ad Francos defecit, cui et Nola parebat; idemque dux Sancti Marci et universa Sancti Severini domus effecit. [216]

Quod si victoriam secutus hostis ad Neapolim castra movisset, haud dubium, quin profligatus Ferdinandus Regno cessisset. Princeps Tarenti cursum fortune retinuit, qui Marte dubio Regni moderator habebatur et arbiter - finito bello victori pariturus. Iohannes Andegavensis, cum Neapolim inhibente principe nequiret accedere, copias ad Castrum Maris
 5 victor admovit, et oppido vi potitus arcem auro redemit; aureorum quatuor milia prefectus accepisse traditur. Verum est, quod vulgo dicitur: nullam non expugnabilem arcem esse, in quam onustus auro intrare possit asellus!

10 **26. Prelium Aprutinum Picinini et ecclesiasticorum, et rumor varius, quique in ea pugna claruerunt**

Haec in Terra Laboris gesta, quae olim Campania dicta est. In Aprutiis vero Picininus accepto victoriae nuntio veritus, ne ignaviae accusaretur, si nihil ab eo fieret, congregatis Aquilanis, Iosianis, Caudolianis et omnibus Aprutinorum viribus, magnum equitum
 15 peditumque ducens exercitum ducales atque apostolicas copias, quae non procul ab Esculo castra tenebant, invadere statuit. Alexander Sfortia et Federicus Urbinas - alter socer, alter gener - Picinino oppositi erant, equitatu pares hosti aut superiores, peditatu longe inferiores. Ii planum tenebant, Picininus collem occupaverat; qui signo dato magno impetu in hostes delatus est. Alexander ei occurrit. Commissum atrox prelium diuque anceps, verum urgente
 20 pedite Picinini Alexander non paucis suorum amissis loco paulo cessit, fuissetque omnino profligatus, nisi Federicus huc atque illuc discurrens suppetias misisset, ac pro sauciis integros suffecisset. Pre ceteris vero Petri Pauli Foroliviensis excellens virtus adiumento ecclesiasticis fuit, qui locum sibi commissum nunquam deseruit equis quatuor sub eo confossis: Federicus ei submittebat equos, cuius prestanti audacia omne robur hostium
 25 retentum est. Pugna ad horam noctis secundam summa contentione et ardentibus animis producta, luna prestante lumen. Ad extremum ecclesiastici, cum loco dimoveri non possent, Bracciani ad montem, unde venerant, rediere. Victores ac victi ambo exercitus: ecclesiastici plus equorum amisere, hostes plus hominum, ingens enim et peditum et equorum strages edita est.

30 Dum pugnaretur, et adhuc dubius esset belli eventus, fugientes quidam ex castris Ecclesiae victorem Picininum vulgavere. Quod accipiens Firmanus episcopus, [cupidus mali nuntius et nugarum diligens vulgator, rem quasi compertam pluribus scripsit,] atque inter alios Sigismundo Malateste, qui ruinam Ecclesie percupide audiens aurea veste nuntium donavit. [Homo perfidus, Deo atque hominibus infestus!] Pena tamen cito secuta est, cum paulo
 35 post vano se gaudio perfusum intellexerit et mendaci nuntio deceptum.

Mutavere tamen ecclesiastici locum, cum Picinini copias augeri cognovissent, castraque amplius atque amplius munierunt. Picininus in Aprutiorum interiora [217]

concessit, ubi a Mattheo Capuano, haud ignavo copiarum duce sepe damnis atque ignominia affectus est.

5 **27. Gallorum [insana] levitas et arroganti [ssim]a [superbia], et Pii responsum [eorum procacia dignum]**

10 Senis cum nuntiata esset Ferdinandi clades apud Sarnum accepta, Galli, qui frequentes erant in Curia, vociferari per urbem, saltare, ignes incendere, insultare Cathelanis, Aragonenses irridere, familiam quoque pontificis probro afficere, Lombardos, Florentinos contumelia lacescere, pulsare manibus ac ferro, si quis non satis eorum insaniae applaudere videretur. Nam et Burgundioni cuidam oculum effoderunt, et Senensem quendam civem interfecerunt, qui paululum adversus eorum clamoribus videbatur. Toleravit omnia pontifex equo animo, secumque ait:

15 [„Quid agant domi suae nobiscum Galli, si forte ad eos venerimus, quando in patria nostra tam impudenter insultant!? En genus Italicum, ferrene horum dominatum poteris, quorum servitia adeo sunt insolentia? Serviunt in Romana Curia, et faciem dominantis ostendunt!] Quid agant, si aut summo pontificio aliquando potiantur, aut Italiae regnum obtineant!? [Ve tibi, Italia, si horum subire iugum cogaris!] Ego te, quantum potero, adiuvo, ne [tam crudeles] patiari dominos - quamvis nec Veneti nec Florentini opem
20 afferant, quorum populi dum te sibi subigere conantur, nec inter se convenire student, externum tibi dominium parant."

Sic locutus inter amicos pontifex nihilo deiectus animo reparare atque instaurare copias decrevit, Ferdinandoque nova auxilia mittere, ne Regno deiici posset.

25 Interea Aquilanorum legati ad eum veniunt et paulo post Iohannis Andegavensis oratores suasuri, ut relicto Ferdinando pontifex aut Rhenati causam adiuvet, aut a bello prorsus absteineat - multorum et populorum et principum Regni litteras afferentes, qui Ferdinandi regimen atque imperium prorsus respuebant. Quibus auditis pontifex se nihil aliud bello querere dixit, nisi ut violentia sublata lis de Regno per iudicium tolleretur; id si Rhenatus annueret, ab armis cessari posse. Tum unus ex oratoribus: "Iohannes" - inquit - „Cossa -
30 inquit - „Cossa hec ad te verba transmittit: »Si Christus nobiscum est, non curamus, quo se vertat vicarius eius. Vicimus apud Sarnum auctore Christo. Tu sive benedixeris, sive contra maledixeris, nihil ad nos!«" - Cui pontifex: "Quamvis uno prelio superiores fuistis" - inquit "non tamen affirmare potestis Christum auxilio vobis esse, cuius occulta iudicia sunt. At Christi vicarium vestris adversari conatibus et sensistis hactenus, et sentietis deinceps
35 magis!" - Atque ita legati infectis rebus abierunt. [218]

28. Romae tumultus multi auctore Tyburtio et Valeriano fratribus et scelerata flagitia

5 Successit et alia interim calamitas; raro infortunium solum est. Romae Tyburtius et
 Valerianus fratres pacificum Urbis statum multis modis turbavere. (Mater eorum soror fuit
 Stephani Porcarii, quem Nicolaus Quintus ob proditionem captum in Adriani Mole
 suspendit. Pater eiusdem criminis reus in Capitolio poenas dederat, et alii complures ex
 eadem cognatione perierant.) Ii [nihil a maioribus degenerantes] cum viderent Urbem
 10 absente pontifice [minus] rigide gubernari, neque rectoribus ad corripienda facinora satis
 animi esse, tempus idoneum arbitrati, quo iuventutem Romanam corrumpere possent, ac
 rebus tandem mutatis imperium sacerdotale deiicere, Bonannum quendam, iuvenem
 audacissimum et manu promptum, ac Iohannem Philippum, nullius facinoris expertem, et
 alios plerosque sceleribus insignes sibi socios assciverunt, quibuscum facta coniuratione
 levia primum furta gallinarum ac vilium rerum audere ceperunt, post adulteria et
 15 preciosarum rerum rapinas committentes, tandem neque a raptu virginum neque a cedibus
 aut incendiis temperarunt. Nec magistratum cohiberi armis poterant, cum essent trecenti
 circiter iuvenes in armis, experti ac feroces, auxilia sibi invicem presto ferentes.

Cives in filios civium extendere manus non audebant; expectabant omnes, quid
 gubernator, quid senator ageret. Uterque timore correptus domi se continebat. Gubernator,
 20 cum habitaret in Campo Florum egregiam in atrio Pompeii domum, et coniuratorum minas
 in dies audiret, in Apostolicum Palatium inde migravit. Coniurati ob eam rem quasi victores
 effecti insolentius agere, bacchari per urbem licentius, everberare cives, pecunia mulctare,
 pauperum substantiam diripere, uxores prostituere, virgines iugulare aut in Tyberim
 sommergere, quae vim perpeti nollent. Libentius optimatum expugnassent edes, sed
 25 verebantur, ne potentiam Urbis in se provocarent, satisque esse putabant, si opulentorum
 civium abusi patientia inopum bona quamvis pauca diripere et in eorum foeminas explere
 libidinem possent, donec aucti numero et fortiores effecti illorum quoque fortunas daretur
 invadere.

Fuit inter eos quidam, cui propter amorem Inamorati cognomentum indidere. Is perditae
 30 puellam Transtyberinam alteri desponsatam adamavit, pariter - ut fama erat - amatus; quam
 ipso die nuptiarum ad virum euntem media in urbe vi rapuit. Non potuere tantum facinus
 tolerare magistratus, quos capita regionum appellant: facto mox impetu Inamoratum
 ceperunt, vinctumque senatori tradiderunt, qui publice in eum animadverteret. Coniurati
 audita re veriti, ne supplicium de reo sumeretur, correptis armis per urbem dilapsi Carum
 35 quendam, senatoris familiarem interceperunt. Commoti cives ad rei novitatem frequentes
 gubernatorem adeunt, sumere animum et arma suadent operas suas offerentes; facile
 coniuratos posse intercipi asserunt, audeat modo gubernator ac senator, et civium consilia
 sequantur. Coniurati civium arma [219]

timentes in templo se receperunt, quod M. Agrippa diis omnibus sive - ut melius loquamur - daemonibus dedicavit; Pantheon veteres appellarunt, nunc Beate Mariae sacrum est, et ab ea nomen habet. Non presumpsere rectores Urbis cives cum civibus expugnare, veriti, ne multitudinem armata civitas discusso sacerdotum iugo libertatem assereret. Illi plerisque diebus in templo se continuerunt, cum circum habitantes metu, ne noctu invaderentur, alimenta preberent. Tandem ea lege persuasi sunt edem relinquere, ut accepto Inamorado familiarem senatoris redderent.

5 Neque vel hoc pacto quievit civitas. Bonannus, unus ex coniuratis, paucis post diebus armatus per urbem incedens cum familiam senatoris incidisset, rogareturque arma deponere, nec parere vellet, incepta rixa manum conserens unum ex marescallis obruncavit, victorque satellites omnes senatoris dissipavit atque disiecit. Exin liberi omni metu iuvenes armati atque inermes per urbem vadere, nullumque non scelus impune committere. Quos cum Antonius, pontificis nepos turrim quandam in extrema civitatis parte invasisse non procul a Sancto Laurentio in Lucina didicisset, mox accepta equitum cohorte ex Vaticano ad pontem Milvium se contulit, et ingressus portam Urbis, quae Populi appellatur, festinus ad turrim cucurrit, coniuratos ibi ut comprehenderet. Illi audito eius adventu turrim dimisere, et interiora Urbis petentes in edibus, quas cardinalis olim Firmanus magnificas edificavit, sese receperunt. Antonio non fuit consilium externum equitem intra frequentia Urbis aedificia ducere nondum plane cognita civium voluntate, quos in suos sevir cognatos non erat vero simile, nec gubernatori e re publica videbatur cives cum civibus comprehendere. Coniurati in aedibus Firmani tanquam in publico palatio convenientes illic consilia de rapinis, de patrandis adulteriis capiebant, conviviaque simul agitabant, noctes latrocinii, dies ludis dantes. Tyburtius omnium princeps et dominus habebatur, cuncta ex eius arbitrio pendebant. Querentibus, quid ageret Tyburtius: "*Dominus*" - respondebant - "*aut hoc aut illud agit.*"

25 Pudebat bonos cives eo deductam esse Urbem, ut in Tyburtii potestate videretur, cupiebantque armis tantam ignominiam delere. Quod postquam per gubernatoris ignaviam efficere non potuerunt, congregati simul optimates Tyburtium adierunt suadentes, ut Urbe discederet, nec vellet patriam suam latronum speluncam efficere; si pergeret grassari amplius in civitate, non passuros magnates; facile manum militum cogi posse, quae temerarios iuvenes in vincula coniiciat; parum vero esse in iuventute presidii, quae inops consilii facile dissipatur; Urbis senatum, si semel arma corripuerit, non quieturum, donec coniuratos omnes perditum eat, civitatemque tam misera servitute prorsus liberet; pontificem, quamvis procul absit, cito reversurum, neque Tyburtio neque complicibus daturum veniam, si eos in Urbe latrocinantes invenerit; cedant suis civibus potius, atque abeant: ita fieri posse, ut rogante civitate in gratiam denique pontificis redeant.

35 Victus his Tyburtius discedere statuit, egressusque domo per Urbem tanquam magnus aliquis princeps inter conservatorem et protonotarium apostolicum, [220]

Georgium Cesarinum ad portam usque medius incessit magna populi sequente caterva, que ad visendum Tyburtium quasi ducem aliquem numerosi exercitus accurrerat. Ille plenus animi salutatis in porta civibus cum coniuratis ad oppida Sabelli concessit, nihil dubitans reverti posse, cum vellet.

- 5 Inter hec ex coniuratis novem fuere, qui horrendum ausi scelus noctu ad monasterium Dive Agnetis extra portam Salariam profecti fractis portarum repagulis sacrarum virginum penetralia atque abdita irrumpentes non modo vim pudicitiae intulerunt, verum etiam corruptarum virginum bona et sacram suppellectilem diripuerunt. Quae cum pontifex accepisset, nec iam ullum esse aliud remedium servande Urbis cognovisset, quam sedem
10 suam repetere, nihil moratus edictum posuit intra dies viginti se versus Urbem iter accepturum, curiales admonens, ut se per id temporis ad Urbem conferrent. Quod ubi Romae auditum est, haud alia exultatio facta, quam si magna quedam victoria nunciata esset, aut ipsa Urbs tum primum fundata edificataque videretur. Pompa per Urbem ducta, ignes accensi, supplicationes per omnia pulvinaria facte, ut felix faustusque ac celer
15 pontificis reditus esset.

29. Castrum Leonis maritimum Antonio nepoti datum et multo studio redemptum una cum insula Lili

- 20 Cupiebat per id tempus Pius, Castrum Leonis sibi ut Ferdinandus traderet, quod sepe promiserat. - Id est in Etruria Tyrreno mari adiacens iuxta emissorium piscose paludis, non longe ab urbe Grosseti atque Umbronis ostio. Florentini olim cepere, cum Pisa potiti essent; Senenses eis bello abstulere, pace facta reddiderunt; rex Alfonsus altero diu post exorto bello armis obtinuit, et compositis rebus retinuit. Huc se Picininus contulit, cum Callisti copias
25 fugeret. Hic magne piscationes mugilum et pinguia pecorum pascua.
Iohannes Lyritanus, natione Hispanus, arcis praefectus erat, quamvis Iohannem Castrensem sustinisset. Invitus arcem Lyritanus relinquebat; voluntarium tamen se finxit, et quasi traditurus arcem pontifici eo se contulit; quo cum venisset, multa sibi deberi ait: non redditurum, nisi dissoluta summa. Negante pontifice tantum auri numerare, quantum
30 peteretur, Florentinis ac Genuensibus vendere arcem et oppidum pertentavit. Interea unus ex oppidanis, qui amicos haberet in arce, Plumbini tyrannum adiit, tradere arcem pollicetur, si sibi aureorum quatuor milia numerentur. Adhibet aures tyrannus, et hominem cautum cum pecunia mittit. Is traditis aliquot aureis iubet descendere custodes e turri, et dum reliquam pecuniam numerat, famulos suos paulatim ascendere et locum capere. Quod ubi
35 factum esset, iam numerata pecunia: "*Error est!*" - inquit, et quasi numeraturus iterum aurum ad se traxit, atque in turrim propere concessit, et ostio clauso ea deberi proditoribus stipendia dixit, signumque dedit militibus, qui prope latebant. Quibus accurrentibus potitus est oppido, et [221]

vexilla regis erexit Aragonum, quasi pro illo possideret. Atque in hunc modum non Lyritano solum, qui erat in oppido, sed Ferdinando et papae illusum est.

- 5 Ferdinandus ea re cognita unum ex secretariis, Talamanchum nomine, ad tyrannum misit, vafrum hominem, qui magno usus ingenio arcem recuperavit et Pio tradidit. Iohannes Lyritanus minorem arcem, quam tenebat in litore maris, (et insulam Lili) papae tradendas reliquit, et cum Iohanne Castrensi per agrum Senensem iter faciens Neapolim rediturus ab agrestibus obtruncatus est, et pariter Castrensis occisus in ulcionem damnorum, quae vivente Alfonso provincialibus intulerat. Sic infortunes homines priorum malorum, quae perpetraverant, poenas dederunt.
- 10 Pontifex Castrum Leonis et arces et insulam Lili nepoti Antonio tradidit, non tam ei, quam patriae consulturus, cuius maritima loca et horrea civitatis hoc oppido clauduntur.

30. Sigismundus Malatesta fidem frangit, oppida pignori data invadit mendaciis confictis

- 15 Inter haec Sigismundus Malatesta suarum non immemor artium prefectum arcis Montis Martiani dolo intercipit arcemque occupat, et oppidum in potestatem suam redigit, quod antea pignoris nomine Pio pontifici observandum tradiderat, quemadmodum supra commemoravimus. Rogatus, cur id fecisset, respondit prefectum mulierosum fuisse virum, uxores oppidanorum dies ac noctes infestasse, [nec ullas in oculis eius feminas fuisse tutas];
- 20 petentibus oppidanis se illum intercepisse. Cui pontifex in hunc modum rescripsit:

- [„Mechorum notissimus et nullis non maculatus impudicitiiis aliorum adulteria carpis, Clodius accusas mechos?] Esto: sit verum, quod fingis! Tunc in alio corriges, quod in te ipso gloriaris? [Fur Verri displicet, homicida Miloni? Et quae tibi in alieno servo potestas fuit?] Si peccaverat prefectus, nostra erat ultio, accusandus apud nos fuit: non sivilissemus inultum facinus. Aut reddito prefectum et arcem, aut Ecclesiae Romane declaraberis hostis!"
- 25

- Contempsit ea Sigismundus, nec multo post prodiones prodicionibus accumulans Mundavium cum equitatu profectus intromissus ab oppidanis, quos prece precioque corruerat, arcem invasit, territoriumque prefectum parvo corrupit auro, atque ita vicariatum fere omnem Mundaviensem e potestate pontificis fraudibus ac dolis eripuit - vulgata fama, quod ideo id fecerit, quoniam exploratum haberet Pium pontificem ea oppida Federico Urbinati traditurum fore; [deque ea re ut homo falsus et mendax et totius veritatis inimicus tabellionem quandam falsa coegit instrumenta conficere, tanquam prefectus Mundaviensis id ipsum asseruisset ab ore pontificis auditum]. Quod cum non satis crederetur, ad aliud confugit mendacium, scripsitque potentatibus Italiae ideo se Mundavium occupasse, quia statuisset pontifex suas illuc copias ad discretionem - ut aiunt - hyematum mittere. In qua re prophetavit, nesciens, [222]
- 30
- 35

quid diceret - eliciente Domino etiam de mendaci ore veram aliquando prophetiam. Sequenti enim anno - ut suo loco dicemus - id oppidum ad discretionem ducibus apostolicis redditum est. (Discretionem vocant, cum permissa militi potestas est in oppido, quod capitur, pro suo arbitrio debacchari, corporibus liberis tantum salvis.)

5

31. Coniuratio gravis adversus Pium detegitur

Dum haec fiunt, Lucas quidam civis Romanus, quem sepe cardinalis Columnensis ad principem Tarentinum miserat, Romae capitur, et quoniam secreta nosse principis et multorum baronum existimabatur, in Arce Sancti Angeli reclusus iubetur, que norit, dicere. Is absque tormentis sua manu hec sponteque scripsit: principem Tarenti et comitem Eversum et Iacobum Sabellum et Columnenses adversus pontificem conspirasse, statuisseque Iacobum Picinum in agrum Romanum accersere Ursinis atque Ecclesiae infensum, nec dubium esse, quin Roma caperetur absente papa dantibus aditum coniuratis; Tyburtium Iohannem Andegavensem, Tarentinum principem, Iacobum Picinum adivisse, promississeque Urbem tradere, cardinalem Aquilegiensem, qui apud Sanctum Laurentium in Damaso moraretur, auro abundantem intercipere pecuniaque mulctare; Antonium, papae nepotem, cum per Urbem ad cardinalem iret, obtruncare; opulentorum civium, mercatorum curialiumque plenas domos diripere, inde militi stipendia daturum; nihil horum sibi esse difficile: patere sibi die nocteque aditum in Urbem, in qua iuvenes haud minus quingentis robusti et audaces et primariorum civium filii sentirent secum, quorum parentes tumultuante civitate non auderent arma capere adversus filios, satis habituri, si domus eorum salvarentur.

15

20

25

Hec pontifici relata maturandum iter magis ac magis suaserunt.

32. [Adulteria] quedam Senis patrata et homicidium subsecutum, et iocosa querela mulieris

30

35

[Interea Iohannes quidam Peccius, civis Senensis uxorem Aduardi Malescotti, viri nobilis cum diu amavisset, vulgatumque adulterium eius esset, Franciscum Tergestinum, pontificis maximi cubicularium odisse cepit, qui Aduardi esset amicus et domum eius sepe inviseret, rivalem veritus. Ob eam rem pontificis alloquio per importunitatem obtento Francisco crimini dedit, qui Aduardi domum plus aequo frequentaret. Interrogatus, quid ad eum: „Uxorem” - inquit - *”Aduardi amo.”* Nec puduit consuetudinem confiteri stupri, neque se passurum in ea re socium impudenter ait. Tum pontifex: *”De Francisco”* - inquit - *”videbimus, quid sit faciundum. At te adulterum tuo condemnamus ore: nisi te corrigis, brevi necaberis!”* - Dictum res paucis post diebus secuta. In [223]

ipso recessu pontificis Aduardus iussa uxore, ut amanti horam daret, venientem illum nondum multa nocte ferro aggressus crebris confossum vulneribus ante ostium semivivum proiecit, qui paulo post ad patrem delatus expiravit. Aduardus fuga salvatus est; uxor capta et male custodita in agrum Florentinum aufugit; pater et frater in iudicium vocati tanquam
 5 criminis conscii, duriciem veriti legum et ipsi fuga salvati sunt; ancilla, quae internuntia fuerat - ut sunt impotentibus inimica iudicia - capite penas dedit.

Tum quoque mulier quedam neque vetula neque iuvenis, mediocri forma, viro nupta diviti, et qui rectores inter civitatis magno loco haberetur, pontificem pluribus associata matronis accedens habere archanum se dixit, quod semotis arbitris vellet referre. Iussit pontifex
 10 astantes in partem cubiculi secedere - ita, ut videre possent, audire non possent -, ac foeminam dicere. Tum illa:

"Aberat" - inquit - "vir meus. Ego in penitiori parte domus sola litteras a viro missas legere. Interim vir capite obvoluto ad me intrat; nescio qui ostium ei patuerit noctis iam hora secunda clausum. Amplexus atque exobsculatus me sepius vim conatur afferre. Cui ego: »Patere« - inquam -, »priusquam ultra pergis, cubiculum ut claudam, ne quis ad nos intret!« - Atque ita dimissa fugi, ubi ancilla et parvulus erat filius, et quasi vicinos vocare vellem, strepitum feci. Ille abiit. Ignoro, quis fuerit, quamvis litteras ad me postea sine nomine amatorias plerasque miserit, semelque se 'Vilhelmum Parisiensem' subscripsit. Si maritus meus haec resciverit, mors mihi imminet. Nescio, quid agam. Nuper, cum in ecclesiam pergerem, coniecit in me oculos atque arrisit unus, quem optime nosti" - eumque nomine appellavit -: "vereor, ne hic sit, qui me persequitur. Civis est, non extraneus, et sacerdos tuo subiectus imperio. Oro, iube eum quiescere, atque admone, ne scripto dictove mihi amplius molestus siet, nisi se meque perditum ire velit. Novi meum virum: si quid persenserit, ambo peribimus."

Obstupuit ad ea pontifex, moxque Bochaccii fabulam animo volvit, in qua mulier introducitur adolescentem amans, quae cum alio pacto amorem suum indicare illi non posset, confessorem adiit rogavitque adolescentem corripere, tanquam sibi molestus esset hortum nocte ingrediens atque concubitum petens. Correctus ille cum se purgasset saepius, neque satisfacisset mulieri, cognovit tandem, quod querebatur, et viam edoctus ad foeminam
 25 amanti morem gessit. Confessor ignarus dum prohibere peccatum nititur, suadet. - Recitavit pontifex mulieri fabellam - sive historia fuit -, aitque:

"Nimis cordata es, mulier, et longe animosior ea, quam Bochaccius commemorat! Illa confessorem suum lenonem fecit, tu pontificem maximum furoris tui ministrum conaris efficere. Ardes hunc sacerdotem pulchri corporis, et quia nescis alio pacto amoris tui certiolem reddere, existimasti per nostram correctionem intellecturum, quid velis, atque - ut est iuventus fragilis - in tua desideria concessurum. Sed mentita est iniquitas tibi. Abi in malam crucem, atque hunc ignem quantotius extinguito! Nisi feceris, scito quam primum viro prodendam!"

Abiit illa summisso vultu, nec postea in conspectum venit. Qui aderant, nihil eorum intellexere, que dicebantur, quamvis prolixitatem sermonis admirarentur.] [224]

33. Collatio ecclesie Ragusee, et Matthei Regini faceta historia

5 Per idem tempus due vacaverunt ecclesie metropolitice: Ragusea apud Dalmatas et Rossana apud Calabros. Illi prefectus est Franciscus, Ordinis Sancte Mariae Servorum professor ac generalis minister, natione Senensis, moribus ac doctrina excellens; hanc sortitus est Mattheus Reginus, inter Minores Fratres, qui Observantes appellantur, predicationis gratia insignis.

10 Hunc olim Nicolaus pontifex maximus ecclesie Reginensi cum preficere statuisset, quae tunc forte vacabat, iussit accersiri a cardinali Firmano rogarique, an vellet sue civitatis pontificalem curam suscipere. Paruit Firmanus, vocatoque seorsum in cubiculo Mattheo: "*Diligite*" - inquit - "*te pontifex maximus, tuisque civibus presulem dare statuit, si modo animum ad hoc induxeris, neque honorem hunc in patria tua pulcherrimum refugeris.*" - Mattheus nihil respondens cubiculum egressus ad fratres, qui erant in aula, eiulans ac lachrymans: „*Accurrite*" - inquit -, „*adestote, opem afferte!*" - Admirantibus fratribus percontantibusque, quidnam sibi accidisset, aliquamdiu nihil aliud respondit, nisi: "*Accurrite, iuvate, opem offerte misero!*" Postremo, cum sepius ac sepius interrogaretur, ut quid auxilium tantopere efflagitaret: "*Heu*" - inquit - "*misero mihi! Aetatem in religione consumpsi, vixi pauper et obediens, precepta Beati patris Francisci nunquam violavi, verbum Dei predicavi populis, in cellula mea predivitem egi pauperiem divina*"
20 *contemplatus arcana. Nunc ad episcopatum vocor, ad negocium, ad labores, ad honores, quos optavi nunquam. O immaculata religio! O sacri penates claustrum! O dulcia cellarum silentia! O amantissimi fratres! O consolationum mearum socii! Ergo ego vos tandem relinquam, et me dulcissima conversatione vestra privabo? Non faciam! Accurrite, iuvate, liberate me his molestiis! Defendite, ne me Firmanus vobis eripiat!*" - Audivit cuncta
25 Firmanus e cubiculo suo, atque accedens propius: "*Tace*" - inquit -, "*Matthee, pone metum, bono animo esto! Libero te; non urgeberis a pontifice ultra, quam velis! Ito, quo placet, et rei tue consulito!*" - Atque in hunc modum eo dimisso Nicolao pontifici cuncta, quae gesta erant, non sine risu exposuit.

30 Post dies octo rediens ad Firmanum Mattheus consilium se cepisse cum amicis ait, rebusque in utranque partem plane discussis visum illis esse, ut pontificis desiderio satisfiat; ponere igitur se in voluntate pape, cui nephas sit non obedire. Firmanus Nicolaum accedens: "*Mattheus*" - inquit - "*mutatus est; episcopatum, si voles, accipiet.*" - Cui pontifex: "*Et ego*" - ait - "*mutatus sum. Volui episcopatum illi committere, cum noluit; cum vult, nolo!*" - Atque ita Mattheus dignitate excidit. Mansit tamen in religione, nec reliquit predicandi officium.
35 Sub Callisto triremes duas ex elemosynis contra Thurcos armavit, atque in Asiam profectus captivos aliquos abduxit.

40 Pius misertus hominis, qui labores multos in Ecclesia pertulisset, vocavit eum, cum Senis ageret, aitque: „*Prefecissemus te vel ignorantem ecclesie Rhossanensi, si putavissemus non recusaturum id oneris, sicut olim Reginensem sprevisi ecclesiam. Nunc animum tuum patefacito!*" - Tum ille: „*Desipui Nicolai ordinationem* [225]

5 *refugiens, dedi poenas stultitiae mee. Nunc in manus tuas me dedo: tua voluntas mea erit. Si iubes in religione perseverare, manebo, quoad vixerim. Si ad episcopatum me vocas, presto adsum, nec ignoro in culmine perfectionis esse, qui pontificalibus implicitus curis suo satisfacit officio.*" - Atque ita Mattheus Rhossanensem consecutus ecclesiam illi postea non sine laude prefuit.

34. Pii discessus e Senis ad Corsinianum, et eius egrotatio, monitaque ad Senenses utilissima

10 His apud Senenses peractis pontifex IIII Idus Septembris ab eis recessit, quae dies profectiois statuta erat. Flebat universa civitas, neque curiales ex amenissimo loco mitique populo abeuntes continere lacrymas poterant. Pontifex, etsi vehementerangebatur dulcem relinquens patriam, ignarus, an aliquando rediturus esset, lacrymas tamen continuit, nec sororibus cum fletu occurrentibus commutatus est. Secuti sunt magistratus urbis extra
15 moenia ad monasterium usque Angelorum; illic cum civibus benediceret, rogatus, si quid iuberet:

20 "*Tubeo*" - inquit -, *fili, concordiam sectemini, quae sola civitatem servare potest. Ponite odia, quae corda vestra exedunt; facessant divisiones, secte, conventicule! Consulite in communi, quae sunt utilia rei publice, diligite iustitiam, pellite iniquitatem! Nolite quenquam opprimere, defendite viduas ac pupillos, honorate sacerdotes, ecclesiarum immunitatem nolite infringere, plectite facinorosos! Legibus, quae sunt ex bono et aequo, his utimini - reliquas abrogate! Iuvenibus vestris uxores date; celibes atque inertes a magistratibus arcete! Dotibus modum ponite atque sumptibus; quae datis extra, quaeve accipitis, estimate! Male se civitas habet, quae plus emit, quam vendit. Hec pro tempore monumenta relinquimus, quae servantibus non erunt inutilia.*"
25

30 Atque his dictis iter ingressus secunda die Corsinianum pervenit. Quo in loco graviter aegrotavit humoribus ex capite descendentibus pectus, brachia ac totum corpus adeo debilitantibus, ut nullam in partem non adiutus moveri posset, et morti proximus videretur. Languit XII diebus.

35. Roberti ducis adventus. Pii discessus e Corsiniano, et per Radicofanum et Abbatiam ad Percenum iter, et Aque Pendentis ac Vulsinii deinde accessus

35 Exin sanitati restitutus mirabilem oblectationem accepit in solo natali surgentibus edificiis, quae nullis Italiae cessura viderentur - quemadmodum postea suo loco dicemus. Huc Robertus, ex Sancti Severini comitibus egregius copiarum ductor ad pontificem venit, quem Franciscus Mediolanensium princeps auxilio Ferdinandi in Regnum cum magna militum manu mittebat victoriam hostium apud Sarnum habitam remoraturum. - Picininus in Aprutio audita pontificis aegrotatione vocatus a nonnullis baronibus celeri cursu dimissis impedimentis
40 [226]

cum omni exercitu per asperrimos montes in comitatum Albi pervenit, in agrum Romanum propere descensusurus.

5 Miserat pontifex, priusquam discederet e Senis, Nicolaum cardinalem Theanensem ad exercitum apostolicum, qui erat in Aprutio, provisurum, ne subditi Ecclesiae aliquid detrimenti paterentur. Is audita Picinini profectioe mox Federicum atque Alexandrum copiarum duces commonuit, ut dimissa parte exercitus, que Iosiae Aprutini sufficeret impedire conatus, secum pergerent perniciosam Picinini consilia preventuri. Nec mora, per alpes Nursiae et difficillima montium claustra in agrum Reatinum cum illis pervenit. Pontifex quoque recessu ex Corsiniano maturato Radicofanum appulit, deinde per Abbatiam
10 - cuius loci amenitatem infra describemus - et Plani oppidum ad confinia transivit Ecclesiae, quae medio fere spacio intra Percenum et Planum reperiuntur. Ibi Percenates in prato viridi non procul a rivo perenni ex ramalibus tabernacula fecerant, in quis suum dominum miro clamore atque ingenti letitia exceperunt peregre redeuntem, eique prandium paraverunt.

15 Quo peracto Percenum itum est, nobile olim oppidum et vix expugnabile, altis undique rupibus cinctum. (Sepe in manibus latronum fuit, saepe mutavit dominos, et multis subiacuit calamitatibus modo direptum modo incensum. Sub Eugenio Quarto ad Ecclesiam rediit, cum antea Francisci Sfortie presidio teneretur. Nunc respirat sub Pio pontifice, et opibus augetur et populo.) Quo benedicto pontifex ad Aquam Pendentem se contulit, locum instar urbis habentem, et quem Antonius Petrucius, natione Senensis pro [Francisco] gubernans Eugenio
20 vendidit, cui fuerat armis ablati. Hic nocte peracta sequenti die ad Vulsinios perventum, unam e duodecim civitatibus Etruriae apud veteres late memoratam. Fuit et patrum nostrorum memoria populosum et amplum oppidum; Britones vastavere, nunc vile castellum est; soli bonitas et lacus utilitas, cui adiacet, et quod iter hac est ad Urbem, non sinit in totum perire. Cervariae nobiles, vetus familia Urbis Veteris, hic diu dominati sunt,
25 sub Nicolao pontifice Quinto seditione oppidanorum deiecti; locus ad Ecclesiam rediit. Oppidani diu postea contententes sub Callisto Tertio mutuis sese cedibus lacerarunt. Pius una apud eos die moratus discordes animos in amicitiam reduxit.

30 **36. Urbs Vetus et eius anathema, Pique benedictio, ac templum nobilissimum**

Deinde ad Urbem Veterem iter ingressus est, in quo de finibus periculosa suborta contentio Urbevetanis et Vulsiniensibus pontificem in agro suo, cuius limes erat dubius, portare volentibus. Pugnatum est et manibus et ferro, et aliquot hinc atque inde vulnerati;
35 vixque sedata tandem contentio, cum equitatus pontificis accurrens utranque partem sagittis ac lanceis invasisset. [227]

Appropinquantem urbi pontificem, ut primum videri moenia potuerunt, accedentes legati civitatis: „*Ex hoc*” - inquiunt - *”loco, cum ex urbe nostra pulsus abiret Romanus olim quidam presul, populo nostro maledixit; ex illo tempore seditionibus agitati nunquam respiravimus; urbi nostrae, quae nulli per Thusciam invidebat, iam nemo non miseretur.*

5 *Divina haec ultio est: apostolicum anathema sentimus. Benedic civitati, et aufer indignationem! Redibit cum tua benedictione divinus favor.”* - Annuit presul, et signo crucis super civitatem facto magna populi alacritate urbem ingressus est.

10 Mons lapideus in media valle consurgit sex circiter stadiis altus. In cacumine planities est ambitus tria milia passuum complexa. Preruptae pro muris stant rupes, quarum altitudo nusquam minor est ulnis viginti. Hic aedes civium nobilissime fuere et ampla ex secto lapide palatia; vetustas multa consumpsit, plura incendit ac vastavit civilis discordia; extant adhuc turrets semidirute et collapsa templa. Verum Beate Marie Virgini dicatum fanum in media urbe incorruptum visitur - templorum, quae sunt in Italia, nulli cedens, amplitudine, materia, artificio, forma memorabile. Parietes ac pavementum ex marmore diversi coloris, frons 15 altissima et admodum lata plena statuis, quas optimi sculpsere artifices maiori ex parte Senenses, nec Phidia nec Praxitele inferiores. Vivi apparent ex candido marmore vultus, et membra ita expressa hominum atque ferarum, ut naturam aequasse artificium videatur: vox sola deest animantibus. Resurrectionem mortuorum, Salvatoris iudicium, damnatorum penas, electorum premia, quasi res vera geratur, intueri licet.

20 (Apud Vulsinienses sacerdos quidam cum rem divinam perageret, atque in Sacramento altaris divinitatem humanitatemque Christi Salvatoris adesse dubitaret, mox hostia in conspectu eius cruentata fidem egit, [miraculosusque sanguis] corporale totum, super quo iacebat, infecit. Que res ab Urbano Quarto pontifice maximo plane cognita et approbata est, atque hinc celebritas Sacratissimi Christi Corporis instituta, que quotannis toto in orbe 25 Christiano summa populorum devotione ac solemnitate peragitur. Corporale tanti miraculi vestigia servans in hanc aedem translatum honore summo ac religione precipua custoditur.)

Iuxta templum pontificale palatium situm est amplissimum et apostolico culmine dignum, verum magna ex parte dirutum. Nicolaus Quintus cubicula quedam et aulas plerasque 30 restituit, quas Pius pontifex inhabitavit. Idem Nicolaus arcem quoque in angulo civitatis construxit, quae nondum perfecta est; custoditur tamen, nec facile potest oppugnari rupibus altis et fossis munita profundis. Fontes in civitate desunt, cisternarum utitur aquis, et quae per fistulas ex propinquo monte deducuntur. Ad radices montis fons quidam perennis aquae reperitur, quem difficile prohibere civibus hostes possint. Circum colles consiti vitibus, vina non aspernanda sufficiunt. In montibus multa materies, in plano ferax ager tritici, in valle 35 ima Palea fluvius et Clanius amnis e regione arcis concurrentes ad quintum inde miliarium in Tyberim devolvuntur. - Capi tantum fame defensa concordibus animis civitas potest, [228]

quando nullis perrumpi machinis moenia queunt, nec pre altitudine scalis ascendi defensa. Sed defuit unitas, nec ullus in Italia populus minus concors, quam hic fuit. Muffati et Bergolini urbem ad internitionem prope deduxerunt: familiae potentes ac vetustae et civitatis principes inter se perpetuis dissidentes odiis. Ager olim late patuit, et multa [concluserunt] oppida, quorum declinante civitatis potentia partem Senenses invasere, partem vicini reliqui. Nobiles quoque eius urbis castella quedam usurpaverunt, que postea partim ad Ecclesiam Romanam, partim in alienas manus transivere. Mille et quadringenti quondam cives Senenses huc exularunt ex factione reformatoria, a quibus civitas lanificium accepit, unde magna emolumenta provenere; hodie fere extinctum est.

37. Gentilis de Sala nequam et novator rerum Sala diruta, Ficulla capta in exilium mittitur

Mansit hic Pius triduo; civibus invicem dissidentibus leges dedit, quibus in concordiam redeuntes civitatem in pace gubernarent, que post novitatem Gentilis recepte sunt.

Hic vir nobilis fuit ex gente, cui de Sala cognomen est, versutus homo et audax; qui cum aliquando exulasset, tandem vocatus ab amicis furto reductus in urbem excitato tumultu adversantem sibi partem deiecit, multis trucidatis civibus ob vindictam fratris, qui ante fuerat interfectus, civitatemque quasi tyrannus oppressit, quamvis Ecclesiam acclamaret dominam. Fuit tamen iterum urbe pulsus, et plenum ad Ecclesiam imperium rediit. Illi pontificum benignitate relicta sunt paterna bona, et oppidum Ficulle commendatum Ecclesiae nomine gubernandum, ut inde familiam aleret. Que res Urbevetanis admodum fuit molesta, propinquitatem eius suspectam habentibus, qui non cessaret res novas in civitate moliri.

Pius ad pontificatum assumptus quieti consulturus Gentilem sub honoris obtentu in Picenum relegavit, vicariatumque Mundavii sibi regendum commisit. Verum ille quietis impatiens inde discedens non sine infamia, quod cum Sigismundo conspirasset, Ficullam rediit; nec diu moratus coniuratione cum plerisque nobilibus inita in ipsa solemnitate Sacratissimi Christi Corporis, que apud Urbevetanos pompa eximia celebratur, invadere urbem statuit, occupatosque religione cives adoriri, atque adverse factionis principes obtruncare, seque rursum sub Ecclesie titulo dominum constituere. Non tulit divina pietas tantum scelus: detecta res est, priusquam Gentilis urbem ingrederetur, capti aliqui et coniurationem confessi penas dedere, alii fuga salutem quesiere.

Indignatus ob eam rem Gentili pontifex Ficullam ab eo repetiit, ne in perniciem Ecclesie verteret, quod sibi misericordie gratia fuerat concessum. Ille vana quorundam cardinalium spe delusus et Eversi comitis atque aliorum vicinorum pollicitationibus illectus pontificis mandata contempsit, maiores [229]

suos Ficullam condidisse affirmans; se preter censum eius loci nihil Ecclesiae Romane debere; patrum suorum hereditatem nolle relinquere; moriturum prius, quam patrimonio cedat. Pontifex his auditis Urbevetanos in armis esse iussit, missaque non magna militum manu, agrestibus provincie congregatis Salam, ipsius Gentilis antiquam domum in arcis
 5 formam redactam et loco edito sitam paucis diebus obsessam et vi captam diruit. Exin Ficullae admovit castra, quibus Gentilis deterritus cum nullam in oppidanis spem relictam videret, deditionem fecit, eas leges subiturus, quas pontifex diceret. Pius excedere omnem eius familiam ex agro Urbevetano iussit, ipsum vero in Galliam Cisalpinam relegavit, bonorum, quae reliqua fuerant, nihil ei abstulit filiarum misertus, quarum altera nupta
 10 nondum viro tradita, altera nubilis erat; nec exterminandam prorsus nobilitatem censuit, et maiorum merita posteris vel iniquis prodesse nonnihil debere.

Verum hec nondum gesta erant, cum Pius in Urbe Veteri fuit: in annum sequentem inciderunt; nos hoc loco ea commemoravimus, ne rursus huc reverti oporteat.

15 **38. Balneoregiensium cum Urbevetanis contentio. Mons Flasconis et Romanorum oratores**

Pius hinc discedens cum in agrum Balnei Regii pervenisset, in ipsis finitimi limitibus rursus periculum adiit Urbevetanis et Regiensibus sedem eius concitato tumultu
 20 invadentibus. Erat enim inter illos de finibus controversia, nec portari pontificem in agro suo nisi a suis laturi videbantur. Certatum est et inermi et armata manu, et tandem sagittis aliqui vulnerati sunt, aliqui gladiis. Cohors, que pontificem presidii causa sequebatur, pugnam diremit, et acceptam sedem longe ultra contentionis locum cum presule asportavit; ubi Regienses viri femineque cum parvulis occurrentes xenia obtulerunt, ciboque ac potu
 25 omnem pontificis comitatum recrearunt. Deinde ad Montem Flasconis - quam nonnulli Faliscorum urbem fuisse contendunt, in quo errore et Leonardum Arretinum fuisse tradunt - ventum est. Ea civitas in alto monte iacet, imminetque Vulsinensi lacui ad orientem Ciminum montem prospiciens. Hic nobile palatium Galli condidere, cum Romano pontificio fungerentur, ibi ut per aestum degerent, quibus Italici calores admodum sunt infensi.

30 Palatium in arcis modum aedificatum fuit adhibitis aulis, tricliniis ac cubiculis, que dignitati pontificali convenirent; nunc pars magna vetustate et incuria collapsa est. In eo collocatus Pius cum vim ventorum ferre non posset - est enim veluti quaedam Eoli domus -, altera die Viturvium per patentem agros concessit. (Nostra aetas Viterbium vocat et 'inermium vitam' interpretatur, tanquam Romano vigente Imperio veterani milites ad aquas
 35 calidas, que ibi ubertim scaturiunt, acturi senium confugerent.) [230]

Romanorum legati in itinere occurrerunt pontificis reditum oraturi - quatuor viri disertissimi, quorum duo iure consulti fuere et Sacri Consistorii advocati: Antonius Caffarellus et Andreas Sancte Crucis, duo alii ex nobilitate Romana cives primarii; quos pulcherrima iuventus sequebatur suo et equorum cultu ornatissima.

5

39. Viturvium eiusque factiones, et Pii responsum Romanis legatis gratissimum

Viturvium novam esse civitatem satis constat, etsi olim castelli formam obtinens Herculi dicatum fuisse feratur. Due hic factiones fuere: altera Gattorum, altera Magantiorum, quos et Tignosinos appellavere. Cum esset Pius Mantue, diximus, quo pacto Eversus comes hanc urbem invaserit, et quomodo Ravennas archiepiscopus eam recuperaverit.

Paulo ante, sedente Callisto Tertio gravibus discordiis eadem civitas laboravit, cum pars partem armis invaderet, ac domos fugientis incenderet. Callistus ad sedandum tumultum episcopum Syracusanum transmisit, natione Cathelanum, qui vafro usus ingenio civitatem ingressus utranque partem gravibus affecit modis, aliis substantiam aliis vitam eripiens, multos in exilium mittens, ita, ut propemodum deserta civitas videretur. (Quo tempore illud memoria dignum accidit fide forsitan apud posteros cariturum: captus senex et ob seditionem neci adiudicatus cum vitam quingentis aureis redimere posset, laqueo perire maluit, dicens sibi, quamvis dimitteretur, brevi moriendum esse; filiis, qui diu vivere possent, aurum conservandum.)

Audivit in hac urbe presul Romanos oratores assidente Collegio. Singuli per se verba fecere, ne alius alio melior videretur, cum essent eloquentia ferme pares. Narraverunt, quanto in merore Roma fuisset absente Pio, quot mala emersissent, quam inviti vidissent Romani eius abscessum, quam aegre tulissent moram in alienis edibus, quam nunc leti reditum expectent: iam parietes domorum, iam menia Urbis exultare, ubi rumor auditus est redeuntis Pii; laudavere gesta presulis in Mantuano conventu, orationes, disputationes, consilia, responsa; commendaverunt Urbem, caput orbis et suos Quirites; petiere, ne memor esset peccatorum, que iuventus commisisset: nunc melius victuram quieturamque civitatem; rediret quam primum revisurus suos filios pius pater! Ad hec pontifex:

„*Flentem*” - inquit - *”et admodum dolentem flentes ipsi et vehementer dolentes Urbem reliquimus, que patria nostra est non minus, quam Senae, nam domus Piccolominea, que nos peperit, olim ex Roma Senas migravit, sicut Aeneadam nomen ac Silviorum in familia nostra frequens ostendit. Nos Rome cardinalatum accepimus, et in ea urbe ad summum pontificatum evecti sumus. Vidimus, quanta fuit Romanorum alacritas, cum auditum est cardinalem Senensem Callisto successorem datum: vos mihi testes estis nunquam memoria hominum tam letos fuisse Quirites. Erat igitur molestissimum [231]*

35

ex ea urbe recedere, quae tam merita de nobis esset, et iam animus presagiebat, que postea inter vos emergerunt mala. At volentes animo necessitatem Ecclesie ac fidei catholice, quam Thurci conculcare nituntur, et quod unum erat remedium Christianae salutis, si cum principibus conveniremus, tuendamque religionem communibus opibus ac consiliis acciperemus. Inviti ac volentes iter ingressi sumus: inviti relinquebamus dilectam Sponsam, volentes studebamus Matri nostrae amantissime subvenire. Quod si non successit, ut speravimus, non tamen consilii laborisque poenitet. Intellexit universus orbis vires nobis, non animum defuisse. Nemo iam nos accusaverit, quod Rome in delitiis agentes fidem orthodoxam perire sinamus, qui senio atque infirmitate gravati nec frigora nec pluvias neque nives horruimus. Per aliena hospitia longam ivimus viam; vocavimus principes, admonuimus populos, expectavimus, omnia fecimus, ut communi consilio publice consuleremus utilitati. Advenere perpauca, pauciores fuere, quibus religio potior, quam voluptas videretur. Et quid est, quod iam nobis valeat imputari? Ipsi seculi principibus tota imputanda est negligentia, qui venientem ad se Christi vicarium de re publica consulturum audire noluerunt! Revertimus igitur domum, si non Thurcorum, at Christianorum omnium victores. Si non itum est - ut optavimus - in hostes, speramus tamen tale semen in terram iactum, cuius aliquando secabimus segetem. Dulcis est nobis memoria laborum, qui apud Deum sua mercede non fraudabuntur.

Illud vero excoquit mentem nostram, quod inter vos factum accepimus. Dolemus furta, homicidia, adulteria, sacrilegia iuventutem vestram tam multa - ut fama est - perpetrasse, nec vos arguimus, qui punire crimina parati eratis, si nostri magistratus presto fuissent. Illos accusamus, qui per ignaviam ac desidiam tantopere debacchari adolescentes permisere! Fidem vestram probamus, qui tentati modis compluribus ab officio non recessistis. Viri sane et probi et prudentes estis, qui vestro domino constanter servitis - quamvis vestra servitus regnum est! Et que civitas reperitur Roma liberior? Vos sine ullo vectigali estis; vobis nulla imponuntur onera; vos magistratus in Urbe geritis honestissimas; vina vestra, frumenta vestra, quanti vultis, venditis; domus vestre pensiones vobis uberes pendent.

Et quis preterea vester dominus est? Forsitan comes, marchio, dux, rex, imperator? Maior his omnibus, cui paretis: Romanus presul, Beati Petri successor, Iesu Christi vicarius, cuius pedes cuncti reges obscurari desiderant! Recte hic rex regum et dominus dominantium pro Christi reverentia dicitur, cuius vices in terris gerit! Sapitis, viri Romani, qui hunc vestrum dominum observatis, colitis, veneramini! Nam is est, qui vos preclaros efficit, qui vos ditat, qui toto ex orbe ad vos divitias affert: siquidem Romana Curia, quam pascitis, ipsa vos pascit, et aurum ex omni regione ad vos portat. Gaudemus, quia bonum vestrum et cognoscitis et conservatis. Gaudemus nos expectare letam Urbem, quando et leti pergimus illuc. Hora nobis annus est pre cupiditate revisendi sacra Urbis moenia et sancta martyrum atque apostolorum ossa et terram illam pio sanguine rigatam et caros Quirites, quos veluti filios amamus. Nulla gens carior nobis est, quam Romana. Desiderio desideramus quam primum esse cum familia nostra et cum peculiari populo nostro in sede nostra. [232]

5 *Quod si Mantuano peracto conventu non statim huc advolavimus et remorati sumus, tres
 fuere cause: prima, ut apud balneas validitudini consuleremus; altera, ne per aestatem
 Romam ingrederemur, quo tempore ex Gallia mitique celo redeuntibus noxius ac pestifer
 est aer; tertia, ut Senenses civili et externo bello iam pridem exhaustos Curiae nostrae mora
 paululum reficeremus - quibus consulentes Rome consulimus, [nam Senae occidentem
 10 versus Urbis est murus]. Nec nos vobis aut alteri cuiquam mentiti sumus: quo tempore
 promisimus reditum, eo revertimur. Non tam cupide nos expectatis, quam libenter ad vos
 pergimus. Morabimur hic brevissimo tempore, dum que sunt ad securitatem itineris
 necessaria, preparantur; nam ultra progredi absque presidio non est tutum. Diem
 15 profectionis cum fratrum consilio statuemus, statutum mox intelligetis."*

Legati responsum pontificis mirifice collaudantes conservatoribus Urbis conscripserunt,
 Romanumque populum ingenti affecerunt gaudio iamiam
 Curiam adesse putantem.

15

40. Picinini progressus, et Pii magnanima de reditu deliberatio, et descriptio Canapinae

20 Inter haec nuntium affertur Picininum cum infestis exercitibus occupato Taliacozii
 comitatu, Farfensisque monasterii invasis nonnullis oppidis Urbi appropinquare;
 Columnenses, Sabellos, Eversum ei affederatos esse; iuventutem Romanam arma tenere ac
 res novas cupere; Sfortiadas et Ecclesiae milites nondum adventasse; Picininum agros atque
 urbes invasisse; Reatinos Tyburtinosque et in Campania plures civitates cum eo sentire;
 haud dubium, quin brevi Roma potiatur.

25 Quibus auditis rettulit de suo itinere pontifex ad Collegium cardinalium. In quo cum varie
 sententiae dicerentur, nec certum aliquod consilium inveniretur, secretiores amicos
 consulere placuit. Quorum una vox fuit et una suasio: ad Urbem minime festinandum esse,
 manendum Viturvii aut in Urbe Veteri, donec adsit exercitus Ecclesiae, qui Picininum ex
 agro Romano propulset; ille si Latium et Sabinos occupet, Eversus Transtyberina possideat,
 30 pontificem Romae clausum iri, Romanos amissis pecoribus in eum conspiraturos, Urbemque
 Picinino prodituros; et quo se conferat presul in tanto periculo? Nec terra iter patebit, nec
 mari Gallicis classibus obsessio; in Mole Adriani querenda salus, et ibi tandem facienda
 deditio, que morte multo deterior fuerit. Quod si rerum exitus apud Viturvium expectetur,
 aut cum victoria reditus patebit in Urbem, aut - si vicerit hostis - salvari apud Senenses Curia
 35 poterit. Afferebant et Eugenii exemplum, quem ob animalia perdita Romani in custodiam
 recepissent, et Nicolao paratas insidias; Romanos nullam perpeti fortunam posse: in adversis
 aperte rebellare, in secundis insolescere; pontificem, nisi armis stipatus fuerit, apud eos non
 esse securum. - Ad ea Pius: [233]

"Omnes" - inquit - "in hoc loco manendum suadetis, nos eundum - putamus. Nisi prius Urbem, quam Picininus, ingredimur, debellatum est Regnum, nec scimus, an diebus nostris Roma recuperari possit. Eugenius, qui eam perdidit, novem annis per aliena erravit hospitia. Et quae gloria pontifici maximo perdita Roma esse potest? Nullum litteris eius
 5 inesse pondus videtur, nisi dentur Romae apud Sanctum Petrum. »At Picininus circumiacentes occupat agros!« Verum, ut aiunt. Sed ultra Tyberim dicitis et citra Eversum arma tenere. Fatemur. Verum non is est, qui nostrum remorari transitum queat. Evitabimus eius fines, nec suas insidias vereri oportebit; noster erit maior comitatus, quam
 10 suus exercitus. »Sed Picinini miles furtim transmissio Tyberi obvius erit!« Si omnia, que possunt accidere, metimur ac veremur pericula, quid tandem audebimus? Et nunc quoque tectum hoc ruere potest et nos opprimere. Quocumque te vertas, semper adsunt discrimina! Non fit sine periculo magnum facinus et memorabile. Possumus in Urbe - ut dicitis - claudi, possumus capi, possumus occidi: non negamus. Sed ubi honestius, quam Romae Romanus pontifex moriatur? Ubi dignius, quam in Vaticano sepeliatur? Nos Deum adiutorem pie
 15 causae futurum confidimus. Quod si occulto aliquo divino iudicio decretum est hostiles nos manus incidere aut impio ferro cadere, non recusamus pro Roma et in Roma mori: mortem oppetere pro Patrimonio Beati Petri gloriosum est, effugere miserum. Ite igitur ac renuntiate cardinalibus nos e vestigio iter ad Urbem ingressuros!"

Quod eum rescitum est, tota Curia tumultuavit aliis gaudio, aliis timore correptis. Exin
 20 horam circiter vigesimam pontifex mediam per urbem iter facit, quamvis occultam extra moenia viam tenendam nonnulli censerent. - [Cum ad duo milia passuum itum esset, in summo Cimino lepus elevatus est, qui huc atque illuc diffugiens extra hominum multitudinem evadere non potuit; vivum cepere pedites. Quod omni bono duxerunt malum iuducaturi, si evasisset.]

Ventum est iam vespere ad Canapinam, ibique pernoctatum. Hic locus prope ad radices
 25 Cimini montis iacet, qua sol ei oritur, verum obscura in valle atque profundissima, ita, ut minimum solis videat. Rivus e monte cadens oppidi lambit muros, castanea multa vestit colles, que locum estivo tempore obscuriorem reddit. Vix alia est arbor preter nuces et malos aliquas. Casas ex materia fecerunt incole, atque in his compressi velut apes in alveariis
 30 habitant, quamvis parva domus plures familias continet. Promiscua inhabitatio gentem multiplicat. Fumus, qui plurimus inest, malos desiccet humores. Presul in parvo cubiculo, nec lectulo maiori, ut sine fumo esset, sine igne mansit.

35 **41. Nepesi descriptio Formellique, et Romanorum occursus, ingressusque in Urbem festivissimus**

Ex hoc loco Nepesina civitas petita est, pervetusta ac munitissima. Duo rivi collem, in quo sita est, ambiunt altissimas habentes ripas, que pro muro sunt, neque ascendi sine scala possunt eaque longissima; qua desunt rupes, quod [234]

modicum est, arx iacet turribus et muris custodita prealtis, quibus Pius multum munimenti adiecit.

(Nepesini mortuo Callisto Tertio praefectum arcis natione Cathelanum vi captum crudeliter interfecere, id crimini dantes, quod in foeminas fuisset iniurius. Scelus inultum mansit, cum aliter dedere se cives noluerint, nisi facinorosorum impunitate obtenta.)

5 Presul hic pransus mox abiit. Coniunx Neapolionis Ursini cenam ei in Campagnano suo more dubiam paraverat. Ipse Formellum petiit, ubi nihil omnino parati repperit: non cibus, non potus, non lecti reperiebantur. Quesita sunt a rusticis, que famem auferrent, panes et cepe; vinum tum primum ex uvis expressum aque cessit, eaque sitim extinxit. [Cardinalis Avinionensis nullius incommodi patiens Campagnanum petiit, et pro pontifice honoratus cenam eius voravit. Columnensis Ursinos tanquam hostes evitans ad Sabellos se contulit. Formellum quarto decimo miliario ab Urbe distat; Ursinorum locus non admodum munitus, quamvis arcem habet non contemnendam.]

15 Hinc sequenti die, priusquam illucesceret, pontifex Romam versus iter arripuit, et quia cena fuerat preterita nocte sterilior, iussit media in via prandium apparari apud lucidum et perennem fontem, qui ex antiquo specu sub nemore umbroso et in valle reducta scaturit. Hic dum prandetur, gubernator et senator Urbis et multi nobilium letabundi occurrerunt et cardinalis Sancte Anastasiae cum Symone fratre, medico; omnes mensa pontificis accepti sunt. Qua finita rursus iter continuatum est. Pleni erant occurrentium agri salutantiumque pontificem. Conservatores ad sextum ferme lapidem primoribus associati civibus pedestrem iuventutem adduxere, quae pontificis lecticam subiret humeris. Erant ii iuvenes magna pars eorum, qui novis rebus studuerant furentis Tiburtii comites; propter quam rem suadebant amici pontifici, ne sceleratae iuventuti se crederet portandum, potius sue cohorti committeret. Risit consilium pontifex, iubensque Romanos accedere ac sellam subire:

25 „*Super aspidem*” - inquit - „*et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*» *Quod propheticum et alias sepe impletum est, et nunc implebitur. Nam quae immanior fera est, quam homo? Quae bestia peiora facit, quam homo? Verum animal mutabile homo est, et sevissima sepe mitescunt ingenia. Ii iuvenes et Urbem nobis et vitam auferre - si potuissent - parati erant. Non potuere. Errorem novere suum. Mites effecti portabunt humeris, quem calcare pedibus voluerunt.*”

30 Nec fefellit opinio pontificem: subiere cupidissimi iuvenes sellam eius, et ad portam usque Flamineam, quae nunc Populi appellatur, laetabundi suum dominum gestavere. Ipse in monasterio, quod intra muros est adheretque porte, noctem peregit. Beate Marie dicatus est locus, in quo Neronem occisum ferunt; bonum id omen ductum, quod et suos Neronem occisurus esset Sanctissimae Virginis auxilio Pius.

35 Sequenti die, id est Nonis Octobris pompam ducens et quasi triumphans per mediam Urbem miro populi applausu, ornatis domibus, opertis panno plateis, stratis flore atque herba vicis omnibus ad Sanctum Petrum pervenit. Intra [235]

5 ecclesiam laniatum est pallium, quod supra pontificis caput ferebatur, et dum pro rapina pugnatur, complures vulnerati sunt. Presul ad aram maiorem genua flectens non sine lacrymis sanctorum apostolorum veneratus est ossa, deinde in Palatium et in cubiculum suum sese recepit. Ad noctem universus populus in equis cum luminaribus ad aedes pontificis accurrit, ductaque per gyrum pompa ante fores Palatii magno clamore et ingenti gaudio vitam et foelicitatem optavit Pio. [236]

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
LIBER V INCIPIT**

1. Picinini et ecclesiasticorum properatio

5 Picininus interea, qui signis infestis in agrum usque Reatinum pervenerat, premissis nonnullis cohortibus Montem Leonis - id est Ursinorum oppidum - vi ceperat ac diripuerat, arcem in deditionem habuerat; ad Iacobum Sabellum equitum peditumque turmas misit, quorum ductor fuit Silvester Placentinus bellator egregius, et cum his Deiphebus, Eversi
10 filius et Antonellus gener, viri audaces. Ii Monticellum Urbi vicinum incoluere, illi Palumbariam et alia Sabelli oppida, ex quis in agrum Romanum excurrentes gravibus damnis Urbem affecerunt. Cardinalis Theanensis, Alexander Sfortia et Federicus Urbinas, quos supra diximus ex Aprutio Picinini vestigia insecutos, cum copiis Ecclesiae celerrime affuerunt, et Montem Leonis recuperatum Ursinis reddiderunt. Quos ubi adesse Picininus intellexit, ulterius progredi non est ausus, etsi adventum suum in dies promitteret expectantibus. Verum Bracciani, qui cum Sabello erant, nihil propterea negligentius agere: Latium ac Sabinos infestare, predas abducere, nihil tutum circa moenia Urbis relinquere; quibus propter Tiburtinorum dubiam fidem apertus erat Anienis transitus. Ob eam rem misit pontifex ad Sabellum, ut Braccianos ex oppidis suis dimitteret, ecclesiasticos reciperet,
20 sic se gratiam pontificis inventurum; quod si pergat Picinini milites alere, hostem Ecclesie futurum. Cum verba daret, nec faceret aut promitteret, quod obedientiam ullam ostenderet, declaratus est hostis, et in eius agrum excurrentes Ecclesiae milites abegerunt pecora, oppidum obsederunt, quod Donum Dei vocant; id Sabelli ex manibus quarundam monialium olim [abstulere]. Oppugnatum summa vi, et aliquandiu obsidio ducta, cum Bracciani non pauci muros defenderent, et locus esset natura et arte munitus in alto situs colle, abruptis
25 undique rupibus, uno tantum relicto aditu, quo posset oppugnari.

2. De Tyburtio et coniuratis, ut capti omnes supplicioque affecti sunt, et eorum consilia patefacta

30 Interea Romanus quidam pontificem adiit, aitque Bonannum, unum ex coniuratis iuvenibus ac nominatim damnatis, qui exilium sibi sponte delegerant, audacissimum, in Urbem rediisse, capique posse - et locum indicat, ubi queat inveniri: apud germanum latere, et ob scorti amorem venisse Romam. Pontifex Nicolao Soldano negocium dat. Missi, qui
35 latronem capiant, improvide cum strepitu domum adoriuntur, nec posteriora custodiunt. Bonannus, qui se queri non ignoraret, audito strepitu seminudus per fenestram posteriorem [237]

salto evasit non sine irrisione Soldani, et apud amicos aliquibus diebus latitavit.

Rediit ad Soldanum [index], rursusque Bonannum, si sibi credatur, intercipi posse affirmavit, et cum eo Valerianum, Tyburtii fratrem, perditae audacie adolescentem et alios circiter ex coniuratis quinque, qui postera die summo diluculo Appia porta, quae ducit ad Sanctum Sebastianum, exituri essent; [equites peditesque noctu in theatrum mittendos esse cymiterio Callisti propinquum; se coniuratis iturum comitem daturumque signum, quando sit ex insidiis erumpendum. Refert senatori ea Soldanus, et ambo pontificem adeunt remque produnt. - Non probat consilium pontifex: theatrum secundo ab Urbe miliario distare, fraudes timendas dicit; Deiphebi aut Silvestri milites adesse posse, et qui proditores proditurum se dixerat, senatoris cohortem prodere. Verum ex re consilium capiendum:]

5
10
15

insidias intra Urbem securius fieri locato circa portam presidio; milites aliquos apud Sanctum Sixtum in latibulis haberi posse, qui mox transeuntes coniuratos invaderent; fugerent illi ad portam, quando alia nulla est evadendi via, vinearum hinc atque inde sepibus ac muris impredientibus; sic velut in angiportu nefarios iuvenes deprehensum iri. Placuit inventum - at cum illi non exissent, labor in cassum ivit.

Homo iterum rediit causasque more exposuit, verum in crastinum profecturos iuvenes portaque Sancti Pauli abituros: ad triumphalem Constantini arcum parandas insidias esse, ex quo loco usque ad Sanctum Gregorium clausa est via; in Colosseo locandos esse milites et in via, quae ducit ad Sanctos Iohannem et Paulum. Receptum est consilium, et ante lucem parata sunt omnia. Bonannus cum comitibus et Romano [indice] orto iam sole ad Colosseum venit. Ibi dum dubitat, quam potissime viam ingrediatur: „*Quid moraris*” - inquit [index] -, „*quid dubitas? Hac tutius ibimus!*” -, ostenditque Constantini arcum, ac sub illo equitat; sequuntur comites. Mox ex Colosseo irruunt milites, signoque dato alios properare iubent. Fit concursus; coniurati et a tergo et a fronte invasi nesciunt, quo se vertant, presidium in dextris ponunt, atque exercitis gladiis pugnam conserunt. Index vociferari, plorare, in terram se proicere, dicere alta voce: „*Quid ex me petitis? Quid ego feci? Cur me veluti latronem capitis? Si sum reus, interficite! Si nihil peccavi, cur res meas aufertis? Reddite innocenti bona sua! Protestor! Nolite asportare sacculos meos!*” (Impleverat ille vivis lapidibus sacculos, quos vocant 'bulgias', eosque diligenter occluserat signaveratque, fidem ut coniuratis daret: quasi argentum ex Urbe auferret non rediturus; atque ideo veluti mulier eiulatu maximo auxilium implorabat.)

20
25
30

At Bonannus, ubi se circumventum animadvertit, ad se ipsum confugiens ensem magno animo vibrans, et huc atque illuc volvens equum, nunc istum nunc illum vulnere appetiit, diuque sustentavit impetum. Postremo lancea deiectus equo, quamvis in terram prostratus, non tamen sese reddidit, nec victi dedit vocem. Captus violentia militum vinctusque resupinus quasi cadaver equo est impositus et in Capitolium ductus. Non profuit egregia virtus viro; Valeriano profuit, qui dum fervet pugna Bonanni, ignotus inter furentes effugit [238]

35

milites. Evaserunt et reliqui coniurati; duo innocentes intercepti sunt et paulo post dimissi.

Index quoque captus tanquam malefactor et proditor aliquandiu retentus est, et quasi torqueretur, observatus; ad ultimum, veluti adhuc suspectus esset, rogantibus nonnullis civibus ac pro eo fide iubentibus relaxatus. Bonannus, quamvis manifesta eius essent scelera, adulteria, furta, homicidia - nam et marescallum senatoris, ut ante diximus, obtruncaverat -, 5 questioni tamen datur, et ut proditioes coniuratorum dissolveret, aliquandiu retinetur in vinculis.

Tyburcius his apud Palumbariam cognitis cum arbitraretur Valerianum fratrem una cum Bonanno captum, accersitis coniuratis Romam ingredi statuit atque amicos pertentare, si 10 forte Urbis statum mutare posset, eoque pacto liberare captivos; si id non succederet, Senensem aliquem intercipere, quocum captivi permutarentur. Rogatus Sabellus, pedites aliquos ut sibi adiungeret ad res novas in Urbe parandas, negavit se illis posse carere, neque parva militum manu Urbem videri capiendam. Deiphebus et Antonellus spem prebuere brevi se cum copiis ad portas futuros, si quam in Urbe novitatem fieri cognoscerent. Tyburcium ex 15 coniuratis circiter quatuordecim stulto consilio secuti sunt arbitrati non aliter, quam prius Urbem sibi patere, suisque ceptis Romanam iuventutem favere, cum procul esset pontificis exercitus, parvoque admodum presidio Capitolium teneretur. Ingressi Urbem, qua muri pars corruerat, non procul a thermis Dioclitiani, postquam in frequentia aedificia descenderunt, quoscunque offendissent cives, ut arma sumerent, hortabantur: iam tempus advenisse 20 liberandae Urbis [fedissimo] sacerdotum iugo; Deiphebum ac Silvestrum cum magna militum manu prope adesse asserentibus libertatem Romanis opem laturo; expergiscerentur iam tandem auderentque aliquid pro libertate Quirites, nec suis maioribus deteriores videri vellent, [quibus non tam mori durum, quam servire fuit!]

Cum nemo responderet, quietumque populum coniurati cernerent, spe capiende Urbis 25 deposita, quod erat secundum propositum, aggrediuntur, percursaque Urbis magna parte hora circiter post meridiem prima ad aedem Sancti Eustachii perveniunt; prope domus adsunt, in quis merces deponuntur et vectigal exigitur. Hinc adolescentem Senensem in theloneo sedentem arripiunt iubentque secum ire, exercto gladio mortem minantes, nisi properet. Attonitus ille imperio paret; et iam ad Columnenses domos pervenerat, cum tota 30 urbe clamor exoritur civitatem cum coniuratis intrasse Tyburcium, huc atque illuc armatum discurrere, faventes multos habere, spoliare domos, captivos ducere, verendum esse sacerdotum imperio. Curritur ad palatium pontificis, consilium atque auxilium petitur.

Pontifex tum somno meridiano assurrexerat, et audiens tumultum, quid sibi velit rumor, interrogat. Refertur civitatem armatam esse, intrasse coniuratos, iuvenem Senensem cepisse, 35 nutare omnia, sibi quemque timere. Tum Pius: "*Apage te*" - inquit -, "*nihil periculi est! Novimus civium animos: pontificem Romani* [239]

dominari sibi cupiunt, non latrones. Captus est Tyburtius, nisi aut fuga salvetur aut latibulis. Ipse sibi paravit laqueum, iam preda venit in retia. Haec dies coniuratis exitialis erit!" - Atque his dictis iussit cardinales Sancti Petri et Sancte Sabinae equos ascendere atque hortari cives, ut in latrones arma sumerent, iisque premia ponerent, qui primi manus in eos conicerent. Sed iam Alexander Picolomineus, pontificiae domus magister, et senator Urbis et vicecamerarius et alii plerique assumptis ex Capitolio militibus arma ceperant, et cum his cives aliquot sacerdotalis imperii et quietis amatores; inter quos ardentior visus Rusticus, Agapiti et Marcelli frater. Omnes magno impetu in coniuratos ferebantur.

5
10
15
20
Illi, ubi spem aliam viderent nullam, relicto adolescente, quem ceperant, fugae sese committunt, et qua venerant, Urbem exeunt, ibique occurrentem extra menia et longe ante alios evolantem equitem ex Capitolio, natione Longobardum crudeliter obruncant. Iohannes Philippus, impiger adolescens, multis homicidiis insignis, equum eius ascendit, cuius cursu salvatus est, et alius quidam coniuratus cum eo nihil melior. Reliqui cum se fugere non posse animadverterent - iam enim prope aderat multitudo cum Alexandro -, ad latibula divertunt beneficium noctis expectaturi. Erant in valle proxima densissima harundineta et in his rubeta et altiores herbe, in quis latere confidebant. Sed Alexander cognito fugientium itinere, immissis canibus et omni pedite introducto occulta queque rimatur. Inventa est Tyburtii manubalista, quam defessus proiecerat, quae et ipsum non procul indicavit abesse. Quesitus, tandem inventus et captus est, et non remote ab eo quinque alii obvolutis sub herba capitibus in morem fasianarum avium comperti, per pedes abstracti sunt. Reliquos nox propinqua salvavit et alacritas, que invento Tyburtio inquirentes reddidit negligentiores, cum eo capto peracta res videretur, qui coniuratorum ductor ac princeps haberetur.

25
30
[Eius rei gloria tribus precipue viris attributa est: Alexandro, qui primus equo conscenso nunquam insequi fugientes destitit, donec comprehensi sunt, militibus animum et sua presentia et promissis adiiciens, ita, ut aliquando nimis audax visus sit; senatori, qui armatus accurrens fortis militis navavit operam; et Thome Picolomineo, qui iussus a pontifice rem visere, morantes in porta cum cives tum curiales et opem militibus afferre recusantes - timebant enim insidias - egredi magno animo compulit, et deinceps causa fuit, ut captivi per Urbem in Capitolium ducerentur, cum alii extra menia ad pontem Milvium et deinde ad Molem Adriani rapiendos censerent, veriti, ne vinctos liberaret populus. Romani postridie Thome pontifice coram gratias egerunt, qui de populo Romano bene sensisset.]

35
Cum per urbem coniurati vinctis post terga manibus traherentur, Quiritum alii dominum suum, alii regem Tyburtium per contemptum atque irrisionem salutabant, alii tribunum Romani populi, alii prisce libertatis assertorem vocitabant ac fundatorem quietis. Ipse nihil respondens deiectis in terram oculis ibat tacitus. [240]

Incredibile auditu est, quanta eius diei voluptas fuerit cum Romanorum tum curialium. *"Nunc primum salva est civitas! Nunc pudicas esse licebit! Nunc nostra erunt nostra! Nunc altos ducere somnos poterimus! Benedictus Pius, qui nos ex tanto periculo liberavit!"* - viri, mulieres, pueri ac puellae clamare; salutare palatinos, amplexari, congratulari Ecclesiae, nunc Urbem pontificis esse dicere.

Conservatores camere Urbis cum primoribus civibus Pium adeuntes de captivis capi supplicium petiere, quibus servatis non posset servari civitas. Pontifex operam eorum laudavit, quod senatori et Alexandro paruisset; de reis futurum, quod leges iuberent.

Tyburcius, cum torqueretur dicturus, quae cogitasset, et quos haberet participes criminis, oravit, ne corpus laniaretur; scire sibi moriendum esse; petere id quam primum fieri, ne qui iure corpus amisisset, animam perderet in cruciatibus. Stultitiam improperanti cuidam ex circumstantibus: „*Probe*” - inquit -, *"nunquam huc me fata traxissent, si sapuissem!"* - Querenti, qua spe ductus in Ecclesiam conspirasset, respondit persuasum sibi fuisse ab his, qui propheta haberentur, casurum eo anno sacerdotum imperium. Postremo iussus omnia dicere, quae fecisset cogitassetque, dixit per absentiam pontificis cum Romanos iniqui esse animi advertisset, existimasse se, cui multi adolescentes auscultarent, posse patrie ecclesiasticum demere iugum, ac patris et avunculi necem ulcisci, quos Nicolaus pontifex libertatis assertores interemisisset; profectum ad Eversum Anguillarie comitem detexisse cogitationes suas, auxilium petivisse; illum approbasse consilium, verum sibi non videri tempus, quo se hostem Ecclesiae declararet; daturum litteras ad Iohannem, Rhenati filium, si velit eum accedere: haud dubium, quin hostis Pii opem afferat Urbem tradituro; epistolamque huiusmodi sententiae ab eo datam:

„*Eversus Anguillarie comes Iohanni Calabrie duci salutem. Tyburcius civis Romanus ad te proficiscitur, res arcanas et magnas affert. Audi hominem, eoque utere: plus tuis rebus aliquando proderit, quam si equites mille in agrum Romanum miseris. Vale.*”

Auditum fuisse cum his litteris a Iohanne, et suadente principe Tarentino ad Iacobum Picininum ire iussum; haec illi verba dixisse:

"Fodus, Iacobe, ut accepi, cum Sabellis et Columnensibus inivisti et Everso comite; his auxilia promisisti, gentem Ursinam ut deleas. Hec si feceris, comitatus Albi et Taliacoci tuo lucro cedunt: montane regiones, et quae tuas copias minime possint alere, nisi lapides edant. Ego multo maiora ad te defero: matrem urbium et caput orbis, Romam, si mihi auscultas, promitto! Civis Romanus ad te veni non infimo loco natus. Iuventus me omnis Romana sequitur; adolescentes manu prompti et audaces in mea verba quingenti iuraverunt. Tedet Quirites pudetque sacerdotalis imperii. Si das fidem venturum te cum exercitu propere in agrum Romanum, preibo, et coniuratis in spem adductis, quibus nihil est novitate iocundius, adveniendi tibi portas aperiam. Magna et in curialibus et in negotiatoribus preda reperietur: patriarcha illic est, cuius pecunia commilitonibus tuis ad annum sufficiat. Aderunt et opulenti nonnulli cives, quorum bona licebit diripere, quando Ecclesiae partibus favent." [241]

Audisse cupide Picininum verba sua, animum et consilium laudasse, postulata promisisse, sed occurrentibus ecclesiasticis ducibus non potuisse in agrum Romanum ad prestitutam diem descendere; interea captum Bonannum, cum quo et Valerianus comprehensus diceretur; voluisse se fratri et amico consulere, atque ideo stulto consilio in Urbem venisse.

5 Haec Tyburtii confessio fuit; eadem haec Bonannus antea dixerat, et ceteri confirmavere. Interrogatus Tyburtius, an occidere pontificem statuisset, respondit se id quidem aliquando meditatam, si Palatium invasisset, sed desperasse propter arcem Sancti Angeli fieri posse, in quam facile patuisset refugium.

10 Senator, cum omnia didicisset, atrocissimis sceleribus exquisita supplicia preparabat. Presul severitatem cohibuit, dicens pro maximo quoque crimine satis poenarum afferre mortem. Bonannus igitur, qui ad eam usque diem servatus erat, Tyburtius et alii sex infoelicem vitam suspendio finire; quibus Christiano more sacerdotes affuere salutem animae commemorantes et clementiam pontificis, qui dum iudicium ageretur, psalmos aliquos non sine lacrymis dixit, atque hanc fudit orationem:

15 "*Liberasti, Domine Deus, servum tuum de manibus inimicorum suorum, dedisti pacem Urbi, et draconum capita confregisti. Sit nomen tuum benedictum in secula, et omnis plebs tuas decantet laudes! Honorasti me hodie, et securum in trono tuo reddidisti. Qui me persequabantur, in foveam ceciderunt, et nunc poenas nequitiae pendunt mox ex hac luce migraturi. Poenitet, arbitror, eos impietatis suae. Tu corda eorum nosti, et renes inspicis.*

20 *Age, misericors Deus, da veniam miseris, et aperi sinum tue clementiae! Da illis in hoc exitu vite fortem animum, et veram peccatorum contritionem concede! Nam et ego indignus benedicti Filii tui vicarius et dispar Beati Petri successor pro auctoritate, quam mihi divinitus contulisti, et invisibilibus, quas gero tuo nomine, clavibus Tyburtio et his, qui cum eo damnantur, vere penitentibus et confessis plenariam omnium delictorum veniam concedo, et Paradisi portas aperio. Tu, pie Domine, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, hanc meam concessionem ut ratam acceptamque habeas, precor."*

25 Is exitus Tyburtii fuit et Bonanni, et qui una capti fuere ex coniuratis. Valerianus et Iohannes Philippus et alii complures exilium elegerunt.

30 **3. Doni Dei oppidi expugnatio atque deditio, et Sfortiani militis virtus ac immanis crudelitas, et perfida direptio fide violata**

35 Inter hec duces Ecclesiae recuperato - ut ante diximus - Monte Leonis ad oppidum Doni Dei castra locaverant, idque diebus pluribus oppugnaverant. Intus erat loci populus, et Picininus validum presidium imposuerat. Et iam Antonius Picolomineus, pontificis nepos fontem, quo aquabantur oppidani, interruperat, sed imbres assidui plurium dierum aquam supplere, magnaque obsessoribus incommoda prebuere. Admote bombarde sunt, et parte muri perfracta alter inventus est murus repente ab oppidanis excitatus. Oppugnatur [242]

summa vi oppidum. Miles Sfortianus egregio corpore et animo forti murum ascendit, et ratur sequi alios, saltu in oppidum descendit. Fallitur: nemo paris animi reperitur. Solus adversus Braccianorum presidium aliquamdiu pugnat, tandem multis vulneribus confossus non inultus cecidit. Minori felicitate, quam Alexander in India, rem similem gessit, sed non minori animo.

5 Dum acrius in dies obsidio ducitur, nec iam spem ullam auxilii Picininus affert, oppidani ad Antonium mittunt deditionem facturi, si Romanae nomine Ecclesie recipiantur, et inducie fiant honestatis causa in diem alteram, si forte interim Picininus opem ferat, qua possint obsidione liberari. Antonius cardinali ac ducibus consentientibus conditionem et obsides
10 accipit. Quo facto XXX-ta pedites a Iacobo Sabello transmissi contra ius belli intra oppidum recipiuntur, et nihilominus in tempore Antonius accersitur, qui oppidum recipiat. Is ingressus bene sperare omnes iubet, et Braccianos, qui presidio inerant, in fidem acceptos ad tentorium suum mittit, atque oppidum claudit, ne multitudini patens diriperetur.

15 Interea prefectus arcis, ut penas ex oppidanis facte deditionis assumeret, Sfortianis signum dat, ut per murum arcis propinquum se permittente ingrediantur oppidum ac diripiant. Vulgus prede avidum et Antonio, qui servare oppidum statuisset, infensum percupide signum arripit, et alii consensu muro oppidum intrant rapinis ac cedibus cuncta miscentes, alii tentorium Antonii pervadunt, et Braccianos illic milites aggrediuntur. Fit et in oppido et
20 circa tentorium pugna, neque teneri multitudo potest. Misera ubique rerum facies: in oppido ferrum, ignis, avaritia ac libido grassatur, apud tentorium Braccianorum Sfortianorumque prelium pene par et multus cruor, nec duces accurrentes aut hic vulnera, aut in oppido spolia impedire poterant.

Antonius, ubi ad rapinas impediendas nihil spei reliquum videt, in servandis mulieribus studium adhibuit, quarum multas emisit intactas. Inde egressus ad castra, ut Braccianos
25 servaret, circumseptus vulgi manibus ac telis cum undique peteretur, vix tandem ad tentorium suum pervenit incolumis, ubi non paucos repperit hinc atque inde interemptos; Braccianis tamen, qui superfuerant, periculum ademit. Deinde cum suis militibus castra movens in alium locum procul a reliquis ducibus tentoria fixit haud modice indignatus, quod fidem neque oppidanis neque Braccianis servare potuisset - quamvis nemo fidem rumpit
30 invitus. Oppidum prorsus direptum est, et alicue domus incense; mulierum quoque pudicitia violata his exceptis, quas Antonius conservavit. (Quidam ex militibus, cum mulierem sue libidini renitentem invenisset, filium eius infantem in maternis trucidavit ulnis.)

Que omnis impietas a Sfortianis et orta et consumata est; qui postquam oppido potiti sunt, ad expugnationem arcis contendere, in qua due fuerunt Iacobi Sabelli filie, virgo altera,
35 altera vidua. Tumulus erat prealtus in oppidi medio, et in eo arx aedificata opere ac natura munita. Mira hic militum audacia fuit, qui thofum altissimum ascendentes armati pugnare cum hoste cominus inter reptandum presumpsere; quorum nonnulli precipites acti nihil nocuementi [243]

sensere. Miles Urbinas omnibus indutus armis superato thoro ad murum arcis genu flexo pugnam conserens priorem portam securi perfregit; que res prefectum ad deditioem compulit. Ea libenter accepta est ob reverentiam nobilium feminarum, quarum servari honos alioquin minime poterat.

5

4. (Pii oratio ad Quirites de ratione suscepti belli et hostium iniuriis)

Durante adhuc obsidione, cum varius esset in Urbe sermo de pontificis actis, et bellum pro Ferdinando susceptum multi calumniarentur, sinistrosque rumores cardinales Gallici passim disseminarent, Pius, ut populum sibi conciliaret, accersitis cardinalibus ac magistratibus et primoribus Urbis in hunc modum orationem habuit:

Ingentes vobis, Quirites, habemus gratias, qui nobis rei publice causa procul agentibus, quamvis hinc iuventus petulans grassaretur in Urbe, illinc aliquorum baronum rapacitas popularetur agros et novas res quereret, in officio tamen perseverastis, et tandem redeuntibus salvam Urbem reddidistis. Licet fidem et prudentiam vestram extollere: fidem, quia non audistis eos, qui vos a vero domino alienare conati sunt; prudentiam, quia rei vestrae salubriter consulistis. Nam quid civitati Romane utilius esse potest, quam eam Curiam alere, unde alitur, et que opes undique affert? Quid gloriosius, quam ei subesse domino, qui super omnes mortales habet imperium, qui Beati Petri successor et Iesu Christi vicarius, cuius exobsculari pedes cuncti reges desiderant, cui divinitus datum est celi portas vel aperire vel claudere? Sapitis certe, qui ei domino fidem servatis, cui servire regnare est!

Sed non iccirco impresentiarum vos accersivimus, ut de vestra laude faceremus verba: alia vocationis est ratio. Sunt nonnulli - ut accepimus -, qui vestras aures perniciosis et falsis rumoribus implent, et nos belli amantes incusant, qui cum pacem habere possimus, arma proferimus, et in regno Sicilie causam tuemur iniquam, unde bellum domi et circa muros Urbis exortum sit, et vos nostra culpa plectamini. Quibus ex rebus necessarium duximus vobis in contionem vocatis de rationibus huius belli ad verum disserere; sic enim et nos arma odisse et pacem atque otium cupere cognoscetis, et hanc bellandi causam non modo iustam, sed necessario esse nobis impositam. Nec nos somnia referemus et inanes nugas, quibus delectantur et nutriuntur inimici nostri: veritatem ipsam sinceram et nudam offeremus in medium, cuius si videri facies possit, splendidior est, quam Lucifer aut Hesperus, et in fine semper victrix! Deus novit corda hominum solus, et ipse renes nostros scrutatur et videt, et scit, quia non mentimur. Nihil nobis pace carius est, nihil acceptius, cuius nomen - ut inquit orator - dulce est, et res ipsa cum iocunda tum salutaris. In ea legibus obeditur, subiectis consulitur, Deo servitur, nulli fas est impune peccare; sua virtuti premia et sua redduntur stipendia vitio. Contra bellum mala omnia nutriens divina et humana queque confundit. Odimus bellum, cuius finis non est pax; horremus strages hominum, nec sanguinem sitimus humanum, nec nostre sedis est ferrum stringere aut discordias serere. Quietem [244]

40

noster animus et subditorum pacem semper optavit. Sed quomodo in bellum tracti fuerimus, audite; brevis narratio est.

5 *Cum occupasset superioribus annis Mahumetes Thurcorum princeps regiam urbem, quam vocant Constantinopolim, et victoria tumens non Grecis tantum, sed Hungaris, Italis, Theutonibus et reliquis Christi cultoribus extrema omnia minaretur, Italia vero gravissimis bellorum flagraret incendiis, dedit operam Nicolaus pontifex maximus, noster antecessor, ut convenientes in unum Italici potentatus arma deponerent, et ut hosti religionis Thurco facilius obviam iretur, non solum pacem inter se statuerent, sed fedus quoque percuterent, quo alter alteri subveniret, si cui ex federatis iniuria fieret. Federis caput et conservator et*
10 *director institutus est Romanus presul. Vivebat tunc Alfonsus Aragonum et Siciliae rex, fama clarus et opibus atque consilio potens, qui post summum pontificem primus in conventis appositus est suo nomine ac filii, Ferdinandi, regis et heredis futuri, quem extra matrimonium natum regni capacem apostolica privilegia reddiderant. Hoc fedus Nicolaus, ut fieret, persuasit, Callistus successor approbavit, et nos de consilio fratrum confirmavimus. At cum obiisset Alfonsus vivente Callisto, filiusque Regnum ab eo*
15 *exposceret, non annuit pontifex, sed Regnum ad Ecclesiam devolutum declaravit, statuens illud etiam armis vindicare - iure an iniuria, non est huius ratiocinationis. Cogitationis eius repentinus obitus intervertit, qui quadragesimum intra diem Alfonsum est subsecutus.*

20 *Nos suffecti Ecclesiam turbatam et undique laceratam invenimus. Asisium, Gualdum, Nuceriam Picininus per prodicionem invaserat; arces Ecclesie munitissimas perfecti, quos Borgias, Callisti nepos imposuerat, restituere abnuebant. Ferdinandus investituram regni petebat; nisi impetraret, bellum minabatur. Nos milite carebamus, illi Picininus militabat, et dux Mediolani erat amicus. Videbamus non parvum Ecclesiae discrimen impendere; rem ad Senatum deduximus. Placuit cardinalibus omnibus - etiam Gallicis - Ferdinandum investitum iri. Latinus cardinalis Ursinus in Regnum missus Ferdinandum investivit coronavitque; Renato si quid iuris competiit, haud ablatum est. Ferdinando Regni principes, duces, barones, comites, populares omnes obediebant, eumque sibi constitui regem petierant, et in eius verba iuraverant. Aut Regnum ex testamento patris ad Ferdinandum pertinuit, et iure illi concessum est, aut ad Renatum, et nihil ei ablatum, cum*
30 *salvum esse velint apostolice litterae ius alienum. At cum de iure dubium esset, et uterque coloratum pre se titulum ferret, licuit possessorem preferre. Si neutri ius competiit, non tulit iniuriam, qui iure caruit. Si devolutioni fuit locus, et Callisti declaratio vim habuit, que superest Renato vel alteri querela, si cum fratribus nostris Regnum ad Ecclesiam devolutum Ferdinando concessimus? Nos hic Rome, priusquam discederemus, et Mantuae in conventu et Senis, quotiens de Regno ab oratoribus Rhenati fuimus interpellati, semper*
35 *iuris viam obtulimus. Ipse vero plus in armis, quam in iure confidens, dum nos Mantuae contra Turchos intenti sumus, classem validam cum filio in Regnum misit ex his pecuniis comparatam, quas cardinalis Avinionensis ex decimis cleri Gallici contra Thurcos promissis triennio ante congregaverat; barones Regni ad res novas concitavit, pacem illarum partium turbavit, rapinis, cedibus, incendiis omnia fedavit, expeditionem contra*
40 *Thurcos impedivit, et [245]*

quantum in se fuit, Christianam religionem pessundedit - quamvis speramus adhuc labores nostros pro communi utilitate susceptos haud omnino perituros.

5 Ferdinandus, cum se in periculo cerneret deficientibus a fide subiectis, et armis hostium in dies magis ac magis prevalentibus suam ruinam cognosceret, auxilium a nobis petiit, penes quos esset directum dominium. Commemoravit fedus, de quo supra diximus; rogavit, ne sibi pereunti deficeremus, ne promissam postergaremus fidem. Promisimus auxilia, iussimus, bono animo esset; verum priusquam copias in Regnum mitteremus, archiepiscopum Ravennatem eo direximus, gravem et iustum virum, qui partem utranque iuberet ab armis discedere, et viam pacis aut tractantibus amicis aut iuris ordine querere.

10 Iter erat per terras iam Renato parentes faciendum; petitur a filio publica fides; ille se a patre missum, ut bellum gerat, non ut querat pacem, respondet. Interea Ferdinandum acrius urgebat armis, et prope iam erat, ut Regno deiiceret, adeo regnicolarum inconstantia ac perfidia res immutaverat.

15 Nobis turpissimum videbatur eum, quem regem appellavisset, vi atque armis, sine iudicio, sine legibus, sine causae cognitione paterno regno deturbari. Misimus auxilia, non que Renatum regno privarent, sed que Ferdinandum in sua possessione tuerentur; quod non solum ex federe nobis incumbebat, verum etiam ex dominio Regni directo, quod penes Romanam Ecclesiam consistit. Quod si non bene successit - nam copie nostre debellate fuerunt, et iam hostes ad nos arma verterunt et nostros populantur agros -, nihil tamen minus de iustitia nostra confidimus. Non semper iusta superior invenitur causa: »Vix causa deis placuit, sed victa Catoni« - apud poetam legitis; sepe Christiani ac Iudei in bello cecidere pro religione pugnantes. Fatemur omnem a Deo victoriam esse, sed disponi aliam, permitti aliam; nec nos arcana Dei attingimus, cuius iudicia abyssus multa. At secundum quod homines iudicant, nemo est, qui bellum nostrum possit iniustum dicere, si partes nostre semel succubuere. Ita Dei placitum fuit - non propter iustitiam hostis, quae summa est iniustitia! »Castigavit nos Deus noster« - ut inquit propheta -, »sed morti non tradidit nos. Multe tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberabit eos Dominus.« De iustitia partis adverse quid attinet disputare, quae oblatam a Vero Iudice iustitiam respuit, et violentie viam elegit, ac vetante Domino prorumpit ad arma? Quo facto, etiamsi ius ei competiisset, ab eo cecidit; et presertim quod - ut ante diximus - conatus nostros pro defensione fidei contra Thurcos perturbavit.

20

25

30

Intelligitis iam plane, Quirites, nostre causae honestatem, et quod nullam contra nos iustam querelam relinquimus adversariis; nunc quas ipsi nobis iniurias intulerint, audite!

35 Preterimus scripta multa, quibus nomen nostrum dehonore conati sunt, et legationes ad concitandos contra nos principes missas; tacemus impedimenta prestita expeditioni contra Thurcos apparande, que possunt trahi ad causam fidei; omittimus Iacobum Picinimum eis militantem vexilla nostra iniussu nostro detulisse, Exculanamque urbem nobis furto surripere tentavisse. Silemus alia multa, ut breves simus; illud silere non possumus, quod idem Picininus nobis novissime significavit: se scilicet duci Iohanni Calabrie militare, iussumque esse non Ursinos modo, sed nos, subiectos nostros Romanos, Urbem et omne Patrimonium Beati Petri armis invadere; minora [246]

40

fecisse, quam iuberetur; posthac imperata facturum, cuncta igni ac ferro vastaturum. Nos vero compertum habemus non solum ex his, qui deprehensi sunt, verum etiam ex cyrographis conspiratorum, qui miro modo et divina quadam ope in manus nostras pervenere, Iacobum Picininum convenisse cum Tyburtio et nonnullis baronibus per circuitum Urbis morantibus Romanum populari agrum, Tybur diripere, iuventute portas aperiente Urbem ingredi, domos curialium, negociatorum et opulentorum civium prede exponere, camerarium capere ac pecunias eius inter se partiri, nepotem nostrum obtruncare, filiabus et uxoribus vestris vim inferre, pueros ad militiam rapere, et alia admodum multa aggredi nefanda. Que procul dubio patrata fuissent, nisi noster exercitus ex Aprutio festinans currenti occurrisset Iacobo, et nos Urbem celeri passu repetissemus. Immortali Deo gratias agimus, quod tam nepharios prevenimus ausus, et tantum avertimus malum!

Quomodo igitur iusti adversarii? Quo pacto Iohannes excusatum se reddet, qui talia contra nos molitur, et ducem Calabriae se vocitat? Si dux est Calabriae et regis futurus heres - et noster subditus est! Et quid scelestius, quam dominorum fallere dexteris? Si nihil ad eum de Regno, at Christianum se dicit! Si Christianus, quo ausu Christi vicarium persequitur, aut qua conscientia ministro utitur Picinino, qui omnes per circuitum Ecclesie subditos pertentat, si quis adsit, qui vel prece vel precio suo de more fidem venalem habeat? Quid Picininum nominamus? Quasi fides sit ulla in armis, et non omnes militie astricti periurio infames, sceleribus nobilitati tanquam ministri diaboli urbes ac regna perturbent! - Picininus ex Perusinis ortus ipse sibi viderit, quem domestica trahunt exempla; Iohannem non satis possumus admirari, quem regio sanguine natum horrere scelera putabamus.

Quidam vulgo dicunt nec Iohannem nec Picininum contra nos arma movisse: Ursinis tantum intulisse bellum. Nos, que certa comperimus, exposuimus: illa verissima sunt, hec falsa. Sed esto: Ursinos dumtaxat invaserint! An non Ursini Ecclesiae subditi sunt? An qui eos ledit, nos non ledit? Nos et Ursinorum et Columnensium et Comitum et Sabellorum, dum in officio perseverant, curam gerimus; et qui contra eos militat, contra nos militat. Iustissima ergo sunt arma nostra, et honestum bellum pro subditorum salute susceptum!

Sed quoniam de Sabellis fecimus mentionem, scitote Iacobum Sabellum unum esse ex his, qui cum Picinino conspiravere. Quod si negaverit, presidium testimonium affert, quod in Palumbaria ab illo recepit. Rogavimus, ut resiperet, eicceretque Braccianos milites, veniam preteritae culpe daturi. Noluit audire. Damnavit eum in Capitolio senator. Iuste in eum animadvertimus, parsuri, si se correxerit, nec boni patris officium reditum negabimus unquam.

Non sumus ergo belli amantes, nec sponte tractamus arma, nec pro re levi certamus: pro fide retinenda, pro auctoritate Ecclesiae conservanda, pro subditorum quiete, pro salute civium, pro focis, pro aris, pro uxoribus, pro liberis vestris, Quirites, bellum suscepimus! Nec nos primi sumus, qui pro regno Siciliae, quod est Ecclesie, sumpserimus arma. Eugenii Quarti et Martini Quinti meministis ferme omnes; patres vestri Clementes, Bonifacios, Nicolaos viderunt: quis illorum non bello se immiscuit, ut reges, quos instituerant, pro gloria Romane Sedis in Regni possessione servarent? Facessant [247]

igitur vani rumores! Sileant, qui nos sine causa bellare contendunt! Et vos, filii amantissimi, nolite his vocibus auscultare! Compescite maledicos, veris tantum sermonibus aures adhibete! Si quis unquam pontifex dilexit otium et huius urbis amavit quietem, nos illi sumus, qui Romam tanquam patriam diligentes et vos omnes pro Sedis dignitate filios, pro patrie caritate fratres, pro maiorum gloria veluti parentes habemus et colimus! Nam et nos

5

ab origine Romani sumus: Picolominea domus, quae nos genuit, Senas ex hac urbe migravit, sicut Aeneadum Silviorumque nomen in familia nostra frequentissimum indicat. Dicunt adversarii nos hanc urbem habere odio. Et quo vultu haec aiunt? Qua ratione? Quo colore? Hinc ortum habet prosapia nostra; Romani ac Senenses semper amici fuere; hic nos sacri presbyteratus accepimus ordinem, hic episcopatum, hic cardinalatum et summi apostolatus apicem sumus adepti. Et quis eam civitatem odio habeat, in qua summis honoribus cumulatus fuerit, semper amatus, nunquam lesus? Amamus vos, Quirites, et super omnes homines magnificamus; nec nobis maior cura est, quam ut Romanum populum honoribus atque opibus cumulemus, quod sine pace fieri non potest; atque iccirco pacem semper quesivimus. Verum ubi iustitia et necessitas urget, non solum bellare, sed vitam ponere sumus parati, ne vel dignitas nostrae sedis vel huius urbis gloria pereat. Pacem, quae nihil insidiarum habeat, nihil turpitudinis secum ferat, nec recusavimus unquam, nec recusaturi sumus.

10

15

20

Haec fuere, Quirites, quae vobis nota esse voluimus. Sibyllae folium recitavimus. Mendax et vanus est, qui alia vobis suggerit! Nolite audire mendaces, neque frangamini paucis incommodis agitati! Post tempestatem aderit serenitas. Sustinete modicum: cito finietur hoc bellum, et pax pulcherrima cum vestra et nostra gloria reformabitur!" - Atque his dictis finem fecit.

25

Romanos magna voluptas cepit, intelligentes domino suo non animum tantum, sed ius et iustitiam abunde suppetere; ingentesque illi gratias egerunt, qui sibi belli originem et cursum et causas multis ignotas patefecisset, offerentesque pro voluntate pontificis fortunas suas, se ipsos, uxores ac liberos quibusvis periculis obiectaturos, quando tam iniquum atque impium bellum movissent hostes.

30

5. Sigismundi Malatestae cumulata cum impietate perfidia, et miraculum Senensis monachi

35

Dum ista fiunt, Sigismundus Malatesta, magister scelerum, qui Mundavium et Montem Martianum contra federa pontifici abstulerat, Senegalliam quoque pari modo eripere conatus est. Quod ubi non successit, molas omnes disruptit, Anthonitanis, qui contra Exinos de finibus contendebant, auxilia misit. Robertus, eius filius, digna parente soboles dux copiarum fuit; qui profectus in Exinum agrum ferro et igne cuncta vastavit, homines et armenta abegit.

40

Vulgatum est per idem tempus venerabilem quendam monachum, natione Senensem in agro Pennarum Sancti Marini suo in sacello imaginem Beate [248]

Virginis erexisse, ad quam veluti miracula facientem regionis accole frequentes
 accurrerent; id egre tulisse Sigismundum, iussisse monachum imaginem amovere, nec
 parentem misisse, qui noctu caperent atque ad se ducerent daturum poenas; illos
 interceptum ore obstructo ducentes cum tota nocte ambulassent, et iam se putassent
 5 Ariminum attigisse, summo diluculo apud sacellum, in quo erat imago, se repperisse, atque
 ira concitos captivum in alta cruce suspendisse, que ab eo index loci in trivio paulo ante
 fuerat erecta; sed mox sicariis abeuntibus fracto laqueo monachum cecidisse, repertum a
 rusticis atque confotum revixisse. Quem rumore nota Sigismundi crudelitas atque impietas
 probabilem reddidit.

10

6. Aloysii Acti crudele facinus et Braccii Perusini multo crudelissimum

Paulo ante Aloysius Actus, Saxi Ferrati tyrannus - id est oppidum in Piceno non ignobile,
 Alexandri Sancte Susanne cardinalis patria - nepotem ex fratre in vincula coniectum
 15 strangulavit veritus, ne se aliquando tyrannide pelleret, aut partem dominationis vendicaret.
 Soli omnes imperare volunt! Oppidani parricidium detestati Ecclesiam sibi dominam
 acclamavere. Franciscus Picolomineus cardinalis Senensis, summi pontificis nepos, qui
 legatum apostolicum in Picensibus agebat, cum manu provincialium presto adfuit, et oppido
 potitus parricidam in arce obsedit. Ille animo fractus ea lege deditionem fecit, ut salvus abire
 20 permitteretur paterna privatus hereditate - ea tantum (pro) gravissimo scelere pena
 mulctatus. [Saxoferratenses excusso in hunc modum tyrannidis iugo ad mitissimum Ecclesie
 imperium rediere.]

25

Parricidium Aloysii animadversionem aliquam sensit - at Braccii Perusini nullam, quod
 eodem anno perpetratum est. - In familia Balionum inter Perusinos nobilissima principes
 25 erant Pandolfus et Braccius ex germanis nati. Pandolfo filius adolescens et quinq; filie
 fuerunt ex Panthasilea, coniuge Senensi; Braccio tres fratres.

30

Spellum oppidum est Ecclesie inter Asisium et Fulginium in colle situm, qui valli Umbrie
 omnium pulcherrime adiacet. Hoc Baliones ab Ecclesia in feudum acceperere communiter
 possidendum; Pandolfi pater Martino pontifici carus sibi neglectis nepotibus impetravit
 30 posseditque solus, et moriens reliquit filio. Braccius eam contumeliam cum diu
 dissimulasset, tandem vindicare constituit, Iovisque die mense Novembrio amicis stipatus,
 qui arma sub pallio tecta ferebant, in forum prodit, occurrentem Pandolfum salutatur, et amice
 tandiu adloquitur, donec adventantem filium eius conspicatur. Exin signum amicis prebet,
 quorum unus exerto gladio Pandolfum a tergo percutit atque in terram transfossum sternit;
 35 Braccius iacentem sua manu iugulat. Ille moriens: "*Heu, mi pater!*" - inquit, nec plura
 locutus in aeternam mortem clausit oculos. Id duobus modis interpretatum est: altero, quia
 monuisset pater, ne Pandolfus [249]

cum filio Perusiam peteret; altero, quod malam reliquisset hereditatem, odiosa bona. Dum Pandolfus occiditur, filius invaditur, fugiens apprehenditur ac confoditur, et cum eo Crispoldus, qui protegere adolescentem conabatur, opulentus et honestus civis obtruncatur.

5 Hanc sceleratissimam necem potentia delinquentis inultam reddidit: Braccium universa pene civitas sequebatur, adeo, ut non tam civis, quam dominus videretur; aut oppugnare urbem, aut impunitum relinquere scelus oportebat. Pontifici perpetrati facinoris acerbissimum fuit nuncium; acerbius, quod vindicari non potuit. Multa ferunt inviti reges, plura Romani pontifices, nec semper facinorosos plectere tutum est.

10 **7. Mors regis Scotorum miserabilis. Bosnensis regis emendatio Manicheorumque persecutio, obitusque Guarrini, viri doctissimi et boni**

15 Paulo ante hoc tempus Scotorum rex adolescens, dum adversus Anglicos arma movet, et castellum acriter oppugnat, quod sibi hostes eripuerant, ad tormentum bombarde, dum ignis adhibetur, accedens, fracto aeris vase fragmento evolanti percussus interiit. Pius audito infelici casu exequias defuncto atque inferias duxit.

20 Rex Bossniae sub idem fere tempus, ut piaculum traditae Thurcis Synderovie purgaret, ac sue religionis fidem faceret - sive, quod multi crediderunt, avaritiae obtentu -, Manicheos, qui erant in regno suo quam plurimi, nisi baptismum Christi acciperent, e regno migrare coegit substantia relicta. Duodecim circiter milia baptizati sunt, quadraginta aut paulo plures pertinaciter errantes ad Stephanum Bosne ducem, perfidie socium confugere. Tres principes hereseos, in aula regis potentes, episcopus Nonensis vinctos ad pontificem duxit, quos Pius per monasteria relegatos edoceri Christianum dogma curavit. Iohannes cardinalis Sancti Sixti sepius ad se vocatos instruxit, persuasitque tandem abiuratis erroribus Ecclesie

25 Romane, que nec falleret nec falleretur, documenta suscipere. Reconciliatos ad regem remisit; duo in fide permansere, tertius more canis ad vomitum rediens ex itinere dilapsus ad Stephanum confugit.

30 Ad quartum Kalendas Ianuarias anni MCCCCLX-mi ab incarnatione Verbi Pio pontifici obitus nunciatus est clari viri, Guarrini Veronensis, qui rebus suis more Christiano rite ordinatis obdormivit in Domino. Flevere docti transitum eius, discipuli presertim, qui ad eum tota Europa confluxere; Latinas enim et Grecas litteras docuit. Libros e Grecis Latinos fecit complures, cuius labore Strabonem legimus. Filios reliquit eruditos. Epythaphia ei multa edita sunt. Nemo ex doctis etate nostra melius nomen reliquit. Corpus Ferraria servat. [250]

8. Nicenus cardinalis legatus in Germaniam quid egerit

5 Nicenus cardinalis, qui ex Mantua legatus in Germaniam perrexerat, dum haec geruntur, cum venisset ad imperatorem in Austriam, bellis flagrare omnia repperit: inde Hungari imperatori minari, hinc germanus Albertus et Ludovicus Baioarie princeps. Rex Bohemie, quamvis suscepto regni feudo in verba iurasset imperatoris, occulte tamen insidias illi struebat, atque imperium sibi querens, Maguntinum electum et Fridericum Palatinum comitem promissis ingentibus corruerat - quoniam electores essent -, sibi ut imperium petitulo suffragarentur; nam inutilis Federicus esset, et cederet procul dubio requisitus 10 potius, quam rei publice necessitatibus subveniret; et iam hoc ipsum cum Federico ipse tentaverat, quamvis neque consensum neque dissensum obtinuerat; Albertus marchio Brandeburgensis, requisitus apud fratrem electorem ad id operam dare, daturum se promisit, veritus, si negaret, ne rex erga Ludovicum, hostem suum propensior fieret. Conventus ob eam causam frequentes habiti modo Noremberge modo Bamberge; postremo 15 apud Egram rex ad se principes convocavit, quo in loco Federicus marchio Brandeburgensis, princeps elector rogatus, de imperio quid sentiret, an Bohemo videretur committendum: „*Malim*” - inquit - „*mori, quam huic petitioni consentire!*” - Dissoluta conventio est. Rex deinceps hereticis aperte favere, lites inter Germanos nutrire, imperatori magis ac magis insidiari.

20 Nicenus, etsi propemodum spem omnem amiserat rei bene gerende, principes tamen Germanice nationis in Austriam convocavit promissa exacturus, quae Mantuae facta fuerant. Venere legati, non principes - et illi verba daturi, non facta. Tergiversari omnes, contradicendi causas longe querere, discordias principum adducere, nullis Niceni suasionibus auscultare. Ille, ne quid omittere videretur, quod ad rem conducere posset, 25 profectus Norembergam Maguntiam usque penetravit obvios quosque principes ac populos orans, ne fidei necessitati deessent, ne sinerent Thurcorum crescere vires, irent obviam hosti, dum vinci posset. Obturaverunt cuncti aures suas, verba eius quasi fabulas exceperunt. Nemo inventus est, qui suam operam religioni promitteret.

30 9. Dyetheri Maguntini presulis excommunicatio et eius linguose venenateque calumniae

Interea Dyetherus, cum marcatoribus, qui pecuniam sua causa Apostolice Camere 35 dissolverant, auri quatuordecim milia nummum, non satisfacisset, elapsis terminis excommunicatus est. Ille indignatus tantam esse cuiuspian audaciam, qui se Christi sanguinem tangere auderet, Romanam Ecclesiam - quod prius occulte fecerat - publice cepit persequi, et in conventibus Germanorum, quos ea de causa indixit, saepe dicere auditus est: "*Duo sunt, quae me maxime angunt; ea si possim feliciter absolvere, libens moriar. Alterum est, ut* [251]

ignavum, quo regimur, imperatorem deponamus, et bonum aliquem sufficiamus; secundum, ut Apostolice Sedis iugum aliquando discutiamus, nec cum simus in temporalibus liberi, circa spiritualia serviamus." - In Maguntia totum virus evomens:

5 „*Quid agimus*" - inquit -, „*viri Germani? Semperne mancipia erimus? Quicquid iusserit Romana Sedes, quasi legem accipiemus? Illuc aurum, illuc substantias nostras mittemus, [nec quantis utatur fraudibus, aliquando intelligemus?] Quid sibi vult conficta in Thurcos expeditio? Cur decime petuntur, cur indulgentie promulgantur, nisi corradende pecunie gratia? Aurum imperator, aurum querit Romanus pontifex! Nostris opibus ditamus Italiam et Austriam Hungarie vicinam! Nihil apud Romanam Curiam impetrare licet, nisi*
10 *aurum intercedat: ego ipse nunc experior, cui XX-ti milibus aureis confirmatio [vendita] est electionis, et quia non potui quam primum satisfacere, extra communionem sum factus. Treverensis archiepiscopus duplo maiori ecclesiam suam emit. Quid reliquos commemorem? Nullum apud nos sacerdotium est non argento donatum! Quantas expectative gratie, quantas dispensationes et indulta pecunias exhaurire putatis?*
15 *Incredibile est, quantum Romana Curia a nobis aurum auferat! Inopes facti sumus, dum illi opulentiam ministramus. Sapientiores Galli multo, quam nos, qui neque pontificales ecclesias a Romano presule querunt neque minores. Quin eorum Pragmaticam amplectimur, et rei nostre consulimus? Resumite animum, fratres, et aliquando in libertatem vos vindicate vestro generi amicissimam! Ego impresentiarum, ne modis*
20 *opprimar indignis, futurum appello concilium. Vos, si placet, nationis nomine, quam legatus apostolicus decimas exacturus censuris gravioribus onerat, appellationi mee adherebitis!"*

25 Ea cum dixisset, plerique sacrilegum eum et insanum existimavere - [multi et sapientem et sanctum, qui nationi bene consuleret.] Paucissimi tamen ausi sunt eius appellationi consentire, Mantuani decreti censuram formidantes, neque omnino divini timoris expertes. Illud vero fecit Dyetheri perfidia, quod omnes Niceni conatus frustra fuere.

10. Genuensium assidui tumultus et mutationes, G aliorumque calamitas miserrima et cruenta inauditaque cedes

30 Apud Genuam, Lygurum caput, interea Franci dominio potiebantur non sine magno Ferdinandi regis damno, quorum classes armate Genuae mare Inferum infestantes Caietanum Neapolitanumque litus et omnis Calabriae maritima loca populabantur. Prosper Adurnus missis ad pontificem legatis posse se Francos Genua eiicere dominatumque urbis arripere
35 dicit, [si pecuniis adiuvetur; id Ferdinandi rebus magnopere conducere, cuius sit amicus. Pontifex postulatam pecuniam concedit, auri duo milia nummum.] Prosper commonitis amicis constituta die per portam, quam sibi coniurati aperuerunt, armatus ingreditur, urbi libertatem asserit, Francis exitium; adiuvatur a populo, dux acclamatur, palatium occupat. Aloysius Vallensis gubernator, qui pro Francis urbem tenebat, [252]

pavidus in arcem profugit - Castelletum appellant -; eo Francorum omne presidium se recipit. Nobiles Francorum amici urbe relicta ad oppida sua profugiunt. Oppugnatur arx summa vi machinarum omni admoto genere, obsessi impigre se defendunt; quingentos circiter fortes viros in arce fuisse tradunt. Ducta est multis diebus obsidio, ita, ut obsessores et obsessi gravibus afficerentur damnis, et isti iam fame laborarent, illis ad oppugnandum vires deessent.

5
10
15
20
Medio tempore Karolus Francie rex suppetias laturus obsessis ingentes copias terra marique comparavit, et terrestri quidem exercitui bailivum Constantiensem prefecit, maritimo Rhenatum Andegaviae ducem - qui se regem Sicilie appellabat -, bellicis rebus infortunatum. Prosper, ubi adventare hostes accepit, Paulum archiepiscopum ex familia Fulgosia, Petri fratrem, quem paulo ante urbem invadentem Franci obtruncaverant, ad se accersit bellicae socium assumit. Armatur populus, ac plenus animi fertur in hostem haud ignarus, nisi vincat, extrema se omnia passurum. Terrestres Francorum copie quasi ad predam properant. Prelium in conspectu urbis committitur locis arctis et externo militi parum notis, nec tam equiti, quam pediti opportunis. Ibi archiepiscopus [religionis prorsus immemor] ante alios pugnam ciens, ab equo desiliens, scuto, galea ac thorace munitus primus hostem ferit, stragemque haud parvam Gallorum facit; quindecim sua manu audaces viros, qui cedere nollent, stravisse proditum est: tanta eum ulciscende fraterne necis cupido inceserat. Pugnatur utrinque summa contentione et acerbis animis. Gallos ignominia

25
Interea Rhenatus ad portum cum classe applicans urbem invadit. Fit tumultus et trepidatio in civitate, quae propemodum capta videretur. Sed victor exercitus fugatis cesisque Gallis urbem ingreditur, ad cuius adventum Rhenatus suis, ut redeant, signum prebet; quorum pars magna, dum properat ad naves, instante a tergo Lygure aut gladio confoditur, aut undis rapacibus absorbetur. Rhenatus terra marique victus disiecta classe Saonam contendit.

30
35
Genuenses ingenti liberati metu festos dies egere. Supra quatuor milia Gallorum vel submersa vel cesa hoc proelio traduntur. Nunquam tantum sanguinis uno certamine nostra memoria fuderunt Itali, neque enim cum externis gentibus pugnare; inter se dissidentes prelia incruenta gerunt: ut est hostis, ita belli mores induunt. Verum Prospero nec prospera nec fausta victoria fuit, cuius auspiciis de hoste sevissimo triumphans ingrata patria gratias indignas reddidit, quae illo principatu amoto Spinetam ei substituit Fulgosia gente natum. - Et Franci, qui erant in arce, spectata suorum clade, quae in oculis eorum gesta est, salutem pacti arcis deditionem fecere; ea Ludovico Fulgoso et archiepiscopo custodienda commissa est. Spineta paucis post diebus ducatu cessit, cum non satis idoneus regimini videretur; Ludovicus principatum accepit. [253]

Neque multo post archiepiscopus per arma Ludovico deiecto Palatium invasit, ducisque nomen arripuit. Ludovicus in arcem profugiens turri, que archiepiscopi nomine tenebatur, in suam potestatem recepta comminari civibus cepit, quibus non satis gratus erat ducatus archiepiscopi. Convenerunt tandem inter se partes, ut archiepiscopus accepta pecunia magistratui cederet, Ludovicus pristinam dignitatem resumeret. (Incredibilis tanta regiminum mutatio posteritati videbitur, nec nobis fidem fecisset historia, nisi nostra aetas prebuisset experimentum. Sepe una die tempestate nostra bis terve gubernatio civitatis mutata est, nec tota Europa urbem esse accepimus, in qua tot principum mutationes evo nostro intervenerint.)

5
10
15
20
Genuenses, cum sibi ipsi leges dicunt, aut ducem aliquem creant, quem penes summa imperii consistit, aut capitaneos aliquos eligunt, quorum nunquam diuturna potestas fuit. Tria sunt hominum genera: populares, 'cappellatii', nobiles. Duces ex cappellatiis assumuntur, quorum familie opibus et clientelis abundant. Populares loco plebis habentur. Nobiles urbi non imperant, sed imperantibus; oppida enim circa urbem plurima possidentes opibus atque affinitatibus in urbe potentes, quo volunt, duces inclinant. Verum auctoritate eorum sub Petro duce magnopere attenuata cum rex Francie imperium accepisset, nobilitas rursus exaltata est, cuius arbitrio Franci urbem gubernavere. Expulso rege et nobiles magna ex parte Genuam reliquere, Saonam et vicina pleraque loca Gallorum presidii retinentes, quibus assiduo metu diu postea Ludovicum pressere.

11. Orientalium varie ad Pium legationes, et habitus varii ac voracitas inaudita, eorumque oratio. Pii responsum, et creatio patriarche, et illorum inanes progressus

25
30
35
In apostolatus sui exordio miserat Pius in Orientem Ludovicum quendam Ordinis Minorum professorem, ut reges Christianos Hyberie, Armenie ac Messopotamie adversus Thurcos armaret in Asia, si Christianos expeditionem in Europa adversus eosdem hostes parare contingeret. Fuerat Ludovicus sedente Callisto in Perside - ut aiebat -, multosque ibi Christianos invenerat et amicos Christianorum, qui Thurcis infensi essent. Is paulo post reditum pontificis ex Mantua Romam applicuit, quem plures orientalium principum oratores secuti sunt, quorum hec sunt nomina: David imperator Trapezuntius Michaellem Aligerium misit; Georgius rex Persarum et Maioris Armenie ac Minoris Iberiae, cui pater fuit Alexander, Nicolaum Thephelum; Asam, gener imperatoris ac Messopotamie rex et Christianorum amicus non Christianus, cui pater fuit Carailucas Trucomanno, Mahumetem Trucomanno; Gorgora in Iberia Maiori ducatum obtinens, cui pater fuit Gazabechi, Cassadan Carcecham; Urtebechus, Armenie Minoris dominus Moratum Armenium. [254]

- Legatorum sicut diversi mores, ita et habitus fuere, adeo, ut omnibus admirationi essent, et plebis, quocumque irent, in se oculos converterent, puerorumque turbam secum traherent. Persici oratoris in morem nostrorum monachorum servata capillorum parva corona totum caput tonsum; eius, qui ex Messopotamia venit, pari modo, sed in vertice summo capillorum
- 5 parvulus quidam manipulus visebatur, quemadmodum gentiles gestasse flamines in pileo ferunt. His per Colchidem et Scythiam transmissio Tanai ac Danubio in Hungariam iter fuit, deinde in Germaniam, ubi Federicum imperatorem salutavere. Hinc profecti Venetias magnis honoribus ab eius urbis senatu excepti sunt; que res fecit, ut veri oratores crederentur propter commertium, quod Veneti cum orientalibus habent. - Cum Romam
- 10 venissent, non minorem gratiam invenerunt. Recepti tanquam legati regum occurrente prelatorum ordine diversoria et cibos ex publico acceperunt. Inter quos fuisse aliquos traditum est, qui singuli diebus singulis libras carniū haud minus XX-ti ederent. - Auditi in consistorio coram pontifice in hunc modum verba fecere:
- 15 „Misisti ad nos Ludovicum Bononiensem, professione Minorem, qui ait te Mantuam petivisse, ut conventu cum Christianis celebrati Mahumeti Thurcorum imperatori bellum inferres; cupere principes nostros, cum tu in Europa illum oppugnares, in Asia tumultum excitare. Placuit sermo; oderunt Thurcos nostri principes, te amant et Christi vicarium venerantur, parendum tibi esse fatentur. Eam ob causam, cum gravibus inter se odiis discordarent bellumque gererent, iubente nuntio tuo arma deposuere parati, cum iusseris,
- 20 adversus Thurcos ea resumere. Centum viginti milia pugnatorum, cum volueris, presto aderunt in Asia usque ad Hellespontum et Thracium Bosforum Mahumetis imperium invasuri, dum tu pari modo cum occidentalibus populis aggrediaris Thurcos. Ad hoc missi sumus, simulque tuos (ut) obsculemur pedes tanquam vicem Dei tenentis in terra. Nobis federati sunt Bendias Mangrelie et Arabie rex et Panchratius Iberorum, qui nunc Georgiani
- 25 vocantur, et Mania marchio Goriae et Hismael Synopi dominus et Casatimene, cui pater fuit Spediar, et Fabia dux Anogasie et Charamannus Cilicie dominus, quorum maxima erunt presidia. Illud tantum ex te nunc petimus, ut Ludovicum, qui nos huc adduxit, super eos, qui Romanum in Orienti ritum custodiunt, et tue Sedis fidei consotiantur, patriarcham constituas."
- 30 His dictis laudavit pontifex principum desideria, et quae obtulerant, magni se facere ostendit; quae Mantuae gesta fuissent, exposuit: se fecisse, quae potuisset; non concurrisse Christianos reges; sperare tamen concursuros, si norint orientalium propositum; utile videri legatos ipsos per Italiam trans Alpes in Galliam proficisci, eademque regi Francie ac duci Burgundie dicere, quae se coram exposuissent; sine Francis expeditiones, quae digne sint,
- 35 difficile fieri posse: eam esse nationem, quae sepe adversus infideles terra marique gloriose certaverit, et nunc eam Thurcis precipue timendam fore. - Assensere legati, verum expensas itineris et Ludovici patriarchatum petiere. Pontifex utrunque concessit ea moderatione adiecta, ne Ludovicus se patriarcham aut scriberet aut appellaret, antequam reverteretur, neve litteras eiusce dignitatis secum [255]

afferret, sed in custodia essent apud cardinalem Sancti Petri, ut maior interea de finibus patriarchatus haberi notitia posset.

5 Ivere per Italiam et Galliam, fuere apud Francie regem et Burgundie ducem. Nihil invenere presidii: omnes eius rei curam, pro qua verba fecerunt, ad pontificem remisere, tanquam eius esset etiam sine ope regum Thurcos evincere. Corrasere tamen mendicantes non parvam pecuniam; interfuere Karoli regis exequiis, qui per idem tempus obiit, et Ludovici coronationem viderunt; nec plus a filio, quam a patre obtinuerunt: per verba plures ducti dies tandem vacui redierunt.

10 Medio tempore multa ad pontificem delata sunt, que suspectam eam legationem reddiderunt: Ludovicum mendacem et deceptorem esse, questus causa venisse cum eo viros ex Oriente, qui se regum oratores assimilassent, falsasque principum litteras attulissent. Et iam Ludovicus mandata pontificis contempserat, qui se, quocunque locorum venerat, appellari patriarcham iusserat, et honores, qui sibi tanquam patriarche deferebantur, percipide acceptaverat. Constabat quoque eum et in Hungaria et in Germania eas dispensationes fecisse, quas nec legati de latere absque mandato speciali ausi fuissent admittere. Ob quas res reverso ex Francia non idem sibi neque legatis favor, qui prius, ostensus est. Reprehendit eum pontifex, qui mandata apostolica neglexisset; nec habuit, quod responderet. Verum ea tantum animadversione mulctatus est, quod patriarchatus litteras haudquaquam obtinere potuit, parumque abfuit, quin recluderetur in carcere. Pepercit pontifex non tam sibi, quam sociis, quos adduxerat; incertum enim erat, veri essent oratores, an falsi, atque ob eam causam pecuniam pro reditu eis elargitus est. Ludovicus eos secutus cum Venetias appulisset, ab ignaris quibusdam episcopis et in sacerdotem et in patriarcham consecrari obtinuit. Quod cum pontifex rescisset, patriarche Veneto scripsit, ut deceptorem in vincula reciperet. Ille premonitus a duce Veneto propere fugam arripuit, nec postea, quo pervenerint, aut quid egerint vel ipse vel comites eius, in hanc usque diem auditum est. In his, que longinquiora sunt, multa fallendi occasio patet, et raro veritas invenitur. Orientalia deinceps pontifici et transmarina suspecta fuerunt, ea presertim, que viri egentes et fame obscurioris attulere.

30 **12. Alexandri et Urbinatis adventus in Urbem. Sigismundi Malateste accusatio publica et dictus dies, eiusque scelera nefandissima**

35 Post expugnatum direptumque - ut diximus - Doni Dei oppidum, quod pridie Kalendas Novembris pontifici Sanctorum Omnium vespere celebranti nuntiatum est, milites in hyberna concessere, Alexander apud Nepesinos, Federicus Urbinas in Sabinis; ambo in solemnibus Dominice Nativitatis ad [256]

visendum pontificem Romam venire, eique pro veteri more peractis vesperis cum cardinalibus combibenti ministravere.

5 Qulbus paucis post diebus presentibus publicum consistorium celebratum est. In eo Andreas Bentius Phisci advocatus, ut erat a pontifice iussus, orationem et longam et luculentam habuit, in qua Sigismundi Malateste scelera detestatus est - rapinas, incendia, cedes, stupra, adulteria, incestus, parricidia, sacrilegia, proditioes, lese maiestatis et heresis crimina -, petiitque, ut ad ea vindicanda Romanus pontifex assurgeret, audiretque supplicum voces, qui acerbissimum tyranni iugum diutius ferre non possent; purgaret tandem Italiam teterrimo et abhominabili monstro, cuius vita nulli suis in oppidis viro bono permetteret vitam. - Auditus est summa omnium attentione Andreas, nemo eius verba non probavit, nemo mentitum esse dixit. Federicus et Alexander cuncta vera esse affirmavere, quae Sigismundo imputarentur; verum Andream scelestissima et atrocissima illius peccata quam plurima tacuisse, quemadmodum vim filiabus et generis illatam et adolescentulorum necem, qui eius libidini restitissent, proditioes tot ab eo commissas esse, quot secum homines communicaverint: nullum, qui sibi aliquid crediderit, non proditum abiisse; fidei catholice non unum aut alterum articulum, sed totum apostolorum Symbolum contemnere Sigismundum, et nihil de religione sapere. Pontifex accusatione audita:

20 "*Due sunt*" - inquit - *civitates, ad quas homines ex hac vita decedentes migrant: altera est celestis Hierusalem, urbs et patria beatorum; altera apud inferos reperitur, in qua Luciferi sedes est et damnatorum ergastula. Maiores nostri in priori civitate complures ascriptos esse declaraverunt, quos tanquam sanctos venerari licet et dulie adoratione colere. In qua re perficienda ea solemnitas observatur, quam canonizationem appellamus. Eugenius Quartus, predecessor noster Nicolaum Tolentinatem canonizavit, Nicolaus Quintus Bernardinum Senensem, Calistus Tertius Vincentium Valentinum et Hosmundum Anglicum. Nobis supplicatum est, ut Catherinam Senensem, Rosam Viturviensem et Franciscam Romanam sanctis Christi virginibus seu viduis ascribamus, atque in celestem relatas esse Urbem declaremus. Digna res, nam et virtutes suas id credimus meruisse. Verum nulla earum ab eloquentissimis advocatis, qui de preconiiis suis superioribus diebus locuti sunt, adeo laudata est, quantum hodie Sigismundus Malatesta vituperatus. Et illa quidem, que de virginibus dicta sunt, probationis egent - Sigismundi facinora manifesta sunt et aperta, non uni aut alteri homini, sed toti pene mundo notissima. Preferendus est igitur, et antequam ille canonicentur ad celum, inferne civitati ascribendus! [Rem novam et inauditam inaudita prius nostro seculo Sigismundi requirunt scelera. Mortalium nemo hactenus cum solemnitate canonizationis descendit ad inferos; prior Sigismundus hoc »honore« dignabitur: edicto pontificis inferne societati adscribetur damnatorum comes et demonum; nec mors eius expectabitur, si forsitan resipiscat, quando nullam sue conversionis spem reliquit: vivus damnabitur Orcho, et vivus forsitan proicietur in ignem!] Possemus impresentiarum sententiam ferre, quando peccata, que sibi obiecta sunt, nulla possunt tergiversatione celari. Agemus mitius: vocabimus reum, audiemus, si [257]*

comparuerit, telam iudicii ordinariam observabimus. - Tu igitur, dilecte fili, cardinalis Sancti Petri ad Vincula, audisti, que adversus Sigismundum proposita sunt. Tibi hanc causam committimus audiendam, cognoscendam et fine debito terminandam."

5 Quibus dictis solutum est consistorium. Cardinalis deinde inchoato iudicio suo processit ordine.

13. De ense Burgundo dato, et creatione novorum cardinalium agitari cepta

10 Ensis hoc anno in sacra nocte Natalis Domini benedictus Philippo duci Burgundionum missus est; Antonius Noxetanus attulit, pontificis aulicus Grecis ac Latinis litteris eruditus.

15 Per hoc tempus Iacobus Picininus in Aprutiis hyemabat crebris excursionibus Ferdinandi partes infestans. Mattheus Capuanus, qui aliquando sub eo militaverat, egregio vir corpore et animo forti, eam provinciam pro Ferdinando gubernabat, multaque oppida et Orthonensi Francisco et Iosie Atriensi duci armis abstulerat. Is cum Picinino sepe congressus in fugam eum convertit, ostenditque magistro non esse discipulum contemnendum, inanemque famam, que Picininum affirmaret invictum.

20 In Quadragesima, quae secuta est, pontifex in Collegio de creandis novis cardinalibus verba fecit: inter eos, qui Senis creati fuissent, nullum nominatum ex Ultramontanis, nisi prepositum Salcburgensem, qui nondum publicatus esset; Italis tantum id honoris concessum; indignam rem videri nationibus reliquis; Gallos atque Hispanos, quasi contemnantur, aegre hoc ferre; Romanam Ecclesiam universalem appellari, que orbem iudicet universum, Matrem ac Magistram fidelium; ad eius consilium ex omnibus Christianis provinciis viros excellentes accersiri oportere, qui mores omnium calleant; comitia iam adesse creandorum cardinalium, que vocant Quatuor Tempora; in medium consulant: ex
25 Ultramontanis regionibus quinam idonei tanto muneri censeantur, et quot creandi videantur?

30 Horruere cardinales creandorum cardinalium audita mentione, quibus nihil augmento molestius est, paucitate gaudent. Respondentes pontifici se plures esse dixere, quam oporteret; numerositate ipsa vilescere, nec provincias multos optare cardinales, quibus essent oneri commendationes beneficiorum ecclesiasticorum plurimas obtinentes; si consilio opus sit, satis in Collegio consilii; si legati mittendi sint, neque illos deesse; hortari, orare, supplices petere, presentibus cardinalibus ne plures adderentur. - Pontifex non posse regum ac principum Transalpinorum se preces effugere aiebat, nec sui honoris esse nationes
35 externas preterire.

Diu res in consistorio agitata est, cum pontifex ordinationi nove incumberet, cardinales resisterent. Tandem conventum est ea lege supersedendum esse, ut in Natalitio Salvatoris, si videretur pontifici necessaria creatio cardinalium, [258]

gererent omnes eius sententiae morem, de numero et personis tantum suffragia exquirerentur. Quod decretum sub anathematis pena iussit pontifex secretum esse, efferentemque preter Romanum pontificem nullum posse absolvere. Dimisso consistorio interrogati cardinales, quidnam esset actum, nulla ab his extorqueri certitudo potuit; coniecturis usi, qui magni secreti impatientes erant, alii nihil actum esse aiebant, alii hos aut illos creatos asserebant. Galli in suae causae favorem frequentes litteras ad amicos misere, quibus pontificem Collegii impotentem affirmavere, exauctoratum irrisui esse atque contemptui, qui cardinales adnixus creare novos non fuerit auditus.

10 **14. Thome Paleologi fuga in Italiam et in eum Pii beneficentia. Sinuessanus ducatus Antonio nepoti donatur, et deditio Terracinae eiusque situs**

15 Thomas Paleologus interea, Constantini, ultimi Grecorum imperatoris frater, a Thureis imperio deiectus Romam venit dimisso apud Anconam pretioso Beati Andree capite, de quo postea suo loco dicemus. Pontifex profugum benigne excepit, misertusque nobilissimi sanguinis mansionem ei in edibus Sancti Spiritus non procul a Palatio et in sumptus menstruos trecentos aureos constituit; cardinales ducentos addidere. Cui et rosa aurea in die dominica, que inde nomen habet, dono data est; qui honor nobiliori cedit.

20 Inter hec Ferdinandus, ut pontifici maximo pro suscepto defensoque Regno gratum sese ostenderet, ducatum Suessanum Antonio nepoti tanquam devolutum commisit. Marinus enim proditionis maiestatisque reus id dignitatis amiserat, verum possessione in hanc usque diem non excidit, sepe invasus forti animo se defendit. Non semper in bello cadit, qui cecidit in iudicio: illius fortuna domina est, huius ratio - quamvis et aliquando iudicia claudicant.

25 Priusquam Romam rediret pontifex, Terracinenses civilibus acti discordiis tumultuare inter se ceperunt; desperantes enim res Ferdinandi secundari posse, cuius apud Sarnum vires cecidissent, alii Gallorum alii Ecclesie presidium implorabant. Vicit pars ecclesiastica, et priusquam Galli suis opem afferrent, civitatem Ecclesie nomine percurrit, cepitque arcem oppugnare, in qua erat Ferdinandi prefectus, missis ad pontificem legatis, qui opem redeuntibus ad Ecclesiam postularent. Nam Terracina iuris Ecclesiae fuit, Alfonsus eam
30 Eugenio Quarto partim dedentibus civibus, partim per arma surripuit, nec reddidit facta pace. Pius approbato Ferdinandi regno ita dimisit, ut post duo lustra ad Ecclesiam rediret. At cum iam suoapte ingenio a Ferdinando deficiens proprium repetisset imperium, non censuit pontifex recusandam, moxque sui corporis custodes - quibus prefectus erat Iohannes cognomento Pacalia, vir strenuus - eo transmisit, qui dedentem se civitatem pro Romana
35 Ecclesia reciperent, atque adversus vim, si qua ingrueret, tuerentur. [259]

Iam comitis Fundorum filius, Balthasar, Marconi comes defectionem Terracinensium acceperat, collectisque repente copiis montem, qui urbi supereminet, invasurus moenia conscenderat, et occurrentes extra portas ad pugnam cives in fugam converterat. Nec dubium videbatur, quin civitas intra horam hosti diripienda traderetur, cum subito
 5 accurrens Pazalia preliumque restaurans victoriam hosti preripuit, fugatoque procul Marconio Ecclesiae civitatem, civibus vitam ac fortunas servavit. Praefectus arcis spectata Marconii fuga suam salutem pactus locum tradidit. Id egre Ferdinando fuit, nec Mediolanensium dux equo animo tulit, veritus, ne Regni rebus officeret. At Pius suam potius civitatem esse voluit, quam Gallorum, neque iniquum putavit desciscentes a Ferdinando
 10 Terracinenses recipere, cuius pater ab Ecclesia deficientes recepisset.

Terracinam prisci Ansurem vocavere, ea Volscorum caput fuit; nunc Romane Ecclesie maritima loca claudit, qua Fundos itur; Infero mari adiacet, non procul a Cyrceo monte, fabulosis poetarum carminibus memorabili. Rupes altissima vivi lapidis excisa manu viam montes inter aperuit et mare, spelunca in summo est; Pessulum Montanum appellant incole.
 15 Iter ad summum per cocleas ferro factas in lapide patet unius hominis capax. Illic custos habitat, qui vectigal a transeuntibus exigit facile negaturus transitum, qui solvere recusaverint. - Captura huius civitatis Antonio admodum nocuit; verum Pio nunquam tanta nepotum fuit, quanta Ecclesie cura.

Que hodie Campania appellatur et Apostolice Sedi paret, duas habet portas: alteram per
 20 Terracinam, alteram per Ceperanum, utranque Romanis pontificibus patentem esse, exteris gentibus clausam pernecessarium est, si Romanorum pecora salvare oportet; quod procurante Pio usque hodie factum est.

**15. De portu Cornetano, et refectione Civitatis Veteris, et scalarum Principis
 25 Apostolorum restauratione, et Pii morbo, et excommunicatione duorum Sigismundorum**

Cornetani, Thussie populus, hoc tempore pontificem adeuntes suas opes ex frumento esse dixere, quod Genuensibus caeterisque nauticam exercentibus vendere consuissent ad alienas
 30 provincias deferendum; grande inde vectigal Apostolicum Erarium accipere; grandius accepturum, si portus urbi propinquus constitueretur cetearum capax navium; veterem, quo uterentur, minoribus tantum navigiis convenire, que flante austro tueri non posset; effodiendum magis et ampliandum esse, muro cingendum et muniendum turribus; navaturos rei se operam; orare, ne in opere tam necessario dimitterentur. - Pontifex, cui
 35 nova et utilia edificia cordi essent, vectigalium partem in id operis constituit; et iam turris precipua sub aquis fundata ad lucem venit, ceteris structuris iacta sunt fundamenta. [260]

Incole Veteris Civitatis, que de ruinis Centum Cellarum extat, et portum habet egregium et arcem munitissimam, menibus carebant. Ad que conficienda rogatus pontifex pari modo portionem vectigalis contribuit; et iam opus propemodum absolutum est: muri et alti et spissi oppidum cingunt.

5 Corruerant sub Callisto pontifice marmoree gradus scale, per quos in aedem Sancti Petri ascendebatur. Vetustas marmora ipsa corroserat, et diu calcata contriverat - adeo nihil resistit aevo. Pontifex magno sumptu instauravit, scalasque ipsas commodiores pulchrioresque reddidit, et statuis adornavit marmoribus candidissimis ex Lygurie montibus advectis.

10 In Quadragesima, quae sibi tertia fuit, gravissime egrotavit pedes, manus, genua, humeros atque omnes ferme artus obsidente podagra. Que res amicis acerbissima, inimicis iocundissima fuit, his presertim, qui sibi successionem - ut est hominum dementia - vanissima et inani persuasione mandatum iri sperabant. Liberatus preter opinionem vulgi quinta feria Maioris Ebdomade in publicum apparuit, duosque Sigismundos excommunicavit: Austrialem propter vim cardinali Sancti Petri illatam, et Malatestam, qui census Ecclesie Romane debitos dissolvere neglexisset; quod etiam sequenti anno factum est post advectum Sancti Andree caput, quemadmodum suo loco dicemus.

20 **16. Profectio Antonii nepotis in Regnum. Vulturni decursus, et Castri Maris per Antonium expugnatio**

Dum hec aguntur, volvens animo Ferdinandus, quantum suis rebus Terracinensis defectio nocuisset, opinantibus omnibus ob eam rem subtracta sibi Romane Ecclesiae presidia fore, unicum eius rei et valentissimum remedium existimavit, si Antonius, pontificis nepos, qui iam militie ascriptus esset, ad se cum copiis mitteretur; sic enim intellecturos omnes presulis animum sibi non esse adversum. Missis igitur Romam legatis, Antonius ut ad se iret, magnopere contendit. Annuit pontifex, utque nepotem instructiorem mitteret, Iohannem ex familia Comitum Romanorum ei adiunxit, qui paulo ante a Picinino defecerat, egregium copiarum ducem et Venetorum olim stipendiis honoratum. Huic sexcenti equites fuere, ducenti pedites; Antonio equites octingenti, pedites quadringenti; his additus est Petrus Sumensis cum peditibus ducentis, equitibus XXX. Hec militum manus in ipsa Maiori Ebdomada iter in Regnum per medios hostes accepit. Dux Sore et Honoratus Gaietanus impedire transitum aggressi non prevaluere. Restabat apud Mignanum difficilior transitus, ubi coherentes asperrimi colles vallem modicam et angustam relinquunt; angustiore

35 reddebat palus, et hec ipsa muro claudebatur.
Mignanum oppidum est nobilium Neapolitanorum, quibus Ratte cognomentum indidere. (Beneventanus archiepiscopus, quem postea Pius deposuit, ex hac gente ortum habuit.) Presidium hostes imposuerant, quo prohiberi (posse) Antonio transitum putavere, sed longe decepti sunt: quam primum Iohannes [261]

et Antonius huc appulere, mox impetu facti muri obicem disiecere, et aperto aditu illi transiverunt. Unus tantum vulneratus est, qui paulo post apud Capuam obiit: Andreas Lucensis, Iacobi episcopi Papiensis - qui postea cardinalis assumptus est - germanus, nobilis eques; qui dum strenue magis, quam caute pro impedimentis, quae hostes invaserant, contendit, nondum recepta galea sagitta confossus est oculus; ceteri alacres in Capuanum pervenere. Qua re cognita letitia ingens Ferdinando fiduciaque accessit, hostibus metus, quibus pontificis animum haudquaquam immutatum esse constaret. Fama enim vulgatum erat ob Terracinam a pontifice captam deinceps nihil ab eo Gallis formidandum esse. Auctus igitur his copiis Ferdinandus dum in consilio querit, quae hostes aggrediendi sint, optimum factu existimatum est Castellum Maris in primis oppugnari; id est oppidum non procul ab ostio Vulturum egregie munitum, in quo validum erat ducis Sinuesse presidium et oppidanorum armata iuventus. Vulturum ex Appennino cadens longo fluxu apud Capuam ponte iungitur, deinde per plana ad hoc Castellum placide labitur, et in proximo exoneratur mari; fluviorum, qui Campaniam irrigant, maximus. (Campaniam nostra aetas Terram Laboris appellat, inde accepto vocabulo, quod maxime arabilis sit, et homines sua facilitate et fructuum proventu ad laborandum, id est agros excolendos invitet. Quidam ex eo corruptum vocabulum existimant, quod in Campania non procul a Capua populi fuerint Leborii appellati.)

Approbato consilio expugnandi Castellum provincia Antonio demandatur quam - etsi natura sua perardua erat - frequentes tamen pluviae et aquarum assidua inundatio difficiliorem reddidit. Oppidum humili loco situm ac fossis latioribus aqua plenis defensum adiri non poterat, quin augescente pluviarum diluvio castra, in quibus Antonius erat, equos atque homines instar paludis inundaverant. Nec tamen pertinax dux ab incepto destitit, neque ad horam intermissa est oppugnatio: ex ipsis undis equites ac pedites emergentes missilibus oppidanos infestabant. Verum cum irriti conatus viderentur, bombarde advecte sunt ex Neapoli validissime, quae lapidem iacentes grandiore uno ictu et partem muri deiicerent, et duas tresve domos oppidanorum penetrarent, et obvia quaeque prosternerent. Pugnatum est et bombardis et aliis machinis diebus aliquot, et non pauci hinc atque inde interempti sunt, verum plures ex hostibus. At dux Sinuesse propinquus pro mortuis ac sauciis integros in horas milites sufficiebat, et Antonio non cum hostibus solum, sed cum pluvia et inundantibus aquis et argillosa terra et cum exercitu, qui retinebatur invitus, pugnandum erat. Nihil tamen animo fractus propositum tenuit, et bombardarum auxilio, quae muros assidue quatiebant, victoria tandem potitus est. - Attonite ac perterritae mulieres frequentibus hominum funeribus, cum modo filios, modo parentes ac viros ante ora sua cadentes cernerent, et ipsarum alicui nonnunquam ictu lapidum tacte corruerent, ululatu ac clamore horribili et planctu lacerantes ora per oppidum discurrentes, ut hostibus tandem cederent, qui reliqui fuerant, viros hortari atque obtestari ceperunt: periisse iam [262]

populi magnam partem, nec repelli humana ope hostem posse, qui divinis restitisset impedimentis, nec pluvia potuisset arceri; quid, si redeat serenitas? quis retinebit impetum? igne ac ferro periturum oppidum; paciscendam cum hoste salutem, priusquam oppidum ingrediatur. Milites, qui presidio erant, veriti, ne ab oppidanis traderentur, simul cum illis deditionem fecere.

5 Antonius preter laudes et nomen victoris nihil in ea pugna lucrifecit. Spes fuit oppidum non parvi proventus ei relinquendum, qui pro duce Sinuesse, a quo tenebatur, surrogatus esset. Verum Ferdinandus ad ecclesiam Capuanam pertinere affirmans apud se retinuit: tantum concepta semel Terraconensis indignatio potuit! (Sive lucri dulcedo fuit, [quod vel
10 cum sacrilegio placet.) Ceterum regis ingens ingratitude visa est.] - Castelli eius expugnatio haud parvi momenti fuit, que Vulturno clauso ab incursionibus hostium non solum Capuanum, sed Aversanum et Neapolitanum agrum liberavit.

15 **17. Expugnatio Scaphati et alterius Castelli Maris direptio per Antonium facte. Turris Greca. Alfonsi secessus, et Vesevus mons sulphureus, ac Plinii Maioris mors**

Restabat aliud oppidum Samo adiacens fluvio, non procul ab eius ostio - Scaphatum accole
20 vocitant -, per quod hostes in Neapolitanum usque ad Turrim Octavi, quam Grecam appellant, nihil non infestum relinquebant; placuit et hunc aditum hostibus auferre. Negotium Antonio datum, qui non minori vel animo vel ingenio Scaphatum, quam Maris Castellum expugnavit, nec minus hic, quam ibi vel laboris vel periculi fuit. Quo in loco dum tenet obsidionem, alterum Maris Castellum cum parte copiarum ex improvise adhortus cepit ac diripuit; arcem, que munitissima erat, obtinere non potuit, cuius prefectus - ut ante
25 diximus - auro corruptus, quamvis esset Cathelanus, ad Gallos defecerat.

(Duo sunt in regno Neapolitano oppida, que Maris Castella vocantur; verum alteri discretionis causa Vulturni cognomentum addidere; hoc, cuius arcem venditam diximus, in litore maris situm est e regione Neapolis ad radices montis, in quo Surrentum et Litterarum civitas ad occidentem et memorabilis ad orientem Amalphitana rupes iacet castellis, palatiis
30 et oppidis adornata quam plurimis.)

Turris Greca, cuius fecimus mentionem, octavo distat a Neapoli miliario - atque iccirco Octavi dictam putant, non Octavii. Villa est et ipsa in maris litore loco eminenti sine menibus rusticano aedificata more; in medio Lucretie domus fuere - quam adamasse Alfonso
35 diximus - paulo urbaniores. In rupe, que mari eminent, palatium regis fuit rege indignum; nihil in eo invenisses, quod laudare posses: vilis aula, et vilius cubiculum inhabitavit - prospectus tantum ex unica fenestra in mare gratissimus patuit, unde et Neapolim et Castellum Maris et insulam Caprearum et Mysenum et alios complures intueri montes [263]

licebat, et sub ea in ipso maris litore fons limpidissimus dulcis aque ac frigidissimus
 scaturiebat. Alfonso per aestatem hic frequenter secessus fuit, sive quod aerem et ventulos
 salubriores invenit, sive quod a Lucretia eum locum incolente disiungi non potuit. Per
 noctem in palatio suo dormiebat securitatis causa muris altioribus et militum excubiis
 5 defensus, dies apud Lucretiam duxit cubiculo in eius horto exedificato. Ville supereminet
 Vesevus mons, qui nunc ab oppido Summa nomen ducit, vitibus consitus, que arboribus
 sustentate vini Greci grati copiam gignunt. Hunc olim arsisse ipsa terre facies ostendit cineri
 similis et lapides nigri atque ambusti, quales videmus ex minera ferri expresso superesse
 10 metallo. Ipse mons biceps est, qualem ferunt esse Parnasum Nysa Cirraque memorabilem:
 unus erat antea vertex et sub eo sulphuris magna vis, qua incendio occulto consumpta
 dehiscente terra summum cacumen subsidens duos reliquit colles, et vallem inter utrumque
 non modicam et baratrum aperuit; ex quo cum incendium emersisset supra quam credibile
 videretur magnum, ferunt Plinium Secundum Veronensem, qui *Naturalem* scripsit
 15 *Historiam*, cum esset prefectus Romane classis apud Mysenum in statione manentis, eo
 visendi gratia accurrisse, et dum incaute miraculi causam perscrutatur, noxio exalante vento
 ac pulvere suffocatum esse, atque hunc excellenti viro fuisse obitum. - Haec de Turri Greca
 dixisse placuit, que per hoc tempus virtute Antonii salvata est redacto in potestatem
 Ferdinandi Scaphati oppido, clausoque hostibus Sarni transitu.

20 **18. Gesta Ferdinandi. Beneventi restitutio, archiepiscopi perfidia, et Picinini
 progressus**

Ferdinandus anno superiore expugnata Formicularum oppido eaque baronia cum comitatu
 Cerretano, Casertano, Sanctae Agates cum pluribus oppidis in potestatem acceptis castella,
 25 que fuerant Iacobi Antonii Serini, sex recuperaverat; agrum omnem Salernitanum, quam
 Foriam vocant, cum vicis pluribus atque castellis armis obtinuerat; in Calabria per suos
 duces feliciter pugnauerat, in Apulis per equites, quos ab Epyro atque Albania accersiverat,
 hostium agros vastaverat, Caudinamque vallem ingressus Montis Sarculi arcem, Ducentam,
 30 Milactianum, Vallum, Arpadium et alia plura oppida partim vi partim deditione acceperat,
 atque in conspectu hostium, qui apud Iesualdum consederant, oppida duo - Serram et
 Montem Apertum - expugnauerat, et a Neapoli Paludium usque, quod octo milibus a
 Benevento abest, per passus circiter XL milia Apuliam versus iter aperuerat, Luceriamque
 prope ad septimum miliarium pervenerat oppido Sancti Bartholomei, quod de Gaudio
 vocitant, armis obtento.

35 Beneventum, quod olim Samnitum caput fuisse memorant, per id temporis ad Ecclesiam
 redierat; prius Alfonso paruerat, et ante illum multos annos vel regibus, qui precesserant, vel
 tyrannis; Ferdinandus ex conventionem Pio restituit [264]

invitus, cum aliter regni concessionem obtinere non posset. Iustum necessitas fecit! Pius Ravennatem presulem eo transmiserat, qui urbem pro Romana Ecclesia gubernaret. Nutabant animi civium, et Alfonsi odio infensi filio ad Francos inclinabant. Loci archiepiscopus, qui esset Andegavensium partium, dies ac noctes urbem lustrabat armatus, et assimulans vereri, ne Cathelani per factionem aliquam intromitterentur, servare civitatem pro Romana Ecclesia publice aiebat, occulte vero cum hostibus sentiens aperire illis portas adnitebatur. Occupatio Caudine vallis, Romanorum olim clade memorabilis, quos Samnites sub iugum misere, et Ravennatis custodia diligens insidias avertit. Archiepiscopus, ubi detectam fraudem intellexit, relicta plebe sua ad fratrum castella confugit, et quasi privatus homo et apostata sui ordinis dimisso episcopali habitu per Gallorum castra discurrit.

Dum Ferdinandus Castello Maris ab Antonio expugnato Terram Laboris expurgare hostibus contendit, Picininus in Aprutiis cum Mattheo Capuano et Marco Antonio, audacibus copiarum ducibus sepe manus conseruit; verum nunquam totis viribus periclitatum est, cum ipse Lauretum, illi civitatem Pennarum obtinerent. Mattheus Picininum provocaturus in equum profectus campum acies universas produxit; Picininus in monte, qui propinquus erat, castra continuit, nec pugnandi copiam fecit, haud ignarus incauti ducis esse sine prerogativa, nisi necessitas urgeat, proelium committere; temeritatem hostis futuram sibi honori putavit, cuius tanta esset audacia, ut ex loco vel iniquo pugnam miscere non dubitaret. Non successit consilium: Mattheus, postquam horis aliquot frustra descendere Picininum expectavit, receptui signum dedit, atque in urbem reductis copiis sumpto cibo non diu moratus iterum cum parva militum manu speculatum, quid hostes agerent, egressus est; illi in oppidum se receperant. Proficiscitur ad Laureti usque fontem, qui non procul a menibus erat, et audacia spem faciente clamoribus irritare Braccianos pergit, quos tumultuarie assumptis armis occurrentes ac manus conserere audentes loco disturbat, atque in oppidum non sine dedecore redire compellit.

Ea res estimationi Picinini non parum detraxit, qui paulo post dimissis Aprutiorum montibus, in quis rerum inopia laboraret, ad interiora Regni congressus in terram Sancti Severini comitum descendit. Iohannes, Rhenati filius ad eum venit, qui iam pridem modo in Apulis modo in Terra Laboris fuerat. Capta sunt primo adventu nonnulla castella, que absque presidio relicta non tam virtuti hostium, quam fame cesserunt.

Ventum est ad oppidum, quod Montorium appellant, in valle profunda non procul a Salerno; parvum inerat presidium, verum oppidani non rudes menia tutabantur. Pugnatum est diu pro muris, quos ascendere miles sepe adnixus sepe repulsus est. Atrox ibi prelium commissum, in quo non pauci hinc atque inde periire; inter quos Vademontensis comes, inter Gallos nobilissimus et Iohanni Andegavensi sanguine iunctus, qui dum inter primos acri animo muros oppugnat, nec cedentibus suis vult cedere, ictus lapide mortem oppetiit. [265]

Omissa est eius diei oppugnatio, dum viri clarissimi funus ducitur. Postera die reintegrato certamine, cum iam fessi oppidani concussa et iam ruitura tueri amplius moenia nequirent, pacti corporum ac rerum salutem sese dederunt. Sed que fides armati militis? Ingressus exercitus obvios quosque trucidavit, rapine omnia exposuit, oppidum incendit, mulierum pudicitiam fedavit. Sic Gallus, dum necem amici ulciscitur, fidem violat.

19. Cosentie defectio et eiusdem recuperatio atque direptio et opes

Circa idem tempus in Calabris non parva rerum mutatio facta est. Cosentia, eius provincie primaria civitas negociatores plurimos aluit, qui res suas ad exterarum nationes deferentes et illuc alienas importantes maximas opes congessere, atque ut Neapolim in Terra Laboris et Aquilam in Aprutiis, ita et Cosentiam in Calabris ceteris prestare urbibus asserebant. Non tulere divitie se ipsas: crescentibus opibus et ambitio et luxus crevit, certissima discordiarum fomenta. Dissidentes inter se cives, qui Ferdinandi odio tenebantur, impatientes oculi ad Gallos defecere. Mansit arx in potestate regis, quam cum versari in periculo didicissent, Alonsus Hispanus, Robertus Ursinus et alter Robertus, Sancti Severini comes, egregii copiarum duces presto affuerunt, atque intromisso per arcem milite in urbem descendere. Pugnatum est in ipsis viarum angustiis, cum cives in extremo periculo pro tutandis aris ac focus arma sumpsissent. Verum brevis ea contentio fuit, cum hinc miles nutritus in castris et assiduo labore duratus, illinc urbana et mollis iuventus arma versaret. Superati cives partim cesi partim capti hosti victoriam reliquere; urbs direpta ea perpessa est, que victoribus placuere. Predam supra septies centena milia auri nummum estimaverunt; exercitus argento et auro gravis inde abiit. Antiqua civitas, apud quam Alaricum, magnum Gothorum regem in alveum propinqui fluminis sepultum tradunt, patrate proditoris hoc modo poenas dedit.

20. Sabellus multis oppidis spoliatus, [et Pii constantia in eo persequendo]

Dum hec aguntur in Regno, Alexander Sfortia et Federicus Urbinas aperto iam veris tempore apparatus atque ornatis copiis eo se profecturos aiunt, quo pontifex iubeat. Non erat ducis Mediolani eadem sententia, que pontificis: illi optimum factu videbatur reddita Sabello pace - quamcunque optaret - exercitum adversus Ferdinandi hostes in Regnum propere mittendum fore, sic enim bellum citius finiri posse; eademque Cosmae Florentini opinio fuit. Pontifex expugnandum ante omnia Sabellum censebat, qui leges pacis honestas respuisset, nec pugnandum foris, nisi domi pax esset, neque ferendum, ut [266]

subditi suis superioribus leges dicerent; Sabellum hostes Ecclesie in agrum Romanum adduxisse, ad Urbis usque menia predas fecisse, iussum tenere pacem atque hostem remittere contempsisse; nisi Nazanum sibi redderetur, quod olim iure perdiderat, nunquam se parituro Ecclesie respondisse; Nacanum oppidum Nicolaum Quintum sibi propter rebellionem abstulisse, ac Sancti Pauli monasterio vendidisse; quod si Sabello redderetur, quid aliud esset, quam subditos ad contumaciam ac rebellionem invitare? Principatum duas potissime res conservare: poenam scilicet ac premium; has si auferas, precario imperes; Sabello satis esse debere, si, que tunc possideret, clementia pontificis retinere posset, quibus ob crimen lese maiestatis privatus esset; Nazanum illi addere nihil aliud esse, quam premio malefactorem afficere; qui hoc suadeat, non amare pontificem, cuius sit honoris prodigus.

Vicit sententia Pii. Ambo duces in Sabinum ducentes Iacobi Sabelli universum agrum veluti tempestas quedam protrivere; et Federicus quidem superiora loca invasit, Alexander inferiora. Oppidum est in alto colle, Cantalupum vocant. Hic Federicus primum castra locat, ubi aestate superiore pluribus immoratus diebus nihil profecerat; itaque veluti contumeliam ulturus summa vi admotis machinis muros quatit. Oppidani inferiorem oppidi partem diffisi posse tueri despoliatam reliquere, atque in altiorem munitionem se receperunt, indeque pluribus diebus forti animo restitere, donec bombardis concussa turris, que erat in arce maior, ruinam fecit; tunc vero desperata prorsus defensione sese dediderunt. Asolani autem, qui altissimum montem incolunt, non expectato exercitu sponte in obedientiam pontificis pervenere. Inde ad Foranum duxit Urbinas, quod oppidum Tyberi propinquum et ipsum vi ac machinis expugnavit. Alexander Cretonum aggressus difficili oppugnatione pervicit; erant enim muri sexdecim spissi pedibus, quibus preter opinionem oppidanorum concussis atque disiectis omnia in predam concessere, oppidum ipsum dirutum atque incensum est. Cepit et Alexander Arcioni Castellum.

25

21. Profectio Alexandri in Apuliam et Urbinatis ad Montorium in Sabinos, eiusque direptio. Bombardarum nomina. Sabelli cedes filiorum atque ultio

Deinde placuit, quoniam Picininus in Apuliam descendisset, et Alexandrum cum Sfortianis militibus per Aprutios eodem contendere atque opem Ferdinando afferre, quem ferebant Appennino transmisso adversus Tarenti principem iter habere. Urbinas in Sabinis remansit, qui coniunctus cardinali Theanensi Montorium oppugnare decrevit. Id oppidum in asperrimo monte situm fuit, muris et turribus egregie munitum ac mercenario milite defensum, nec spes erat per abruptos ac precipites aditus bombardas posse deduci. Pervicit omnia labor improbus: diligentia cardinalis adducta est altera ex bombardis, quas paulo ante Augustinus Placentinus iubente pontifice fuderat, eiusce artis [267]

35

egregius opifex. (Tres ille bombardas formavit, quarum primam ex nomine patris Pii pontificis Silviam appellavit, alteram ex nomine matris Victoriam - de qua Campanus poeta clarissimus hos versus edidit:

5 *“Rumpere que videor sonitu Victoria celum,
cumque suis muros turribus eiicere,
arma iuvo tueorque Pii: quantum erigit ille
voce bonos, ictu tantum ego sterno malos”*

10 -, tertiam, que nondum ad proelium ducta est: Aeneam, quod id fuerit ante presulatum pontificis nomen; et hec reliquis maior, quae lapidem trecentarum pondo emisit, ille ducentarum; in quis tanta vis reperta est, ut nulla murorum moles resistere valeret. Ac tum primum in agro Romano, quid bombarde possent, cognoverunt; nam priores vix quatuor pedibus spissos muros disiecerunt, he viginti molem contrivere.)

15 Silvia Montorium advecta ut primum iacere cepit, oppidanorum animos consternavit. Unus tantum erat locus, ubi admoveri machine possent, et hic multiplici muro et aggere clausus; Silvia cuncta disruptit, atque oppidum exercitui patefecit, qui mox irrumpens ductis in captivitatem viris ac direptis bonis, que primo impetu occurrerunt, ignem imposuit, quo non fortune tantum ac domus, sed ipsa quoque moenia oppidi conflagraverunt. Moiani
20 Podium non expectato prelio exercitui portas aperuit, atque ita ruinam evasit. Restabant Sabello Aspra tantum et Palumbaria; illa procul ab Urbe sita parum obfutura videbatur, hec propinqua multum afferebat incommodi XIII ab Roma miliario distans ac vicina Tyburi. In ea Sabellus ipse moram trahebat, et cum eo Silvester Placentinus et Corradus Alvianensis, qui Romanum agrum crebris excursionibus infestabant Deiphebo coniuncti, Eversi filio,
25 Monticelli propinquum castellum obtinenti. Huc ergo, ut finis tandem belli reperiretur, applicare castra placuit. Verum ad expugnationem munitissimi oppidi et fortissimis defensi viris preparatione opus fuit.

Cui dum navatur opera, fractus animo Sabellus per amicos pontificis gratiam querit, obediturum se facturumque omnia dicit, quae imperentur, si Palumbaria et Aspra sibi
30 relinquatur, Cretonum et Donum Dei restituatur. Pontifex nullam conditionem admittit, haud ignarus obsidionem, si semel ceperit, diu durare non posse cum propter rerum inopiam, tum quod oppidani Sabello infensi essent, quorum parentes ac cognatos crudeliter occidisset.

(Sedente Callisto Tertio cum Sabelli filii licentius in subiectos debaccharentur, nec a mulierum violentia temperarent, non tulerunt oppidani inultam contumeliam: armis tumultuarie sumptis duos Sabelli adolescentes in spem successionis educatos obtruncavere, et arce furto occupata Ecclesie imperium acclamavere, sub quo tandem seva liberati tyrannide conquiescerent. Non audivit Callistus supplices duobus cardinalibus Romanis adversantibus - Latino Ursino et Prospero Columnensi - , qui similia in suis oppidis
40 verebantur [268])

exempla; nam dulce imperium Ecclesiae tyrannidi omnes preferunt. Accedentes igitur
 cardinales pontificem grande inquit in Palumbaria perpetratum scelus: immanes rusticos
 nobilem fudisse sanguinem, subditos in suos sevisse dominos, adolescentes duos sine causa
 interfectos; rem pessimi exempli, nisi vindicetur, percrebro expectandam; caveret, ne
 5 proditoribus opem ferret, ne Sabellorum illustrem domum offenderet hinc Ursinis inde
 Columnensibus iunctam, que sine contumelia totius Romane nobilitatis ledi non posset;
 generosos homines confovendos esse, neque permittendum, ut subditi in dominos impune
 grassentur. - Callistus, homo Hispanus, qui non satis Italie calleret mores, [amicis nudus
 cardinalibus auscultavit;] Palumbarienses auxilio destitutos in manu Sabelli reliquit. Ille
 10 oppido recuperato [omni ferocissima bestia truculentior] nullis precibus motus
 comprehensos omnes, quos de nece filiorum conscios iudicavit, in medio foro viros circiter
 XXX-ta securi percussit ac per mensas - quasi vitulos aut sues in macello - in frustra concidit,
 atque huc et illuc discurrens crudelis ac sanguinarius miserorum sanguine pavit oculos, nec
 vicum sine cruore dimisit, nec familiam oppidi reliquit intactam; nulla caruit luctu domus.)
 15 Quibus ex rebus existimavit pontifex admotis ad Palumbariam castris memores iniuriarum
 oppidanos, quos ad quingentos esse aiebant, obsidionis incommoda pro tam crudeli domino
 haudquaquam longo tempore subituros. Sabellus idem veritus Ottonem Carettum, qui pro
 duce Mediolanensi legatus erat in Urbe, oratum facit, suam causam ut commendatam
 suscipiat, nec sinat se, ducis amicum periclitari; veniam sibi a pontifice impetret, et unde
 20 vivere possit, oppida ex his, que sua fuerant, vel tria vel duo. Otto pontificem adlocutus cum
 nihil obtinisset, Palumbariam proficiscitur, ac semotis arbitris verba faciens Sabello suadet,
 ut voluntati pontificis sese permittat, nec ultra belli fortunam experiatur, qui esset ab
 omnibus derelictus; cum pontifice - nomine ac re 'pio' - plura sine pacto impetrari posse;
 sperneret tandem mala consilia Silvestri ac Deiphebi, a quibus sepe numero fuisset deceptus,
 25 nec Picinino crederet, in cuius promissis nihil invenisset solidi.

22. Sabelli deditio eiusque miserabilis oratio, et Pii clemens responsum

30 Victus tandem Sabellus, cum periculi magnitudinem non ignoraret, se ac sua in manu
 pontificis posuit, et secutus cardinalem Theanensem per mediam Romam veluti captivus in
 triumpho ductus ad pontificem venit, pueris ac mulieribus per vicos et plateas in eum probra
 iactantibus, vixque manus ob indignationem continentibus. Ille, ut in conspectum pontificis
 datus est, prostratus in terram lacrymantibus oculis ac voce tremula:
 35 „Peccavi, sancte pater, in te" - inquit - „et in Ecclesiam Dei tua monita respuens. Inimici
 mei me coegerunt crebris iniuriis lacessitum et vindicte immoderata cupido. [269]

Nunc ad te supplex venio, victus ante tuos pedes captivusque iaceo, corpus et fortunas omnes meas in tua manu victoria posuit. Delicta mea quam plurima sunt, sed illud maximum, quod non feci iam pridem, quod nunc facio; stulto consilio tuam experiri clementiam distuli. At quanto peccavi gravius, tanto maiorem prebui materiam, in qua tui nominis dignitas elucesceret. Ecce adsum iudicio tuo subiectus; expecto, quid iudices. Tue fortune est, ut perdere me ac salvare possis; tue virtutis erit velle salvare!"

5
10
15
- Pontifex in hunc modum respondit:

„*Voluimus te incolumem, Sabelle, conservare. Documento sunt epistole nostra manu ad te scripte: tedeat nos adversus eum bellum gerere, cuius maiores ab Apostolica Sede inter precipuos Urbis proceres collocati fuissent. Non audisti vocem nostram, advocasti hostes Ecclesie, et ex agro Romano predam abegisti. Mala te consilia deceperunt. Cognovisti tandem errata tua, quod si citius fecisses, nec nos maximis involvisses periculis, nec tu belli adversam fortunam fuisses expertus. Sed quis est homo, et non peccat? Nemo sapiens nascitur; nulli tanta prudentia est, cui non supersit aliquid discere. Multa dies docet, ad extremum usque senium mortales ignorantia sequitur. Non est, quod te miremur cano capite per ignorantiam deliquisse. Correxit te Deus, et per adversa reduxit ad sanitatem. Secunde res intellectum hominis hebetant, adverse acuunt. Vidisti expunctus, quod non cernebas inunctus. Dedisti te nobis, ut esset venie locus, et petis ignosci tibi. Non possumus supplici non ignoscere. Maior erit nostra clementia, quam tua dementia. Vitam, qua tua te perfidia indignum reddidit, a nobis accipito! Esto liber! Aspram et Palumbariam donatione nostra retentato, ac sperato maiora, si bene vixeris!"*

30
His dictis respirantem et letum remisit hominem. Quod factum cuncti laudavere - his exceptis, quibus non tam misericordia, quam vindicta cordi erat.

35 **23. Alexandri gesta in Aprutiis**

Alexander, dum ista geruntur, profectus in Aprutios Populi comitem ad Ferdinandi obedientiam reduxit, et comitissam Celani, Sulmonem, Theatum - quam Thetidis urbem putant - et alia eius regionis oppida, que nutare videbantur, [270]

in officio confirmavit. Mattheus Capuanus Sancti Flaviani oppidum vi expugnavit, castella plurima Iosiae abstulit, Theramum intempesta nocte adiens, adiuvantibus exulibus perfracta porta, civitate absque sanguine potitus est.

5 **24. Canonizatio Sancte Catherine Senensis**

10 Inter hec pontifex rogatus a suis civibus Beatam Catherinam Senensem inter sanctas Christi virgines referre, [accito] episcoporum concilio, qui tunc erant in Urbe, de vita et miraculis inquisitione per tres cardinales facta, qui omnia, quae invenerant, coram retulere, interrogato conventu, quid videretur, cum respondissent universi canonizandam virginem fore: in basilica Beati Petri suggestum apparari iussit, in quo re divina peracta orationem habuit de laudibus virginis; quam hic non inseruimus, in volumine reliquarum orationum conscriptam. Ea finita summo cardinalium, episcoporum, abbatum et aliorum, qui assidebant, prelatorum consensu, adhibitis solemnitatibus assuetis Catherinam ipsam in 15 cathalogo sanctarum virginum ascribi mandavit, commemorationem eius fieri quotannis instituit, visitantibus sepulchrum, in quo iacent ossa, indulgentias septem annorum concessit, ac canonizationis litteras ipse dictavit: quae inter alias eius epistolas continentur.

20 **25. Consultatio de Urbis discessu, et Pii ad Federicum dissuadentem confutatio animique magnitudo**

25 Ardere iam Roma ceperat fervente Iulio mense; fugere cardinales caumata, nec curiales immorari velle: estivum aerem cuncti horrere. Pontifici haud satis tutum videbatur hoste propinquo ab Urbe procul abire: Sorani adhuc et Aquilani et multi per Aprutios insidiabantur Ecclesiae. Statuit igitur Tybure reliquum aestatis agere; sic et civitatem nutantem in officio retineri, et noxium Urbis flatum evitari posse. Quod cum accepisset Federicus Urbinas copiarum ductor, Romam veniens ac pontificem maximum adiens:

30 "*Si verum est*" - inquit -, "*quod accepi, Pie presul, non possum non admirari. Iturum te Tybur est rumor. Quis hoc consilii dedit? An excidit memoria illius populi perfidia? Plebs Columnensis est inimica tibi, cum Sabello sentit, Picinini consiliis auscultat, Eversum diligit, nihil magis odit, quam tuum caput. His te hominibus credes, qui sepe hoc anno civitatem tuis militibus clausurunt, hostibus aperuerunt? Age, pontifex, consule tue saluti! Serva dignitatem! Serva et nos, qui ex tua vita pendemus! In te uno spes nostra sita est: tecum cadimus, tecum surgimus. Salva caput tuum, quocum tota salvatur Ecclesia!*" [271]

Laudaverunt, qui aderant, cardinales et aulici Federici verba, nam et illis plena periculorum Tyburtina profectio videbatur. Pontifex in hunc modum respondit:

5 *"Qua perfidia vel potius dementia Tyburtini hoc anno sint usi, non sumus obliti, quippe quod eorum opera in extremas difficultates incidimus. Si obtinisset Picininus Tybur, quod prope affuit, Roma excedere oportebat, quando extra moenia nihil erat tutum, nec Romanus est, qui carere pecoribus possit. Facilius cum Tybure Romam perditam, quam Tybur cum Roma recuperaveris. Nobis cure est dubiam civitatem et prorsus nutantem in partem nostram adducere atque in officio retinere. Quod facile fiet nobis illic per aliquot menses habitantibus, nec nos terret plebis amor in Columnenses aut in nos odium. Mutabile vulgus est, nullius populi diuturna voluntas: nunc odit, nunc amat. Multitudinis consilia ex utilitate pendent; et que maiora possunt emolumenta prestari populo, quam ea, que Romana Curia secum affert? Locantur domus, venduntur fruges, vina et pecora mutantur in aurum, ad mulierculas usque lucra perveniunt [vestimenta lavantes]. Sciunt hec Tyburtini, atque iccirco petunt, ut ad eos eamus. Non est occasio pretermittenda! Ibimus: aut fugient, qui seditiones parare consueverunt, aut territi silebunt, et sese nobis subiiciunt. Boni cives, quorum non est urbs omnino vacua, nobiscum sentient; et quis erit, qui vel hiscere contra nos audeat curialibus et militibus et parte civium hinc atque inde stipatos? Non sumus eius animi, ut nostra in civitate vim timeamus: ipsi metuent, qui peccavere, et nobis facultas erit arcem erigere et civitati frenum imponere. Novimus vulgi mores: victoriae omnia parent. Edomito Sabello cunctis, qui male sapiebant, cadentibus animis oclusa sunt ora."*

Acquievit his dictis Federicus, atque in castra se recepit, que non procul erant a Monte Celio. (Montem Celium vocant Monticellum, quem Deiphebus tenuit.)

25 **26. De genere armorum apud veteres deque Troiano bello Pii sermo. De ingressu Tyburis, et data venia, et arcis confectione**

30 Pontifex paucis post diebus ex Urbe intempesta nocte discedens ad Anienem nondum sole orto pervenit. Quo transmissio Federicum et cardinalem Theanensem cum decem turmis equitum obviam habuit, qui ad pontem usque Lucanum securitatis causa fuerunt comites. Oblectatus est pontifex splendore armorum et equorum ac militum ornatu; nam quid pulchrius castrorum acie ordinata? Fulgebat sol in clipeis, et galearum christarumque facies mirabilem reddebat splendorem. Quot fuerunt armatorum turme, tot quasi silve lancearum apparuerunt. Iuventus huc atque illuc currere, equos in gyrum flectere, enses vibrare, hastas circumferre, dimicationis speciem ostentare.

35 Federicus, qui multa legisset, interrogare pontificem, an prisci duces eque ac nostri temporis armati fuissent. Pontifex et in Homero et in Virgilio genus omne armorum inveniri descriptum dicere, quibus nostra utitur aetas, et alia [272]

multa, que obsoleverunt; poetas, etsi fingunt aliqua, ea tamen plerumque describere, quae in usu aliquando fuerunt, neque prorsus a vero discedere. Incidit et sermo de Troiano bello; quod cum penitus extenuare Federicus adniteretur, pontifex magnum fuisse ostendit, nec sine causa tantam eius extare memoriam. Cumque de Asia quoque mentio fieret, que Minor

- 5 vocatur, nec de limitibus conveniret, pontifex postea nactus ocii paululum apud Tybur, Asiam ipsam descripsit ex Ptolomeo, Strabone, Plinio, Q. Curtio, Iulio Solino, Pomponio Mella et aliis veteribus auctoribus, que sibi visa sunt ad rei cognitionem idonea, suscipiens. - Sermo dulcis et alacer inter pontificem et Federicum de antiquis historiis ad pontem usque Lucanum protractus est; illic dimisso exercitu pontifex iterum Anienem transivit.
- 10 Populus Tyburtinus ad secundum miliarium cum ramis olivarum et cantibus eum excepit: simul capita factionum et seditiosa iuventus et pacis amatores cives convenerunt, qui lecticam pontificis subeuntes cum tremore pariter ac amore suum dominum in urbem portavere. Nonnulli, qui plus deliquerant, suam magis culpam, quam pontificis clementiam advertentes in exilium sponte abierunt; horum bona proscripta sunt, reliquis omnibus venia
- 15 data. Duo fuerunt rebellionis duces: (Iohannes) Toccus et Clemens quidam nomine; ille astutia, hic clientela potens; amici ambo Columnensium, et Sabello ac Picinino per federa iuncti, qui sepe aperire hosti portas tentaverant, auctoresque fuerant, ne miles ecclesiasticus intromitteretur. His presul ad se vocatis ac blande compellatis impunitatem gestorum promisit. - Exin contione civium se coram habita errata populi et stulta consilia, et quo
- 20 fuisset in periculo civitas, exposuit; postremo, ut arcem construi equo animo paterentur, suasit, docens multis rationibus id esse urbi salutare. Quod facile obtinuit, cum viri boni ad compescendos temerarios arcem necessariam esse cognoscerent, seditiosi obtenta venia peccatorum adversari papae, qui fuisset in eos clementissimus, non auderent. Iecit igitur e vestigio fundamenta in sublimiori urbis loco, ubi veterem fuisse ruinae adhuc extantes
- 25 indicabant. Duas erexit turres, quarum muri XX pedes spissitudinis habuerunt, altitudinis altera CXXX, altera centum; reliquis muris suam proportionem attribuit, fossam latam ac profundam circumduxit; cystemas duas effodit; portam marmoribus adornavit, in quis hos versus insculpi iussit:

- 30 "*Grata bonis, invisita malis, inimica superbis
sum: tibi² Tybur, enim sic Pius instituit.*"

Extat et hoc Campani epigramma:

- 35 "*De Tyburtina, quam nunc Pius erigit, arce
quid vulgus tota sentiat urbe, rogas.
Esse Pium mitem, nec tam punisse nocentes,
quam, ne quid noceant, consuluisse ferunt.* [273]

*Cumque sit ingenio princeps mitissimus, aiunt
Argolici Graiam Tyburis esse fidem.*

*Nil igitur doleas, Tybur, si clauderis arce:
non Pius hoc, sed tu surgere cogis opus!*

5 *At tu si quereris, scimus, que causa querele:
Aeneas Phrix est, Tybur es Argolicum."*

10 Opus quamvis multi laboris et magni sumptus esset, uno tamen anno absolutum est, excepto duplici muro, quem statuit ab arce usque ad portam urbis producere; cui deinceps navabitur opera. Fabrica XX-ti milibus aureis perfici non potuisset, nisi operarios et Tyburtini et alii Ecclesiae subditi sine mercede adhibuissent. Structuram cuncti laudavere, et opus pernecessarium existimarunt, quo vicinorum audacia et ipsius urbis temeritas compesceretur; nec minoris utilitatis iudicata est arx Piensis in Tybure, quam Moles Hadriani in Urbe, quando et Tyburtina civitas alterum Rome munimentum censetur.

15

27. De Tybure et eius situ, edificiis priscis et agri eximia amenitate

20 Tybur apud veteres fama notum in angulo iacet prealti montis, non procul ab eius radice; ex plano circiter mille passibus illuc ascenditur. Pars urbis, in qua sita est arx, a reliquo monte, qui supereminet, lata et profunda fossa discinditur. A porta, que in Oliveta et Penestre ducit, usque ad alteram Anieni propinquam, qua itur in Prata - a priori, quam diximus, porta usque ad aliam, qua recta est ad Lucanum pontem via, et Romam respicit, praeprupte rupes urbem custodiunt et murus, quem construxit rex Alfonsus, dum illic ageret, repente excitatus; reliquas urbis partes Anio ipse tutissimas reddit adeo in profundum demersus, ut vix pateat in eum intuitus.

25

30 Hic fluvius ex (Trebanorum) montibus oritur non procul a Sublacensi monasterio, vallem nemorosam percurrit placido meatu usque ad monasterium ipsum; illic obiectu rupium multo fragore in profundum labitur, nec prius quiescit, quam relictis scopulis et ingentium saxorum repagulis in plana descendit. (Ferunt sub specu, quod Benedictus inhabitavit, olim murum fuisse, qui retento amnis cursu in superiori valle lacum fecerit, atque inde vocari monasterium Sublacense; postea decidente muro defecisse lacum.) Amnis per vallem amenam fertur et estivo tempore beatam inter Prata et agros et castella complura; ad monasterium Sancti Clementis iterum obiectu montium coarctatur, nec sine rumore et gemitu spumoso ad Vicum Varum pervenit, et quamvis postea quietius incedat, nusquam tamen placidas undas habet, donec Prata Tyburtina contingit; ibi paululum clementius labitur. At ubi muros attingit Tyburtinos, et ad ducentos circiter passus relicta a sinistris urbe percurrit, deficiente iam via inter prominentia saxa magno casu, maiori murmure ac [274]

35

crepitu in subiectam ac profundam vallem precipitatur; nec uno saltu, (multis casibus agitur ac disrumpitur, priusquam ad ima perveniat, spumosos ubique et querulus tanto rumore rapitur,) ut exaudiri humane voces nequeant, nec prius querelas ponit, quam prope ad Lucanum pontem pervenit, per quem dimissus iam placidus et navigabilis, si arborum
 5 impedimenta tollantur, non procul a ponte Milvio in Tyberim devolvitur; nostra etas Tyberonem appellat. - Iungitur dimisso Tybure pontibus quatuor: primum sub ipso oppido Ponticulum appellant; alterum Lucanum, ubi moles marmorea pro tumulo quondam erecta nobilissime Plautiorum familie nunc arcis usum prestat; tertium Mammeum, quem condidisse tradunt Mammeam, imperatoris Alexandri matrem; quartum Salarium a Narsete
 10 eunucho conditum. - Aquas habet in omni cursu limpidas et admodum gelidas, in quis trutas complures inveniunt.

Pars Tyburis ultra Anienem iacet parva et ob civium seditiones parum inhabitata, que ligneo ponte iungitur; supra fluvium civium aedes et altissime rupes pro muris sunt. In ipsa urbe nihil est, quod magnopere mireris, preter edificium quoddam vetustum maximis et
 15 altissimis fornicibus erectum; Portam hodie Obscuram vocant. Inde olim fuit in urbem aditus, et depositis ibi mercibus vectigalia solvebantur. At que fuerunt olim seu negociatoribus aut publicanis seu claris viris ampla et pulcherrima diversoria, nunc bobus stabula patent, et super testudinibus sublimique tecto horti olerum excoluntur. Cernuntur et relique cuiusdam templi seu Veste seu alterius dei in Anienis rupe altis erecti columnis, et
 20 non procul ab arce vestigia erant nobilis amphitheatri - que arx omnia consumpsit. Pars Anienis per civitatem derivata et molis et artificii ac fontibus satisfacit, urbemque ipsam magnopere exornat.

Extra urbem ad tertium circiter miliarium Hadrianus imperator nobilissimam villam exedificavit instar magni oppidi. Extant adhuc templorum sublimes et ample testudines, cernuntur et aularum et cubiculorum semidiruta aedificia, visuntur et peristillorum et
 25 maximarum colonne porticum et piscinarum ac lavacrorum vestigia, in que derivata quondam Anienis portio aestivos refrigerabat ardores. Vetustas omnia deformavit: quos picti tapetes et intexta auro aulea muros texere, nunc hedera vestit; sentes et rubi crevere, ubi purpurati consedere tribuni, et reginarum cubicula serpentes inhabitant - adeo fluxa est mortalium natura rerum!
 30

Inter hanc villam et Tybur vineta et oliveta pulcherrima iacent, et inter vineas omnis generis arbores invenias et punicarum maximum numerum, que granata producant poma magnitudinis et saporis eximii. Undique circa urbem estivo tempore amenissima vireta, in que laxandi animi gratia pontifex cum cardinalibus sepe exivit, et modo in aliquo gramine
 35 sub olivis consedit, modo in viridi prato super Anienis labium, unde spectaret perlucidas aquas. Prata sunt in valle reducta multis aquarum fontibus rigata secundo a Tybure miliario, per que olim ex Aniense derivata vis aquarum altissimis fornicibus ad montes ducebatur, qui Romam prospectant, inde per subterraneos meatus sive [275]

ad Hadriani villam sive ad Urbem mittebantur. Extant adhuc ipsorum aqueductuum magne moles ac sublimes, verum interrupte, in quis construendis quanta fuerit impensa, ruina etiam hodie docet. - Pius in his pratis et circa scaturientes fontes ac circa umbrosas arbores saepe quievit aut de re publica cum cardinalibus agens, aut legationes audiens, quae ipsum - quocunque iret - sequebantur.

5

Habitavit Pius Tybure apud Minores loco edito, unde urbem licebat inspicere et in subiectam planiciem Anienis cursum et hortorum perplacida vireta; nec aliud erat, quod delectaret. Domus antiqua et ruinoso plena muribus fuit, qui ad magnitudinem cuniculorum huc et illuc discurrentes inquietas noctes reddebant. Venti quoque, quorum ditissima civitas est, infesti erant, nec pluvias arcere licebat in habitaculo rimoso et nimium vetusto, cuius reparandi monachi parum religiosi nullam curam susceperant. Hos pontifex deiecit, cum essent Conventuales, et vitam ducerent inhonestam, et loco eorum Observantes introduxit.

10

28. De origine Tyburis, et quid ei contigit secundum Blondum

15

Blondus Flavius Tybur sexto decimo ab Urbe miliario distare arbitratur, et a Grecis Strabone teste multo ante Romam fuisse conditum. Virgilius Tyburtium conditorem facit, cuius frater, Catillus propinquo monti nomen dederit, eamque civitatem unam ex quinque fuisse, quae arma Aeneae iunxerint; superbum vero ideo dici, vel quia nobile fuerit, vel quod a senatu superbi fuerint appellati Tyburtini. Virgilius sub Albunea Tybur esse ostendit; Servius Albuneam altum esse fontem exponit in Tyburtinis montibus ab aque qualitate sic appellatum, et Plinius Tyburtinum lapidem ad consternendam ornandamque Urbem plurimum valuisse affirmat. Et Helius Spartianus de Hadriano imperatore ita scribit: „Tyburtinam villam mire aedificavit, ita, ut in ea et provinciarum et locorum celeberrima nomina poneret.”

20

25

Tybur Simplicium pontificem Romanum genuit. Federicus Primus imperator hanc urbem ab aliis Theutonicis spoliata ac dirutam restituit. Supra eam montes sunt ardui et late diffusi, in quibus fortissimi Equicoli olim habitavere. - Haec Blondus.

30

Pontifex hoc in loco paulo minus, quam tres menses habitavit non sine alacritate animi propter loci amenitatem, quamvis curis urgeretur assiduis et bellorum et quas vel pacificus suggerit pontificatus. [276]

29. Invasio Aquilanorum per duces Ecclesiae et preda ingens, et Divi Bernardini et Antonii Petruccii Senensium dissimillima comperatio. Antonii captivitas, atque Sorani ducis perfidia

- 5 Nicolaus interea cardinalis Theanensis et Federicus Urbinas cum copiis in comitatum Albi et Taliacozii duxere, quorum parte in potestatem Ursinorum redacta eiectoque Picinini presidio in Aquilanum ducere statuerunt, infestisque signis planiciem omnem urbi subiectam uno incursu populati sunt; captivos supra ducentos abduxere, boves, iumenta, mulos, greges et armenta omnis generis - ut est terra animalium altrix - prope innumerabilia abegere, frumenta in areis munda et que a solo seperata erant, et que adhuc herebant, diripuere; [gallinas ultra XX milia asportavere;] collecta preda et in unum congesta apud Sanctum Victorinum, quod est urbi ad quartum miliarium rus propinquum, castra locavere - ut videri ex Aquila vexilla et tentoria possent - non sine magna civium ignominia, qui tanquam parvas Ecclesie copias antea contempsissent, et in oculis constitutas populari agros et suburbana spoliari predia tolerassent, nec ausi essent occurrere, solamque urbis salutem in menibus collocassent. Sensere, quid posset Ecclesia, et qui se feroces ac magnanimos iactitaverant, damno et pudore mulctati sunt. Digna Dei ultio!
- 10 Aquilani quondam Martino Quinto sedente ecclesiastico presidio adversus Braccium defensi fuerunt, et adversus Pium pontificem postea cum Braccianis arma iunxere. Ingrata civitas, nec Divi Bernardini corpore digna, que adversus matrem et liberatricem suam, Romanam Ecclesiam cornua presumpsit erigere! Sed non peccavit impune: dispoliatus est ager Aquilanorum primo, et deinde urbis muri magna ex parte et multe civium edes et templorum non parva edificia terremotibus agitata corruerunt. [Fortasse et poenas Deo maiores dabunt!]
- 15 Cardinalis et Federicus, ubi nulla ab hostibus pugnandi copia facta est, cum preda recesserunt, ac per vias asperrimas et precipites Avecanum petiere sepe inter eundum cum hoste congressi, Paternumque oppidum primo et deinde Avezanum ipsum per compositionem accepere; reliqua comitatus Albi et Taliacozi castella partim vi partim conventionibus obtinuerunt - his demptis, quae erant in potestate Columnensium, quibus pontifex pacem esse voluit, ne maius excitaretur incendium. - Aquilani medio tempore suis rebus consulturi melius legatos ad cardinalem misere inducias belli petentes; que his conditionibus concessae sunt, ut abstinentes ab armis per annum quiescerent. Quibus peractis exercitus in agrum Romanum reductus per Campaniam adversus ducem Sore profectus [est, qui agros Campaniae Romane infestabat, homo fallax et veritatis inimicus.]
- 20 Primo adventu agrum eius usque ad Soram populatus parum abfuit, quin a civibus admitteretur, quibus vita ducis ingratisissima esset. Preventus ab eo retrocessit, et ad Castellutium castra sunt posita, quod oportuno in loco iaceret ad prohibendos commeatus; in eo Antonius Petruccius - cuius supra meminimus - cum peditum praesidio ad custodiam excubabat. [277]
- 25
- 30
- 35

Hic vir olim magnus ac primarius apud Senenses fuit, quem natura multis ornavit dotibus: statura procera et honesto corpore, litterarum doctrina, facundia, providentia, consilio, liberalitate et animi magnitudine, quibus rebus mirum in modum urbanam sibi plebem conciliavit. Verum his virtutibus ingentia correspondere vitia: incontinentia, libido, luxuries, audacia perdita, lingua mendax, mens infida, ambitio, prodigalitas, inconstantia, dissimulationum ac proditionum iuge studium. Prime eius prodiones apud Lucenses emersere, quorum tyrannum, Paulum Dionysium, quem sibi compaternitatis titulo devinxerat, dolo captum in manus Francisci Sfortiae tradidit. Nec ipsi Francisco postea fidelis fuit, a quo in Aqua Pendente prefectus - ut ante diximus - oppidum Eugenio vendidit. Prodidit et Nicolaum Picininum, a quo recepto stipendio fugit. Florentinis sepe mentitus est, a quibus - ne noxius esset - annuam stipem accepit. Profectus aliquando venatum cum Brolium pervenisset - id est oppidum Florentini agri non procul a Senis -, invitatus ab eius loci nobilibus acceptavit, in arcem ascendit, atque inter bibendum captos hospites coniecit in vincula, et oppidum non paucis diebus retinuit. Alfonso regi Aragonum et Eugenio pontifici sepe fidem mentitus est. Postremo multis modis prodere patriam est adnixus, propter quod in exilium actus ad summam pervenit inopiam.

Duo fuerunt eodem tempore viri apud Senenses moribus prorsus dispares: Bernardinus et Antonius; ille optimus, hic pessimus; ille sacram militiam in Ordine Minorum sectatus est, hic armatam in castris; ille Deo servivit, hic diabolo; ille nihil concupivit secularium rerum, huic nihil satis fuit; ille sacco vestitus pecuniam horruit, hic aurea veste indutus aurum semper sitiit; illum virginem obiisse prodiderunt, hic nullam venerem intentatam reliquit; ille adolescentes ad melioris vitae frugem assidue invitavit, hic iuventutem corruptit; in ore illius nullum mendacium, in huius labiis nulla veritas; ille quocumque venit, pacem predicavit, hic belli semina sparsit; ille suis superioribus obediens, hic contumax; ille omnibus amatus e vita decessit, et inter Christi confessores post obitum relatus est, hunc omnibus odiosum adhuc viventem summo apud inferos supplicio dignum censuere, quem patria extorrem, cum omnes ferme Italiae tyranni e suis dominiis eiecissent, Soranus tandem dux sui similem complexus in Castellutio - ut dictum est - cum praesidio locavit. Qui cum ex muris venientes Ecclesiae copias vidisset:

„En" - inquit -, "comites, ecclesiasticum exercitum cernitis. Sinite, veniant! Cum feminis pugnabimus. Divites nos preda faciet. Video pallere aliquos. Quid timetis? An Ecclesiae claves pluris, quam gladios nostros facitis? Religio vobis metum incutit, et inane pape nomen veremini, quem Christi vicarium vocant? [Vana superstitio est et inventum sacerdotalis audacie: ut nos sibi subiectos habeant presbyteri, Dei se vicem tenere affirmant. Somnia sunt!] Is Dei minister est, cuius prevalet gladius! Mihi nullus unquam sacerdos imperabit! Despicio id genus hominum, [nec amavi unquam, quamvis concivis meus est, qui nunc summo sacerdotio preest! Rude ingenium et [278]

infime plebis animus his nugis capitur: excommunicationis censuras vir fortis nunquam timuit! Recte Bononienses aiunt excommunicatos nec cibo nec potu privari!"] Talia vociferanti lapis tormento missus aeneo silentium imposuit, qui iuxta eum propugnaculi partem deiecit. Appropinquans enim castello Federici miles manubalistis et minoribus bombardis, quas vocant spingardas, pugnam pro muris conseruit. Situs loci arduus expugnationem diebus aliquot retardavit. Interea Soranus auxilia undique accivit, Sinuesse dux turmas equitum sex adduxit, Honoratus Caietanus unam, Karolus Balionus unam, Caudolani duas misere et alii alias, brevique superior Sorani exercitus numero militum ecclesiastico factus est. Itaque provocare ad pugnam Federicum, obrectantem irridere, verum Ecclesiae ducem compellare, cui templa magis, quam castra conveniant, et muliebri corde exercitos non audeat intueri gladios. Ille rumore contempto non quid dicerent, sed quid agerent hostes, providere, vim repellere, insidias evitare. Castra eius hinc hostium castris iuncta fuere, inde Castellutio, ita, ut obsidentis et obsessi locum tenerent, et hinc hostis impetum propulsarent, inde oppido insultarent. Ea belli facies utrique exercitui gravis diebus paucis perduravit. Postremo, cum Federicus summa vi oppidum aggressus expugnasset, atque in oculis hostium direptum incendisset, Soranus et qui ei suppetias attulerant, relictis castris non sine dedecore abierunt. Antonius Petruccius captus in vincula coniectus est, et in Urbinatem agrum transmissus, ubi in hanc usque diem diri carceris incommoda perfert; et qui tantopere sacerdotes contempsit, nunc sacerdotum frustra auxilia implorat. Bene et pie cum eo fuerit actum, si scelerum penas hoc pacto persolverit, eaque prudentia fuerit, ut ultionis divinae censuram equo animo tolleret! - Soranus paulo post relictus ab amicis cum spem aliam nullam haberet, missis ad Federicum legatis his conditionibus pacem pepigit, ut liceret sibi ad Kalendas usque Iunias nullarum partium esse, quia ex illo tempore Ferdinandi vexilla erecturus esset, et se voluntati eius permissurus. Ob cuius rei observantiam duo oppida in pontificis manum tradidit opportunis sita locis et egregie munita: Fontanam et Oliverii Domum. Atque ita hyemis adventu milites ad hyberna rediere. Soranus suo more fidem ementitus nihil eorum servavit, que promiserat, quamvis pacta cum Federico percussa Ferdinando regi stipulationibus et iuramentis fortioribus promississet.

30. Gesta Ferdinandi in Apulis, et ditissimi templi compilatio, Pique reprehensio

Ferdinandus in Apuliam profectus post vastatos Troie, Lucerie finitimeque regionis agros, et Paulum Sanguinis cum omnibus oppidis in obsequium et fidem receptum in montana, que Sancti Angeli appellantur, duxit exercitum, atque omnia castella eius regionis primo incursu in verba sua iurare compulit preter duo, Ischitellam et Sancti Angeli Montem, ad quem propter loci opportunitatem, [279]

et quia totius regionis erat caput, exercitum admovit, missisque legatis cum oppidani deditionem facere recusarent, dato prelii signo, tametsi erat oppidum in editissima rupe situm, et propugnatoribus abundaret, post mediam tamen ferme horam, quam oppugnari ceptum, militum virtute captum direptumque est. Tyrannus loci, Loysius Minutulus in arcem
 5 se recepit, qui nunc Mons Sancti Angeli vocitatur; olim Garganus dictus est. Mutationem nominis ab aede recepit, que in summo cacumine Michaeli archangelo dicata est propter miraculum thauri, quod illic contigisse memorie prodidere. Locum accolae summa religione colunt; afferunt et externi munera auri et argenti, vota supplices multa persolvunt, ex quibus ditissimum construxere templum. Hoc Ferdinandus suo magno malo compilavit; hinc enim
 10 bellum sibi prolixius ac periculosius quis ei dubitet factum esse? Non sunt impunita sacrilegia! Odere superi suarum raptores rerum, nec religionis hosti semper arrident fata; transit et ad posteros contempte divinitatis poena! - Pius, cum accepisset nobile templum direptum esse, admodum doluit, Ferdinandumque gravioribus increpavit edictis. Ille invitum se recepisse Deo sacrata dona respondit, necessitati non potuisse obviam ire:
 15 exercitum propter inopiam rebellaturum fuisse, nisi id spoliis inter milites divisisset; verum non abstulisse se aurum a Deo: mutuum accepisse, redditurumque cum usuris, si regni victor evaserit. - Pontifex, cum factum mutari nequiret, recepta promissione future satisfactionis acquievit.

20 **31. Sigismundi victoria eiusque inaudita perfidia**

Priusquam pontifex Urbe discederet, cum Sigismundus Malatesta aperte rebellasset, et coactis non parvis copiis agrum Ecclesiae invadere statuisset, Bartholomeus episcopus Cornetanus, magno vir ingenio, et qui paulo ante gubernationem Perusinam dimiserat,
 25 adversus ferocem hostem ad exercitum, qui erat in Piceno, legationem accepit, ut malo bonus, fallaci providus opponeretur. Locaverant castra ecclesiastici in valle quadam apud amnem Neulam, hostes ad tertium miliarium aberant. - Cicchus Brandolinus non multis diebus ante pontificis stipendio accepto proditor ad proditorem defecerat. (Foroliviensis hic natione fuit, ex familia magni Brolii, quem primum eiectione Theutonicis ac Gallicis ceterisque
 30 ducibus externis Italicam militiam ad eum splendorem, in quo nunc est, aiunt instaurasse. Cicchus indignum tali vel avo vel proavo se reddidit, qui prima stipendia proditione fedavit - ac dignum Tiberto germano, cuius paulo post detecta proditionis scelera causam prebuere, ut sibi ipsi mortem consciret.) Sigismundus Brandolini letatus adventu ac copiis auctus aggredi hostem constituit.
 35 Quod cum rescisset per exploratores Cornetanus, accersitis in tentorium belli ducibus, ut se ad prelium pararent, admonuit, et quanta quisque virtute prestaret, in hostium adventu periculum faceret - custodibus non procul ab hoste [280]

constitutis, qui motum omnem illius explorarent. Sigismundus intempesta nocte armato exercitu ac turmis in ordine positus, cum exploratores parum diligenter suum explevisent officium, circa ipsum solis ortum ad Ecclesie castra pervenit, priusque vallum oppugnare, quam adventare visus est. Trepidatum tam repentina invasione totis castris, neque dux

5 neque miles satis presenti animo fuit. Cornetanus huc atque illuc discurrere, hortari duces ac milites: arma raptim caperent, fossam vallumque tuerentur; nunc corde opus esse; si viri sint, non eiicientur inviti; pugnarent audaci animo, si non pro Ecclesia, at saltem pro gloria, neque illam ignominiam subire vellent, ut castris exuerentur, qua re nihil est militi fedius. Paruerunt aliqui, quibus honesti maior cura fuit; inter quos promptior et audentior visus est

10 Petrus Paulus Foroliviensis - cuius supra fecimus mentionem -, qui aliquandiu hostis impetum retentavit. Sed dum cognito Sigismundo plenus animi extra ordinem progreditur, illumque vulnere appetit nondum obligata galea, ab ignoto milite obruncatur. Hic viri fortis exitus fuit. Iohannes Franciscus, cognomento notus de Balneo, et Alexander Mathelice dominus et Iohannes Picininus et alii nonnulli egregie suo loco pugnantes castra defendunt.

15 Sed non omnibus in locis par virtus reperitur. Ingrediuntur ex alia parte hostes, ex alia fuga ab his incipit, quibus frigidior erat circa precordia sanguis; inter quos inventus est Ludovicus Malvetius Bononiensis, qui cum equites quadringentos stipendio pontificis aleret, quadraginta tantum duxerat in castra, eosque nec armis nec equis - ut par erat in tanta necessitate - instructos. (Laudatus hic aliquando apud Venetos fuit, cum illis militaret; hic

20 nomen amisit, [ac Bononiensem se esse ostendit. Nam quis natum Bononie virum egregium belli ducem aliquando vidit? Intra menia et in foro et per insidias civilem effundere sanguinem Bononiensi mos est: illic audacem invenias, in castris rara huiusce gentis audita virtus.]

Fugiente Ludovico, cum iam castra tenerentur ab hoste, et Cornetanus fuge se commisit;

25 pars exercitus ad propinqua Ecclesiae oppida confugit, pars capta est; trecenti et amplius equites in manus hostium pervenere, inter quos precipui fuerunt Iohannes Franciscus et Alexander. Impedimenta plurium et ipsius Cornetani intercepta sunt; [in quibus cum miles temerarius vestimenta eius et pileum repperisset, iubente Sigismundo vestem lineam induit et pallium episcopale, impositoque capiti suo pileo equum ascendit, et extensa manu super

30 populum, tanquam benediceret, per irrisorem atque contemptum ecclesiastici ordinis huc atque illuc obequitavit.]

Sigismundus hac victoria potitus Nidostorium cum exercitu petiit, ad quem locum non pauci confugerant ex reliquiis ecclesiasticis; qui servari oppidum posse diffisi, pacti sibi ac rebus suis salutem excessere. Sed que pacta Sigismundum ligent? Cohortem in egressos e

35 vestigio misit, et que secum ferebant, simulque arma et equos illis abstulit, et oppido capto atque inimice direpto alia duo non procul inde per deditionem accepit, et violata fide exposuit prede. Quibus rebus attoniti Picenses, quo se verterent, nesciebant, quamvis [281]

Franciscus eius provincie legatus civitates ambiens spem auxilii propinquam faceret.

32. Profectio Iacobi Papiensis in Picenum, et ecclesiastici exercitus confirmatio, ac provisio novi ducis

5

Pontifex Iacobum Papiensem episcopum ad res revisendas misit. Qui accepta pecunia mutuo ab amicis Ecclesiae reliquias exercitus in unum collegit, et dato novo stipendio opportunis locis, ut hosti resisterent, disposuit, et ad pontificem iam Tybure manentem rediens statum rerum enarravit: exercitum satis fortem esse ad prohibendam hostium excursionem, verum imperatore carere, qui tantis copiis preesse norit, aut quem tot viri fortes vereantur; paritatem ducum discordiam parere, armatos equites presbyteros togatos contemnere; sacerdotes de bello gerendo aut pace componenda consulere posse, at cum facto opus est, et iam dextra gladium stringit, cessare sacerdotis imperium, nec audiri vocem presbyteri; armatum militem nulli obedire nisi fortiori; civitates Piceni trepidare, nutare multorum animos, ad fortiores inclinari populos: nisi dux adsit expertus, et cuius auctoritas magna sit, verendum esse, ne provincia ingens aliquod detrimentum patiatur.

10

15

20

25

Re in consilio agitata unum inter omnes invenerunt, cui ducatus tanti exercitus committendus videretur: Neapolionem, gentis Ursine principem, qui et Alfonso regi et Venetis summa cum laude militasset, et in magnis exercitibus duxisset ordines. Invidia procerum Romanorum impedimento erat, Ursinorum gloriam animo non aequo ferentium, nec satis tutum videbatur eam familiam, que ceteris potentia prestaret, in Romano agro potentiolem efficere: [insolentem suo apte ingenio Ursinorum domum credito imperio intollerabilem futuram.] Sed vicit omnia necessitas. Neapolio dux creatus in Picenum missus est, et cum eo Iacobus Vintimiliensis episcopus, qui legatum ageret. Cuius adventu confirmati provincialium animi nuntios Sigismundi defectionem expectantes e vestigio eiecere. Sigismundus, qui usque ad Montem Luponis profectus erat exercitum sine duce contemnens, ubi Neapolionem adesse cognovit, virum nobilem et fama clarum, qui pontificalibus copiis prefectus esset, retro in sua recessit. Cornetanus episcopus, qui missionem iam pridem petivisset, successore adveniente ad ecclesiam suam perrexit.

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
LIBER SEXTUS INCIPIIT**

**5 1. Dyetheri Maguntini perniosa oratio in conventu Germanico, et Rudulfi
efficax sanctumque responsum**

10 Apud Germanos interea frequentes conventus habiti sunt procurante Dyethero electo
Maguntino, qui extra Ecclesiam factus - quoniam non satisfacisset mercatoribus, a quibus
mutuum pro dissolvenda annata iam pridem acceperat - tanquam iniuria fuisset affectus, ad
15 futurum concilium appellavit, convocatisque pluribus Germanorum conventibus proceres, ut
appellationi sue adhererent, magnis precibus invitavit, atque - ut ante diximus - et adversus
Romanam Ecclesiam et contra imperatorem multa molitus est, in eaque suprema orbis
capita erigere cornua et calces iacere non dubitavit, nec censuras veritus ecclesiasticas -
20 quamvis excommunicatus - sanctuarium ingressus divina fedans ministeria missarum
solemnibus per contemptum interfuit. Quod cum pontifex maximus accepisset, Rudulfum
decanum Vormaciensem et Franciscum canonicum Toletanum - alterum civilis iuris
interpretem, alterum theologicae doctrine magistrum - ad eum misit, ut res Germanicas
inspicerent, atque ipsius Dyetheri aut mollirent animum, aut furori resisterent.

25 Convenerant Maguntiae oratores principum Germanorum, cum quibus et Gregorius
20 Amburgensis aderat, Sigismundi Austriacalis legatus, tanquam hereticus iam pridem
damnatus. Suasere legati, ne homini heretico communicaretur. Sprevit eorum verba
Dyetherus, Gregoriumque in primis audiendum ad conventum, cui presidebat, admisit, et
quae vellet, dicere iussit. Cuius oratio plena blasphemiarum atque errorum fuit, unde postea
25 non iam Gregorium, sed Errorium appellavere catholici. Post eum et Dyetherus ipse verba
fecit in hunc ferme modum:

*"Quibus me modis persecutus fuerit superioribus diebus Romanus pontifex, nullum
vestrum, viri fratres, arbitror ignorare, [quando manifeste sunt iniurie, quibus me publice
affectit.] Repetam tamen breviter, si quis ignoret, quae norunt omnes.*

30 *In primis cum essem ad ecclesiam Maguntinam electus [canonicus], misissemque
procuratores pro veteri consuetudine ad impetrandam confirmationem usque Mantuam,
ubi tum erat Romana Curia, diu preces meas suspendit contempsitque, procuratores
vacuos remisit, cum nollent indignis petitionibus assentire. Petebatur magna vis auri
confirmationis causa, [et quam nunquam dissolvere potuissem], iuramentum insolitum
35 exigebatur, illudque inter cetera prorsus indignum requirebatur, ut [scilicet neque in
celebratione generalis concilii aliquando consentirem, neque] conventus nationis suo
iniussu cogere. Pretereo alia multa nationi Germanice gravissima de decimis atque
indulgentiis, ad quas prestare iubebar assensum. [Hec impedivere confirmationem.] [283]*

Sustinui, quoad potui, non acerbo animo dilationem; remisi procuratores, novas adieci preces, pecunias obtuli, quas consuissent mei predecessores Apostolico Aerario pro confirmatione inferre. Diu protracta res est; postremo, cum alio modo confirmationem obtinere nequirem, [id auri promisi, quod postulatum est]. Iuravi preter consuetudinem, 5 antequam annus elaberetur, ad presentiam me pontificis conferre. Negociatores rogati a meis procuratoribus in sese onus faciende solutionis et me sibi in formula, quam vocant 'Camere obligatum', assumpserunt. Preterit tempus; non potui in prefixo termino satisfacere; excommunicatus sum et publice denuntiatus. [Dicunt negociatores se Camere Apostolice aurum dissolvise - nuge sunt et Italice tegne! Collusere inter se pontifex et 10 mercatores: infectam solutionem factam esse confingunt.] Parent suo proverbio Itali: aurum subtili ingenio extorquendum a barbaris dicunt, et nos appellant barbaros!

Et quid sibi velle vel decimas, quas petunt, vel indulgentias, quas offerunt, arbitramini? Bellum contra Thurcos gerendum aiunt: pecunia opus esse. Immo vero nobis bellum indixere, quorum substantiam querunt! Nostris opibus retia tenduntur! Non tam Thurcos 15 Itali, quam nos oderunt! Insidiae sunt! Quod si me audiveritis, non prevalebunt fraudes. Ego ad futurum concilium appellavi, non tam quod iniuste sum excommunicatus, quam ne provinciales mei decimarum onere afficiantur; unicum hoc nobis remedium adversus Apostolice Sedis [tyrannidem] relictum est. Vos, si sapieritis, exemplo meo et vobis ipsis et subditis vestris peroportune consulatis."

Cum ea dixisset, et iam propemodum persuasa contio videretur, assurgens Rudolphus patria lingua - nam et Dyetherus Theutonice verba fecerat - in hunc modum locutus est:

"Da veniam, Dyethere, si hoc in conventu prestantissimorum virorum summi pontificis innocentiam defensurus calumnias tuas reppulero. Et vos, procures, pro communi omnium 25 patre, magistro et domino loquenti benignas aures adhibete! Contumeliosus est Christi vicario Dyetherus, falsam illi calumniam irrogat. Procul a vero abfuit oratio sua: iniuriam intulit, non accepit. Audite rem gestam! Si mentiar, adsunt procuratores, qui Dyetheri negotia apud Mantuam tractavere: ipsi testimonium perhibebunt.

Rogatus pontifex maximus Dyetherum in ecclesia Maguntina confirmare, facturum se dixit, quod peteretur, quam primum electus ad Curiam proficisceretur; conventum haberi 30 Mantue de tuenda religione consulturum; vocatum eo fuisse precessorem suum; par fore surrogatum illi id concilium adire pro sua provincia, quae maxima esset, responsurum. Quis hoc reprehendat? Quis pontificem accuset de tuenda orthodoxa fide sollicitum? Pium desiderium, piam presulis mentem male interpretatur Dyetherus; iubent sacri canones eum, qui electus est, Romanum adire pontificem, confirmationemque coram petere. Quid delicti est eum adventum requirere, qui iure debetur? Vocatos ad synodum episcopos 35 parere oportet. Et quae synodus maiorem ob causam aevo nostro celebrata est, quam Mantuana? Si licuit iam consecratos illic episcopos accersiri, non licuit electos? Si fuit honesta vocatio, quis recusationem laudet? Turpiter ad pontificatum venisti, Dyethere: prima tuae dignitatis rudimenta inobedientiam protulere, a rebellionem cepisti! - Dicis ingentem pecuniarum summam fuisse petitam. Quid agis, [284]

bone vir? Siccine verum procul abiicis? Cave, ne mendaciis auscultes! Mentiti omnes sunt, qui vel nummum unum abs te flagitatum asserunt ultra summam in Camera pretaxatam. Decem milia auri nummum principalis taxatio requirit; minuta que vocant servitia et litterarum expeditio et oratorum sumptus circiter quattuor milia deposcunt. Nec ex te quicquam ulterius vel exactum est vel postulatum, nec unquam memoria nostra Maguntina ecclesia minus solvit; Treverensis, quae multo minor est, sub Callisto Tertio XXX milia dedit. Quid habes, quod queraris? Nimia pontificis benignitas superbum te fecit!

Iam vero quod [de concilio generali,] de conventibus nationis asseruisti, quis tolleret? Nunquam hec excogitata fuerunt, ne dicam petita. Nam quid ad te [concilium generale? Quid ad pontificem] Germanica congregatio? Liberum est Theutonicis, quando velit imperator, convenire. Generalis concilii convocatio Romani presulis est, non Maguntini. Illum mandare fas est, te obedire oportet. Arbitraris concilii nomen odiosum esse Pio? Falleris! Nihil tam illi iocundum fuerit, quam in conventu totius Christiani orbis apparere, in quo tandem et tua et aliorum rebellium contumacia plecti posset. Si adsit generalis synodus, presidentia eius erit; ipse caput, ipse dux, ipse moderator habebitur. Te multi precederent, quamvis non es ea doctrina, ut magna in Ecclesia audeas apparere. Nam quid diceres, qui vix unum aut alterum proferre verbum Latine nosti? En, qualem invenimus generalis concilii assertorem! Bene habet Ecclesia, quando ad te denique ventum est, ex cuius arbitrio concilium pendeat!

De decimis atque indulgentiis non videris memoria tenere, quae tua sponte obtulisti: daturum te illis cursum in tua provintia, verum partem cupere. Vendere tuas operas voluisti, nec tunc provincialium te cura tenebat, nec miserebaris subditorum, nec spoliari Germanos auro dolebas, dum portionem acciperes! At pontifex destinatam in opus fidei pecuniam partiri tecum nefas duxit, cuius sibi retinende animum nunquam induxit: quod Deo dandum esset, sacrilegium existimavit ad privatos transferre usus. Non est Pius, qui unum dicat, alterum faciat; quod habet in corde, habet in ore. [Et tu collusorem appellas, et fictum atque mendacem insimulas, quasi mercatores induxerit solutionem factam asserere, que falsa fuerit? Parum tibi esse videtur summo pontifici mendacium adscribere, ac fidem Christi vicario auferre? Et apud quem requiremus fidem, si Prima in Sede non reperitur? Quis erit verax, si mendax est vicarius Veritatis? Nimis de te ipso presumis, Dyethere! Ex tuo vitio pontificem maximum metiris: quia solitus es colludere atque mentiri, ex tua natura iudicas alios!] Ego mensarium novi, qui dedit argentum, neque in obscuro res acta est: pontifex suam portionem, cardinales suam, reliqui ministri suam acceperunt. Extant libri Camere, extant publica documenta, extant idonei testes! Vellet mercator, qui tua causa ad inopiam vergit, verum te dicere: mendacium tuum et sibi in arca et tibi in conscientia damnosum est.

Dicis iniustam esse tuam excommunicationem? Quomodo iniusta, si eo in tempore non satisfacisti, in quo sub poena excommunicationis dissolvere mutuum tenebare? At sive iusta, sive iniusta: timenda fuit! Sprevisisti censuras, non timuisti; percussus anathemate divinis te officiis immiscuisti; factus extra Ecclesiam ingredi ecclesiam non horruisti; polluisti sacras ceremonias, non honorasti, nec veritus es irregularitatem [285]

incurrere. »Sed appellavi!« - dices. Quando appellasti? Sane cum iam lata esset excommunicationis sententia, et iam Rome, Maguntiae, Coloniae multisque aliis in locis publicata. Rursus oro: a quo iudice provocasti? Ab eo certe, qui non habet in terra superiorem. Nam quis maior papa in terris? Quae celsior auctoritas? Que sublimior dignitas? Quae potestas altior, quam Iesu Christi vicariatus? Ab hoc appellasti, Dyethere, qui tamen egre ferres, si quis provincialium tuorum a te ipso appellasset!

5 Sed quem appellasti iudicem, quem provocasti tue cause cognitorem? »Futurum concilium« - dicitis - »appellavi. « Et ubi est futurum concilium? Ubi sedet? Ubi tribunal eius requiremus? Pulchra inventio: ut impunita sint scelera, ut liceat sine metu iudicii aliena
10 invadere, is iudex appellatur, qui nusquam reperitur! In conventu Mantuano adversus hanc nequitiam lex edita est, que appellanti ad futurum concilium eam irrogat poenam, qua rei maiestatis et f autores hereticorum plectuntur. Intelligis, quae te pena expectat, Dyethere? Quamvis Apostolice Sedis decreta parvi existimas - cui non satis errasse fuit, nisi et alios tuo errore involvas; quando et hos proceres, ut appellationi tue astipulentur,
15 hortaris. At vos, viri prudentes, quid sibi velit hec appellatio, et quantum veneni secum afferat, plane intelligitis. Fugite hanc pestem! Nolite Dyetheri causa et animas vestras et nationem perdere! Ad Gehennam omnes edificant, qui sacrosancte Romanae Ecclesiae obedientiam declinant!

Et quid erit natio nostra, si licet ad futurum concilium appellare? Quis episcopus, quis
20 iudex suo satis officio faciet? Que manebit obedientia? Que sententia executionem habebit? - Omnes, qui appellant a Romano presule ad futurum concilium, supremum tribunal esse fatentur, quod appellant. Sine medio igitur ad futurum concilium patebit appellationis via; ea enim est supremi tribunalis prerogativa, ut sine medio provocetur. Perniciosum est hoc virus et nationi nostrae et Apostolicae Sedi, que profecto non meruit, ut nobis auctoribus
25 suam eminentiam perdat. Ipsa mater nostra est, ipsa nos Christo regeneravit, ipsa nos lacte fidei nutrit et vere doctrine lumine illustravit. Nolite, patres, nolite, fratres, Matrem contemnere! Nolite conculcare Apostolicam Sedem! Et ubi requiremus gloriam nostram, si haec perierit?

Quid hoc mali est? Superiores cuncti contemnimus, et dum liberi omnes volumus esse,
30 nemo non servit! Decimas et indulgentias horretis, que pecunias nationis exhauriunt? [Apage te!] Bono estote animo! Nihil ab invitis papa requirit. Bellum adversus Thurcos indixit. Speravit, quod oratores vestri Mantuae promiserunt, ratum futurum. Decimas atque indulgentias eorum consilio decrevit, ex quibus pecuniae ad bellum necessariae cogerentur. Si non placet religioni opem afferre, liberi estis. Consulite in medium! Tam vobis vicini
35 quam Italici Thurci sunt. Communi periculo res agitur. Nolite arbitrari ab invitis auxilia Pium expectare! Ego et collega meus fidem facimus nationem Germanicam, nisi sponte sua voluerit, nihil collaturam; cuius rei, si opus fuerit, decretum dabimus. Vos pro vestra circumspectione Christiane religionis statum et invalescentem Thurcorum potentiam et pericula, quae nostris capitibus imminent, et quibus modis instanti ruinae sit occurrendum,
40 iudicabitis."

Haec Rudolphum in conventu Maguntino perorasse nonnulli affirmaverunt; plerique, quamvis egregie locutum, pauciora tamen et minus libere dixisse [286]

tradiderunt. Constat conventum eius oratione persuasum nihil eorum fecisse, que Dyetherus efflagitaverit, Gregoriumque inde confusum abiisse, ac testes, qui pro Dyethero producti fuerant, adversus eum deposuisse.

5 **2. Dyetheri periuria et flagitia eiusque depositio, et Adulfi electio, eorumque contentiones**

10 Conventu dissoluto fractus animo Dyetherus apostolicis nuntiis ad se vocatis multa de rebus gestis locutus futurum se deinceps alium virum promisit, appellationi renuntiaturum, ac Pio, dum viveret, pariturum, si speraret se veniam et gratiam inventurum. Illi de venia nihil dubitandum esse dixere; gratiam non se intelligere, qualem vellet. Cum declarasset annatam sibi remitti suum desiderium esse, quia paupertate premeretur, neque affirmavere sperandam gratiam, neque negavere: facturos se de re ipsa pontifici verbum; verum difficile esse Apostolicae Camerae iura dimitti ab eo pontifice, qui multis esset gravatus oneribus; 15 appellationem si revocaverit, sue rei consulturum.

Victus his Dyetherus accersito tabellione et paucis testibus appellationi, quam publice interposuerat, occulte renuntiavit, ut quem non tam appellasse, quam appellationem revocasse pudebat. (Idem fecerat paucis diebus ante Federicus Rhenensis Palatii comes, cum Rudulpho instruente appellationi, quam Dyetherus interposuerat, male se adhesisse didicisset. Sed neuter in via permansit, ambo ad vomitum rediere.) 20

Dyetherus divina et humana iura contemnens nulla excommunicationis absolute obtenta divina prophanavit officia; infra tempus a iure statutum episcopalem ordinem neglexit accipere; creditoribus nunquam satisfecit; iuramentum, quo se Curiam petiturum astringerat, impudenter violavit; novas adversus pontificem excitare turbas procuravit; 25 canonicos ecclesie sue per contumeliam eiecit; bellis cruentissimis se immiscuit; villas et ecclesias incendit; subditis gravissima imposuit onera; aliis uxores abstulit, aliis substantiam eripuit; sacerdotia pretio vendidit; reddundi iuris nullum adhibuit studium. Fedam omnium rerum facies apud Maguntinos: capituli nulla reverentia; lamentari populus, conqueri clerus, nemo suum presulem laudare. 30

Quibus pontifici renunciatis, cum omnes ex Rhenanis partibus venientes Dyetheri regimen accusarent, vitamque turpissimam esse dicerent, non censuit Pius temeritatem ac nequitiam hominis ulterius ferendam fore, si modo potentem aliquem inveniret, quem posset adversus Dyetherum erigere in ecclesia Maguntina pontificem, ne sententiam frustra ferret. Misit igitur Iohannem Flaslandium decanum Basiliensem, unum ex cubiculariis suis in 35 Germaniam, qui facta Dyetheri inspiceret, et, an inter canonicos Maguntinos quispiam esset, inquireret, qui se Dyethero auderet opponere opibus atque amicis munitus illi successor datus. [287]

Inventus est ex antiqua et nobili domo, cognomento Nassau Adolfus, clero et populo dilectus, et quem canonici procul dubio Dyethero pretulissent, si libera fuisset electio capituli, et non in paucos facta compromissio pecuniis et malis artibus patuisset. Septem fuere compromissarii, ut ante diximus: tres Adulfum, tres Dyetherum elegere, septimus

5

tribus milibus emptus ad Dyetherum accessit.
(Ex maioribus Adolphi complures ecclesie Maguntine prefuerunt, quorum memoriam mirum in modum provinciales extollunt; fuit et aliquando imperium in eius familia, que apud Germanos illustris habetur; et in Adolfo doctrina et mores generi respondebant.) Hunc

10

cum Iohannes convenisset, perconctatus est, an animus sibi esset adversus Dyetherum Maguntinam ecclesiam accipere. Adulfus indutiis ad respondendum obtentis rem ad amicos defert. Conventus difficilis erat magnorum virorum sine suspitione. Simulant igitur peregrinationem ad Aquas Grani, quo tempore eo concursus habetur. Conveniunt inter eundem Coloniae Agrippine, et discusso in utranque partem negotio acceptandam ecclesiam censent; Adolfo promittunt auxilia, iuramentis sese obligant, scribuntque pontifici, si littere provisionis eo modo mittantur, quo sit cum Iohanne conventum, nullum fore dubium, quin Dyetherus eiiciatur. Conscii eius rei fuerunt Iohannes archiepiscopus Treverensis cum germanis suis, Georgio episcopo Metensi et Karolo marchione Badensi, Ulricus comes Virtenbergensis et Ludovicus lanchravius Hassie et tres canonici in capitulo Maguntino precipui. His suasoribus atque impulsoribus et Adulfus acceptare Maguntinam ecclesiam, et

20

Pius pontifex illi committere persuasus est.
Iohannes rebus ita constitutis ad pontificem rediit, cum Tybur petere statuisset, atque illuc eum secutus, quae invenerat, exposuit. Quinque cardinales aderant: Rhotomagensis, Zamorensis, Spoletanus, Sancte Susanne et vicecancellarius. His pontifex accersitis Dyetheri scelera et contumaciam proponit, et quid in tanta rebellione sit agendum, perconctatur secreto sub poena excommunicationis indicto. Censent omnes deponendum, cuius tot tantaque crimina referrentur, nec opus esse tela iudicii adversus Dyetherum, qui publice ad futurum concilium appellasset peierassetque, nec statuto tempore sacris pontificalibus fuisset iniciatus: manifesta crimina non egere ordinario processu; Adulphum et sua virtute et progenitorum claritate Maguntinam mereri ecclesiam. Deponitur e vestigio Dyetherus,

25

30

Adulfus in eius locum sufficitur, liberantur vassalli a iuramento prestito, iubenturque novo electo ius iurandum fidelitatis exhibere. Fiunt littere ac Iohanni cubiculario summo silentio in Germaniam perferende traduntur; qui tanquam aliud acturus Basileam proficiscitur, ac deinde per Rhenum ad constitutam diem Maguntiam navigat.
Adsunt coniurati et cum eis Ludovicus comes Feldensis ex Baioarie ducibus. Convocatur capitulum, conveniunt frequentes canonici, et cum his Dyetherus adest. Ibi Adulphus litteras apostolicas in manu tenens archiepiscopum Maguntinum sese constitutum a Romano pontifice declarat Dyetherumque depositum, iubetque litteras legi ac sibi possessionem ecclesiae tradi. Dyetherus rei [288]

35

novitate attonitus aliquandiu, quid agat, incertus tandem appellare se inquit a pontifice non bene instructo ad eundem bene instruendum. Canonici parere se cupientissimis animis Pio pontifici dicunt, Adulfumque complexantes in episcopali solio collocant eique prestant obedientiam. Exultat universa civitas; clerici alter alterum invitant, eamque diem esse fatentur, qua tandem seve tyrannidis excusserint iugum.

Dyetherus, postquam sibi capitulum et universum adversari clerum animadvertit, cum paucis clam urbem egreditur, et ad munitissima, que sibi parebant, oppida confugit; quod si Adulphus - quemadmodum facultas fuit - eum interceptisset, et se ipsum et Maguntinam ecclesiam atque omnes circumiacentes regiones ingentibus, quae postea secute sunt, calamitatibus liberasset. Non provident omnes omnia, et ipsa sepe felicitas hebetat intellectum. Adultum nimia confidentia decepit, qui - tanquam cum capite membra omnia suae recepisset ecclesie - contempsit adversarium.

Secutum est deinde bellum, in quo cum superior esset Adulfus, et in dies secundioribus successibus uteretur, Dyetherus per amicos agere de concordia cepit cessurumque Adulfo polliceri, si sibi castella quedam, dum viveret, relinquerentur possidenda, ex quibus honeste sustentari posset. Convenerant utriusque legati non procul a Maguntia, formulamque pacis ediderant, quam partes acceptaverunt, et Dyetherus quidem subscripserat et iure iurando firmaverat. In ea cautum erat archiepiscopatus honorem apud Adulphum remanere, Dyethero redditus aliquos cedere et oppida quedam, in quibus ageret aevum.

Sensit ea Palatinus, neque pacem ecclesiae Maguntinae e re sua fore putavit, cum Adolphus marchioni Badensi et comiti Virtenbergensi, suis inimicis esset amicus. Missis igitur nuntiis ad Dyetherum stulte illum agere dixit, qui nobilem ecclesiam et primam inter Germanos ecclesiasticam dignitatem sponte dimitteret; degeneris esse animi honores refugere; Isemburgensem familiam, de qua natus esset, sua culpa perpetuo futuram infamem, quae alioquin inter Germanos et nobilis et torneamento digna censeretur; caveret, ne tantam suo generi notham inureret; si hostis per se ferre nequiret impetum, nollet idcirco ignominiosam amplecti pacem; futurum se auxilio, neque passurum Adulfi partes victoria potiri; percuteret secum fedus, conditiones equas inventurum, superaturumque procul dubio tandem Adulfum.

Annuat Dyetherus contempta iuris iurandi religione. Quis enim semel periurus iuramento tenetur, et non iterum atque iterum peierat? Convenere simul ambo; Palatinus Dyethero validum promisit exercitum, Dyetherus ei castella quedam munitissima et magni census, pro quibus armis antea decertaverant, ilico tradidit, que supra ducenta milia estimaverunt. Due res Palatinum traxere: avaritia scilicet et inimicitia Badensium, quibus incommodum afferre cupiebat. Tum vero ambitioni sue morem gerere videbatur, si Maguntinam ecclesiam, cum qua sepe contenderat, ferro et igne dilaniatam cerneret. [289]

3. De comite Palatino eiusque progenie, et belli atrocitate inter Maguntinos

Libet pauca de Palatino referre, quando eius mentio incidit. Pater eius, Ludovicus, princeps elector fuit, et in Baioarica familia primus, apud Theutones consilio et opibus
 5 pollens; in cuius custodia Iohannes XXIII-us Romanus pontifex, cum in Constantiensi concilio fuisset depositus, aliquandiu mansit, ab eo ad successorem, Martinum Quintum postea transmissus. Huic tres filii fuere: Ludovicus, Federicus et Robertus. Ludovico, qui primogenitus erat, electoratus cessit et omnis hereditas, que ad comitatum Palatii Rhenensis pertinet; Federico non magna domini portio; tertius ecclesie traditus est, Herbipolensem
 10 preposituram sortitus. Ludovicus ex domo Sabaudiae duxit uxorem Margaritam, que prius Loysio Siciliae regi nupserat, et illo defuncto ad patrem vidua redierat; iam natu grandis, nec viro iunior ad secundas nuptias migravit. Ex quibus natus est Philippus, quo parvulo pater decessit, et matre ad tertias nuptias transeunte - in familia Virtembergensi accepto viro - tutela eius ad Federicum delata, qui ex tutore pater voluit fieri; impuberem atque adhuc vix
 15 verba formare valentem pupillum sibi filium arrogavit provincialibus non tam consentientibus, quam dissentire timentibus. Et ut pupilli tutelam utiliter gerere videretur, iure iurando se astrinxit uxorem nunquam ducere: sic non patris modo naturalis, sed adoptivi quoque habiturum hereditatem ad virilem aetatem provectum; interea se, qui annos supra XXX-ta natus esset, et provinciam gubernaturum, et electoratus officio satisfacturum.
 20 Non stabat iuris auctoritate, quod gestum erat, imperatoris non accedente decreto. Rogatus est imperator arrogationem confirmare. Reiecte sunt preces tanquam indigne. Federicus tamen nihilominus pro electore se gessit, nec ceteri electores eum recusavere; fuerunt, qui dicerent Nicolaum pontificem Quintum adoptioni robur adiicere non abnuisse. Nobis ea res incognita est, quamvis Federici ambitionem plane cognovimus, cuius temeritas an avaritia
 25 maior sit, difficile iudicaveris. Turpe fuit nepotem ac pupillum suo regno spoliare; turpius, ut ampliores obtineret opes, celibem vitam promittere! Forsitan dicet aliquis continentem fuisse ac libidinis expertem. Immo vero aliena coniugia invasit, virginibus vim intulit, et inter scorta versatus turpissimam egit vitam, in nulla re preterquam in armis gloriam nactus, in quibus et aliquando temeritas viri fortis prebuit opinionem.
 30 Hunc cum belli socium Dyetherus accepisset, equate sunt propemodum hinc atque inde vires. Tum ville incense, vastati agri, oppida diruta, certamina admodum multa cruenta et crudelia peracta, cedes passim perpetrate, multe captivitates, rapte virgines ac nuptae, nulli aetati venia data, non ecclesiis parsum, non monasteriis: divina et humana utrobique fedata. - Dyetheri pater cum sepe filium admonuisset, ne Romanam Ecclesiam contemneret, ne
 35 Maguntinam laceraret, postquam se frustra conari animadvertit, subito dolore correptus interiit [290]

- vir nobilis, et qui apud Maguntinos archiepiscopos in consilio primum tenuisset locum.

4. Causa belli Gallici atque Anglici

- 5 Haec dum Germanos inter aguntur, apud Francos rex Karolus fato defungitur, cui omnes Gallie parvare, quibus hodie Francie nomen est. Scripturi pleraque digna memoratu, quae sub hoc rege contigerunt, paulo supra aetatem nostram ordiemur; sic enim clarior fiet historia.
- 10 Nortmannia provincia est Gallie ad Oceanum pertingens; hinc Morinis, quos nostra etas Picchardos appellat, inde Venetis iuncta, quos Brittones vocant. Nortmanni - id est 'boreales homines' - ab ultimo Septentrione per Oceanum navigantes flumen ingressi Lygerim circumiacentem regionem occupavere, eique de suo nomine vocabulum indidere. Hanc reges Anglie per successionem ad se spectare aiebant, Franci suam esse affirmabant; haec belli premium et causa fuit.
- 15 Pugnatum est sepe variante victoria. In agro Pictavensi cum totis viribus belli fortuna tentaretur, atrocissimam et cruentissimam pugnam commiserere, in qua multi proceres ceciderunt; inter quos Iohannes Bohemiae rex, qui vel cecus consanguineo regi suppetias tulerat, confossus interiit. Ipse autem rex Francie, item Iohannes nomine, captus in Angliam ductus, nec multo post merore confectus vita excessit relictis quatuor filiis. Quorum senior,
- 20 Karolus, eius nominis quintus regno potitus est; Ludovicus secundogenitus Andegavensem ducatum accepit et deinde regnum Sicilie consecutus obiit in Italia; tertius ducatum Bituricensem obtinuit; quartus Philippus, cognomento Audax, sine principatu remansit. (Iccirco dictus Audax, quia capto patre cedentibus reliquis nec de proelio fugit, nec capi sustinuit, sed animo presenti multa vi corporis sua se virtute salvavit.) Karolus paternum bellum prosecutus magnis se cladibus involvit, cum regnum et Hispani et Anglici lacerarent; nam rex Navarre sumptis armis portionem non parvam Galliarum invaserat. Sed intelligens Karolus duos se simul hostes eosdemque reges ferre non posse, alterum sibi placandum statuit, alterum insequendum. Pacem cum rege Navarre mercatus Anglicos armis aggressus tota Gallia pepulit, paucis castellis in Nortmannia circa fines Britaniae et in Aquitania
- 30 Burdegala civitate cum nonnullis oppidulis hosti relictis. Victor pace potitus ad reformationem regni se convertit: castella et arces et villas magnifice exedificavit, monasteria pulcherrima construxit virorum ac mulierum, quibus amplissima predia largitus est, dirutas urbes instauravit et ad pristinum nitorem reduxit. Creverunt sub eo mirum in modum regni opes, et aucta est maiorum gloria.
- 35 Huic vita functo filius successit, Karolus Sextus, qui uxorem ex domo Baioaria Isabellam duxit. (Alteri filio, qui ducatum Aurelianensem sortitus est, ex familia Vicecomitum Galeazii filia, Philippi soror nupsit.) Initio regni huius [291]

Frاندenses, bellicosi et audaces populi, Morinis contermini et Oceani accolae Ludovicum comitem e regno pepulere. Huic plures erant comitatus - Arthesii scilicet, Burgundie, Nivernie, Rothel -, unicamque tantum filiam habebat tante possessionis heredem; hanc Philippo Audaci despondet uxorem, auxilia regis adversus Frاندenses pactus. Rex his nuptiis letatus ducatum Burgundie patruo donat. (Bipartita enim Burgundia est: ducatus regi Francie subest, comitatus Imperio.) Congregatur exercitus, et iunctis viribus in Frاندenses itur, qui preliis aliquot superati pacem petiere; quam cum paulo postea violassent, iterum bello pulsati sunt, et in loco, cui Rosembeca nomen est, summis utrinque viribus concurrere. Victor regius exercitus supra XXX-ta milia Frاندensium cecidit, atque ultra procedens Gandavenses subigere conatus est. Illi non tam libertatem, quam vitam ponere parati occurrentes in armis pugnandi copiam fecere. Rex audaciam gentis admiratus, periculosumque ducens cum his manum conserere, qui vitam contempnerent, sistere signa iussit, missoque caduceatore aequas pacis condiciones obtulit; nec illi clementiam regis contempsere. Dies placiti apud Tornacum statuta est, ubi auditis controversiis pax demum reperta, quae usque in hanc diem Tornacensis appellatur.

Per idem tempus nova lis cum Britonibus orta. Ii sunt Galliarum populi, qui ex insula Britannia olim - ut antea relatum est - pulsi eas in continenti terras occupavere, quas Veneti prius incoluerant, ex quibus dicta est civitas Venetensis. Huius gentis principem regi Francie tanquam Nortmannie duci subiectum esse Gallici voluerunt et homagii iure obnoxium; id Britones negavere. Ob quam rem indignatus Karolus Frاندensi victoria tumens Britones hostes regni declarat, congregatisque copiis in eos ducit haud dubius, quin gentis proterviam compescat. Sed cum Cenomannos preterisset, et iamiam ingredi Britanniam pararet, gloriabundusque patentibus in campis medias per acies obequitaret (heu fallaces mortalium spes et inanes hominum cogitatus!), morbo, quem vocant maniam, subito corripitur: mutatur in alterum hominem, stulta loquitur et stultiora tentat, nec recte respondet interrogatus. Quod cum proceres animadvertissent, magno merore affecti omisso belli consilio regem in Parisios reducunt. Ubi gravescente in dies morbo mens illi prorsus excidit, existimabat nonnunquam se vitreum esse, nec tangi patiebatur; virgas ferreas vestimentis inserebat, multisque modis sese armabat, ne cadens frangeretur. Habebat tamen dilucida intervalla, pudebatque prioris vite ad se reversum, atque iccirco solitudinem amabat. (Ferunt eum turrim aliquando altissimam ascendisse, in cuius cacumine cum monachum quempiam offendisset interrogassetque, quid ageret, et ille respondisset turris altitudinem se mirari: iussisse, ut deorsum saltaret, sic enim et sublinitatem turris metiretur, et rem memorabilem efficeret; monachum maiora se facturum dixisse: si iuberetur, iturum ad radicem turris, atque inde in sublime saltaturum; regem noluisse credere, nisi iurato, nec monachum pro vita periurium recusasse. Multa in hunc modum stulti regis acta referuntur.) [292]

Proceres, ubi corruptum eius cerebrum plane intellexerunt, ne regnum sub insano principe rueret, curatore opus esse censuerunt. Sed non tam pernitiōsa regis dementia, quam procerum contentio atque ambitio fuit. Regi tres erant patrum et moribus et aetate ad regendum idonei; erat et frater, Aurelianensium princeps, qui se preferendum - quamvis iunior et inexpertus - arbitrabatur. Proceres incerti, quem potissimum eligerent, in diversas trahebantur sententias. Crescebat in dies de gubernatione contentio; nec lis erat de paupere regno, nec tam regis curam, quam regias opes querere principes videbantur. Inter loquendum cum pertinacius instaret Aurelianensis: "*Quid tu?*" - inquit Philippus Audax iam senex ad nepotem. - "*Regem vis regere, qui te ipsum nescis regere?*" - Ille veluti contumelia tactus et insania iuvenili accensus Philippo colaphum incussit; que res et sibi et regno fuit exitium. Nam quamvis Philippus, ut erat sapiens, dum vixit, nepotis scelus pro regni pace reliquit inultum, Iohannes tamen, eius filius, paternam iniuriam impacato ferens animo nihil Aurelianensi pacifice loquebatur. Extabant et alii de causis simultates, que mortuo Philippo apertissima odia pepererunt.

Accesserat et mulierum malignitas et cecus amoris furor. Iuvenes ambo et sine parentum freno delitiis affluentibus in amorem nupte feminae ceciderunt, eoque dementiae prolapsi sunt, ut quam virum fallere nossent, sibi quisque fidam putaret, neque possent rivalem ferre; adeoque atroces inimicitie hinc emergere, ut alter alterius vite insidiaretur. Preoccupavit facinus Iohannes, ac sicarium in se paratum maiori precio conductum adversus emulum convertit. Sicarius Aurelianensem e curia - ut mos erat - cum paucis noctu domum redeuntem mula vectum obtruncavit, ac per tenebras evasit incognitus. Latuit aliquandiu scelus; sed cum peracto funere proceres auctorem tante nequitie inquirerent, hererentque coniecturis, Iohannes in aurem ducis Andegavensis, patrum sui placide insusurrans: „*In ultionem*" - inquit - „*paterne iniurie meo iussu necatus est Aurelianensis.*" - Obstupuit senex, multisque verbis nepotem increpitans, qui fratrem regis interfecisset, ut quam primum abiret, suasit, nec speraret tantum scelus inultum fore. Ille in Flandriam aufugit, que patri dotalis fuerat. Regni proceres nefandam execrati cedem Aurelianensis interfecti filios precipuis honoribus extulere, Iohannem parricidii damnaverunt, et exercitibus in Burgundiam ductis magnam provincie partem depopulati sunt.

5. De corvorum accipitrumque pugna et formicarum preliis mirabilia

Per idem tempus in agro Leodiensi - qui Semi-Germanicus est, quamvis sermone utatur Gallico eoque corrupto - corvus in alta rupe sibi nidum construxerat, et ova posuerat diuque foverat. Id conspicatus accipiter nactus horam, qua corvus abesset, contractis ovis nidum occupat. Rediens corvus iniuriam ulcisci pergit. Pugnant ambo diu; postremo non tam satiati, quam lassi [293]

velut ex composito certamen relinquunt, et alius in orientem, alius in occidentem volat.

Postridie in eadem regione accipitrum corvorumque tot per aera turme volitare visuntur, ut celi aspectum tanquam nubes auferant. Implentur clangoribus vicine valles, et magnus insonat aether. Nec mora, velut a peritissimis ducibus ordinatae acies prelium committunt, et ii unguibus, illi rostro acriter preliantur. Nunc hi nunc illi cedunt vulnera, pennas evellunt, et cadentibus plumis impletur regio. - Agrestes invisam antea inauditamque rem demirantur, et spectaculo fruentes insolito, iussis stare bobus et rastris depositis stupidi atque attoniti belli exitum pro aratris manent haud ignari, quin magni aliquid hoc miraculo portendatur. Victi tandem corvi magna occidione, relicto nido abierunt.

10 Paulo post in eodem loco crudelis pugna commissa est. Duo de pontificio Leodiensi contendebant; et quando scissa erat Ecclesia - hinc Gregorio XII, illinc Benedicto XIII Christi tunicam ad se trahente -, nec poterat iuris ordine lis terminari, ad arma ventum est. Iohannes Burgundie dux uni ex contententibus adfuit, alteri Leodienses opem tulerunt. Convenere ambo exercitus in eum locum, ex quo pulsi fuere corvi. Pugnatum est vi non
15 minori, quam ira. Victoria Burgundis cessit, ex Leodiensibus duo et XXX milia cesa; ossa in sacello recondita, quod eius rei memoriam continet. Capto Leodio episcopatus ad victorem pervenit.

Non sumus nescii fabulosum videri, quod de prelio avium retulimus. Quis enim tantam illis inesse rationem arbitretur, ut ad certam diem locumque pugnature conveniant? Verum
20 difficile est egregiis assertoribus fidem non adhibere, nec nostra ex potestate credulitas pendet: nobis invitis abit reditque fides. - Maius narrabimus, quod se vidisse Nicolaus cardinalis Sancte Cecilie vel iuratus affirmavit, cuius auctoritas superiori narrationi astipulabitur.

In agro Bononiensi cum Eugenii copie adversus rebelle oppidum castra tenerent, formice
25 minuscule siccam seu pyrum seu aliam arborem insederant; accessit maiuscularum multitudo, prioresque loco deiecit multis morsu peremptis. Viderunt haec plurimi e castris milites, et cum aliquandiu de prelio horum animalium locuti essent, ecce formicarum minutarum infinitum agmen truncum arboris circumvallant, et catervatim ascendentes non sine disciplina et ordine tanquam munitionem aliquam oppugnare in hostes pergunt.
30 Quibus visis maiuscule superne sese expediunt, et loca occupant opportuniora, ne circumveniri possint. Ascendunt paulatim turmae minorum, et cominus pugnam ineunt. Maiores rostro valentiores modo has modo illas trucidant, laniant, conterunt; cadit infinitus numerus, et acervus interemptarum crescit in horas. Verum ubi pes pedi et rostrum rostro committitur, et conferctissime miscentur acies, unamque maiusculam decem aut viginti
35 minuscule circumstantes aggrediuntur crebrisque lacesunt vulneribus, necessario pauciores cedunt, et in fugam verse, ubi ad summum arboris verticem perveniunt, usque ad unam omnes necantur. - Haec non cardinalis modo, sed omnis ecclesiasticus [294]

spectavit exercitus. Auditor pro suo arbitrio de his iudicium faciat; nos apud auctores veri periculum relinquimus.

Iohannes autem Leodiensi victoria elatus exercitum - si vera est fama -centum milium pugnatorum in Parisios duxit, atque in campo castra metatus est, qui ex Ulmo Andini nomen habuit, adversarios inde ad pugnam provocans. Qui cum essent tantis viribus impares, haudquaquam occurrere presumpserunt, quamvis latrociniis potius, quam preliis Burgundum lacerarent. Ipse campos tenens et undique insultans late populatus agros, multisque direptis oppidis in morem triumphantis domum revertit. Intercessere deinde pax modo, modo bellum; nulla quies diuturna fuit.

6. De rebus Angliae eorum(que) regum et bellis adversus Gallos

Paulo ante id temporis Ricchardus rex Anglie reddita Francis pace et accepta in uxorem regis filia, cum nonnulla in Nortmannis oppida restituisset, ab Henrico duce Clocestriae, nepote suo in vincula coniectus et in carcere necatus fuerat. Regnum vi usurpatum Henrico cessit, quamvis essent mortuo regi propinquiores consanguinei, qui secundum leges preferendi videbantur. Sed que vox legibus inter arma? Mutas metus leges facit, nec parricidam audent a regno repellere, quem tuetur ferrum. Ille cum aliquandiu regnasset non incruentus, Henricum [Sextum] ex se genitum regni successorem reliquit. Magnus hic vir fuit animo et ingenio excellenti, qui regno Anglie a patre per parricidium quesito Francorum etiam coronam adiungere curavit; cuius propositum et Francia bellis fessa et odia procerum adiuvabant. Rupta igitur Ricchardi pace, classe admodum magna comparata regem se Francie et Anglie vocitans in Nortmanniam descendit, occupatisque nonnullis oppidis, et vastitate agrorum facta in Picchardiam penetravit, sperans Burgundie ducem, qui ceteris Francis esset infensus, in sua castra venturum, atque iunctis cum eo viribus facile hostes superatum iri. Continuit se domi Burgundus, neque adeo suo se regi respondit inimicum esse, ut Anglicis Franciam vastantibus adiungi comes posset, quamvis regni et regis hostis declaratus esset.

Interea Iohannes dux Aurelianensis - eius, qui fuerat interfectus, filius -coactis in unum Francorum viribus exercitum ferme sexaginta milium pugnatorum contraxit, atque obviam hosti perrexit, meditantique fugam et per compendia viarum in Angliam properanti stulto consilio iter preclusit. Recte admonent, qui fugientibus hostibus argenteum pontem sternendum aiunt! Nunquam fugiendo vincitur; sepe aditum fuge non patuisse profuit, cum desperatio virtutem exacuit, ut est illud poeticum: „*Una salus victis nullam sperare salutem.*” Henricus, ubi se undique clausum animadvertit, caduceatorem ad Francos mittit, qui omnia de Gallis occupata restituat, sibi suisque reditum in Angliam impetret. Quem cum Franci superbia elati vacuum remisissent, accersitis ordinum ductoribus: [295]

7. Oratio Henrici regis Anglorum ad comilitones, et conflictus Gallorum

- 5 „Compertum” - inquit - *”habeo, milites, in bello plurimum valere iustitiam, nec tam ope humana, quam Dei brachio parari victoriam. Nos cupidi glorie et opum avidi regnum alienum per iniuriam invasimus. Non tulit divina pietas iniquum propositum, nosque propemodum in hostium manus dedit Circumventi undique sumus, nec victorie adversus tantum exercitum, nec spes fugae relicta est. Illud me reficit ac sublevat, quod ab initio dixi: ex iustitia pendere victoriam, fautoremque pie causae Deum esse. Resumite omnes animum et gaudete mecum! Adest nobis divina gratia, quae iniustam causam nostram reddidit iustam. Misimus ad Francos pacem orantes, reddere ablata promisimus, tantum nos incolumes abire sinerent. Nolunt pacem, corpora nostra ad cedem petunt, sanguinem nostrum sitiunt; maior est eorum arrogantia, quam nostra fuit. Superat eorum iniquitas nostram: superbissime responderunt. At superbis resistit Deus! Ibi erit victoria, ubi minor est culpa. Cras prelium expectate; quantum quisque animi ac virium habet, tantum in pugna representet! Verum non tam vestris ex manibus, quam Dei dextera salutem sperate; quae ut nobis secunda sit, alter alteri peccata confiteamur, et Eucharystiae loco - cuius copiam non habemus - terram sumentes humili corde divinam misericordiam imploremus.”*
- 10 Atque his dictis fecit ipse primus, quod alios hortabatur. Exemplum regis multitudo secuta; nec illa nocte aliud, quam de salute animarum in castris Anglorum cogitatum est. Omnes tanquam morituri sequentis diei prelium expectabant, at inultum se casurum nemo speravit. - Longe alia nox aliaque vigilie in Francorum castris fuere: letari omnes, bibere, gloriari, pernox alea in manibus esse, nunquam tubae, nunquam cornua cessare, proceres alter
- 15 alterum invitare, inter vina et epulas captivos Anglorum partiri, deque his tanquam de pecunia iactis ludere talis ac sortiri.
- 20 Cum illuxisset, structis hinc atque illinc aciebus primi, qui pugnam inciperent, nobiliores delecti proceres atque - ut est in Gallis consuetudo - dignioribus prime mandate acies. Sed non tam facile vibratur lancea, quam talus iacitur, nec tam levi manu cursus equorum regitur, quam foeminarum ducitur corea! Indurati pluribus bellis Anglici et assueta malo iuventus non magno negotio delicatam Gallorum nobilitatem reiiciunt, et ruptis hostium ordinibus in medias turmas conglobati feruntur, atque obvios quosque prosternunt. Franci, ubi primos cedere animadverterunt, neque consilio neque auxilio suis fuere, simul spe
- 25 perdita fugam omnes fedam fecere.
- 30 Victor Anglicus usque ad noctem insecutus hostem cedendo capiendoque fessus cum rediisset in castra, longe plures captivos, quam capientes invenit, veritusque nocturna pericula, servatis nobilioribus omnem plebem et ignota capita iussit interfici. Hostile factum et inhumanum! Non tam cruentum prelium, quam victoria fuit. - In hac pugna Antonius dux Brabantie cecidit, et Eduardus Barrensiu[m] cum duobus fratribus et proceres ac nobiles multi
- 35 40 periire. Duces Aurelianensis, Borbonii et Alenconie et comites ac barones [296]

complures captivi in Angliam ducti sunt, de quibus Henricus apud suos magnifice triumphavit.

8. Burgundorum et Armeniacorum bella, crudelitasque immanissima Capeluca, et luporum voracitas

Rebus Francorum in hunc modum afflictis haud aliud remedium, qui reliqui erant, regni proceres adhiberi posse putaverunt, quam militum magisterium ad comitem Armeniaci deferre, eique belli summam credere; id officii Gallici 'comitatum [stabuli] vocant. Multa huic cum Burgundis levia fuerunt prelia, in quibus non aliud nomen invocatum est, quam Burgundorum et Armeniacorum, atque hinc due factiones in Gallia emergerunt capitalibus odiis inter se decertantes.

Per idem tempus Iohannes nondum regi suo conciliatus, cum per amicos porta sibi quedam Parisiensis promitteretur, collecto raptim milite celeri cursu ad urbis moenia proficiscitur, et patefacta porta cum copiis ingreditur. Non multis ante diebus rex eo se receperat adducto filio infante, quem mandaverat in arce nutriri. Aurora fuit, cum Burgundi civitatem intrarunt; quorum audito tumultu capta iam urbe nobilis quidam eques natione Brito, qui postea Parisiensis prepositus dictus est, posthabitis aliis curis in arcem ad regis filium properavit, nudumque lectulo eripiens quam celerrime per Bastiliam et occultas vias ultra Lygerim fluvium transportavit. Quam rem alii Francie salutem, alii malorum omnium, quae postea emergerunt, fuisse seminarium tradidere.

Urbe capta rex in potestatem Burgundi venit - cuius erat patruelis -, pro dignitate honoratus, pro dementia custoditus; Armeniaci et Grandis Prati comites et regni cancellarius et Meldensis episcopus et alii multi proceres ac sacerdotes in carcerem coniecti sunt, atque illic diu macerati. Dein absente Iohanne Armeniacorum exercitus, ut dominum suum liberaret, per arcem ingressus urbem invasit. Sed inerat validum Burgundi presidium, quod populo civitatis adiunctum facile Armeniacos reppulit.

In eo tumultu trepidante adhuc civitate lictor iudicii, cognomento Capeluca, multis ex plebe concitatis in carceres impetum fecit, perfractoque ostio omnes, quos supra nominavimus, crudeliter obruncavit nec nobilitati parcens nec sacerdotio. Cunctorum indigna mors visa; Armeniaci tantum comitis necem violate religioni imputaverunt, qui paulo ante aureum Beati Ludovici feretrum e sacrario abstulisset ac reposuisset argenteum. Adiiit sequentibus diebus et alios carceres Capeluca, ac non solum criminis reos, sed pecunie quoque debitores interemit. Ibat hic feroci animo, tetro vultu, horribili aspectu per urbem cruentis stipatus satellitibus, et Armeniacorum se hostem dictitans, quorum principem interfecerat, quemcunque odio habuit, Armeniacum vocitans iugulavit. Occidebantur opulenti cives, quocunque irent, nec divitibus mulieribus parcebatur; non forum, non templum tutum erat, nulli sua domus securum [297]

satis refugium prebuit; ingrediebantur furibundi satellites egregias civium aedes, et alta irrumpebant palatia, cesisque dominis, constupratis matronis suppellectilem omnem diripiebant. Quidam viros nobiles ex altissimis fenestris precipitarunt locatis in via sociis, qui cadentes cuspidibus exciperent lancearum. Erat feda res urbem nobilem, in qua philosophie
 5 et omnium bonarum artium vigerent studia, latrociniis, cedibus, adulteriis atque omni turpitudini patentem cernere; nec miserius quicquam illa civitate fuit, que unius tortoris exposita libidini nihil sanctum habuit, nihil tutum, cruore et turpitudine omnia plena visebantur, nulla sine luctu domus, nusquam letitia: pavor et tremor cuncta possidebat.

Ea cum accepisset Iohannes, misertus civitatis de se bene merentis eo rediit. Intranti
 10 urbem Capeluca tanquam unus ex proceribus lateri comes adhesit, atque usque in regiam inter primos adequitavit. Interrogatus dux, cur tantum honoris scelerato impenderet homini, respondit se nobilem virum putavisse, qui multis stipatus comitibus occurrisset. At ubi certior factus est Capelucam esse, qui tot prestantes viros interfecisset, atque urbem nefando cruore fedasset, nihil moratus hominem capi et ad supplicium rapi iussit. Qui cum duceretur
 15 ad mortem, quanquam se urbis liberatorem assereret, et auxilium plebis imploraret, nullum reperit adiutorem, deditque suorum flagitiorum meritam poenam.

Non tamen hoc modo pacata civitas est; restabant supra decem milia latronum ex plebe federatorum, qui prede cupiditate et scelerum impunitate allecti Capelucae fuerant comites, potens et timenda multitudo, que nec rapinis abstinere, nec eiici aut capi facile poterat. Usus
 20 vaframento Iohannes Armeniacorum manum in propinquum urbi castellum adventasse dicit, seque illos obsidere velle. Parat copias, et ordinato exercitu iter arripiens priores ire Capelucae satellites iubet; qui nihil fraudis suspicantes leti urbem egrediuntur. Iohannes retro portas claudi iubet, nec redeuntes admitti sinit. Illi ubi delusos se vident, ignari, quid agant sine duce, sine pecunia, sine consilio, alii huc alii illuc discurrunt, multi ab hostibus
 25 capti atque occisi sunt, plures inedia perierunt, qui per nemora latitantes etiam bestiarum esca fuerunt. Atque in hunc modum civitas liberata est.

Sed quae pestem hominum evaserat, ferarum rabie vexari cepit. Lupi, qui latronum cadavera in silvis devorassent, vias publicas turmatim obsidere, et ad portas usque civitatis
 30 venientes humana rapere corpora, nec tutum iter cuiquam nisi armata et pluribus stipato sociis patere. Omnes viarum aditus et omnes per circuitum agros a lupis obtineri, nulla non die eorum audiri ploratus, qui vel filios, vel consanguineos ab immanibus feris devoratos quererentur; fuitque cum bestiis non minus atrox, quam cum viris bellum. Digna Dei ultio, ut qui cum fratribus convenire nequissent, ferarum morsibus raperentur! [298]

9. Anglicorum Gallorumque bellum, et caedes Burgundi ducis, filiique fedus cum Anglicis

5 Henricus Anglicus his cognitis tempus idoneum nactus ad occupandam Franciam - cum defunctis natu maioribus regii sanguinis iuniores atrocibus inter se odiis concertarent, rex mente excidisset, et plurimi in Anglia proceres capti detinerentur - iterum classe parata in Nortmanniam descendit, expositisque in terra copiis non pauca eius regionis oppida occupavit. Quod intelligentes dalfini gubernatores - hic unicus regis erat filius, quem supra servatum ex captivitate Parisiensi diximus -, non aliam salvandi regni viam inveniri posse putaverunt, quam Burgundo reconciliari; sic enim unitis viribus potentissimo regi obsisti posse. Per communes igitur amicos cum Iohanne agunt, ut constituta die ad Moterianum se conferat de pace acturum, nam et dalfinus eo venturus sit; id oppidum ad confluentes Ionam et Sequanam situm est. Proficiscitur eo plenus fide Burgundus nihil doli, nihil insidiarum timens; atque ut primum ad conspectum dalfini venit, recognoscens domini sui filium eundemque consanguineum, reverentiam pro veteri more faciens in adorantis modum ad principis genua sese prostravit. Tum praepositus Parisiensis - is, qui puerum regium trans Lygerim, ut diximus, asportaverat -: „*Avenisti, proditor*" - inquit -, „*et tua tecum adventavit dies! Sanguinem tuum regio sanguini reddes, et proditi regni penas dabis! Ego te manibus meis Aurelianensis, quem occidisti, manibus parentabo!*" - Atque accepta bipenni magnanimum ducem dalfini pedes obsculantem interfecit.

20 Quod scelus non tam triste Francis, quam letum Anglicis fuit. Henricus, ubi occisum tantum principem audivit: „*Haec*" - inquit - „*Burgundi nex mea est vita. Hoc mihi nuntium Franciae regnum affert, et alteram capiti meo coronam imponit.*" - Missisque legatis ad Philippum, unicum Iohannis filium admodum adolescentem: „*Doleo*" - inquit - „*patrem tuum tam crudeliter occisum esse, generosum et fortem principem, in cuius sanguine non Gallia modo, sed omnis Christiana religio laesa est. Tu, si vir fueris et Iohannis filius, haudquaquam paternam mortem inultam sines. Abunde tibi ad vindictam suppetunt facultates. Quod si tuis armis non satis confidis, adsunt mea. Ego tecum in tuo genitore sum lesus; unus enim sanguis sumus: tecum pariter ulciscar. Nec tu sanguinis tui dalfinum putato! Nam quo pacto rex demens et impotens eum genuerit? Abusa viri morbo regina hoc monstrum ex alieno concepit, a quo tuus genitor obtruncatus est.*"

30 Placueret Philippo Anglici mandata, nec mora, fedus cum eo percussit, pace cum fatuo rege his legibus composita:

35 - Filiam eius, Catherinam, ante dementiam natam Henricus uxorem ducat, regnumque vivo rege gubernet, mortuo Franciae coronam ferat;

- Dalfinus tanquam ex adulterio genitus et perduellis exheres esto.

Ab eo tempore Anglicus, qui se iam pridem Francie atque Anglie regem nominaverat, mutato titulo pro rege Francie „regni gubernator et heres" appellatus est, cui non solum Parisii ac Burgundi et Nortmanni, sed omnes ferme [299]

citra Ligerim habitantes paruere, et in Aquitania Burdegala cum pluribus oppidis eius imperium secuta est. Quibus peractis profluvio ventris - ut aiunt - extinctus in Occidentali Monasterio apud Lundonias cum patribus suis conditus est, vir certe clarus et inter reges sui temporis facile princeps: Anglia ei obsequentissima fuit, Scotiae regem captivum habuit,
 5 Francos multis magnisque preliis fudit, eorumque regem in gubernationem accepit, subiectis populis ius incorruptum dixit, plumeos lectos Anglicis interdixit. Ferunt animum ei fuisse, si regnum Franciae totum obtinisset, vini usum auferre, omnesque vineas aratro vertere, nihil tam enervare hominum vires, quam plumas et vina putanti. Post eius obitum Karolus quoque Francie rex, non tam homo, quam bestia, intra semestre tempus moritur.

10 Henrico ex filia Karoli natus filius, item Henricus nomine, haeres fuit; quem Anglici sui regni diademate in urbe Lundoniarum honestatum in Franciam duxere, et apud Parisios septem annos natum coronavere. Secuti sunt eum, qui patri paruerant; accesserunt et novi aut armis edomiti, aut metu tracti. Gubernationem regis patruus gessit, Clocestriae dux, manu promptus et consilio validus, qui prioris belli reliquias insectatus non paucis cladibus
 15 Gallos afflixit.

Ferunt, qui boni rerum existimatores habentur, in his Gallie tumultibus plus quam ducenta hominum milia ferro ac fame periisse.

Obsessum est ab Anglicis per hoc tempus Aurelianum, quamvis eius urbis princeps captivus in Anglia degeret. Id viri nobiles detestati sunt, tanquam degeneris animi sit eius
 20 viri arces oppugnari, cuius corpus in potestate habeas. Aurelianensis, postquam suos cives obsidione premi cognovit, ut se Burgundo traderent, ad eos scripsit. Cupientibus obtemperare prohibitus ab Anglico non annuit Burgundus; atque hinc origo dissensionis inter Philippum et Anglicos ducta est. Accessit, quod altera Philippi soror, duci Clocestrie nupta, dum hec agerentur, non sine opinione sumpti veneni mortem obiit. Crescebant in dies
 25 hinc atque inde simultates; non tamen in animum Burgundi cadere potuit, ut ad eos reverteretur, qui patrem occiderant. Nocebat minus solito Francis, et sua custodiens temperabat ab armis.

10. Iohanne puelle gesta miraculosa et supra fidem adversus Anglos

30 Interea desperatis pene Francorum rebus puella sexdecim annos nata, nomine Iohanna, pauperis agricolae filia, in agro Tullensi cum porcos custodiret, divino afflata spiritu - sicut res eius geste demonstrant - relicto grege ac parentibus posthabitis ad prefectum proximi oppidi, quod solum eius regionis in fide Francorum remanserat, sese confert, ductoresque
 35 petit, qui sibi ad dalfinum iter demonstrent. Querit prefectus itineris causam. Habere se inquit divina mandata, quae ad illum perferat, sibi et regno salutaria. Ridet prefectus, amentemque putans spernit. Instantem multis pertentat modis. Fit mora plurimum [300]

dierum, si forte mutaret puella propositum, aut aliquid in ea reperiretur indignum. At ubi constans et immutabilis nulliusque conscia turpitudinis inventa est: *"Quid scio"* - inquit prefectus -, *"an haec Dei voluntas sit? Sepe regnum Franciae divina servavere presidia. Forsitan et nostris diebus aliquid in celo pro nostra salute ordinatum est, quod per foeminam patefiat"* -, selectisque tribus spectate fidei servis puellam ad dalfinum ducendam commendat.

Decem ferme dierum iter faciendum erat, et agros medios aut hostis tenebat aut amicus hosti. Transiit cunctas difficultates inoffensa virgo vestibus induta virilibus, dalfinumque apud Bituriges morantem adiit, qui fractus animo tot cladibus acceptis non iam de regno tuendo, sed de loco querendo, ubi privatam vitam securus agere posset, anxius erat. In Hispania regis Castelle ac Legionis ea etate florentes opes habebantur, qui cum dalfino et consanguinitatis et amicitie vinculo iungebatur; hunc rogare statuerat, ut regni Franciae curam et coronam suscipiens angulum sibi aliquem terrae concederet, in quo tuto latitaret.

Talia meditantem virgo convenit, et restitutis prefecti litteris audiri petiit. Dalfinus rei novitate permotus delusionemque veritus Castrensi episcopo, confessori suo, inter theologos apprime docto puellam examinandam committit, nobilibusque matronis servandam tradit. Interrogata de fide ea respondet, que Christiane religioni conveniunt; examinata de moribus pudica et honestissima reperitur. Fit pluribus diebus examen; nihil in ea fictum, nihil dolosum, nihil arte maligna excogitatum invenitur; in habitu solum difficultas manet. Rogata, cur vestes viriles mulieri prohibitas induisset, virginem sese ait: virgini utrunque habitum convenire; sibi a Deo mandatum esse, vestibus ut virilibus uteretur, cui et arma essent tractanda virilia. - Sic probata rursus in dalfini conspectu reddita: *"Ego ad te"* - inquit - *"veni, regum sanguis, Dei iussu, non meo consilio. Is mandat, ut me sequaris. Si parueris, restituam tibi tuum solium, Remisque propediem tuo capiti coronam imponam."*

Dalfinus rem difficillimam, quae promitteretur, ait; Remorum civitatem, in qua reges coronari solerent, remotissimam esse, et ab hostibus obtineri, nec usquam iter patere tutum; Aurelianum, que media civitas esset, ab Anglicis obsideri, nec vires Francos habere, quibus miseris obsessis subveniretur; multo minus coronationi navari operam posse. Nihil his mota virgo: *"Non vana"* - inquit - *"promitto. Si Deo credis, et mihi crede! Eius nuntia veni, arma tibi ministrabo divinitus, et invisibili ferro aperiam iter. Parebunt, quocunque ieris, populi, et ultro tua signa sequentur nobiles. Nec tu mihi obsidionem Aurelianensem obieceris: hanc ego ante omnia dissolvam, et civitatem liberam dabo, tantum mihi hos equites, qui te penes adsunt, concedito!"*

Res aliquandiu in consilio diversis sententiis agitata est; alii captam mente puellam, alii demonio illusam, alii Spiritu Sancto plenam putabant; et ii Betuliam atque alias olim civitates per feminas fuisse salvatas referebant, regnumque Francie sepe divinitus adiutum nunc quoque per virginem, quam Deus mitteret, posse defendi, idque fragili commissum sexui, ne Franci suo more [301]

superbientes in sua virtute confidunt; nec vesanam puellam quoquomodo putandam, cuius consilia sensu plena essent. Vicit hec sententia, et Aurelianensem provinciam puelle crediderunt. Dux femina belli facta est, allata sunt arma, adducti equi. Puella ferociorem ascendit, et ardens in armis, hastam vibrans saltare, currere atque in gyrum se vertere haud aliter coegit equum, quam de Camilla fabulae tradunt. Quod cum proceres advenissent, nemo inventus est, qui ducatum femine contempserit. Nobilissimus quisque assumptis armis percupide sectatus est virginem, que paratis omnibus itineri se commisit.

Difficillimus per terram ad Aurelianum patebat aditus. Itinera queque precluserat Anglicus, tribusque urbis portis trina obiecerat castra, eaque fossa et vallo munierat. Puella, haud ignara Lygerim fluvium propter menia civitatis decurrere, naves occulto in loco frumento onerat, atque cum copiis ingreditur, et obsessis de sua profectioe commonitis veloci remigio et rapidi fluminis usa cursu prius in conspectu civitatis est visa, quam hostes venturam cognoverint. Accurrerunt armati Anglici, conscensisque naviculis frustra ingressum virginis remorari conati sunt, multisque acceptis vulneribus terga dederunt. Illa urbem ingressa ac summa civium alacritate suscepta comeatum omnis generis iam fame pereuntibus importavit, nec morata sequenti luce castra hostium, que portam precipuam obsidebant, magno furore invadit, repletisque fossis et aggere ac vallo disiecto Anglos perturbat, ac potita munitionibus turres et propugnacula, que hostes paraverant, incendit; idemque confirmatis oppidanorum animis per alias portas egressa in aliis castris efficit, cum divisi Anglici pluribus in locis essent, nec castra castris subvenire possent. Per hunc modum soluta et penitus deleta est Aurelianensis obsidio cesis hostibus, quicumque ad eam convenerant, adeo, ut vix cladis nuntius extiterit. Nec huius rei gloria alteri, quam puelle data, quamvis strenuissimi et peritissimi bellatores, et qui sepe ordines duxerant, interfuere.

Tantam suorum cladem atque ignominiam iniquo animo Talbotes tulit, inter Anglicos duces fama clarissimus, qui assumptis quatuor milibus equitum ex omnibus copiis delectorum in Aurelianum duxit congressurus puelle, si ausa esset occurrere, haud dubius, quin portas exeuntem vel caperet vel occideret. Sed longe aliter evenit: eductis virgo cohortibus ut primum hostem conspicata est, sublato ingenti clamore atque impetu horribili facto Anglicorum signa pervadit, inter quos nemo inventus est, qui consistere aut vultum ostendere auderet. Subitus omnes metus atque horror incessit, qui etsi numero superiores essent, pauciores tamen sese fore arbitrabantur, et innumerabiles copias puelle militare putabant; nec defuere, qui pugnare angelos in parte adversa existimarent, nullamque sibi victoriam promitterent contra Deum preliantibus. Cecidere de manibus nudi enses, scuta et galeas quisque proiecit, leviolem ut se fuge committeret. Talbotis nec hortamenta audita sunt, nec minae pensitate: facta est fedissima fuga; virgini solum ostensa terga, quae fugientes insecuta universos aut cepit aut interfecit, excepto cum paucis duce, qui postquam suos de fuga irrevocabiles vidit, velocibus equis impetum hostis evasit. [302]

Harum rerum fama ad vicinas gentes et deinde ad remotiores delata, semperque maior itinerando facta stupore omnium mentes implevit. Dalfinus iam puelle monitis credens, cuius dicta firmaverant facta, supplicationes Deo per omnia templa decrevit, et ad suscipiendam coronam sese accinxit. Nobilitas universi regni miraculosis puelle operibus
 5 auditis, postquam solemnia coronationis apparari didicit, incredibili cupiditate visendi virginem tota Gallia sumptis armis accurrit, atque intra mensem supra XXX-ta equitum milia propriis stipendiis militatura ad dalfinum concessit, qui tantas adesse armatorum copias magis ac magis letatus ex Biturigibus, apud quos plerumque morabatur, arrepto itinere, precedente in armis et vexillum regium gestante puella, in Remos duxit. Media
 10 quaeque oppida in potestate hostium erant, populique omnes novis adacti iuramentis fidem servare Anglico ac dalfinum hostiliter accipere decreverant. At ubi eum puellamque prope adesse cognoverunt - mirabile dictu! -, nemo contra armatus occurrit, nemo portas clausit, nemo venientibus maledixit. Quocumque ventum est, effuse obviam plebes dalphinum tanquam dominum salutarunt certantes inter se, quonam pacto suum principem maioribus
 15 honoribus afficere possent.

Cum prope Remos ad quadraginta ferme stadia pervenisset exercitus, magnopere in civitate trepidatum est: nihil Anglico tutum videri, nutare optimates, plebis animos res nove allicere. Fuerunt inter Anglicos, qui suaderent sacrum oleum, quo rex inungitur, alio transferendum, ne perdita civitate rite coronari hostis posset. (Opinantur Gallici candidam
 20 olim columbam e celo missam Beato Remigio, eius urbis antistiti [liquorem olei attulisse], quo reges inungerentur, idque summa religione custodiunt, neque imminui putant, quamvis a Clodoveo usque in hec tempora permulti reges illo sint usi, negantque verum esse regem, qui hoc oleo non sit delibutus. Ob eam causam, cum de transportando liquore sepius Anglici consulissent, divina voluntate prepeditum propositum arbitrantur.) Dalfinus urbi propinquus caduceatores mittit, qui civitatem tradi iubeant, coronationemque suam
 25 Remensibus annuntient. Illi primarios cives legant, qui tempus consultandi petant. Puella legatis nihil responderi iubet, nihil morandum: in tempore, quod Deus statuisset, cuncta esse gerenda. Paret dalfinus virgini, retentisque legatis et premissis ordinibus equitum celeri cursu civitatem petit. Mira res et apud posteros fide caritura! Nullus vel in porta vel in urbe
 30 reperitur armatus, togati cives extra menia occurrunt. Dalfinus sine conditionibus, sine pactis, absque ulla contradictione patentem portas ingreditur; nemo reclamatur, nemo signum indignationis ostendit, divinum opus cuncti esse fatentur. Franci dum portam unam ingrediuntur, Anglici altera fugiunt; pacifica et quieta civitas suum dominum benigne amplectitur, et quem paulo ante velut hostem aspernabatur, nunc tanquam patrem miro
 35 affectu et summis honoribus excolit. Fit magnus circa dalfinum salutantium concursus, maior circa puellam, quam veluti divinum aliquod numen intuebantur.

Facta sunt haec die sabato in profesto Beate Marie Magdalene; et in ipso festo apud monasterium Sancti Remigii magna populi frequentia, multis proceribus [303]

ac prelati circumstantibus dalfinus more maiorum sacro inunctus oleo regni Francie diadema suscepit acclamante multitudine: „*Karolo regi*“ (id enim nomen dalfino fuit) „*vitam ac victoriam!*“

5 Mansit rex ea in urbe quadriduo preter consuetudinem. Mos enim Francie regibus est die, que coronationem sequitur, templum quoddam peregrinando petere, cui Sanctus Marchon presidet, atque ibi aegrotos curare. (Opinionem Galli vulgaverunt, morbum quendam humano in gutture nasci, qui solo regis tactu et arcanis quibusdam curetur verbis; idque post coronationem in hoc templo fieri.) Non est peregrinatus statuta die novus rex; impedimento fuere Burgundorum legati, qui salutatum venerant, et aliquid ad concordiam afferebant.

10 Quibus auditis quarta die peregrinatio facta est; in qua de curatione morborum nihil satis compertum habeo, quamvis Gallici omnia facta credant, quae fieri vel miraculose queant.

Post haec puella cum novo rege Laudunum petit, neque (hic) resistentia reperitur, patuere omnia regi. Idem fecere, quaecunque oppida intra Parisios Laudunumque iacent, populis ac plebibus universis summa cum exultatione obviam effusis. Fuit et spes data regi Parisiorum

15 urbis capiende, sed cum in agros eorum duxisset, nec quisquam occurreret, deceptum se intelligens retro abiit. Puella vero acriori animo assumptis quibusdam cohortibus usque ad portam excurrit, quae ducit ad forum porcorum, eamque magno impetu non sine spe potiunde civitatis incendit. Ubi dum fortius quam cautius pugnat, intusque summa vi resistitur, sagitta in incertum missa vulneratum Et ut primum sauciatam se animadvertit, e

20 pugna recessit, comites ab oppugnatione cessarunt, atque hic favor puellae minui cepit, que inviolabilis antea credita vulnerari potuisset. Neque deinceps nomen eius aut tam formidabile Anglicis aut tam venerabile Francis fuit. Brevi tamen curato vulnere rursus in castra venit, ubi pro veteri consuetudine arma tractatis nihil memorabile fecit.

Haud procul ab urbe rex abierat expectans, si forte mutatis civium animis revocaretur.

25 Nihil ex opinione successit. Dux Clocestriae, qui tum Parisiis preerat regnumque Anglicis ministrabat, summa diligentia cavit, ne quisquam civium exiret ad Karolum; ipse vero copias educeris castra castris opposuit quingentis circiter passibus ab hoste distans. Spectarunt sese biduo hostiles exercitus, et quanquam preludeia quedam furtaque belli commiserint, nunquam tamen collatis signis congregari presumpserunt. Exin pene intacti - incertum, cuius

30 maiori dedecore - abierunt; Anglici Parisios revertere, Franci Biturigas - receptis denuo in fidem, quicumque in medio erant, populis, cum alio itinere rediissent.

Puella, ubi coronatum regem et in sua sede satis tuto locatum cognovit, quietis impatiens in hostes rediit, et oppida multa expugnavit armis, multa in deditionem accepit, nonnulla, quae hostes obsidione premebant, celeri subventionem liberavit. Postremo, cum Anglici

35 Compendium obsiderent, munitissimum oppidum ac Parisiis infensum, cupiens obsessis opem ferre, eo se cum copiis confert. Sentiunt hostes adventum, atque insidias venienti parant. Iter ei per [304]

vineas faciendum erat et angustas semitas, quas ingressam et a fronte et a tergo invadunt. Pugnatur in arcto loco magna contentione. Ibi circumventa virgo cum explicare aciem nequiret, nec par esset certamen, nec fugiendi facultas daretur, deditionem facit. Iohannes Lucemburgensis, nobili loco natus, Lignei comes, qui tum Anglicis militabat, puellam

5

captivam duxit et aliquandiu in una ex suis arcibus asservavit. Quidam alio modo captam tradunt. Philippum ferunt Burgundie ducem adversus hostem profectum, qui Picchardiam populabatur, apud Auxonam fluvium venationi operam dedisse; qua re cognita puellam, quae non longe abesset, sperasse incautum intercipere lectisque sex milibus equitum in venatores irruisse; Philippum precognito impetu repente suos in

10

ordinem redegisse, advenientemque virginem prelio excepisse, in quo Iohannes eam ceperit; Philippum captam ad se duci prohibuisse, cui indecorum videretur etiam vincendo cum femina decertasse. Utcumque sit, captam in bello virginem constat, ac decem milibus aureis venditam Anglicis Rathomagumque ductam. Quo in loco diligenter examinata est, an sortilegiis, an demonio uteretur, an quicquam de religione prave sentiret. Nihil inventum est emendatione dignum, nisi virile indumentum, quo illa utebatur; neque hoc ultimo supplicio dignum censuere. Retrusa est in carcere adiecta necis pena, si amplius viriles vestes indueret. Illa, que arma tractare didicisset et exercitio militari gauderet, a custodibus pertentata, qui modo sagum militare, modo lorica, modo thoracem et alias armaturas coram afferebant, incauta

15

20

25

virilibus aliquando et indumentis et armaturis se adornavit, nesciens, quia mortem indueret. Credibile est vivente virgine, quamvis capta, Anglicos nunquam se satis tutos existimavisse, qui tot preliis ab ea superati fuissent: timuisse fugam ac prestigia, atque idcirco necis causam quesivisse. Iudices, ubi puellam viri habitum recepisse cognoverunt, tanquam relapsam igni damnaverunt; quem ipsa constanti et impavido pertulit animo. Cineres eius, ne honori aliquando essent, in Sequanam fluvium proiecere. Sic Iohanna obiit, mirabilis et stupenda virgo, quae collapsum ac pene dissipatum Francorum regnum restituit, que tot tantasque clades intulit Anglicis, que dux virorum facta inter militum turmas pudicitiam servavit illesam, de qua nihil unquam indecorum auditum est. Divinum opus an humanum inventum fuerit, difficile affirmaverim. Nonnulli existimant, cum Franciae proceres prospere succedentibus Anglorum rebus inter se dissiderent, nec alter alterius ducatum ferre dignaretur, ab aliquo, qui plus saperet, hoc vaframentum excogitatum, ut virginem divinitus missam assererent, ducatumque petenti committerent - neque enim hominem esse, qui Deum ducem recuset -, atque in hunc modum rem bellicam puelle creditam et armorum imperium datum. Neque id apud Gallos difficile, qui res auditas pro compertis habent. Illud exploratissimum est: puellam fuisse, cuius ductu Aureliani soluta est obsidio; cuius armis omnis terra subiecta est inter Bituriges ac Parisios; cuius consilio Remenses in potestatem recepti sunt, et coronatio apud eos celebrata; cuius [305]

30

35

impetu Talbotes fugatus et eius cesus est exercitus; cuius audacia Parisiensis porta cremata, cuius solertia atque industria fortune Francorum in tuto reposita sunt. Digna res, quae memoriae mandaretur, quamvis apud posteros plus admirationis sit habitura, quam fidei.

5

11. Progressus Karoli regis. Martini pape mors. Pax Burgundi cum Karolo, regisque summa ingratitude

10 Karolus, etsi virginis obitum acerbissime tulit, non tamen sibi ipsi defuit. Multa per se, multa per duces suos non solum adversus Anglicos, verum et adversus Burgundos prelia gessit digna memoratu, quae fortasse huic operi inseremus.

Attrita tot calamitatibus Gallia vasti deserti faciem, non regni praese ferebat; civitates habitatoribus vacuae ac dirute iacebant; exuste villae, vastati ubique offendebantur agri; nusquam paucis iter tutum: si quis latrones evasit, in feras incidit.

15

Martinus Quintus, Columnensi ortus familia, Romane praesidebat Ecclesiae. Qui tantarum Gallicae gentis afflictionum misertus Nicolaum Sanctae Crucis cardinalem, vite sanctimonia et ingenii dexteritate clarum, [et quem Bononiae vix natum credere possis,] in Franciam misit de concordia inter reges acturum. Nondum satis peccata sua deflexerant Galli: [restabant adhuc innatae superbiae non parvae reliquiae,] quae pacem omnem exclusere.

20

Interea Martinus misso in Germaniam legato Iuliano Sancti Angeli cardinale, qui Hussitarum populis a fide Christiana deviantibus bellum indiceret, ac Basiliensi concilio propediem inchoando praesideret, naturae satisfecit, atque in basilica Lateranensi sepultus est. Cardinales Eugenium Quartum, natione Venetum ei suffecerunt, qui Martini legatos in suis provinciis confirmavit.

25

Caepit deinde concilium Basiliae, ad quod frequentes ex omni orbe Christiano episcopi et regum legati convenerunt; et Iulianus in Bohemia profligatus eo se contulit. Eugenius conventum primo dissolvere conatus est; quod ubi non successit, rogatu principum confirmavit, Nicolaumque Sanctae Crucis cardinalem iam rebus infectis ex Francia reversum, qui cum Iuliano simul praesideret, illuc transmisit. Exortis deinde inter concilium et ipsum gravissimis contentionibus, Nicolaus inde recessit, Florentiaeque morantem pontificem adiit, a quo secundo in Galliam missus est, si forsitan molliores regum animos inveniret. (Eneas cum eo profectus - ut ante diximus - inde in Scotiam penetravit.)

30

35 Conventus Galliarum et Angliae principum apud Atrebatas indictus est. Philippus Burgundiae dux cum coniuge et omni curia eo se transtulit. Convenere ex Francis Borbonii et Alenconii duces, ex Anglicis cardinalis Vintoniensis et Utentoniae comes. Ex Basilea Cypriorum cardinalis adventavit, regis frater, quem propter nobilitatem proceres ad tractatum concordiae admiserunt, quamvis secretiora et quae plus ponderis habere, ad Nicolaum solum deferebantur. [306]

Aperte iam desciverant ab Eugenio Basiliensis concilii patres, appellationes ab eo recipientes, sacerdotia conferentes et alia plurima facientes, que ad Romanum pontificem pertinent; et cardinalis Cyprius in Atrebato legatum de latere gerens cuncta exercebat auctoritate concilii, que Sedis Apostolicæ nomine fieri consuevere. Indigna res visa cardinali Sancte Crucis, qui etsi alias legationis sue facultatibus parcissime fuerat usus, tunc totas laxavit habenas, ne concilii auctoritas dignitatem Prime Sedis excluderet. Suasit hoc potissime Thomas Sarecanus, insignis theologus, qui postea - ut relatam est - summi apostolatus apicem adeptus ob memoriam magistri sui Nicolaus appellari voluit, eius nominis quintus. Populi, ut apertam Apostolicæ Sedis auctoritatem viderunt, relicto Cypriensi legato omnes fere ad Nicolaum se convertere: frequentes ante huius aedes turbae astabant, ante illius ostium solitudo fuit. Ob quas res nihil inter se pacifice duo cardinales loquebantur, nec iam simultatibus, sed apertis odiis dissidebant. Ridicula res: mediatore his opus erat et pacis arbitro, qui magnos inter reges tractaturi concordiam venerant!

Productus est conventus diebus pluribus, et universalis concordia multis quesita modis. Cum pacis Anglico nulle conditiones oblate placerent, Nicolaus seorsum inter Philippum et Karolum de concordia egit, illumque tandem suo regi conciliavit, et a iure iurando, quod Anglico prestiterat, auctoritate Prime Sedis absolvit, satius esse arbitratus ex duobus regnis alterum salvare Francis inter se pacatis, quam perseverantibus odiis utrunque perdere; certumque illi fuit Burgundo et Franco in gratiam redeunte brevi Anglicos ex Gallia disturbari posse, illosque tandem suo regno contentos intra insulam quieturos, aut certe Galliam difficillime vexaturos. Nec vana cogitatio; ea enim dies fuit, quæ regnum Francie Karolo restituit, adeoque gloriosum fecit, ut que sui predecessores ante annos supra ducentos amiserant, ipse primus recuperaverit, ac Gallias omnes ad pristinam prope fortunam reduxerit: tantum illi Nicolaus cardinalis et Apostolica Sedes placato Burgundo beneficium contulit.

Sed [verum est, quod vulgo dicitur: magna beneficia maiori ingratitude repensari]. Oblitus eius rei Karolus quam primum in paterno solio sese confirmatum cognovit, proculque abiit metus hostium, adversus Primam Sedem superbie cornua erexit, promulgataque inter subiectos sibi populos Pragmatica Sanctione Romani pontificis iugum, id est Christi obedientiam et eius vicarii reverentiam excussit.

12. De Pragmaticæ Sanctionis origine et impietate, et quemadmodum sub Pio extincta

35 Dicere hic convenit, quid sibi Pragmatica Sanctio velit, et quomodo apud Gallos locum sibi vendicaverit. - Pragmaticam Sanctionem quidam 'rescriptum [307]

principis' esse dixerunt, nos melius 'sanctionem de causis' possumus appellare; 'pragma' enim Grece Latine 'causam' sonat. Apud Gallicos autem Pragmatica Sanctio lex quedam de negociis ecclesiasticis fuit, episcoporum consensu et regis edicto firmata. Eius origo ex Basiliensi concilio in hunc modum prorupit.

5 Inter patres, qui Basilee convenerunt, et Eugenium pontificem maximum conplures
 viguere discordie, quae multorum malorum in Christiana religione seminarium fuere. Et
 cum supremam apud se auctoritatem esse pars utraque contenderet, altera excommunicavit
 alteram; vixque tandem post multos annos sedente Nicolao Quinto in unionem reventum est,
 10 et in unis caulis et sub uno pastore grex Domini conquievit. At durante divisione et sedente
 concilio, cum auctoritas, que quondam episcoporum consuevit esse, non abbatibus tantum,
 sed prepositis, prioribus, canonicis, simplicibus presbyteris et vilibus monachis
 communicaretur, multa illic decreta preter bonum et aequum edita sunt ad enervandam
 Romanae Primaequae Sedis eminentiam - sicut in multitudine consuevit, quae semper
 15 inimica principi popularem asserit libertatem. Aderant ex Gallia Germaniaque multi
 inferioris gradus homines ecclesiastici, qui cum non potuissent sua culpa in Romana Curia
 crescere, eo se contulerant, atque ingentibus odiis Apostolicam Sedem persequabantur.
 Aderant et nonnulli episcopi propter scelera suis eiecti sedibus, qui duces plebis in concilio
 facti condendarum legum auctores fuere ea suadentes, que maxime grata multitudini
 20 viderentur, et Romani pontificis potestatem dignitatemque restringerent. Tunc de conciliis
 per decennia celebrandis statuta lex est, et universali synodo subiectum esse Romanum
 presulem declaratum in his, quae vel fidem concernerent, vel sublationem scismatis aut
 universalis Ecclesiae reformationem; de numero et qualitate cardinalium constitutio edita;
 sublata annate; prohibite reservationes beneficiorum his exceptis, quae continentur in
 Corpore Iuris; electiones prelatorum, quae magna ex parte obsoleverant, instauratae;
 25 confirmationes episcoporum, quae toto ex orbe ad Romanum presulem deferebantur,
 concesse metropolitanis et ipsorum primatibus; expectative gratie sublatae; appellationes
 omisso medio reiecte, etiam ad Primam Sedem interposite; atque in his omnibus decretum
 irritans appositum, si quid adversus ea conari pontificem maximum aut attentare
 contingeret. Ediderunt et alia multa, quae speciem quamvis pre se ferrent honestatis, plena
 30 tamen fuere veneno. Si codicem decretorum legeris, qui permagnus est, pauca invenias, que
 non aut Prime Sedis odio aut effrenate libertatis cupiditate constituta videantur.

Ea cum accepissent Galliarum episcopi, ecclesiam regni sui apud Bituriges convocavere, et
 inspecto decretorum volumine ea, quae sunt visa sibi utilia, acceptaverunt, alia reiecerunt;
 perpaucas constitutiones, ut promulgate fuerant in concilio, admiserunt, et alias quidem
 35 truncaverunt, alias extenderunt - tanquam legis condende auctoritas apud eos esset.
 Condidit suo ex arbitrio novum decretorum codicem, in quo cuncta comprehenderunt,
 quae vel Constantie vel Basileae in Apostolice Sedis derogationem atque contemptum sancita
 [308]

fuere; nec veriti sunt per se ipsos Romano pontifici legem prescribere atque cancellos, ultra quos progredi nequeat, statuere.

5 Erat iam sextus ac decimus annus regni Karoli, incarnationis vero dominice octavus ac trigesimus supra millesimum et quadringentesimum, cum prelati Galliarum Nonis Iuliis peractum Pragmaticae Sanctionis librum eidem Karolo approbandum obtulerunt. Qui tanquam oblitus divinae gratiae, quam per puellam senserat, et quantis se beneficiis cumulasset Apostolica Sedes misso cardinali Sanctae Crucis, qui Burgundos sibi conciliavit, prophanas et iniquas constitutiones approbavit et in omni ditione sua servari mandavit, gravissimis penis adversus eos statutis, qui contra facerent; decretumque ipsum regis et 10 constituta prelatorum Pragmaticae Sanctionis nomen obtinere. Ad quam abrogandam plures in Franciam ab Apostolica Sede missi legati - dum Eugenius, Nicolaus Callistusque vixit - nihil proficere; quarto et vigesimo demum anno - ut postea dicemus - sub Pio Secundo deleta et extincta est.

15 Ob hanc legem prelati Galliarum, qui se futuros liberos arbitrabantur, in servitutem maximam redacti et quasi laicorum mancipia facti, coacti sunt in parlamento Francie de singulis causis respondere; beneficia vel regis vel aliorum principum potentumque nobilium arbitrio conferre; minores annis, indoctos, monstruosos atque incestuosos ad sacerdotia provehere; si quos pro malefactis condemnassent, his penam remittere; excommunicatos absque satisfactione absolvere. Nulla censurarum apud eos libera facultas mansit. Si quis 20 apostolicas litteras in Franciam detulit, quae Pragmaticae Sanctioni adversarentur, reus extitit mortis. De causis episcopalibus, de metropoliticiis ecclesiis, de matrimoniis, de heresi in parlamento cognoverunt, adeoque debacchata est laicorum temeritas in Gallia, ut Sacratissimum Christi Corpus in pompa - ut sepe accidit - pro veneratione plebium aut ad aegrotos pro viatico delatum sub potenti manu regia sistere iuberetur, episcopi et prelati 25 reliqui dignique veneratu sacerdotes ad publicos carceres raperentur, ecclesiastica predia bonaque omnia clericorum levibus de causis ex decreto secularis iudicis arrestata paterent laicis. Et multas in hunc modum ineptias Pragmatica Sanctio peperit, quae ab ingrato rege aut iussa fuerunt aut permissa.

30 **13. Libido [luxuriaque] Karoli, et dalfini, filii gesta**

Sed iam ad ea revertamur, quae illi circa regnum obtigerunt. - Filius ei unicus erat ex Maria, Renati Andegavensis sorore, Ludovicus, acris ingenii adolescens, cui et dalfinatus Viennensis iure obvenerat - ut est apud reges Francie primogeniture -, propter quem avunculi eius, 35 Karoli Andegavensis ingens habebatur apud regem auctoritas, et consilium eius ceteris referebatur; nec loquenti sibi quispiam contradicere audebat, qui et regina sorore et nepote regni herede tumens atque insolescens cunctis [importabilis] videbatur, maxime vero Alenconii ac Borbonii ducibus et bastardo Borboniensi, qui simul [309]

coniurantes eiiciendi Karoli unicam viam censent, si dalfinum ei infensum reddant.

Rex in libidinem pronus novis in dies connubiis iungebatur, et relicta uxore legitima aliena fedare matrimonia et virgines corrumpere non verebatur. Multa erant in Palatio scorta regia magno empta precio. Karolus, amorum conciliator, non tam sanguinis propinquitate, quam lenociniis regis gratiam retinebat. Hunc inimici ad Ludovicum deferunt, matris iniuriam et avunculi turpitudinem detegunt; marcescere regem inter meretrices, negligi regnum, cuncta ruere dicunt; audeat iam tandem aliquid factus adolescens: aut Karolum e Palatio deturbet, aut abeat ipse a rege; sic futurum, ut eius desiderio concubinae expellantur, et regina sui thalami compos fiat. Accedebant et matris lachryme, que per singulos dies se spretam relictamque lamentabatur non ignara germanum esse, qui sibi pellices opponeret. Ferunt dalfinum his motum unam ex illis nudo insectatum ense occidere voluisse, illamque necem haud alibi effugere, quam in regio cubiculo potuisse, atque hinc primum inter patrem et filium manifestas inimicitias exarsisse; Ludovicum insalutato patre ad Nivernenses secessisse, regemque raptim comparato exercitu in Alenconium duxisse, et expugnatis non magno negotio plerisque munitionibus ducem in deditionem accepisse, exin contra filium profectum.

Cum civitates Nivernie dalfinum adversus patris imperium tueri non auderent, eum, ut a se abiret, rogaverunt; ille in Borbonium se recepit. Nec diu post metuens Borbonii dux regis iram, filium patri conciliavit. Que res bastardo, eius fratri haud feliciter cessit; qui paulo post captus et in profluentem demersus violati paterni iuris in filium penas dedit. Duo duces in gratiam redire - ut semper adversus imbecilles deseviunt leges. Alenconius, cum postea ad Anglicos deficere cogitaret, comprehensus est et capitali sententia damnatus; verum propter sanguinem regium, ex quo prodierat, servata vita usque ad mortem regis in carcere contabuit.

(Quod de pellice dalfini gladio insectata diximus, quidam postea gestum tradunt, cum ille a rege secundo discessit.)

Interiecta deinde non longa mora Rhenatus e regno Siciliae Cathelanorum deiectus armis filiam suam Margaritam Henrico regi Anglie in matrimonium collocavit permittente Karolo rege, qui eo coniugio inducias belli sibi et regno salutare plurium annorum cum Anglicis obtinuit. Quibus ab hoste securus suorum tantum exercituum onere premebatur, quos nec alere poterat, nec tuto dimittere, et necessarium ducebat post tot tantasque bellorum clades provinciam tantisper quiescere. Profectus est igitur ipse cum magna militum parte extra regnum in terras Imperii, magnoque metu Tullenses ac Metenses affecit, neque ab eis recessit, nisi muneribus placatus; episcopo vero Metensi Spinale, insigne oppidum adversus iura religionis eripuit. Cum alia copiarum parte, in qua supra triginta equitum milia fuisse traduntur, dalfinum in Helsatiam misit. [310]

Hanc provinciam prisci Helvetiam vocavere, inter Iuram montem et amnem Rhenum iacentem; in altioribus tamen partibus ad Alpes Italiae protenditur, et a Rheno in lacum Lemannum Rhodanumque procurrit. Olim Gallica regio fuit et situ et lingua; nunc demptis paucis, quos Sabaudienses appellant et ad Rhodanum vergunt, et lingua et moribus Germanica est. Qui montana eius incolunt loca, [Svicenses] appellantur, feroces - ut ante diximus - populi; inter hos et Helsatie civitates Austrialici iuris mortale vigeat odium, et bellum ardebat atrox. Basilea, ex qua nondum concilii nomen excesserat, cum [Svicensibus] arma iunxerat; adversus quam rogatus ab Austrialibus dalfinus exercitum duxit, ingentemque illi urbi et patribus in ea congregatis metum incussit. [Svicenses] ex federe socie civitati quatuor milia militum lectissime iuventutis auxilio misere; quos cum dalfinus appropinquare animadvertisset, medium inter Basileam et [Svicenses] cum equitatu sese opposuit, pugneque copiam fecit. Nec illi detrectavere certamen, quamvis loco campestri et late patenti adversus numerosa equitum agmina pedites pugnaturi essent. Procurrit [Svicensium] acies prior, atque hostium tela et ipsas equitum hastas rapido impulsas cursu clipeorum obiecta testudine reiecit, nec parvam Gallorum edidit stragem.

Pugnatum est summis utrinque viribus; ad extremum, cum non a fronte solum, sed a tergo et a lateribus circumventi [Svicenses] premerentur, nec cataphractos equos perfodere possent aut eorum vim substinere, non tam victi, quam vincendo fessi nimis audacis presumpti facinoris penas dedere, nam paucis fuga dilapsis obtruncati omnes in campo iacere. Rarus tamen inuitus interiit: plures reperti sunt, qui lanceis transfossi ad obtruncandum hostem per ipsas hastas vindictam accepti vulneris petiere.

Dalfino non tam iocunda, quam necessaria ea victoria fuit tanto empta cruore, nec Basilienses amplius infestandos censuit, quorum expugnatio difficilis videbatur. In Argentinenses duxit, et late populatus agros divitem abegit predam. Verum excepta [Svicensium] clade, que vires illorum valde attrivit, non tam illis gravis molestusque fuit, adversus quos rogatus intulit arma, quam ipsis rogantibus iniurius et perniciosus, quorum non opes solum, sed liberi atque uxores preda fuerunt. - Reversus ad patrem adversus Armeniaci comitem duxit - eius filium, quem supra diximus in carcere necatum -, quia sentire cum Anglicis videretur, et sororem apud illos nuptui tradere cogitaret. Cepit eum dalfinus ex improvise congressus et captum duxit ad patrem, cui cum se purgasset, in avito solio restitutus est.

14. Anglorum infoelix bellum adversus Francos, et Talbotis virtus atque mors

35 Circa idem tempus Franciscus quidam non ignobilis eques, genere Aragonensis, notus in armis et Anglo militans, capto per furtum oppido Fosorsi, quod in [311]

Nortmannia situm in potestate ducis Britannie fuit, duorum potentissimorum regum - Franciae atque Anglie - interrupisse pacem visus est. De qua re dum inter ipsos ultro citroque missis legationibus contenditur, Flochettus non paucis equitibus a rege Francie prefectus quadrigas oneratas feno, in quo milites armati laterent, per pontem, quo Sequana fluvi-
 5 fluvi- iungitur et Francis prebet in Nortmanniam iter, edoctos agrestes ducere iubet, atque in medio pontis ad portam arcis, que pro custodia loci illic erat erecta, subsistere; ipse in insidiis cum cohortibus signum expectat. Quo recepto cum milites e feno dilapsi [portam perfregissent], trucidatisque custodibus locum invasissent, repente advolans et pontem et arcem in potestatem recepit. Qua re cognita nil amplius de violato federe disceptatum est;
 10 rex Karolus aperte se hostem Anglorum dictitans per eundem pontem in Nortmanniam traiecit copias; ex altera parte Franciscus Britanniae princeps duxit exercitum, tanquam erepti sibi Fosorsi ulturus iniuriam.

Dux Somerseti Nortmanniam pro rege Anglie cum imperio tenebat; qui postquam tantam belli molem in se verti cognovit, Talbotum copiarum ducem - cuius supra meminimus -
 15 rebus gestis insignem Rothomagi apud se esse iubet, sperans eius armis ac consilio civitatem, cuius nutare animos animadverterat, posse in fide contineri. Sed frustra consilium fuit: Rothomagenses, ubi regem appropinquare didicerunt, missis legatis vite ac rerum suarum pacti salutem exercitum intra urbem recepturos et imperata facturos se promiserunt. Quibus in fidem acceptis Talbotus cum duce et ceteris Anglicis in arcem profugit; cuius oppugnatione cepta interventu Rhenati Andegavensis his conditionibus de pace convenit, ut
 20 Anglici, quae obtinebant, oppidis in omni Nortmannia excederent; dux et Talbotus cum suis liberi essent. Sed cum prefecti oppidorum non parerent, dux Somerseti dimissis in arce Talboto et duobus privignis suis clam navigavit in Angliam. Arx paulo post dedita est, et privigni ducis cum Talboto in potestatem Francorum pervenere. Talbotus, cum esset clara
 25 apud omnes fama, quam non malis artibus, sed robore corporis et ingenii dexteritate in aperto Marte quesivisset, data fide, quod adversus Francos nullo deinceps in prelio militaret, libere dimissus est. Tanta est apud omnes gentes virtutis admiratio.

Hic [anno Iobelei - ut] fama est - indulgentie causa Romam venit; quidam putant, ut eius promissi quereretur absolutionem, quo erat Gallis obnoxius; nobis ea res incomperta est. Illud
 30 constat: Talbotum, cum in Angliam redisset, iamque Karolus evicta omni Nortmannia Burdegalam quoque armis subegisset, non sine magnis copiis ab Henrico rege in Gasconiam, que pars Aquitaniae fuit, cum imperio missum, et Burdegalam, Claudiani quondam patriam, et alia pleraque oppida, quae ab Anglicis desciverant, partim vi partim voluntaria deditione recuperasse. Quibus cognitis Karolus e vestigio duos exercitus instruxit, et alteri generum
 35 suum, comitem Clari Montis, ducis Borbonii filium praefecit, et cum XV milibus pugnatorum ac totius Gallicae militiae robore ad Burdegalam recto itinere contendere iussit, alterum, quem ipse ductavit, ex purpuratis suis [312]

conscriptis. Stamporum comes paulo post in castra venit octingentos equites fortissime iuventutis ex Britannia ducens; hos Karolus sequi priorem exercitum mandavit. Qui cum septem - ut aiunt - leucis a Burdegala constitissent, parvum quoddam castellum oppugnare ceperunt, occupata prius turri et sagittariorum presidio munita, quae inter castellum et

5

Burdegalam media fuit.
Talbotus, ubi cum duobus exercitibus pugnandum esse cognovit, eum prius aggredi statuit, quem minori negotio superari posse arbitratus est. Egressus cum robore sui exercitus ex Burdegala vesperi ad turrim, quam diximus occupatam, pervenit, eaque primo impetu expugnata sagittarios circiter quinquaginta comprehensos interemit. Exin mane profectus,

10

cum accepisset regium exercitum fugam parare, veritus, ne sibi e manibus preda dilaberetur, iussis aliis sequi cum quingentis galeatis equitibus et octingentis sagittariis, prope in hostes advolans tumultuarium prelium iniit.
Consultaverant inter se hostes retro pedem fugiendo referre, verum pudore propinqui regis experiri belli fortunam decreverant. Erant eis CCC-ta circiter tormenta aenea, quae curribus advexerant; ea via, qua Talboto veniendum fuit, opposuerunt, multas praeterea machinas hinc atque inde locaverunt, quibus ignari hostes confici possent. Ut ergo furens Talboti miles itinere, quod unum patebat in castra hostium, nescius machinarum procurrit, dato tormentis igne primo congressu trecenti ferme milites ictu lapidum ex Anglicis periere. Quod ubi Talbotus animadvertit, filium, qui prope aderat, egregium adolescentem, ut abiret et ad meliora sese tempora reservaret, admonuit. At respondente filio non esse sibi ex eo prelio fugiendum, in quo pater periturus esset: „*Ego*” - inquit -, „*fili, multis rebus clarissime gestis nec mori sine gloria nec fugere sine dedecore possum. Te nunc primum militare incipientem nec fuga infamem nec mors clarum faciet.*”

20

25

Cum filium non tam paterna monita, quam pietas ipsa moveret, cohortatis sociis, ut forti animo pugnam reintegrarent, testudine scutorum facta in hostes, qui castrorum munitiones nunquam exire presumpserant, audacibus invectus animis haud parvam illorum stragem edidit. Sed cum hostes partim loco partim tormentis ac numero militum longe superiores essent, et iam crus Talboto lapis e tormento missus arrupisset, caesis maiori ex parte suis et ipse cum duobus filiis - altero legitimo, altero extra matrimonium nato - et uno genero procumbens cecidit.

30

Hic post tot sumptas ex hoste victorias clarissimi viri exitus fuit, quem Britonum potissime constantia et audacia prostravit. - Burdegala iterum in potestate regis Francorum facta est. [313]

15. Dalfini exilium et fuga ad ducem Burgundie, et ducis liberalitas atque utriusque oratio, et Karoli mors

- Priusquam ista fierent, dalfinus iterum nova in patrem ira percitus ab eo discessit. Indignationis causam fuisse commemorant, quam supra diximus de pellice matri molesta.
- 5 Agnes quedam cognomento Bella, non abiecta loco nata ad curiam regis venit Isabellam, Rhenati coniugem ex Provincia secuta. Abeunte domina inter ancillas Mariae reginae remansit non sine infamia vulgati corporis. Hanc rex, cum esset facie pulcherrima et sermone blando, amare coepit, brevique tempore adeo perdit arsit, ut nec ad horam ea
- 10 carere posset: in mensa, in cubiculo, in consilio lateri eius semper adhesit. Si quis aliquando vel confessor vel alius auctoritate potens regem de adulterio coarguit, negabat consuetudinem stupri se habere, verum oblectari facetiis et blandimentis femine; licere sibi, ut ceteris regibus, fatuum aliquem penes se habere, cum quo laxandi animi gratia versaretur, nec distare, femina an masculus esset; sibi feminam obtigisse, que suis deliramentis multos
- 15 immisceret iocos. Atque his nugis excusari volebat. Sed minime illam ut fatuam habuit, cui et optima predia et dona multa concessit, atque in palatio post reginam secundo loco honoravit; et duas ex ea sustulit filias, quas postea Ludovicus regnum adeptus tanquam sorores complexus est, et mox alteram nuptui tradidit. Agnes igitur, ut plerique tradunt, secundi discidii occasio fuit, que vix - ut ante diximus - dalfini manus evasit.
- 20 Quidam turpiorem afferunt causam. Iacobus Scothorum rex, qui Karolo esset amicissimus et Anglis infensissimus, sepeque Francorum regno sese commodissimum prebuisset, quattuor filias iam viro maturas et forma prestantes ad amicum misit viris tradendas, quando per se dare dotem nequiret. Karolus natu maiorem Ludovico tradidit, alie aliis nupsere preter unam, que morbo quodam correpta blesa et semimuta effecta est;
- 25 Sigismundus Austrie unam earum duxit. [Fama est Karolum nurum suam adamasse, eiusque concubitum petivisse; incertum, an secutus fuerit incestus.] Illud constat: dalfinum postea uxorem odio habuisse, illamque morbum tismicum incidisse, ex quo decessit. Sive haec sive illa aut altera causa fuit, Ludovicus in Dalfinatum secessit, ibique pluribus annis immoratus est, nec revocatus a patre redire dignatus, sed illo inconsulto et - ut quidam
- 30 volunt - spreto secundum matrimonium contraxit cum Karola, ducis Sabaudie filia; [quod emuli eius apud patrem calumniati sunt, incestasque nuptias esse dixerunt, tanquam dalfinus matrem coniugis suae polluisset. Credibilem rem fecit mulieris procacitas, que Cyprios mores in Sabaudiam traduxerat, et sepe viri cubile fedaverat; contra stabat consuetudo stupri, que mulieri erat cum bastardo Armeniaci, dalfini amicissimo; neque enim
- 35 inter se rivales amant, plenumque discriminis domini concubinam accedere.] Karolus, etsi egre tulit dalfini opera, dissimulavit tamen, donec Anglicis ex Francia pulsus procul ab hostili metu remansit. At ubi pax alta toto regno parta est, Donmartinum comitem - ita enim vocaverunt - cum copiis adversus filium [314]

misit, ut illum occupato Dalfinatu captivum ad se duceret. Cuius adventum cum dalfinus accepisset, nihil cunctatus cum paucis fugam arripuit adeo sibi metuens ac trepidans, ut semper a tergo instare atque urgere patris equites existimaret; atque iccirco, cum pervenisset ad montes, qui Burgundiam cingunt, repperissetque summo in cacumine Sancti Claudii templum, id quasi asilum ingressus non prius egredi ausus est, quam exploratum habuit

5 nullos adesse in circuitu, qui se quererent. Ioachim copiarum ductorem, qui ad insequendum missus erat, tradunt aliqui spacium illi fugiendi prebuisse, haud utile arbitratum regio nocere sanguini; ob quam rem ab eo postea regnum adepto bene habitus est. - Dalfinum, cum venisset ad Philippum Burgundie ducem, his usum verbis fuisse tradunt:

10 „*Regius sanguis, nullius terrae dominus, extorris et exul ad te venio, Burgundorum princeps. Iram patris fugio et inimicorum insidias, qui mihi regis animum abalienarunt. Excussus omni argento Dalfinatum exivi; mendicare panem oportet et longinquas adire provincias, nisi me recipis; apud alios nusquam tutus ero, nisi incognitus. Non est pater meus, qui flecti precibus queat. Iugulabor, si manus eius incidero. Tu unus es, qui adversus eius furorem salvare me potes.*” - Quibus dictis madidos oculos defixit in terram.

15 Philippus, ubi filium regis ad se venientem conspicatus est, pronus in terram cecidit, ac more Gallico suo domino adulatus in amplexus et oscula venit, atque hoc sermone aegram mentem solatus est:

20 „*Non es sine terra, pulcher consanguinee, cuius est omnis provincia mihi subiecta. Tu meus dominus es, et mea omnia tua sunt. Pater tuus nullum in me habet imperium: ita in Atrebatensi pace convenimus. Illo mortuo tua hereditas erit, et me tibi parere oportebit. Cur non hodie futurum amplectar dominum, et non regni heredi paream? Pone metum: regem apud me, non exulem geres! Patri nihil in te licebit: in domum tuam venisti. Impera: me meosque omnes tua iussa capessere fas est.*”

25 Sic exceptus dalfinus proprias aedes inhabitavit, et annua quattuor et XX-ti milia auri nummum accepit ex publico, et ad venationem atque alias voluptates idonea loca, precepto principis facto, ut primum in Burgundia caput dalfinum cuncti venerarentur.

Interea Dalfinatus a rege receptus est, et omnia dalfini asportata bona; amici eius aut in carcerem coniecti, aut in exilium missi; uxor cum una tantum tunica et paucis famulis et argenteis XII tantum poculis - quas vocant 'tazias' - sequi virum permissa est, ad quem lacera prorsus et deformis venit. Rex his cognitis Burgundo mandat, filium suum uti ad se remittat. Ille Karolum nihil imperii in se habere respondet; dalfinum, qui sit futurus dominus, non posse invitum remittere; suasurum, ut sponte sua ad patrem redeat; futurum sibi voluptati, si paruerit, cui patris et filii discidium nunquam placuerit.

35 Mittuntur ultro citroque legati. Dalfinus iturum se ad patrem pollicetur, si eius inimici ex curia pellantur, cum quibus non posset tuto esse. Rex, qui consilio illorum regeretur, quos dalfinus odio habuit, iniquum filium esse dicit, qui patri velit prescribere leges, et pro suo arbitrio istos aut illos eiicere. In hunc [315]

modum res pluribus annis ducta est, videbaturque regis animus armis ex Burgundo filium vendicare velle; et sepe copias ad fines Burgundiae transmisit. Nec Burgundus sibi defuit: congregavit et ipse suas copias et opportunis locis constituit, ne qua fieri posset improvisa excursio. Non erat Burgundo mens bellum regi inferre, sed illatum propulsare. Rex modo
 5 volens modo nolens, nunquam diu in uno proposito fuit; verebatur et Burgundum et filium, nec satis suis ducibus confidebat, et iam senio frigidus et inter scorta languens nihil magnum audere poterat, quamvis Armeniaci comitem omni privatum imperio inter Parisios custodiri mandaverit - de cuius incestu cum sorore commisso supra rettulimus.

Dedit et auxilia Rhenato Andegavensi adversus Ferdinandum Sicilie regem; misit legatos
 10 ad conventum Mantuanum, ut prescriptum est; conatus est omnes Italie potentatus adversus Pium pontificem armare, nec potuit; postremo validas armatorum cohortes adversus Genuenses transmisit, quae - ut ante diximus - funditus delete fuere.

Ipsa paulo post patris demeritiam imitatus veneno se periturum existimans ab omni cibo abstinuit, nec pregustanti filio credidit, qui alter supererat nomine Karolus, annos circiter
 15 XV natus. Adstabant amici et consanguinei, pereuntemque fame regem cernentes multis precibus, ut ederet, frustra suadebant. Sic rex inedia maceratus et morbo quodam, quem illi aiunt in gutture provenisse, vita excessit - rex suo aevo et magnus et memorabilis, cuius in utranque partem admirari fortunam licet.

20 **16. Pietas Pii et Ludovici coronatio, eiusque eximie virtutis preludea (et vitia,) et extinctio Pragmaticae incepta**

Pius morte regis audita apud Tybur exequias ei non sine lachrimis duxit. - Dalphinus in paterno regno ab exilio reversus summa omnium concordia exceptus est. Inimici nil ausi
 25 adversari suo apte ingenio exilium assumpserunt. Vicini reges ac populi frequentes legationes ad eum congratulatum misere; ex Italia quoque oratores accesserunt: Veneti et Mediolanenses et omnium admiratu digniores Florentini, qui ut Gallice vanitati adulerentur, relicta toga ad exterarum nationum externum vestimenti genus tulere, de quo pulchre inquit unus poetarum:

30 „*Ostentat medias Gallica palla nates.*”

Feda res et similibus relinquenda! Principes legationis fuere Philippus Medices Pisanus archiepiscopus et Petrus Pacius, cognomine suo dignus.

35 Pontifex episcopum Atrebatensem legatum misit, qui novo regi benediceret eique religionem Christianam commendaret, suaderet Pragmaticam Sanctionem e regno auferre, et egregium aliquid adversus Thurcos pro catholica religione parare, principium regni eius admiratione dignum. [316]

Coronatus est summa pompa et pace, adstante Philippo Burgundie duce et omni Galliarum nobilitate.

5 Prima eius professio extitit Pragmaticam Sanctionem, quam pater induxerat, se prorsus
 eliminare, et Apostolice Sedi in rebus ecclesiasticis summum imperium permittere. Nec opus
 monitore Atrebatensi episcopo fuit: id iam pridem facturum se Beato Petro, apostolorum
 principi voverat, si paternum solium aliquando conscenderet. Venientibus ad eum
 10 parlamenti rectoribus et sua officia confirmari petentibus dure respondit, qui vel iustitiam
 venderent, vel iura ignorarent. Scurras et hystriones et ioculatores ex curia pepulit,
 purpureas vestes eos tantum deferre passus, qui certum nobilitatis gradum attigissent.
 10 Monasteriis et ecclesiis multa donavit. Karolo Andegavensi veniam dedit. Leges plurimas pro
 regni utilitate aut novas edidit, aut antiquas instauravit.

Quae cum accepisset comes Donmartinus, de clementia tanti principis sperans, e latebris
 erumpens incognitus ad cubiculum regis pervenit, atque ibi prostratus: „*Ecce me*” - inquit -,
 15 „*rex! Peccavi in te, dominum meum. Da mihi veniam, et noli agere mecum secundum*
iniquitates meas, sed pro tua magna misericordia suscipe me in gratiam tuam!” -
 Obstupuit rex viso ante se homine inimicissimo, quem statuisset inter primos perdere;
 moxque ita fatus est: „*Sacri penates et quam tibi de nostra clementia persuasisti, opinio*
 20 *vitam tibi hodie servant. Abi extra regnum, et amplius conspectui nostro ne te obieceris,*
nisi pro tuis operibus iudicio statutum!” - Dicenti iter periculosum, neque pecunias se
 20 habere, quibus in exilium proficisceretur, argentum dedit et comites, qui tutum educerent.

Haec laudata; contra pleraque indigna visa sunt tanto principe: pecunias diligenter
 25 conquisivit, tributa graviora imposuit, stipendia comminuit et quibusdam proceribus prorsus
 ademit. Que res multum sibi favoris detraxit apud eos, qui soliti ex publico vivere ad
 privatam mensam redacti sunt.

25 **17. Oratorum adulterini regis Cypriorum explosio et despectus a Pio**

Ad Pium, dum ista geruntur in Galliis, oratores ex Cypro venere: episcopus Nimosiensis et
 30 insignis quidam doctor - ab eo missi, qui deturbato vero rege per arma Aegyptiorum sese
 regem constituerat. (De rebus Cyprianis alio loco dicemus, nam et regina paulo post regno
 pulsa ad pontificem venit.) Pontifex indignos hos oratores censuit, qui tanquam regis nuntii
 exciperentur; nemo his obviam ivit, non xenia missa; auditi privatim et increpati sunt, qui
 eius legationem acceperint, quem scirent adulterinum esse regem, et inimico principi
 35 Christianae religionis iuratum.

Multa illi in causa sui regis dixere, verum prorsus (vana) et longe mendicata. Qui, ubi de
 rebus publicis nihil impetrare potuerunt, ad privatas se convertere, ut saltem aliquas secum
 afferre litteras possent more Romanae Curie obsignatas, quas plebibus ostenderent, et pro
 sua libidine interpretarentur. Sed pontifex [317]

Grecanice artis non ignarus eos prorsus vacuos remisit - quod acceptissimum fuit oratoribus Sabaudie ducis, qui presentes aderant.

5 **18. Scanderbechii firma constansque amicitia, et eius in Regnum adventus atque gesta, graveque cum Picinino colloquium et illius perfidia**

10 Georgius Scanderbechius, dum ista geruntur, qui paulo ante non parvam suorum manum suppetias Ferdinando miserat, non satis amico factum existimans, nisi per se ipsum illi militaret, novo delectu militum habito ex Albania, que olim pars Macedonie fuit, in Italiam navigavit, inventisque prioribus copiis in agrum Tarentini principis ducens longe lateque terram populatus est. Equitatus eius levis armature fuit; equi veloces et assueti malo in provincia plana et late patenti nihil tutum dimisere: nulla tam procul armenta latuere, quae unius diei cursu non apprehenderint. Aptissima furtis ac rapinis acies, bello inutilis, quod more Italico geritur, adversus enses ac tela nostra inermis.

15 Prefectus arcis Tranensis per idem tempus occulta cum hostibus consilia inierat, atque inarratus auro defectionem parabat. Quod cum rescisset Georgius, Trantum profectus illum quasi amicum ad se vocat, venientemque capit, et arcem novis custodibus implet; eoque modo salvata est magni momenti civitas, quae quamvis postea in hostium potestatem seditione civium pervenerit, retenta tamen arce per capitula pacis iterum Ferdinandi facta est.

20 Cum procul aliquando Iacobus Picininus eius turmas contemplatus esset, misit tubicinem, qui fidem eunti ad se publicam daret. Georgius ad medium circiter spacium cum duobus comitibus profectus Picininum cum totidem ad se proficisci mandavit, profectumque multis verbis coarguit, quod adversus regem ad se optime meritum militaret, et cum se diceret Aragonensem, Gallorum signa sequeretur immemor eorum beneficiorum, quae sibi et patri prestitisset Alfonsus. Picininus purgare se, quod invitus a Ferdinando defecerit; fidem sibi non servatam dicere; Mediolanensem principem multis modis accusare, qui se inter et Ferdinandum discidium procuraverit. - Inter loquendum paulatim pedem referre secumque auditorem ducere, signumque suis, ut propere accurrerent atque illum interciperent, dare.

30 Presensit Georgius dolos, et interrupto sermone ad suos celeri cursu sese recepit.

19. Principis Tarentini littere ad Scanderbechium illiusque vivum mordaxque responsum

35 Princeps Tarentinus, cum sepe subditorum querelas audisset ante Albanensium ora fugientium, in hunc modum scripsisse fertur: [318]

5 *„Iohannes Antonius princeps Tarenti Georgio Albano salutem. - Decebat te, quem bello clarum fortuna fecerat, hostes, quos aliquando pro Christiana religione propulsandos elegeras, ad internitionem usque persequi, et non illis paululum irritatis relicto campo in Italiam adversus Christianos arma proferre. Que tibi causa contra me est? Quid ego aliquando in te peccavi? Quae unquam inter nos antea fuerunt iurgia? Dispoliasti agros meos, et in meos subditos crudeliter debacchatus es, bellumque prius intulisti, quam indixisti. Dicis te pugilem fortissimum esse Christiane religionis - et eam insequens gentem, que iure merito Christianissima vocatur. Adversus Francos convertisti ferrum, quorum est Siciliae regnum. Sperasti te forsitan adversus effeminatos Thurcos aut imbelles*
 10 *Greculos pugnam conserturum, quorum consueveris terga ferire? Alios hic viros invenies! Quamvis horribilem tuum aspectum ferunt, nemo tamen faciem tuam fugiet; ultro te lacesset miles noster, nec fecem Albanam timebit Italicus sanguis. Novimus genus vestrum, quasi pecora estimamus Albanos. Pudet tam vilem gentem hostis habere loco, nec tu tantum tibi negotii arrogasses, si potuisses domi manere. Fugisti Thurcorum impetum, et cum propriam tueri domum nequires, alienam invadere cogitasti. Deceptus es, nisi pro domo queris sepulchrum! Vale!”*

Ad hec responsum in hanc sententiam redditum accepimus:

20 *„Georgius Albanie dominus Iohanni Antonio principi Tarenti salutem. - Nactus cum hoste religionis inducias, nolui amicum meo auxilio fraudari. Sepe mihi Alfonsus adversus Thurcos periclitanti suppetias misit; ingratus fuerim, nisi filio rependerim vices. Illum ego tibi regem fuisse memini: cur non succedit patri apud te filius? Patrem adorasti, et filium queris eiicere? Unde hec tibi auctoritas? Tuumne aiunt an Romani pontificis esse Siciliae reges constituere? Ego Ferdinandum, regis filium ab Apostolica Sede regem declaratum adiuturus veni adversus perfidiam tuam et innumerabiles prodiones procerum regni huius. Dabitur penas temerate fidei, nec semper impune peierabitis. Hec mihi tecum belli causa. Non minus hic mereor, quam dum Thurcis insto. [Nec tu melior Thurco es, quamvis baptizatus, qui neque iuris iurandi religione teneris, neque de sacramentis Ecclesiae recte sentis, neque tam Christianis, quam Iudeis communicas; et sunt, qui te putant nulli secte addictum, nisi eorum, qui humanas animas simul cum corporibus interire tradiderunt.]*
 30 *Tu mihi Francos obiicis et nomina [vana] Gallorum, qui pro religione magna prelia decertaverint. Nolo de rebus antiquis disserere, que fortasse multo minora fuerunt, quam fama feruntur; illud constat: aetate nostra frequentes Aragonensium classes Egeum percurrisse pelagus, Thurcorum vexasse litora, multas ex hoste praedas rettulisse. [Vidimus ipsi vela et rutilantia croceaque signa domus; lilia, quae Franci pre se ferre dicuntur, nunquam in Orienti, nunquam in Grecia vidimus.] Timuit aliquando Thurcus Aragonenses; [nunquam timuit Francos!] Et Croia in hostium faucibus usque in hanc diem Aragonensium armis defenditur. Quid mihi vetera commemoras, et nova preteris? Mutantur familiarum mores, et oratores ad regnum, reges ad aratrum redeunt; nec virtute diuturniorem nobilitatem invenias. Non me fugit te olim Gallico generi fuisse infensissimum, nam te potissimum adiutore Alfonsus Gallos eiecit. Nescio que nova virtus emersit: sidus fortasse aliquod novum illuxit, quod inter Gallos demiraris? [319]*

[Mihi non est persuasum meliores esse hodie Francos, quam heri et nudiustertius.]

- Despicis deinde gentem nostram, et quasi pecora ducis Albanos. More tuo contumeliose loqueris, nec nostri generis originem nosse videris. Maiores nostri Epyrhote fuerunt, ex quibus ille Pyrrhus prodiit, cuius vix ferre impetum Romani potuerunt, et qui Tarentum et
- 5 alia multa Italiae loca armis occupavit. Non est, quod Epyrhotis, viris fortissimis Tarentinos obiicias, madidum genus hominum et ad legendos pisciculos natum. Si dixeris Macedoniae partem esse Albaniam, longe nobiliores concedis avos, qui sub Alexandro usque in Indiam penetravere, gentibus universis, que occurrerunt in medio, incredibili felicitate prostratis. Ex illis ortum habent hi homines, quos tu pecora vocas! Si sumus pecora, et non est mutata
- 10 rerum natura: cur fugitis homines ante pecora? Superioribus diebus sepe factum est periculum, Albani an Apuli armenta fuerint, neque ego quempiam adhuc repperi, qui meum vultum ferre potuerit; tuorum militum quam bene armata sint terga, pulchre didici! Thoracem adhuc nullum spectare potui, nec faciem cuiuspiam novi, nisi eorum, quos in vincula conieci.
- 15 Nec ego tuam quero domum, quando mihi mea satis est; verum do operam, ne tu, qui sepe vicinos proceres e suis possessionibus precipitasti, etiam regem possis eicere, et quod iniqua mente persuasisti, Regnum invadere. In quo labore si fortasse cadens sepeliar (ut mihi auguraris), premia tamen feret animus a rectore omnium Deo, si non perfecti, at meditati et pertentati egregii facinoris. Vale!"
- 20 Tot ampullosa verba ultro citroque missa non sivit Mahumethes Thurcorum dominus magni aliquid producere, qui rupto induciarum federe crebris excursionibus vexare Albanos cepit; eaque res Georgium ex Italia quam primum revocavit, ne dum aliena tueretur, perderet sua.

25 **20. Secessus Pii Ex Tybure, et multorum locorum accomodata descriptio**

- Pius interea aestate iam exacta invitatus a Iohanne Sancti Sixti cardinali, ut monasterium Sublacense, cuius esset administrator, inviseret, transmissis apud Tybur Aniene sinistram eius ripam secutus laxandi animi gratia cum quattuor cardinalibus peregre proficiscitur;
- 30 primaque illi nox peracta est in Vico Varo. (Quidam Varronis Vicum, quidam Vari appellandum censent.) Oppidum est in alta rupe situm, trianguli formam gerens. Duo latera prerupta tuentur saxa, hinc rivo scissa perenni, inde ad Anienis cursum usque protensa, tertium latus altissima turris et arx munitissima defendit et fossa manu facta. Adsunt vestigia prisce nobilitatis: magna pars muri ex quadratis ingentis molis lapidibus, quales in
- 35 antiquis operibus cernimus; iacent statue in frusta disiecte nondum posito artificis ingenio et columnae plures. Franciscus Ursinus, urbis prefectus nobile sacellum inchoavit ex marmore candidissimo, adornavitque statuam egregiam et floribus - ut nostra sunt tempora - non contemnendis. Morte preventus non absolvit opus, nec successores inter se armis pro hereditate contententes manum [320]

adhuc extremam apposuere. Pius indulgentias loco ascripsit, ut perfici aliquando posset.

Cubiculum ei in aedibus fuit, quae Anieni supereminet, ex quo gratissimus reddebatur aspectus, et simul ex propinquo monte trans flumen adhuc viridi et frondoso nemore cooperto. Ima circa fluvium loca aut prata fuerunt aut vinee; colles usque ad medium
5 Bacchus occupavit, cetera glandifera quercus.

Ex hoc loco ad Sanctum Clementem perventum est quasi ad passuum duo milia. Accolae mira religione colunt, et viri opinione sancti inhabitant heremitae. Plana loci est facies, verum retro in Anienem adeo profunde rupes incumbunt, ut vix pateat in aquam aspectus. Pontifex sacellum ingressus oratione facta et benedictis heremitis iter prosecutus nusquam
10 procul ab Aniene recessit. Multa videbantur hinc atque inde castella in summis edita iugis, ex quibus viri passim ac mulieres, senes, pueri ac puellae catervatim descendentes pontifici occurrebant benedictionem excepturi, et alii vinum, alii cibaria offerebant.

Pontifex apparari sibi in via prandium iussit, quo in loco limpidissimus aliquis scaturiret fons. Incredibile dictu est, quot lucidi in Anienem rivi decurrant, quot scaturiant in utraque
15 ripa perennes aquae. Verum sub oppido Hausta tantus aquarum ex vivo saxo emergit impetus, quantum mole quatuor aut plures requirant pulsu perpetuo agitande. Fons est inter saxa quasi ad aere magnitudinem patens, non altior homine; in fundo glareae nitens, quae pluribus in locis pro venarum scaturigine non sine dulci murmure salit; aqua ipsa cristallina ad fundum usque perspicua, gelida et dulcis. Super hunc fontem pontifex cum cardinalibus
20 pransus est ad potus singulos lymphas recentes exhauriens. Idem et cardinales fecere, quibus non tanta in vini suavitate, quanta in aquae frigiditate voluptas fuit. Plebs omnis in pratis ultra fontem cibo excepta est, quamvis essent turbae multae, quae ad visendum pontificem ex castellis propinquis accurrerant. Peracto prandio agrestes locorum, ut pontifici adularentur, ingressi flumen adversus aquae cursum piscari ceperunt. Pontifex iuxta ripam - erant enim
25 prata et agri - iter habens piscantes intuebatur. Illi ad omnem piscis capturam sublato clamore pontificem salutabant, trutasque ipsas - neque enim alium fere piscem producit amnis - ad ministros pontificis deferebant. Atque ita non sine ingenti voluptate magnam itineris partem peregit.

Cum ventum esset inter vineas oppidi Sublacensis, ibi cardinalis occurrit et paulo post sacerdotum monachorumque pompa.
30

21. Oppidum Sublacense et Divi Benedicti asperrima habitatio monachorumque sanctimonia

35 Exceptus est pontifex summo populi desiderio, neque enim memoria hominum Romanus pontifex illic alius fuerat.

Oppidum est multa plebe referretum. Rupem domus obsedere altera super alteram site; in summo cacumine arx est propemodum inexpugnabilis, nisi valle [321]

interiecta rupes altior immineret. Anio magnam oppidi partem ambit. - Ex oppido ad monasterium Sublacense est via duorum miliarium per abruptas petras et difficiles aditus, quos facile liceat hosti precludere. Ubi ad monasterium ventum est, ibi tantum in plano spatii repertum, quantum ad ecclesiam, claustrum et officinas cenobio necessarias

5 construendas opus fuit; que omnia magno sumptu construxere priores.

Hic pontifex cum vineam novam magna vi ferri in saxo plantatam vidisset rubentibus uvis uberem, undique muro septam et oliveto cinctam virenti, et in medio torcular ac domum ad habitandum candidam, percontactus, quis novi operis auctor esset, responsum accepit episcopum quendam Silvensem, hominem Hispanum ex Lusitania natum, ecclesiasticarum

10 pomparum tedio et mundialis cure odio fatigatum ecclesiae sue renunciasset, reservataque sibi annua pensione, ex qua posset honeste vitam traducere, huc profectum inter fratres non mutato habitu degere, divinis officiis interesse, celebrare, quando sibi ex animo detur; preter libertatem et vestem nihil a monacho distare: ab hoc domum et vineam constructam, cuius magna sint monachis proventura emolumenta. - Pontifex episcopum ad se vocavit, et cognita

15 causa renuntiationis ecclesiae ac delecte solitudinis propositum laudavit, qui noverit pro celestibus terrena commutare. Ille paulo post ex hac vita decessit - beatus profecto, si (ut credibile est) verus fuit mundi contemptus, et non spreta magna seculi dignitate quesita est maior.

Pars monachorum in hoc monasterio - quod Sublacense diximus appellari - dies ac noctes gratissimas Deo laudes canit, pars in altero - quod Specus vocitant; ad quod mille passibus ascenditur via difficili et ferro facta adeoque precipiti, ut absque horrore adiri nequeat, hinc profundissima in Anienem descendente rupe, inde altissimo imminente saxo; nec

20 accessibilis ullo pacto, nisi modo ad dexteram, modo ad sinistram varios agens flexus in anguis morem ab imo usque ad summum ducta et plerisque in locis muro defensa fuisset. Monasterium sub altissimo saxo aedificatum est, ita, ut magna pars eius vicem tecti gerat;

25 partem exterius construxere; aedes ipsa sacra et officine monachorum multae intra saxum patent.

Benedictus, magnus ille monachorum pater et Deo plenus, in quo Nursia totum, quod habuit, bonitatis effudit, priusquam domus aliqua hoc in loco constructa esset, aut homo quispiam habitaret, solus in hac heremo penitentiae sibi locum delegit procul ab humano cultu, nulli cognitus nisi Deo. In durissimo sibi lapide lectum stravit; hic se vigiliis ac ieiuniis maceravit, hic Deo gratissimum prebuit famulatum; secuti sunt eum discipuli, et cepta est habitari spelunca. Sicut in altis scopulis nidos videmus hirundinum in crepidine lapidum, ita est hoc monasterium cernere affixum sublimi saxo, ex quo saepe frustra concidunt, que aut

35 monachos perimunt, aut aedificii ruinam faciunt. Multa hic sancti viri miracula referuntur, et tintinabulum ostenditur, quo diabolus illuisse bonis operibus conatus est. [322]

Monachi circiter XX-ti hic degunt - ut par est credere: Deo cari; nunquam carnes edunt, vinum multa domant aqua, ieiunia longa producunt. Luxuria est duo ova commedis, oleribus et pane vescuntur, adsunt et legumina: his epulis mensam onerant. Brevissimum tempus cibo datur, nec multo maius somno; reliquum in oratione consumunt. Rem divinam

5 peragunt summa devotione et psallunt Deo confidenter. Maior pars senum est, quorum plerique inoffensa valitudine ad octuagesimum annum pervenere, vultu alacres et adloquio venerabiles; quorum unica cura est dissolvi tandem et esse cum Christo.

Pius, cum superius atque inferius in utroque monasterio rem divinam coram se celebrari iussisset, et omnia loca exobscurata esset, que fama vulgaret Benedicti corpus tetigisse, 10 spirituales gratias elargitus, quas monachi petivere, et omnium conscientis abunde saturatis ad oppidum pernoctaturus descendit, indeque die sequenti transmissa per pontem Aniense montem prealtum ac difficilem superavit, et in vallem nemorosam descendit, in quam defluentes aque non inveniunt exitum stagnum quoddam efficiunt et palustria loca silvestribus idonea porcis; prope adsunt prata et undique colles altissimis vestiti nemoribus. 15 Hic pontifici prandium apparatus est, ad quod cardinalis Theanensis se contulit; Federicus Urbinas cum exercitu sequebatur adversus ducem Sorae profecturus atque ea facturum, que iam supra facta descripsimus. (Neque enim ex tempore suo nobis historia texitur; rem gestam tradere ex vero conamur, quocumque tandem occurrerit vel anno vel mense, nisi hoc fuerit diligenter a nobis notatum. Fortasse hoc laboris alius assumet, ut suis queque 20 temporibus reddat; nobis non tantum oculi fuit.) Cardinalis Theanensis facto cum pontifice prandio ad exercitum rediit. Pontifex benedixit populo, qui multus erat in pratibus, per asperros ac nemorosos montes in Campaniam descendit e regione oppidi Palliani - [quod Callistum fama est Prospero cardinali Columnensi tradidisse, ut in summi pontificatus petitione sibi suffragaretur;] Nicolaus Quintus id oppidum familie Comitum eripuit in 25 poenam commissi criminis.

22. Ginazanum, Cave et terra tenax ibi permirabilis, urbsque Penestrina

Prosper cum fratre, urbis prefecto, et nepotibus occurrit se suaque pontifici offerens. Cum 30 ad locum ventum esset, ex quo licebat Ginazanum intueri, desiliens equo prefectus et ante pontificem genua flectens: „*Illa*” - inquit - „*domus mea est*” - palatium egregium et alta tecta demonstrans, que Martinus Quintus pontifex maximus sibi et suis gentilibus aedificavit. - „*Oro, huc descende, pater, neque hospitium dedignare, quod persepe tuus antecessor inhabitavit. Et locum et dominum, si veneris, tua praesentia magnificabit.*”

35 Inerat pontifici eius loci ingens visendi cupido, de quo multa vel puer audierat, et an Martini opera sua excederent, anxius erat agnoscere. At cum prefectus [323]

superiori anno cuncta pontificis mandata contempsisset, indignus visus est, qui tanti hospitis presentia gloriari posset. Spretus est, qui spreverat! Germanus eius, Adoardus Marsorum dux in oppido Cavarum - quos quidam Gabios esse putant - pontificem excepit et summis cumulavit honoribus.

5 Hic res miranda visa est, et que nulli fidem factura videatur, nisi cuius oculi testes fuerint. Terra est ante oppidum argillosa parvam implens scrobem, in qua sive baculum sive gladium impegeris atque ad morulam dimiseris, nulla vi possis educere. Narrata est historia pontifici; fabulam putavit, noluit credere, nisi postquam cubiculariis ac medicis ad visendum missis rei periculum factum est. Tonsor pontificis, cum impactum ferrum nullo ingenio, nulla vi posset
10 extrahere, attonitus relicto gladio ad pontificem rediens dicatum demoni locum exclamavit, qui ferrum lignumque omne immissum in terrae viscera retineret. Plinium non latuit hoc miraculum, cuius illa sunt verba: „*Ad Aras Mutias, in Vehiente et apud Tusculanum et in silva Ciminia loca sunt, in quibus in terra depacta non extrahuntur.*”

15 Ex Caveis ad Preneste ventum est, antiquum et memorabile oppidum et magnis Romanorum cladibus insigne. Ruinae hodie sunt antique nobilitatis; lacera hinc atque inde palatia iacent et templorum disiecta frusta et murorum quadrati lapides vix credibilis magnitudinis. Agrestes habitant pauci, quos sola soli retinet ubertas. Sub Eugenio melior fuerat, sed rebellante adversus Ecclesiam loci tyranno patriarcha Alexandrinus, natione
20 Cornetanus exercitum urbi admovit; quamvis inexpugnabilis videretur ardui montis defensa situ, nec propugnatoribus destituta, victoriam peperit precisus aqueductus, qui unicus urbi prebebat potum. Direpta civitas est atque incensa, et omni soluto muro absque habitatore relicta; ecclesiarum campanae ad Cornetum delate. Stephanus Columnensis sub Nicolao Quinto muros instauravit, habitatores reduxit, et arcem in summo vertice montis aedificavit - utinam sine malo Ecclesiae!

25 **23. Reditus in Tybur et deinde in Urbem, ac variarum legationum gentiumque occursus**

30 Dimisso Praeneste pontifex Passaranum circa meridiem venit. Sub oppido largus et limpidissimus fons emanat, cuius aquam eam esse ferunt, quam prefectus arcis ex altissimo puteo per funes exhaurit. Ad hunc fontem pape et cardinalibus in tabernaculis, que de ramalibus raptim composita fuerant, cenam paravere. Erat enim ieiunium: pisces e proximis lacubus multitudini satisfecere.

35 Exhinc Tybur revertum est, atque inde paulo post, pridie Nonas Octobris Romam reditum - ductis in obsidum numero, quicunque magis seditiosi videbantur; inter quos precipui fuere Iohannes Toccus et Clemens.

Redeunti pontifici cardinalium ordo obviam factus est et Thomas Amoree despotus et legatorum diversarum gentium ac regum ingens caterva, externis moribus ac vestibus admirabiles. Precipue vero in se omnium convertit oculos [324]

regis Polonie legatio, quam proceri iuvenes eleganti facie ac flavis crinibus post tergum vento dimissis in veste viridi non pauci procedebant, altis ac prepinguibus insedentes equis, manubalistas more gentis uno ex latere, et alio gladium et pharetram ex pelle Libystidis urse sagittis plenam gestantes; super crines aut levem pileum viridi colore pennatum, aut ex floribusserta tulere. Supra humanam speciem visa iuvenum forma, qui appropinquante pontifice ab equis desilientes proni in terram cum legationis principibus Salvatoris vicarium adoraverunt, quem antea nunquam viderant. Ipse Urbem ingressus summo civium favore exceptus salutatis in basilica Sancti Petri beatis apostolis in Palatium Apostolicum sese recepit, cum non tres menses integros abfuisset.

PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI LIBER VII INCIPIT

1. Gesta et intestina bella Cathalanorum et patris adversus filium

5 Hec in Italia dum geruntur, apud citeriores Hispanos inter patrem et filium nova
sciscitantur incendia, que sine nostri seculi nequeunt infamia recitari. Iohannes, Alfonsi
regis Aragonum germanus, cum sine regno degeret, Blancham Navarrensiam reginam duxit
uxorem, et dotale regnum ea conditione accepit, ut masculo nascenti, cum venisset ad
10 aetatem, cederet. Regnavit pluribus annis, filium ex coniuge Karolum sustulit et filias duas,
quarum alteram comiti Fuxi dedit uxorem, alteram, quae matris nomen tulit, Henrico, regis
Castellae filio copulavit, quam sua culpa vir - erat enim impotens - cum cognoscere non
posset, quasi [arctam] repudiavit, et aliam superduxit ex domo Portugallensi; quam
foeliciores auspiciis nuptam prius ingravidatam, quam corruptam esse dixerunt. (Fuerunt,
15 qui vim seminis in ostio effusi sacros penetrasse panniculos affirmavere; quidam ab alio
cognitam crediderunt.) Henrico iam rege heredem cupiente, qui suus haberetur, illa
foeminam peperit.

Karolus, cum ad virilem aetatem pervenisset, maternum regnum repetiit. Negavit pater se,
dum viveret, regni fascibus posse carere, nec ferendum esse sub rege filio privatam vitam
patrem agere. Ventum est (ad) arma, adeoque crudelibus odiis decertatum, ut alter in
20 alterum infestis hastis procurrere non dubitaverit. Avertit astantium pietas tantum nefas, et
utriusque ferrum in alias divertit acies. Regnum multe calamitates affligere, cum pars
procerum filio, pars auscultaret patri. Saepe pax facta est, sepe bellum innovatum, nunquam
diuturna quies. Papilonia, caput regni diu in partibus Karoli fuit, unde profecti predabundi
25 milites universam provinciam vexavere. Impotens tandem Karolus, qui patris impetum
sustineret, egressus regnum vicinorum regum frustra imploravit auxilia. Postremo in Italiam
venit sub Callisto Tertio, et ad Alfonsum, patruum Neapolim usque profectus est, a quo
benigne visus eos honores accepit, qui regis filio deberentur. At cum ille paulo post obiisset,
in Siciliam navigavit, ubi per annum et menses aliquot obversatus est, cum Lupus insulam
gubernans et Siculi omnes eum in honore haberent, originem ex Siculis ducentem regibus.

30 Iohannes interea excepto Neapolitano cuncta fratris regna nullo resistente ad se traxit.
Quibus cognitis inops consilii et omni reliqua spe destitutus Karolus reconciliandam sibi
patris gratiam statuit, et assumptis secum Lupo ac prestantibus Siciliensium legatis, quibus
intercessoribus uteretur, in Maioricam navigavit. Intervenerunt et Cathalani oratores, qui
patri pro filio supplicarent. Data est venia - seu vera seu ficta; Karolus ad Barchinonenses
35 quasi tutissimum aliquod asilum confugit.

Duxerat iam pridem Blanca mortua Iohannes alteram uxorem, Iohannam, regni Castelle
admirati filiam, quam ita perditae adamavit, ut sine illa vix ad [327]

horam vivere posse crederetur - ut sunt in adolescentulas coniuges delyri senes. Ex hac illi altera soboles masculina exorta est, Ferdinandus, cui parentes regnum cuperent. Regina, ubi privignum Barchinone appulisse didicit, ad eum salutatum venit, et quasi filium complexa est ante se natum, atque ut potuit, muliebribus blandimentis delinivit.

5 Non multo post iussit rex curias apud Ilerdam convenire - ita enim vocant provinciarum conventus. Vocatus est eo Karolus, tanquam de regni rebus gravioribus cum ceteris proceribus tractaturus. Tum primum filius post longam peregrinationem in patris conspectum non sine honore et paterne caritatis ostensione admissus. Verum brevi benivolentia mansit: invente sunt - ut amici regis dixerunt - littere, que Karoli adversus
10 patrem novam rebellionem indicarent: querebatur ex domo Portugallie coniunx Karolo adnuente patre; ipse vero clam eo sororem Castelle regis ducere parabat, ut eo favore hereditatem vindicare maternam posset, et patris contra se frenare furorem. Hisce litteris - sive vere sive conficte fuerunt - inventis multa iam nocte Karolus in suo cubili captus est, et tanquam reus maiestatis in unum ex castellis extra Cathaloniam missus; regina illi comes ad
15 multum itineris fuit, ut honestior captura videretur.

Cathalani re cognita indignum facinus a rege patratum dicunt; curias liberas esse oportere; regi non licere hominem liberum ex Cathalonia captum in alias provincias mittere; peccatum esse in filio regis, qui sit futurus heres; cui tandem securitas erit, si non est primogenito regni? Prestare mori potius, quam patrias abrogari leges. - Conveniunt apud Barchinonam
20 frequentes Cathalani, ac septem et viginti viros eligunt, quibus summa potestas tradita est providendi, ne quid res publica detrimenti patiatur; ii sexaginta oratores, viros primarios ad regem legant, qui violata patrie iura querantur, et Karolum in pristinam libertatem restitui petant; nisi postulata reportent, bellum indicant. Rex aliquandiu superbam legationem suspendit, hinc turpitudinem inde periculum timens: pudebat subditorum imperio parere, quod nisi faceret, totam in armis non iam Cathaloniam tantum, sed ipsam quoque
25 Aragoniam adversus se futuram cernebat; et iam plurimi Aragonenses ad Cathalanos defecerant. Victus pudor necessitati locum dedit, degeneres animos impotentia reddidit. Leges pacis ex arbitrio Cathalanorum dicte in hunc modum fuere:

30 - Karolus liber esto, principatumque Cathalonie pleno iure gubernata, quoad pater vixerit; eo defuncto cuncta regna optineto.

- Ferdinandus in partem successionis auri ducenta milia nummum habeto.

- Iohannes in Cathaloniam invocatus ne ingreditor; si pedem intulerit, periurus ac privatus habetor, atque impune occiditor.

35 His ita compositis ac iure iurando firmatis Karolus Barchinonam reversus est ingenti Cathalanorum exultatione susceptus, tanquam de rege eodemque patre triumphator. Sed non longa ei hec gloria fuit, qui paulo post morbo correptus interiit. En vana hominum presagia! Hunc, cum venisset in Italiam, affirmabant Cathalani et Aragonenses omnium regum, qui sunt in Europa, futurum maximum, cui non Alfonsi patrisque regna tantum augurabantur accessura, [328]

sed ulterioris quoque Hispaniae, Legionis ac Castelle hereditario iure ad eum ventura censebant, Henrico ad generandum - ut ante diximus - impotente. Deo longe aliter placuit: precessit patrem filius, priusque mortem obiit, quam vel maternum regnum assequi posset.

5 Cathalani magna spe destituti fratrem eius, Ferdinandum ad se mitti principem et reginam, que tutrix esset impuberis, petierunt; regem, quem sibi subiratum non ignorabant, nulli consilium fuit admittere. Venit regina cum filio, et pluribus mensibus apud Barchinonenses commorata id primo studium adhibuit, ut adventum viri populo suaderet. Quod ubi non successit, nunc istum nunc illum ex primoribus Cathalanorum ingentibus promissis ad se traxit, scissionemque non parvam inter primores fecit; et iam erant, qui
10 regem accersendum dicerent. Sed vicit obstinatio vulgi, et nonnulli, qui regine auscultare videbantur, capti et summo supplicio affecti sunt.

Per idem tempus agrestium ingens multitudo, ex quorum censu maior pars Cathalanorum vivebat, in libertatem se vendicavit, ultraque suis dominis respondere cessavit. Id regine haud ingratum fuit, existimanti facile Cathalanos eo verbere posse domari: petituros
15 adversus agrestes auxilium, nec habituros, nisi regem in Cathaloniam admitterent. - Longe secus evenit: superbiores in dies Cathalani effecti sunt, omnem agrestium rebellionem regine imputantes. Erat in civitate Iohannes quidam cognomento Caponius, homo audax et dicendi copia vehemens, equestris ordinis, qui apud Alfonsum aliquando in pretio fuerat. Hic suo
20 more per forum atque omnes plateas vociferans populares adversus reginam incitare adnitebatur. Ob quam rem ab ea comprehensus est et in carcerem coniectus, atque longo tempore maceratus.

2. Regine fuga. Defectio Cathalanorum, obsidio regine eiusque liberatio et Cathalanorum de sanctitate mendacia

25 Crescebat in dies civitatis odium erga reginam, adeoque precesserant hinc atque inde iniuriae, ut nec iam ultra regina cives, nec cives reginam perferre possent, et illa, cum iam sibi timeret, educto filio ad Gerundenses concessit. Exhinc iam non amplius dissimulari rebellio potuit; Cathalani regem, qui per Balagerium in Cathaloniam intrasset, perierum esse
30 dixerunt, ac regno privatum rupto federe, quod iuris iurandi religione firmasset. Rex non prius se Cathaloniam ingressum fuisse aiebat, quam illi adversus reginam et filium Ferdinandum rebellassent; licuisse sibi adversus improbos subditorum ausus uxori et filio opem ferre.

35 Cathalani subito furore commoti Iohannem hostem provincie declarant atque impune occidendum; cives, proceres, episcopos et cuiusvis generis homines, qui ex Cathalanis ad Iohannem defecissent, publice proscribunt, eorumque bona in publicum referunt; si quos comprehendere possunt, obtruncant. Famam quoque dispergunt Karolum paterno veneno interfectum obiisse, [329]

eiusque sepulchrum sepe cum lachrimis adeuntes signa et prodigia ab eo patrata referunt: alteri visum restitutum, alteri auditum affirmant; inveniuntur, qui se podagra et qui lepra et qui hydroposi liberatos aiunt; quidam etiam abscisam sibi linguam redintegratam apud sancti viri sepulchrum asseruit: tanta est mentiendi licentia! Concurrunt undique terra et
 5 mari ex longinquis regionibus aegrotantes, frequentatur in dies sepulchrum, et fortasse in tanta multitudine aliquem fides curat, aut suapte natura morbus desinit: cuncta miraculo cedunt, et omnia efferuntur in maius, et audita pro visis referuntur.

Placet figmentum Cathalanis, quasi pro viro sancto adversus regem arma sumpsissent. Cosmas Vicensis episcopus, simulandi ac dissimulandi peritus artifex et infensus regi, qui
 10 sibi Sagobricensem abstulisset ecclesiam, epistolam per orbem divulgat et miracula Karoli, exploratam viri sanctitatem affirmat. Afferuntur undique dona languentum, et cera impletur templum, eoque demeritum ventum est, ut iubente Cathalanorum senatu ad Pium pontificem pro defuncti canonicatione sit scriptum; [ad quam levitatem et Ludovicus Francorum rex accessit.] - Pius, quecumque in ea re scripta dictave fuere, contempsit atque irrisit, et ipsa
 15 deinde per sese fictio elanguit.

Cathalani, postquam regem intrasse provinciam cognovere, coactis ingentibus copiis Gerundam petivere, et occupata civitate nova, quae in plano iaceret et secum sentiret, reginam cum filio in veteri, quae locum editum et munitissimum habet, et a solis sacerdotibus ac Iudeis inhabitatur, obsederunt. - Iohannes, qui saepe Castelle regis auxilia
 20 implorasset frustra, tandem ad Ludovici florentes opes confugit, qui tum recens patri successerat in Francia, et magno nomine regnare ceperat; atque ab eo suppetias in hunc modum mercatus est:

- Filius comitis Fuxi, Iohannis ex sorore nepos, Magdalenam, Ludovici sororem in uxorem ducito, ac Navarre rex esto.

25 - Comitatus Ronsilioni et Ceritanie et quecumque a Pyreneis iugis in Galliam vergunt, ad Ludovicum pertinento.

- Adversus Cathalanos tot Gallorum copie mittuntor, que perdere gentem sufficiant.

Nec mora, comes Fuxi et alii duces Ludovici quindecim milia militum in Cathaloniam traduxere, quibus coniuncte Aragonensium copie reginam post quadraginta dies - et cum
 30 iam carnes equinas edere cepisset - ab obsidione liberaverunt, et aliquot oppida ex potestate hostium ademerunt. Intervenere pleraque certamina, verum non magna neque admodum cruenta, in quibus Cathalana res semper inferior visa est. In captivis tamen sevir Gallici, quibus precidere guttura sacrificium fuit. Crevit animus regi, atque ad ipsa Barchinone suburbana promovit castra, statuitque terra et mari inimicam urbem et quasi regum
 35 perniciem obsidere, tandemque victam ferro proscindere. [330]

3. Legati Barchinonensis oratio ad regem Castelle, urbisque deditio, ac crudelitas Gallorum in Franca Villa

5 Barchinonenses adversus duos potentissimos reges se frustra conaturos animadvertentes, nisi externis opibus adiuventur, legatos ad Henricum Castelle regem prope re transmittunt, quorum principem fuisse tradunt Iohannem Caponem, cuius supra meminimus. Eius verba in hanc sententiam fuisse didicimus:

10 „Salve, regum maxime! Cathalani ad tuas opes confugiunt, se suaque omnia felici corone tue dedentes. Accipe munus, quod ad te defero, tua celsitudine dignum! Barchinonam tibi, opulentissimam et pulcherrimam urbem et omnem Cathaloniam dono; nec tu alienam provinciam donari existimes: libera est et sui iuris Cathalonia. Iohannes antea rex, cum primogenitum filium contra ius fasque coniecisset in vincula, eumque tandem liberasset, ita cum Cathalanis convenit, ne deinceps ullo unquam tempore provinciam ingrederetur; si pedem inferret, principatu excideret. Intulit: privatus est. Huc accedunt sacre parentum leges, que regno indignum censent, si quis arma externa in regnum adduxerit. En Galli adsunt, efferata gens, quae ferro et igne grassatur: hanc Iohannes introduxit! Quid dixerim de comitatu Rossilioni Francis dato et a corona nostra direpto? Haec qui faciunt, et periuri sunt et regno privati. Cathalonia iam rege carens ad te recurrit, te protectorem, te regem, te dominum vocat. Noli vocantem spernere: digna est amplexu tuo, quae te petit sponsa!

20 Nec tu primus fueris, qui ex Castelle sanguine regnaveris in Cathalonia. Non adibis terram tuo generi incognitam. Sepe Castellani reges eius regionis potiti sunt, et multa illic ossa tuorum iacent progenitorum, que magnopere timent, ne ferro effodiuntur Gallico. Audi voces eorum - de tumulis clamant: »Veni, Henrice, veni, libera nos de manu Gallica!« O si audires voces populi, qui te desiderat, et nobilitatem provincie cerneret, et quanta est expectatio regni tui: profecto, quod offerimus, ultro quereret! Nam quis aliquando regum fuit, qui non extendere regni limites adnixus sit, cum iure potuit? Ego tuo regno magnam hodie accessionem affero eamque iustissimam. Neque hic magnis exercitibus opus est; satis fuerit, si te dixeris velle. Dic te Cathaloniae dominum, et salvi sumus: umbra tui nominis nos tuebitur. Gallicus miles diu manere in Cathalonia nequit, neque Aragonensis est, qui tecum contendat. Quod si prorsus armis opus fuerit, Castella viros, nummos habet Cathalonia!"

30 His dictis persuasus Henricus legatos Barchinonam misit, qui Cathalanos in sua verba iurantes acciperent. Misit et aliquas copias in Aragoniam ad Iohannem Dissertanum, qui apud Alchanitium et vicina oppida res Aragonenses perturbavit. Ingressi sunt et equites circiter quingenti Castellanos Barchinonam, fama que facta est regem ipsum cum maximis exercitibus properare. Que cum accepisset Iohannes, haudquaquam tutum existimavit obsidioni Barchinonensium incumbere, quorum esset munitissima civitas et populus ferocissimus, et locus is esset obsidentium, cui facile possent commeatus prohiberi. Retrocessit igitur, et ad Villam Francam locavit castra. [331]

Gallici primo incursu iam imminente nocte scandere muros et oppugnare oppidum cepere; pugnare amplius non permisere tenebre. XXX-ta iuvenes, qui saltu in oppidum descenderant, relictis a suis trucidati sunt. Sequenti die summo diluculo Gallicus furor ad menia procurrat, atque admotis scalis summa vi adnixus oppidum capit. Queruntur XXX-ta viri, qui superiori vespero muros transcenderant; inveniuntur caesorum cadavera. Quibus visis nulli deinceps misericordie locus fuit. Debauchantes in sanguine Galli obvios quosque iugulavere; supra CCC-tos et quinquaginta viros - neque enim plures eius loci habitatores fuerant - uno impetu necavere. A pueris ac mulieribus aegre temperatum est; rogando, obsecrando atque etiam flendo rex tandem fragili sexui et etati teneriori veniam impetravit. Iacebant per vicus et plateas horrenda interemptorum cadavera, et cruore cuncta infecta erant: tetrum spectaculum et miserabilis loci facies! Sine viris relicte foemine patrios lares omni substantia vacuos ululando servavere.

4. Obsidio Perpinianensis arcis et subsidium Gallicum, urbisque expugnatio

Post haec adversus Iohannem Disseritanum ductus exercitus nonnulla eius castella ferro et igne vastavit. - Perpinianum nobile oppidum est magnae urbis instar, populo plenum et opibus abundans, Cathalanici iuris citra Pyreneum situm; quod in communi gentis rebellione Barchinonensium consilia secutum magistratus regio eiecit, aggressumque arcem oppugnare adeo valida cinxit obsidione, ut nihil inferri posset. Et iam disiecte turrets et conquassata machinis propugnacula muri que multis in locis aperti invitare ad irruptionem hostes videbantur, et presidium, quod inerat quingentorum circiter virorum robustissime iuventutis, iam fame ceperat laborare, equina tantum carne eaque perparce convalescens. Instare oppidani, dies noctesque muros quatere, ignes ac lapides et putrida cadavera resque fetidissimas ad obsessos iacere, admovere scalas, ascendere, properare, urgere, pugnam pro menibus assiduam gerere, pro sauciis integros sufficere, nullam miseris obsessis permittere requiem.

Interea Gallica manus a Ludovico missa virorum fortium cum arci appropinquasset, dato signo, ut se irrumpente obsessi quoque in hostes erumperent, maximo impetu in oppidanos fertur. Urgentur et a tergo et a fronte Perpinianenses, nec potest urbana militia castrensis faciem sustinere. Exercitatus assiduis preliis Gallicus miles, quasi cum pecudibus pugnet, stragem edit. Fugiunt tandem Perpinianenses multa occisione cesi; fugientes sequitur hostis, simulque oppidum ingreditur. Nec mora, Perpinianenses manus dantes Ludovici magistratus admittunt - et qui iam multis seculis ultra omnium memoriam ad reges Aragonum spectavere, nostra demum aetate Gallici iuris effecti sunt.

Dum haec geruntur, sepe legati et Iohannis et Ludovici regum ad Henricum, ulterioris Hispanie regem profecti, et ab illo ad hos missi de concordia tractavere. [332]

Postremo inducie ad tres menses dicte sunt, et vox facta tres reges apud Baionam conventuros; cuius veritatem rei exitus declarabit.

5 **5. Res geste in Neapolitano a Ferdinando rege et eius hostibus. Matrimonium contractum cum Antonio, Pii nepote et regis filia, et omnium copiarum numerus**

10 Inter hec Ferdinandus ad Iesualdum castra ponit, non parvi momenti oppidum Avellini comitis, per quod ex Apulia comeatus ad Nolanos deferebantur, qui alioquin rei frumentarie penuria premebantur. Picininus, ut obsessis opem ferret, cum copiis appropinquavit, nec tamen ausus est hostes invadere. Oppugnatum summa vi oppidum, tandem concussis menibus in deditionem acceptum; presidium, quod inerat, magna ex parte cesum. Exin Paternum et alia pleraque eiusdem comitis oppida partim vi partim deditione in potestatem regis pervenere. Postremo et ipse comes et aliquot alii eiusdem provincie tyranni deditionem fecere. Capiebantur castella in hostium conspectu, nec illis animus erat periclitantibus subvenire, ne de summa rerum pugnare cogentur.

20 Picininus in alto monte castra locaverat; Ferdinandus proximos insederat colles facturus pugne copiam, si hostis descenderet. Spectabant se ambo exercitus, et levibus preliis alter alterum lacessebat; provocabant se invicem, ac subtili ingenio confundere acies conabantur, si forsitan in errorem procurreret hostis. Hinc Sfortiade inde Bracciani ante alios equites bellum ciere, lanceas currendo in hostem frangere, ense pugnam incipere. Sic multos duxere dies nullo insigni commisso certamine, cum sibi quisque timeret, nec fortunam experiri sine magna prerogativa auderet. Prior tandem Picininus e loco discessit, et longis itineribus ad hyberna profectus est; quibus dispositis Venusium occupavit, Oratii patriam fame laborantem.

25 Rex pariter suis per hyberna dispositis Neapolim rediit, Mariamque, filiam suam ex nobili muliere [extra matrimonium genitam, Antonio Picolomineo in matrimonium copulavit, dotis nomine Amalfitano concessa ducatu, qui tamen in casu restituende dotis, quoad viveret Antonius, ab eo repeti non posset;] addidit et iustitiae magisterium, quod inter septem Regni officia precipuum censent. Facte sunt nuptie ingenti multitudinis alacritate, persuadentibus sibi populis nunquam deinceps Romani pontificis auxilia defutura, cum nepoti pape regis filia nupsisset.

35 His et alia ingens accessit letitia. Ursus Ursinus, qui pro Tarentino principe Nolam in Terra Laboris, Marilianum et alia pleraque oppida cum valido presidio retinebat, procurante archiepiscopo Ravennate, Apostolicae Sedis legato cum omni exercitu sibi credito ad Ferdinandum defecit, et qui alieno nomine Nolam custodiebat, suo retinuit eius urbis comes effectus. Atque in hunc modum ad primum et sexagesimum annum iam peractum res bellica in regno [333]

Sicilia ducta est - nutante adhuc fortuna atque in annum proximum utrique parti spem ministrante, exercitibus adhuc integris ac per diversas provincias pro rerum necessitate collocatis. - In Calabria pro Ferdinando sex equitum turmae duci Sancti Marci fuere, Marco Barresi duae, comiti Terranonae una, Baldasino due, Cole Iacobo una; pro Renato marchioni
 5 Crotoniati et comiti Nicastrensi septem, principi Rossani una. - In Aprutio pro rege militavere Mattheus Capuanus et Ludovicus Malevetius sex turmas habentes, et cum pari exercitu magnus marescallus et fratres; quibus oppositi fuere Caudole cum quinque cohortibus Franciscus Ortonensis et Montorii comes cum duabus. - In Terra Laboris duci
 10 Amalfitano quinque turmae fuere, Iacobo comiti due, Urso comiti tres; erat et in propinquo Federicus Urbinas XII cohortium ductor. Preter has extraordinarias turmas duxerunt Iacobus Caietanus unam, Fabritius Lagonisse unam, Robertus Ursinus quattuor, comes Sancti Severini septem, comes Sancti Angeli unam, dux Venusii duas, Barnabos unam, comes Gravine unam, Iohannes comes IIII-or; Sfortianorum vero, quibus praefuit Alexander, XX-ti fuerunt turmae insigni apparatu et valido militum robore. - His opposite hostium acies
 15 fuerunt: principis Rossani in Terra Laboris quinque, Sorani ducis due, Iacobi Picinini quattuordecim, principis Tarentini quindecim, ducis Melfiae due, ducis Iohannis, Renati filii duae, Herculis quattuor, Iohannis Cosse una, comitis Campi Bassi et Iacobi Montis Agani quinque, comitis Capaccie una.

Atque his armis munitae partes aestatem expectare futuram decrevere; peditum quoque
 20 par numerus utranque partem sequebatur. Maiora militum hyberna in Apulis constituta sunt, apud quos belli pondus expectabatur; cuius pars maior ad Gallos et Tarentinum defecerat.

Ad Pium, dum ista geruntur, Karlotta regina Cypri profecta est rebus afflictis auxilium
 25 petens. Scripturi adventus sui causam, et quibus honoribus excepta fuerit, haud ab re visum iri arbitramur de Cypro insula et de fortuna regum paulo altius sermonem ordiri.

6. (De Cypro insula eiusque regibus et varietate fortune)

Cyprus cadentibus rebus Romanis diu sub imperio Grecorum fuit, qui post Constantinum
 30 apud Bizantium regnare. Ricchardus Angliae rex Grecos ex insula deiecit, cum Hierosolymam classe petens eo tempestate delatus portu prohiberetur; indignatus enim arma, quae in Sarracenos paraverat, in Grecos vertit, eisque insulam abstulit, spoliataque firmo suorum presidio communitam reliquit. Nec diu postea Guidoni Lusiniano, genere Gallico, qui de Hierosolymitano regno contendebat, eam permisit; Guido ab Anglico
 35 acceptam sibi et posteris usque in hec tempora obtinuit.

Post varias successiones regnum ad duos fratres pervenit, quorum alter, nomine Petrus classe instructa cum Cathalanis et Gallicis Alexandriam Aegyptiorum invasit, [334]

ingressusque urbem mediam diripuit, et quamvis occurrentibus innumerabilibus barbarorum copiis fuge sese commiserit, ingentem tamen predam et ditissima spolia reportavit. Nec multo postea - ut nulla reperitur sancta regni societas - a fratre interfectus est, et regnum ad occisorem delatum, cui nec longa quies, neque impune parricidium cessit.

5 Cum solemne convivium instituisset - quod annis singulis instruere mos erat -, dira calamitas obtigit: invitati Genuensium ac Venetorum mercatorum iudices, quos bailivos appellant, magna inter se concertatione de priori consessu certavere; cumque rex Venetis propensior videretur, indignati Genuenses armis suam dignitatem retinere statuerunt, tectisque sub veste gladiis regiam ingrediuntur. Quod rescientes Venetorum primores regem
10 adeunt, atque insidias suo capiti paratas dicunt: iuventutem Genuensium ad maturandum facinus armatam intrasse Palatium. Rex missis e vestigio, qui rem inquirant, inventos cum armis Genuenses in sublimem palatii locum rapi iubet, atque ex altissimis fenestris in forum precipitari statuta militum cohorte, que lanceis ac gladiis cadentes exciperet. Tantum maligna potuit accusatio! Reliqui etiam per Cyprum commorantes Lygures perquisiti ac
15 necati sunt, ita, ut vix unus ex tanta clade superfuisset, qui rem gestam in patriam renunciaret.

Accepit tamen dux Genuensium ac senatus paulo post atrocem suorum iniuriam, atque in ultionem erectus intra quadraginta dies potentissimam classem armavit et in Cyprum misit, cuius adventus eodem fere tempore et auditus et visus est. Fregosius classi prefectus
20 expositis in terram copiis mox Nicosiam profectus aegre defensam cepit, atque una excursionem regem ac reginam et universam insulam in potestatem suam redegit, interfectisque nefandi consilii auctoribus, ingenti ditatus preda, maiori cum gloria et breviori tempore, quam speraretur, domum rediit. Rex cum coniuge in carcere diu servatus est, et regina pregnans in captivitate peperit. Tandem venia data est, et regnum tributarium factum.
25 Urbs nobilissima et totius insulae precipuum emporium - Famagustam vocant, nos Fanum Augusti appellatum olim credimus - de regno recepta Genuensi populo applicata, portu ac vectigalibus dives.

Puerum regi natum Ianum appellavere, quod in Genua fuisset editus, quam nostra aetas Ianuam vocat. Adversus hunc, cum patri successisset, in ultionem direptae Alexandriae
30 soldanus Aegypti, Melchela validissimam classem transmisit, quae veluti tempestas horrida cuncta corripit, Cyprios occurrere ausos prostravit in campo, Ianum regem captivum abduxit, Nicosiam, regni caput diripuit, ecclesias incendit, et omnem ferme populum rapuit in servitutem, vacuas urbes et insulam pene solam reliquit. Rex tandem centum et viginti quinque milibus aureis redemptus et tributarius Aegyptiorum factus in regnum rediit.

35 Dum insulam Aegyptii spoliarent, et eorum navigia paucis custodibus servarentur in litore, navis Veneta, quae peregrinos quotannis Hierosolymam vehit, voto peracto rediens huc applicuit; et paulo post sex Cathalanorum naves adventarunt, quarum patroni Veneto suaserunt, ut signa deponeret, [335]

simulque classem Aegyptiam aggredieretur: futurum, ut opulenta spolia referrent. Paruit Venetus; Cathalani inter noctis tenebras mutato consilio dilabuntur; Egyptii in ortu lucis ad litus redeuntes navim Venetam solam et sine signo inventam adoriuntur ac brevi expugnant, iubentque peregrinos, si vivere velint, erectis digitis Christum negare. Mira virtus: nemo
 5 repertus est, qui pluris vitam, quam fidem fecerit! Ob quam rem viri triginta, qui prelio superfuerant, vincti deponuntur in litore, atque ibi lapidibus cesi et obruti usque ad ultimum spiritum Christo benedixerunt. Felix exitus et optimo cuique optandus! Foeminas in captivitatem ductas apud Alexandriam Veneti mercatores redemerunt; inter quas una ex nostratibus fuit, Pientiae nata, vidua et sancta mulier, quae domum reversa haec a se visa
 10 narravit.

Ianus per tot adversa vitam agens tandem Iohanne, filio impubere relicto mortem obiit. Puer inter foeminas educatus cum virilem aetatem attigisset, mulierem se magis, quam virum ostendit: inter epulas atque delicias torpens semper sub tutoribus et curatoribus vixit. Uxorem tamen duxit ex familia Montis Ferrati, quae in Cyprum advecta peractis nuptiis -
 15 sive aeris intemperie, sive (ut fama fuit) veneno - mox periit, et comitatus eius pene universus interiit. Nec postea repertus est ex occidentalibus regibus, qui suam illi filiam despondere vellet; itum est ad Grecos, et in Peloponneso quesita coniunx ex Paleologorum prosapia, Helena nomine, ingeniosa et cordata mulier, verum Greca instituta perfidia Latinis inimica sacris et Romanae hostis Ecclesiae. Que ubi consumato matrimonio viri vecordiam
 20 cognovit, non tam reginam, quam regem egit, regnum ipsa gubernavit, magistratus veteres deposuit, novos instituit, sacerdotia pro suo arbitrio ordinavit, et eliminato Latinorum ritu Greanicum superinduxit, belli pacisque leges dixit. Viro satis fuit convivari delitiisque affluere - atque in hunc modum universa insula in potestatem Grecorum rediit.

Potentissima apud reginam nutrix eius habebatur, et apud nutricem filius, atque is rerum
 25 dominus; ipse enim matrem, mater reginam, regina regem regebat.

Iohanni ex concubina Iacobus natus est, magni spiritus adolescens, ex coniuge Karlotta, quae postquam adolevit, Iohanni, regis Portugallie patrueli nupsit. Vir eius consensu procerum in regnum accersitus est, qui vivente socero rem administraret; iam enim muliebris regiminis non minus tedeat populum, quam pudebat. Adveniente Portugallensi celebratisque nuptiis cuncta in eius manu posita sunt: forma regiminis correcta, divina et humana reformata negocia, Romane Ecclesiae ritus instauratus, reginae ac nutrici adempta potestas. Nutricis filius novi principis faciem veritus Famagustam concessit, quo ex loco matri suasit: si se cum filio salvam vellet, veneno ut Portugallensem extingueret, quo vivo vitam ipse diu servare non posset. Nec surdo cantata fabula: venefica mulier consentiente
 35 regina - ut fama fertur - nobilissimum principem thossico substulit, atque ita priores illecebre et damnata Helene imperia rediere. Filius quoque nutricis gloriabundus ex Famagusta [336]

rediens quasi dominus et rerum omnium moderator receptus est, qui Karlottam ludibrio habens multis eam contumeliis affecit. Illa ad fratrem confugiens suas conquesta calamitates opem petiit. Iacobus non tam sororis gratia, quam regni sibi parandi Greculum cunctis insultantem sua manu interfecit, cepitque cum amicis id agere, ut rex appellaretur - quod

5 iam pridem in animo gesserat. Ut primum enim sapere aliquid cepit, videns patrem mentis inopem ex matrimonio virili prole carere, ad regnum aspiravit, indignum existimans aut sororem sibi, aut sororis virum preferri. Quod presagiens Helena viro persuaserat, ut filium regni cupidum, extra matrimonium natum Ecclesiae traderet ac sacris ordinibus initiaret; sic futurum, ut regnandi spem poneret.

10 Vacua per id temporis pastoris regimine ecclesia Nicosiensis erat; hanc Iacobo spondent, postularique presulem curant, atque in possessionem deducunt; quod Romana Ecclesia nunquam ratum habuit. Sed post Greculi cedem regina et nutrix adversus Iacobum insurgentes eum urbe regia pepulerunt. Ille apud iudicem Venetorum aliquandiu latitans tandem apparato navigio concessit in Rhodum, quo in loco non sine honore habitus est. -

15 Interim Karlotta suasu matris ac procerum Ludovico, Sabaudie ducis filio nubit, eumque quam celerrime ad se proficisci hortatur.

Medio tempore Iacobus spe regni amissa per amicos apud Nicolaum pontificem maximum instat, ut ecclesiae Nicosiensis preficiatur; sed Helena et Karlotta contra nituntur, negantque sanguinarium hominem et qui regnum seditionibus agitet, in Ecclesie militia recipiendum.

20 Litterae casu a Iacobo interceptuntur, qui contracta amicorum non parva manu in Cyprum navigans clam regiam urbem ingreditur, eorumque domos adiens, quos sibi norat infensos, cunctos interficit, bona inter amicos partitur, et tanquam victor in civitate moratur. - Regina interim moritur, et paulo post rex, vir muliere corruptior, quamvis forma et habitu corporis regio dignus honore videretur; sed quam erat exteriori decorus specie, tam fuit ignavus et

25 turpis animus.

Inter haec turbato multifariam regno accersitus crebrioribus nuntiis Ludovicus apud Venetias classe parata in Cyprum navigat, magnoque omnium applausu ac favore rex appellatur. - Iacobus eius adventum haudquaquam expectare ausus, consilio et ope - ut aiunt - Marci Cornarii, potentis amici, qui sibi navigium concessit, cum amicis ferme centum in

30 Alexandriam navigavit soldanum, quam primum liceret, conventurus eiusque opem imploraturus. Soldanus missis obviam primoribus sue curiae eum ad se quam celerrime venire iussit, et magnis honoribus venientem accepit. Qui ut in conspectu datus est:

„Supplex" - inquit - „ad te confugio, regum maxime ac potentissime. Tu mihi dominus es, et ut clementia tua spondet, adiutor et tutor eris. Iohannes, pater meus, qui tibi quotannis tributum pendebat, superioribus diebus e vita decessit, nec preter me virilem sobolem reliquit. Soror mea virum sibi ex Galliis accersivit, eum Cyprii regem susceperunt me posthabito, quem regnare par fuerat. Sed tuum est regnum Cypri, tuum est diffinire, quem regnare oporteat. Natura masculis, non feminis imperium dedit, nec aequitas permittit regum filios extraneis cedere. Respice, oro, fortunam [337]

35

meam, nec me rege natum regno privari sinas! Paternam hereditatem a te postulo, qui meus iudex es. Nisi causam meam suscipis, exul a patria regius sanguis alimenta mendicabo. Indigna hec tuo nomini inuret notha, qui subditorum iustas causas non defenderis!

5 *Nec e re tua fuerit me repulso, cuius maiores servire tibi didicerunt, Gallicum hominem Cypriorum regno preesse. Nosti superbiam gentis, et quanta Aegyptiorum imperio attulerint Gallorum classes incomoda. Nunquam Alexandria aut alie maritime urbes pacem habebunt tenentibus Cyprum occidentalibus regibus. Quod si me foveas, tam tua Cyprus, quam Aegyptus erit.*

10 *Nec tu difficilem rem credideris paternum atque avitum regnum mihi restituere. Multi sunt, qui meis rebus student, nec aliud optant, quam tuo favore preditum me redeuntem cernere. Parva classis in solium paternum collocabit. Satis amicis meis fuerit tua signa vidisse et tuis auspiciis bellum geri, cetera ipsi expedient. Nec dubita: brevi me, servum tuum, Cypri regem videbis; tantum facito, ut te velle intelligam!"*

15 Moverunt ea verba non soldani modo, sed omnium, qui aderant, animum, nec quisquam fuit, qui non indigna pati adolescentem arbitraretur, eique subveniendum existimaret. Erat enim Iacobus duos et viginti natus annos, forma egregia et statura corporis patri perquam similis, verum animi dotibus et eloquentia longe dispar. Placuit subvenire supplici, moxque regiis ornamentis allatis Iacobus veste purpurea indutus ceterisque insignibus adornatus,
20 quibus regibus uti mos est, in conspectu soldani et omnium procerum rex declaratur; qui soldano huiusmodi iuramento se astringit:

„Per Deum magnum et altum, misericordem et benignum, formatorem celi et terre et omnium, quae in eis sunt, et per sancta hec Evangelia, per sanctum baptisma, per Iohannem Baptistam atque omnes sanctos ac per fidem Christianorum promitto et iuro,
25 quod omnia, quae novero, aperta erunt domino meo, altissimo soldano Aegypti et totius Arabiae imperatori, Alesserapho Aynali, cuius regnum Deus fortificet. Ero amicus amicorum suorum et inimicorum inimicus. Nihil eum celabo, neque pyrthas in regno meo patiar, neque his victum aut auxilium dabo. Egyptios, qui meo in regno serviunt, emam et libertate donabo. Auri quinque milia nummum in Kalendis Septembris aut
30 Octobris tributi nomine in templis altissimis Hierusalem et Lamech singulis annis offeram. Colosseos prohibebo, ne pyrthatis arma ministrent. Quaecunque digna cognitu noviter emerserint, soldano renuntiabo. In iustitia et veritate procedam, nihil mea in parte fraudulentum erit. Quod si aliquid horum neglexerim, ero apostata et mandatorum sancti Evangelii Christianeque fidei prevaricator; dicam Evangelium falsum esse, negabo
35 Christum vivere, et matrem eius Mariam virginem fuisse; super fonte baptismatis camelum interficiam, et altaris presbyteris maledicam, divinitatem negabo et lesum nuntium, humanitatem adorabo, super altari cum Iudea fornicabor, et sanctorum patrum maledictiones in me omnes recipiam!"

40 Sic iuratus per urbem circumductus precipuis honoribus cumulatus est classe decreta, que illum mox in Cyprum veheret. Prius tamen litterae in hanc sententiam soldani nomine ad Ludovicum scriptae sunt: [338]

„Venisti ab occiduis partibus, ut alienum regnum in Orienti invaderes, ac paterna hereditate filium exueres. Vana est cogitatio tua. Cyprus mihi vectigalis est, et meum de rege iudicare. Nisi quam primum abieris, Aegyptio peribis gladio. Si uxor tibi cordi est, potestatem facio, ut eam tecum auferas - si tamen prius recesseris, quam secundo monearis!"

5 His acceptis toto regno trepidatum est, ingensque meror omnium mentes pervasit, cum neque soldani iussibus resistere possent, neque sine turpitudine obedire. Postremo, cum remedium nullum aliud invenirent, legatos ad soldanum mittere placuit, qui eius mentem lenirent. Miserunt et simul Rhodienses viros ex religione primarios, qui apud Cayrum
10 convento soldano Ludovici causam humilibus verbis defendere conati sunt, nil eum de iure soldani ablaturum venisse dicentes; Iohannem Cypri regem Karlottam, filiam unicam ex matrimonio suscepisse, quam secundum Christianas leges reliquisset heredem; Iacobo ex concubina nato regnum nequaquam deberi; maritum pro coniuge coronae iura sortiri; hortari, ne regni consuetudines confunderet, neve Christianis Christiana inter se iura
15 negaret; Ludovicum soldano in omne tempus amicum futurum, tributumque suis temporibus praestitutum, Iacoboque decem milia auri nummum singulis annis, quoad viveret, tributurum.

Re diu in concilio apud soldanum agitata iam eo ventum erat, ut postulata Ludovici
20 admitterentur XXX milibus aureis superadiectis; hanc enim summam loco impensarum soldanus exposcebat, nec Ludovicus pro retinenda pace abnuebat. Sed ambiens Iacobus modo istos modo illos amicos, ac soldani fidem accusans, qui se paulo ante regem declaratum desereret Galliceque perfidie proderet, purpuratos quosque in curia potentes hortabatur, ut soldano suggererent, ne Galli [cis] oratori[bus] auscultaret, neve se semel in fide receptum relinqueret. Aderat ei soldani filius aequalis etatis, qui eius fortunae miserebatur; aderant et tres mamaluchi in Palatio potentes, qui precibus assiduis Iacobum
25 commendabant. Sed parum eorum [conamina] valuissent, nisi Maumethis Thurcorum imperatoris legatus oportuno in tempore affuisset, qui verba huiusmodi habuisse fertur:

„Accepit amicus tuus, Turchorum imperator, Maumethes te Iacobum Cypri regem
30 appellasse, eumque in patrium regnum statuisse restituere. Digna res, quae de tuo solio manaret, et nostrae religioni accommoda. Sed renuntiatum postea est te mutato consilio pacem cum rege Gallico pacisci, et quem iuvare cepisti, velle deserere, tanquam ignores, quanto persequatur odio gentem nostram Gallicus sanguis, neque Gotfridi Balduinive aut aliorum huiusce gentis facta menti teneas, qui sepe maiores nostros magnis cladibus affligerunt. Vide, quid agas! Si pax tibi cum Gallico genere cordi est, cum nostro bellum
35 expecta! Nec tibi cum solis Turchis inimicitias futuras putes: Aegyptii, Syri et Arabes, quibus praees, summo te odio persequentur, nec tuus tibi filius herebit, qui religionem nostram Gallicano sanguini prodideris. Quod si promissam fidem Iacobo servaveris, classemque pararis in Cyprios, Maumethes quoque alteram parabit in Rhodios, et utriusque insule spolia tua erunt; solum tantum insulae Rhodiae Maumethes sibi servatum
40 cupit." [339]

Placuerunt soldano Turchi oblata, atque in eius postulata consensit. Apparata est e vestigio classis, et Iacobus cum magna militum manu in ea vectus Cyprum appulit. Non tulerunt eius impetum Galli, quamvis Rhodios adiutores haberent, neque ausi apud Nicosiam expectare, in castellum, quod Cerines appellatur, sese receperunt. Iacobus reliquis omnibus in potestatem receptis obsidionem aliquamdiu circa castellum tenuit, deinde spe potiunde munitionis deposita, dimissis custodibus, qui Gallos ab incursione prohiberent, Nicosiam reversus ad reformationem regni se convertit, legatosque ad Pium pontificem misit, qui multa peterent faciem honestatis habentia; re vera nil aliud querebat, quam Christiani regis apud Sedem Apostolicam nomen usurpare. Sed contra illi evenit; neque enim oratores suos tanquam regios - ut ante diximus - pontifex admisit.

7. Karlotte reginae Cypriae adventus in Italiam, eiusque oratio ad Pium, et liberale responsum

Karlotta interim, quae Rhodum petierat, comparatis aliquibus auxiliis cum nova militum manu, quam socer ex Sabaudia miserat, ad virum, quem Cypri reliquerat apud Cerines, rediit eo proposito, ut Nicosiam peteret non parva spe freta recuperandi regni. Iacobus consiliis eius exploratis iter intercipit, consertoque prelio multos Gallorum interficit, reliquos in castellum repellit, quo in loco usque in hanc diem Ludovicus obsidionis incommoda fert. Reliquae partes insulae Iacobo tanquam regi parent, excepto Colossi oppido, quod Rhodii tenent, et Famagusta, quam Genuensium esse diximus.

Karlotta viro dimisso iterum contendit Rhodum; erumnarum deinde plena in Occidentem navigans Tyberina cum appulisset ostia, Romam et Christi vicarium visere statuit, missisque nuntiis, qui aditum peterent, adverso flumine vecta apud aedem Sancti Pauli descendit in terram. Pontifex cardinales et universam Curiam iussit occurrere, advenientemque in aula consistorii publice excepit, ac deinde in parte Palatii seorsum collocavit, cibariaque illi et familiae magnifice administravit.

Mulier quattuor et viginti annos nata videbatur, statura mediocri, laetis oculis, facie inter fuscam et pallidam non sine gratia, sermone blando et Grecorum more torrenti, vestitu Gallico, moribus, qui regio sanguini convenirent. In primo congressu exobsculatis Pii pedibus pauca locuta est; verum postridie, cum inter paucos pontificem convenisset, hanc per interpretem orationem habuit:

„Infoelices domus mee casus non te arbitror, maxime pontifex, ignorare. Nam quae regio in terris nostri non plena laboris est? Quis nescit Cypriorum erumnas et miseram regni sortem? Bis ego infelix nupsi. Virum, quem duxi ex Portugallia, repentina et immatura mors abstulit; quem accersivi ex Sabaudia, obsessum ab hoste reliqui; vivat liber, an captus sit, ignoro. Unicam ex matrimonio filiam in spem regni parentes educaverunt; successi patri et reginae nomen adepta cum viro cepi regnare. Frater [340]

extra matrimonium natus - si frater est, qui sanguinem suum persequitur - auxiliis ab Aegypto quesitis haereditatem meam invadit, regnum occupat, me atque virum ad necem quaerit. Unicum nobis refugium apud Cerines servatum est, illic cruentas evasimus infesti germani manus. Insulam reliquam preter Augusti Fanum et Colossum hostes tenent. At qui
 5 hostes!? Christianos fortasse aut aliquos religionis amicos adversari nobis existimas? Pone hanc opinionem! Cum inimicis Crucis Christi bellum gerimus. Egyptii Cyprum tenent, nostre religionis infensissimi hostes, Maumetheae insaniae sectatores. His data libertas est, quos velint, ex regno pueros asportare, templa Dei nostri destruere, Maumetheos ritus inserere. Frater meus Pseudo-Christianus fedissimo iuramento soldano se astrinxit, ut
 10 regno potiretur. Verum longe deceptus est: penes eum nomen regis, penes admiratum soldani potestas! Conatu sum, quoad potui, mihi et Christo regnum servare. Vicit Maumethes, expulsi ambo sumus. Spes modica cum viro apud Cerines restat, si manet adhuc.

Ego, dum ad te navigo auxilium petitura, Venetorum naves incurro, quarum gubernatores cunctis me bonis excusserunt; vix unica retenta veste et commeatu modico ad te sum navigare permissa. Regno delecta, inops et nuda prorsus ad te confugi. Subveni, oro, bis propemodum vidue! Miserere regii sanguinis! Miserere infoelicis regni, ne prorsus ab orthodoxa fide recedat, ne pro Christianis subeant Aegyptii! Tu pater religionis es ac magister fidei: te decet in primis curare, ne Christianus cultus imminuatur. Si perit Cyprus,
 20 peribit et Rhodus, nec Creta salvabitur; ad Siciliam usque et ipsa Italiae litora barbarorum classes enavigabunt. Ab Aegypto, ab Aphrica, a Syria, Asia et Grecia timendum erit Italiae, nisi occurris in tempore, nisi prius subvenis, quam Orientis insulae hostium fiant. Mihi, si opem tuleris, non deest animus paternum regnum recuperare brevi. Parva manus occidentalium militum victoriam [[dederit]] : non sunt Aegyptii, qui vires occidentalium ferant.
 25

Nec ego ex te omne auxilium flagito: ad socerum pergere institui et amitam, socrum et propinquos Galliae reges. Inde - ut spero - quantum sat fuerit, exercitus cogam. Tu mihi triticum dato et vinum, quod obsessis offeram. Sed neque in Sabaudiam, nisi adiuves, ire possum; tempestatibus agitata nequeo ferre amplius mare, neque in navibus est, quod
 30 edam; terra quoque iter mihi clausum nec equos habenti nec argentum. In tua sum manu, pontifex; pereo, nisi porrigis manum!" - Atque his dictis illachrimata subticuit. Pius ita respondit:

„Pone lachrimas atque confide, filia, non te deseremus. Nota tua nobilitas et tua calamitas nobis est. Indigna pateris non insolita. Instabile regni solium est, nulla potentia longa; hos erigere, illos deprimere fortuna gaudet, et nunc in tuo genere ludit: tronum
 35 tuum fratri dedit, te in exilium misit. Tui soceri - ut arbitramur - et tui viri peccata luis: socer rogatus in Mantuano conventu ea pro defensione fidei adversus Thurcos promittere, que reliqui Italiae principes pollicerentur, nullo pacto persuaderi potuit, ut vel minimi auxilii spem faceret; vir tuus, cum ad te navigaret, haudquaquam dignatus est ad nos usque
 40 Mantuam proficisci, quod sibi erat facillimum per Padum ad ostia Mintii evecto; contempserunt nos ambo: pater et filius. Propter quam rem diximus inter cardinales: »Contemnit Ecclesiam Sabaudie domus, nec religioni dignatur polliceri opem. Hic adolescens, qui modo in Cyprum navigat, penas dabit. Dotale [341]

regnum se possessurum existimat; fallitur, eiicietur! Utinam manus hostiles evadat! Pater eius, qui nobis auxilia adversus Turchos impudenti voce negavit, ad nos supplex veniet filio rogaturus opem. Faxit Deus, ut nos opitulari possimus!» - Evenere predicta. Utinam falsum fuisset vaticinium nostrum! Placuit Deo contumaciam plectere et Sabaudiensis et tuae domus. Quotiens mater tua Apostolicae Sedis mandata contempsit! Quanta fuit tuorum progenitorum aliquando superbia! Portant filii peccata parentum, nemo sine causa miser est.

Deus his te casibus probat, filia. Spera in eo, et ipse te liberabit. Horridam tempestatem placida serenitas sequitur, in quiete finitur labor. Quaecunque postulasti ex nobis, feres: equos dabimus, quibus ad socerum pergas, et sumptus itineris; frumentumque et vinum in Anchona rediens paratum invenies, quod navibus ad obsessos vehas. Exercitum ipsa in Sabaudia et in Gallia coges, quo regnum vendices."

Regina pro responso gratias egit. Mansitque deinde diebus circiter decem Romae, donec basilicas martyrum precipuas visit, et adlocuta pontificem quater aut quinques, impetratis, quas voluit, pro se suisque comitibus gratiis itineri se commisit. Pontifex singulos cardinales singulos ei elargiri equos iussit, et ad numerum usque necessarium ipse supplevit; dispensatoremque addidit, qui sumptus itineris ministraret etiam extra terras Ecclesiae, si necessitas ingrueret. Comitatus eius equitum circiter quinquaginta fuit, quem Senenses pontificis secuti exemplum per suos fines abunde paverunt. Idem fecere Florentini et Bononienses et deinde reliqui, per quorum provincias usque in Sabaudiam ventum est. Cuncti, ut reginam decebat, summis honoribus exceperere. Nusquam minus, quam in Sabaudia bene visa; hic torvis oculis, tristi vultu, verbis acerbis ac durissimis admissa est.

„Quid tu" - socer inquit - „hoc tempore ad nos venis? Quae honestas mulierem iuvenem relicto viro ab Ortu in Occidentem navigare, tot aliena hospitia querere? »Auxilia« - inquis - »quesitum veni.« At istaec virum decebat magis querere! Quotiens auxilia misimus? Quotiens opem tulimus? Nunc homines, nunc arma, nunc frumentum, nunc aurum suppeditamus; et quis modus rebus erit? Sabaudiam iam exhausit Cyprus; quicquid pinguedinis fuit, ad vos transivit; vacua provincia est. Vos in Cypro regnum perdidistis, et nos propediem in Sabaudia carituri sumus imperio, quando eo ventum est, ut vestri causa vectigalia et omnes census alienasse oportuerit."

Nec meliora his locuta est socrus, eademque amita. Propter quas res merens, omni spe posita regina infoelix retro per Mantuam et Venetias in Rhodum navigavit, nec ausa est in Gallias proficisci - iam pregustata apud Sabaudienses ultramontanorum liberalitate et magnificentia principum.

8. De Sabaudia, et qui in ea quave fortuna regnaverunt, et de Amedei vita et antipapatu

Libet hic, quoniam Sabaudie mentio incidit, pauca de principibus eius terrae in medium adducere, quae aevo nostro digna memoratu contingere, [342]

quamvis in principio huius historiae nonnulla de Amedeo et eius pontificatu dixerimus.

Sabaudia in Alpibus sita est, quae Galliam ab Italia disterminat, et a mari Lygustico usque ad Helvetios protenditur. Arelatensis provincia partem Sabaudiae contingit, partem Dalfinatus, et Rhodanus magnam percurrit partem. Praecipua Sabaudiensis dignitas circa
5 Lemannum lacum, cui et Gebenne et Lausana nobiliores civitates adiacent.

Sabaudiensem domum ex gente Saxonica profectam memorant; olim comites fuere; Sigismundus imperator in Constantiensi concilio extincto comitatu ducatum erexit. Primus eius gentis dux Amedeus fuit, cuius imperium et ultra et citra montes late patuit; duodecim pontificales ecclesiae in eius ditone fuere. Uxorem duxit ex domo Burgundiae Philippi ducis
10 sororem; filiarum alteram Philippo duci Mediolani tradidit, alteram Ludovico regi Siciliae, cuius supra fecimus mentionem; Ludovico, filio primogenito coniugem ex Cypro copulavit; affinitate omnibus fere Christianis regibus iunctus est. Fortunatissimum vicinorum miseriae fecerunt: in Gallia Burgundorum et Armeniacorum discidia flagraverunt, et Anglicus furor regnum vexavit; in Italia Veneti et Florentini adversus Mediolanensem principem inplacabili
15 odio contenderunt. Amedeus procul ab armis in montibus regnans nunc horum, nunc illorum arbiter eligebatur, atque unus omnium existimabatur, qui sibi et aliis recte consulere nosset. Sapientem aliena stultitia prebuit: diu ad eum quasi ad alterum Salomonem hinc Itali inde Galli pro consilio de rebus arduis recurrerunt. Postremo et ipse quoque lapsus vanam et fluxam huius saeculi sapientiam ostendit.

Eo iam sene Basiliense concilium cepit, quocum statim ab exordio pontifex maximus Eugenius discordavit. Obierat uxor Amedei, quae unica eius fuerat. Striges - ut aiunt -, quae multae in Sabaudia sunt prestigiis et arte demonum futura predicentes, Amedeum adiere, eique summum pontificatum obventurum predixerunt, quod in concilio deponendus Eugenius esset, et ipse substituendus. Amedeus - sive hac spe ductus, sive alioquin suoapte
20 ingenio - relicto ducali fastigio et omni saeculi pompa procul eiecta, gubernatione subditorum primogenito commissa ad heremum concessit.

In ripa lacus Lemanni e regione Lausanae altissima fuerunt nemora, et sub his prata decurrentibus aquis irrigua; horum magnam partem muro cinxit, inclusitque cervos et damas, et quae non seviunt in hominem, feras. Prope in litore lacus ecclesiam aedificavit, sacerdotes induxit, prebendas erexit et dignitates aliquas, et mansiones construxit, in quibus canonici commode degerent. Nec procul hinc palatium magni operis composuit fossa et propugnaculis oportune munitum. In eo septem mansiones fuere: sex aequales, digne, quae cardinales reciperent; nulli sua defuit aula, nulli camera et anticamera et secreta quedam cubicula seu preciosarum rerum receptacula; septimam, principi dicatam, nemo rege aut
35 summo pontifice iudicasset indignam. Hic Amedeus habitavit, quem sex proceres secuti sunt grandevi et aetate prope pares, quorum uxores iam pridem obierant; nemo non sexagesimum annum attigerat; et quoniam [343]

equestris ordinis milites fuerunt, et saepe in bellis ordines duxerant, nec sine gloria militaverant, in ipsa mutatione saecularis habitus sub Amedeo decano et magistro suo professionem novam induerunt, et Sancti Mauritii appellari milites voluerunt. (Neque enim procul ab eo loco Sanctus Mauritius cum legione Thebea pro Christi nomine martyrium pertulit.) Cuncti penulam et pallium et cingulum et baculum retortum, quibus heremitas uti videmus, assumpserunt, et barbam prolixam nutriverunt, et crines intonsos gestaverunt. Loco Ripalia nomen fuit, mille passibus fere ab oppido Tononio distanti.

5 Cardinalis Sanctae Crucis, cum iret secundo in Galliam de pace acturus, huc navibus appulit. Amedeus per silvam, quam diximus muro cinctam, illi obviam venit ad portam, quae erat in litore. Spectaculo digna res et quam vix posteri credant: princeps saeculi potentissimus, Gallis atque Italis metuendus, quem aureis vestibus ornatum purpurati admodum multi circumstare consuessent, et secures preire atque armatorum sequi cohortes et turba potentum, nunc sex tantum heremitis precedentibus et paucis sequentibus sacerdotibus, in veste vili et abiecta legatum apostolicum excipit. Veneratu digna societas visa; crucem auream heremitaie in pectore gestaverunt - id tantum nobilitatis signum retinere -, cetera contemptum saeculi pre se ferebant. Venere in amplexus cardinalis et Amedeus, et multa se invicem caritate deobsculati sunt. Nec satis cardinalis aut admirari aut collaudare conversionem principis poterat, quamvis suspecta mutatio erat, et id verebatur, quod vulgo iactabant: Amedeum scilicet sperare papatum, atque iccirco heremitam factum.

10 Mansit in hoc habitu et in hac heremo Amedeus annos circiter octo; et quamvis curam regiminis ad filium relegasset, graviora tamen ad se deferri negocia voluit, nec ducatus titulo se privavit, nec rem pecuniariam alteri quam sibi credidit.

15 Interea Basilienses adversus Eugenium stomachati ad eius privationem procedere statuerunt. Quod cum perfici nequiret episcoporum deficiente numero, Amedeus cunctos sue ditionis episcopos atque abbates et insignes presbyteros ad concilium misit, quibus adnitentibus depositio Eugenii tandem extorta est, et ipse paulo post Amedeus decreto concilii, iam per Eugenium revocati, ad summum pontificium accersitus. - Eugenius, antequam deponeretur, concilium ex Basilea Ferrariam transtulerat, ut ibi cum Grecis conveniret, de quorum tunc unione agebatur. Verum nec omnibus translatio concilii placuit, nec depositionem Eugenii reges ac principes acceperunt: maior pars orbis Eugenio adhesit, Germani neutralitatem induerunt; sola Sabaudia et [Svicenses] et paucae quaedam dioceses privationem Eugenii et Amedei assumptionem admiserunt.

25 Legati ex Basilea in Sabaudiam missi, viri prestantes, quorum princeps fuit Ludovicus cardinalis Arelatensis, Amedeum apud Ripaliam quesivere, eique decretum electionis obtulere. Qui habito consilio procerum - convenerat enim eo in loco cuncta Sabaudie nobilitas - facturum se dixit, quod de se patres sanctae synodi decrevisset. Quo dicto mox in conclavi receptus est, et abrasa [344]

barba tonsoque vertice corona brevi capillorum dimissa, pontificalibus indumentis adornatus iterum in publicum rediit - tanto despiciendus magis, quanto preciosiores induerat vestes. Nam quod erat verum et proprium ornamentum, tonsoris ferrum ademerat: prolixam et copiosam barbam, quae omnes faciei maculas obtegebat, et maiestatem
 5 quandam videbatur afferre; sine qua prodiens facie parvula, obliquis oculis - erat enim strabo -, genis pendentibus quasi turpissime simiae pre se speciem tulit. Tum sedens pro tribunali pallio pontificali et mytra peditus ex duobus filiis Ludovicum, seniore Sabaudiae ducem creavit, Philippum, natu minorem Gebennarum comitem, deinde Tononium se contulit, pluresque ibi dies curiam tenuit. Et adveniente demum aestate per Lausanam et
 10 Solotrum apparatu magno Basileam petiit, ibique presentibus filiis in suggestu ante maiorem ecclesiam erecto, astante patrum conventu, in magna frequentia plebium, quae ad rem novam et insolitam e vicinis regionibus concurrerant, per cardinalem Arelatensem in episcopum ordinatus est et apostolico diademate coronatus, scriniariis et advocatis „*Felici Quinto*” - id enim nomen inditum est - „*a Deo electo et coronato vitam!*” acclamantibus.
 15 Solemnitas omni ex parte celebris fuit, quamvis unus tantum cardinalis adesset, atque idcirco despicienda videretur. Cerimoniae cunctae servatae sunt, pompa per urbem mirabili ornatu deducta, convivium ingenti apparatus sumptu, cuius omnis curia particeps fuit.

Mansit deinde pluribus mensibus in Basilea Foelix, concilio praefuit, causas diffinivit, episcopos creavit, cardinales assumpsit; Federicum imperatorem illac transeuntem clam
 20 audivit - neque enim ille quasi pontificem in publico voluit honorare.

Haec apud Eugenium audita magnum incussere terrorem. Basilienses antea sine duce, sine capite facile contempserat; at Foelice pontificium acceptante, magno principe universis Christianis regibus aut consanguinitate aut affinitate coniuncto, qui annos quadraginta subditos suos in pace summa iustitia ac prudentia gubernasset, cuius opes inestimabiles
 25 crederentur, non Eugenii modo, sed omnium cardinalium curialiumque mentes ingens metus pervasit. Iulianus autem cardinalis Sancti Angeli, civis Romanus, qui diu in Basiliensi concilio profuisset, in consistorio, cum illato nuntio de novo pontifice trepidare omnes animadverteret:

„*Tria*” - inquit - „*sunt, beatissime pontifex, nisi fallor, quae tibi Foelicem adversarium metuendum reddunt: coniunctio, quae illi cum regibus est; sapientia, qua peditus existimatur; et ingens pecuniarum vis, quam illi per tot annos pacifice regnanti succevisse putant. Hec times; ii sunt hostes, quos vereris; cum his tibi bellum futurum est. Fratres mei, qui ante me locuti sunt, multa de his rebus dixere, easque supra modum extulerunt, atque insuperabilem adversarium his eminentem dotibus existimaverunt. At si me audias, metum tibi omnem adimam. Facile ista contemnes: hinc tibi victoria dabitur, unde times exitium.*”
 35

Neque consanguinitas eius, neque affinitas nocitura est tibi. Irridebunt reges, non adorabunt hominem, qui e seculari principatu ad ecclesiasticum evolaverit; virum [345]

sanguinum, qui saepe in bellis fuerit obversatus, indignum sacerdotio iudicabunt. »Uxorem« - dicent - »in saeculo duxit, et filios procreavit: et nunc in altario Sacratissimum Christi Hostiam audet offerre?« Invidebunt et maledicent homini, nemo amabit. Inter saeculi principes nulla caritas est, nec tanta propinquitus usquam reperitur, quae tollat invidiam. Laborantibus consanguineis nunquam Amedeus auxilio fuit; Burgundos in bello reliquit et Francos; Philippo Mediolanensi cum filiam coniunxisset, dotem accepit, non dedit; Vercellas abstulit genero; marchioni Montis Ferrati partem ditionis ademit. Qualem se prebuit amicis, tales eos inveniet: gaudebunt venisse tempus, quo vicem reddant. Deseretur, ne dubita! Nemo illi non emptus adherebit.

10 Quid de prudentia dixerim? Prudentemne illum iudicabimus, qui nobili loco natus, imperio magno praeditus, dives opum, ultimo iam senio gravis in Ecclesiae divisione ab his pontificatum acceptare presumit, qui dare non possunt? Prudentiam hanc an stultitiam dicimus? Quae dementia maior inveniri potest? In magno hactenus errore viximus: Amedeum sapientem putavimus, qui multis annis feliciter regnasset. Erravimus: non sua prudentia, aliena miseria foelix fuit; decertantes inter se hinc Itali inde Galli quietam Sabaudiam reddiderunt; nos, quod erat temporis, attribuimus homini. Nunc error excussus est. Fecit sapientie suae periculum Amedeus, neque se parvo involvit errore, neque puerilem incidit culpam: in re omnium maxima peccavit. Nemo est, qui dementiae eius nequeat deprehendere. Stulti de sua stultitia iudicant. Ruent precipitata consilia, nec temeritatis erit felicitas comes. Felicem vocant, infelix erit, ut sepe rebus adversa sunt nomina.

25 De pecunia minus dubito; nunquam enim tanta est, quantam predicant, neque exponunt, qui cumulant. Non habet aurum, ab auro habetur Amedeus. Extorquendi auri causa papatum accepit, non ut eroget. Sanguinem ab eo facilius, quam pecuniam elicias! Nihil est, quod tam nobis prosit, quam pecuniosum adversarium existimari: cuncti ab eo aurum petent, neque impetrantes inimici abibunt. Haec mihi de novo electo sententia est; qui aliter sentiunt, nihil sentiunt."

30 Nec vana Iuliani opinio fuit. Karolus Franciae rex, cum aureorum XXX-ta milia petivisset - tanti enim obedientiam vendere paratus erat -, neque impetrasset, Eugenium ei preposuit. Idem fecit dux Mediolani, qui centum milibus aureis et Bononiam vendere et Nicolaum Picinimum cum novem milibus equitum in eius exercitu frustra tentasset adscribere. Solebat Amedeus dicere, cum aurum ab eo peteretur, pulcherrimam sibi sobolem esse: nolle se filios inopes relinquere.

35 Cum mansisset per aestatem et, quae secuta est, hyemem Basilee, nec pontificatum eius Christiani reges amplecterentur, sequenti tandem vere in Sabaudiam rediit, et paulo post concilium ex Basilea ad se vocavit, cum patres edicto imperatoris illinc deiicerentur. Postremo cum iam se omnibus contemptui esse cerneret, nec spes ulla esset obedientie nanciscende, mortuo iam pridem Eugenio ac Nicolao Quinto suffecto, interventu Karoli Francorum regis pacem Ecclesiae dare decrevit: renuntiavit apostolatu, et Nicolao reconciliatus, quem verum esse pontificem professus est, cardinalatum ab eo accepit et legationem, quoad viveret, in provinciis filii, cardinalis Sabinensis appellatus. Atque ita [346]

demum moriens apud Ripaliam sepultus est - foelix et sapiens habitus, nisi desipuisset in senio.

Philippus comes Gebennensis prius obiit, quam pater pontificatui cederet. Ludovicus solus retentavit imperium, vir mansuetus et amans ocii, et qui parere quam imperare aptior esset. Uxorem duxerat ex Cypro Annam, regiam sororem, audacem foeminam, quae subesse nesciret. Hec viri abusa ingenio regimen ad se traxit [non sine infamia prostitutae pudicitiae]; magistratus pro arbitrio instituit atque destituit; sacerdotia, quibus voluit, impetravit; Cyprienses in rerum culmine collocavit. Sobolem et pulchram et numerosam procreavit: Karolam filiam dalfino Franciae, qui postea rex factus est, copulavit; Ludovicum secundogenitum, de quo ante diximus, in Cyprum misit nepti virum datum; Amedeus primogenitus domi mansit neque mente satis neque corpore validus, quamvis ex domo Franciae duxerit uxorem, Karoli regis filiam; Philippus ad Francorum curiam se transtulit; duo reliqui admodum pueri vivente adhuc avo ad episcopatus eminentiam provecti sunt, et alter ecclesiae Tarantasiensi prefectus, alter Gebennensi, qui non diu vixit.

Multae in Sabaudia novitates exortae sunt post Amedei pontificatum, tanquam peccatum principis in provinciales expenderetur. Nobiles contra nobiles contenderunt, et Bolomerius, qui unus erat ex consultoribus acceptandi pontificatus, in iudicium raptus, tanquam falsae cuiusdam sententiae fuisset auctor, ad necem damnatus est, et ingenti lapide ad collum suspenso in lacum precipitatus. Sub imperio femine cuncta per avaritiam administrata sunt, et Greculi pro sua libidine Sabaudiensibus insultavere. Rediit tandem Philippus ex Francia, atque ingressus Palatium paulo post Karlotte recessum Greculos omnes eiecit, duos Sabaudienses inter primos nobiles, qui erant matri carissimi, et plurimum posse videbantur, interfecit; Iohannem Varasium ferro sua ipse manu indemnatum necavit, Iacobum Valpergium (per iudicium provincie damnatum) precipitavit in lacum. Quibus calamitatibus afflicta mater infelix morbum incidit, ex quo paulo post expiravit. Pater vel invitus in lectulo languens urgente provincialium conventu filio veniam dedit, cuius nutu in hanc usque diem provincia regitur; frater maior minus idoneus regno videtur. Philippum cuncti sequuntur, qui renovata federe cum [Svicensibus] omne iugum excussit, quod rex Francus per Ludovici desidiam et muliebre regimen in Sabaudiam intulerat.

His casibus per nostram etatem Sabaudienses acti sunt, quos huic operi non iniuria duximus inserendos.

9. De contentione novorum cardinalium creandorum et Pii prudenti victoria

Ludovicus Franciae rex, dum ista geruntur, Atrebatensi episcopo et Antonio Noxetano, qui iussu pontificis in Franciam iverant, tactis sacrosanctis Evangeliiis [347]

palam promittit Pragmaticam Sanctionem sese propediem abdicaturum, quoniam id Deo voverit. Atque hoc ipsum Pio pontifici scribit, petitque multis precibus episcopum Atrebatensem et protonotarium Lebreteum cardinalatus honore donari, haud indignum sese existimans, qui unis litteris duos cardinales impetrare mereatur; quod si altero carendum sit, episcopo carere non posset. Accedunt et Philippi Burgundiae ducis epistolae Atrebatensis assumptionem magnopere flagitantes.

5 Pius multos dies ante comitia cardinalium rem pertentat; odiosum factum et a Collegio prorsus alienum! [Conveniunt cardinales, et arctissimis promissionum vinculis ac iuramentis invicem se obligant augeri Senatam haudquaquam passuros - his exceptis, quos
10 Pius ipse creaverat; hortabantur alter alterum ad resistendum, nec quisquam ex antiquis erat, qui flecti posse videretur.] Dicebant cardinalium numerum maiorem esse, quam oporteret, neque opus nova creatione. Pontifex ultramontanos neglectos fuisse aiebat: oportere ex eis aliquos creari, neque iam disceptandum de assumptione, quae pridem fuisset promissa; de numero, de personis agendum. - Frustra erat omnis in communi suasio; horrebant cuncti verba pontificis, et quasi aspides obturabant aures, ne persuaderi possent, ambigua semper et perplexa respondentes. Tum pontifex seorsum singulos affari cepit; hortari, blandiri, polliceri, terrere atque minari, ut ingenio auditoris convenire putavit.

Obierat per id tempus cardinalis Genuensis, qui Ostiensi ecclesiae puerat; hanc ambiebat Rothomagensis cardinalis, est enim prima inter cardinales dignitas, et cui datum
20 est Romanum pontificem consecrare. Eam petenti Rothomagensi pontifex [ita] concessit, [ut in creandis cardinalibus sibi non esset adversus,] atque [accepta fide] in secreto consistorio Rothomagensem a vinculo, quo tenebatur ecclesiae Portuensi, absolvit, et ad Ostiensem transtulit, moxque Iohannem Sancti Angeli diaconum cardinalem, qui nuper ex Hungaria legatus redierat, nihil tale meditantem ac diu reluctantem eidem Portuensi prefecit
25 episcopum - non sine indignatione aliquorum, qui se tanquam presbyteros et in dignitate cardinalatus seniores preferendos existimabant.

Pius non tam senium et dignitatem in cardinalatu, quam labores et obsequia pensavit, eumque prorsus censuit digniorem, qui cum maiori periculo Romanae militasset Ecclesiae: Iohannem bis in Germania atque Hungaria legatum fuisse, graves subiisse sumptus, negotia
30 sibi commissa diligenter et fideliter absolvisse, vitae sepe periculum adivisse, voluntarium et pronum (semper inventum) pro Christi nomine martyrium pati; nunquam auditum de Romanis pontificibus non digna locutum, uno semper ore Romanae dignitatem Ecclesiae defendisse; cur non iure merito inter cardinales episcopos collocetur? - Vicit sententia Pii, et [more iam pridem non audito Iohannes ex diacono cardinali episcopus effectus est;"] qui
35 hoc allectus beneficio adversari palam Romano pontifici in creatione cardinalium non presumpsit.

Redierat paulo ante ex legatione Germanica cardinalis Nicenus, quem pontifex facile in suam sententiam traxit, [cum postulata sibi quedam non magni [348]

momenti annuisset.] Adductus est et in voluntatem presulis cardinalis Sancti Sixti et Zamorensis et Bononiensis et vicecancellarius; camerarius vero et Columnensis admodum adversabantur veriti, ne Cornetanus episcopus assumeretur; eumque multi horrebant, qui et in Basilea cardinalis fuisset, et avunculo similis crederetur, cardinali Alexandrino, quem
 5 pontifex Eugenius ad necem rapi iussisset in Hadriani Molem. Ursinus et Avinionensis et alii plerique Cornetano admodum afficiebantur, Atrebatensem quasi demonem aliquem abhominabantur; inter quos et Spoletanus fuit, qui etsi adversari voto pontificis non auderet, supplex tamen orabat [pernitiosum et contumacem] hominem ne Sacro Collegio annumeraret; idem et cardinalis Sancti Marci aiebat. Accedebant modo isti modo illi
 10 pontificem, novisque semper criminationibus Atrebatensem insectabantur. Avinionensis vero:

„Audio" - inquit - *Atrebatensem te cardinalem creare velle, hominem temerarium et pernitiosum, cui nulla flagitia non parva videntur. Venalis est et nullius propositi tenax, puerili movetur affectu, et in peiora semper inclinatur; incapax consilii nulli cedit, nullum reveretur; inferiora se omnia ducit, nihil se existimat ignorare; divina et humana iura, tanquam ipse condiderit, ita se nosse putat; inter oratores ac poetas nomen dedit; si de re militari sermo est, quasi Phormio coram Hannibale loquitur; mercator cum mercatoribus, cum venatoribus venator, nauta cum nautis, cum monachis monachus: semper docens, nunquam discens. Quid faciet in Collegio rerum omnium artifex? Putasne, silentium
 15 tenebit, aut aliquem loqui permittet, et non omnibus erit iniurius? Ignem in Senatu pones, et qui te semper rodat, vermem! Infestus erit nobis et tibi; nulla deinceps pax in Collegio, nulla quies; discidia seminabit et factiones nutriet. Inquietus animus est, et nisi me fallit opinio, ex incubo prognatus spiritu. Ego mihi perpetua bella video cum istoc homine, si rubro donetur pileo, nec tu molestia carebis. Poenitebit te, certe scio, postquam feceris, atque »Utinam« - sepe numero dices - »Alano credidisset!« Tu, si sapias, ea cavebis facere,
 20 quae poenitentiam secum afferunt!"*

Ad hec pontifex:

„Certa sunt" - inquit -, „quae dicis, Alane. Novimus hominem; pinxisti eum, qui est. Sed quid agamus? Undique sunt angustiae. Si cardinalem creamus, magnum tibi et ordini tuo bellum inferimus, maius nobis. Assidua cum illo adversus nos erit pugna. Nunquam homini satisfaciamus, nunquam cessabit indigna petere, res pernitiosas in medium afferet et postulabit [impudenter] et urgebit. Nulla dabitur quies. Dicis: poenitebit nos facti. Immo penitet, antequam fiat, nec tamen audemus non facere. Scientes prudentesque foveam fodimus, in quam sumus casuri. Sed quid agas? Atrebatensis doctus vir est et eloquens et
 35 audax, ut dicis, et nunc legatum apud regem Franciae gerit. Ille cardinalatum Atrebatensi optat, idem Burgundus facit. Promittitur abolitio Pragmaticae, qua nihil est Apostolicae Sedi magis contrarium. Adsunt tempora creandorum cardinalium. Si non audimus preces regias, non auferetur Pragmatica de regno Francie. Si se contemptum noverit Atrebatensis, quasi draco deseviet, et omne virus evomet in hanc Sedem. Nosti temeritatem et furorem hominis, et quod est aptus ad persuadendum doctrina multa imbutus, qua facilius in malo,
 40 quam in bono utatur. [349]

Pervertet regis animum, et quamvis multa adversus Pragmaticam dixerit scripseritque, ut est inconstans: non verebitur affirmare contraria, nec deerunt ex Sacris Litteris testimonia, quae pro Pragmatica possit adducere. Nulla tam damnata heresis est, quae
 5 *fomenta non invenerit in Codice Sacro. Scis, quo sunt animo pontifices Galliarum erga Romanam Ecclesiam, et quam inviti Pragmaticam deserunt. Si mutatur Atrebatensis, nemo in parte regis erit Pragmaticae inimicus; mutabitur et rex, [qui alioquin propter Siciliae regnum nobis succenset.] Saepe auditum est magna incendia adversus Ecclesiam excitata fuisse ab his, qui pro sua opinione honorati non fuerunt; [et Sergium propterea*
 10 *Mahumeti consensisse, atque omnem Arabiam, Aegyptum et Syriam a vero Christi cultu avertisse]*

Fatemur periculosum esse Atrebatensem inter cardinales assumere - periculosius tamen negligere, nisi fallimur. Utrunque malum, verum ex duobus malis, quod minus noxium sit, eligere oportet. Patere equo animo, Alane! Futurus Atrebatensis cardinalis est non sine tuo et nostro magno incommodo. Nos oneri subeundo paramus humeros; idem tibi faciendum."

Consensit Avinionensis praesuli, veramque necessitatem adesse confessus est.

Restabat Ursinus persuadendus. Hunc pontifex accersit, et quantis familiam suam honoribus cumulaverit, commemorat, rogatque, ne de creandis cardinalibus adversetur; sic
 20 *futurum, ut episcopus Cornetanus, [Guelfarum partium precipuus assertor et] amicus suus, cardinalis creetur. Cum staret in proposito, nec vinceretur Ursinus: „Sapis" - inquit pontifex -, „ut tibi videris, nimis. Fallit te versatile ingenium et acumen intellectus, quo plus vides, quam oportet. Credis nostra consilia pervertere; decipieris: evanescent cogitationes, que vel nimis profunde sunt, vel nimis subtiles. Nos etiam sine te creabimus cardinales; tu neque tibi neque tuis amicis istoc tuo nimis acuto ingenio consules!" - [Atque ita spretum dimisit;]*
 25 *vocatoque Columnensi et camerario certiores eos fecit, si de reliquis creandis cardinalibus consentirent, Cornetanum postponendum fore. Illi hoc metu liberi - qui nihil magis, quam illum timebant - de reliquis facile annuerunt, ac gratias egere pontifici, qui se tutos ab inimico reddidisset. - Vocatur deinde cardinalis Sanctae Anastasiae, quem [- ut est incapax stultitia rationis -] cum pontifex nullis suasionibus flectere posset, [quasi alienum a mente] contempsit. Post eum cardinalem Sancti Petri hoc modo allocutus est:*
 30 *„Nosti, frater, quae decursa Quadragesima inter nos et Sacrum Collegium de creandis cardinalibus convenere. Prope adsunt quattuor Dominici Adventus tempora, in quis ultimum prefiximus terminum. Promissa est cardinalium creatio atque decreta; de personis et numero nunc agendum. Nos in primis de te confidimus, et si omnes defuerint nobis, te defuturum nunquam putabimus. Annuisti iam pridem desiderio nostro; personas tibi nominavimus, nec ullam recusasti. Nunc opus est, quae nobis promisisti, in consistorio secreto constanter affirmes, atque unum ex his te esse ostendas, qui nostri honoris curam gerunt.*

40 *Creata sunt cardinales Senis omnes Italici, nunc externe nationes honorande sunt. Rex Francie et dux Burgundiae Atrebatensem petunt, alii reges alios. Sine maximo [350]*

dedecore nostro et fortasse sine damno Ecclesiae non possumus negare, quod petitur. Inter cardinales plerique sunt nobis adversi, durae cervicis, quos flectere non possumus; oramus, ne illis te adiungas, qui eo sunt animo. Nostra plurimum interest, postquam ostendimus cardinales velle assumere, ne succumbamus, ne minus posse, quam Collegium videamur, [qua re nihil posset esse ad regni Siciliae negocia perniciosius]. Tu, qui nos amas, nos adiuva!"

Audivit hec torvis oculis cardinalis Sancti Petri, tandemque ita respondit:

„Dubitavi iam dudum, pontifex, me tibi odio esse. Nunc certa res est, quando id ex me petis, quod nequeo sine divina contumelia prestare. Cardinales absque urgente causa creare novos pro tua libidine paras, nec iuramentum pendis, quod in conclavi et ante assumptionem et postea Sacro Collegio prestitisti: cardinales scilicet te minime creaturum, nisi consentiente maiori parte Collegii, et secundum Constantiensis decreta concilii. Nunc nec ordinationem synodalem [pensitas], nec consensum Collegii requiris, et me tuae cupiditatis astipulatorem vis facere. Non possum, nescio blandiri, adulationes odi. - Si verum potis es audire: nihil mihi placet, quod in hac Curia geritur. Corrupta sunt omnia, nemo suo satis officio facit; nec tibi nec cardinalibus Ecclesiae cura est. Quae observantia canonum? Quae reverentia legum? Quae diligentia divini cultus? Ambitioni et avaritiae omnes student. Si aliquando in consistorio de reformatione facio verba, irrideor. Frustra hic sum; indulge, ut abeam! Non possum ferre hos mores! Quies iam seni necessaria est. Ibo in solitudinem, et quando rei publicae non possum vivere, vivam mihi." - Quibus dictis illachrimatus est. Tum pontifex:

„Falsus estimator es" - inquit -, „Nicolae, qui te nobis odiosum putas. Postquam te novimus in Basilea, nunquam non amavimus doctrina et moribus tuis honestissimis oblectati. Nec nunc ex te querimus, quod non possis honeste facere. Cardinalium creatio tam necessaria est, quam utilis Apostolicae Sedi Pragmaticae Sanctionis abolitio. Nisi cardinales hoc tempore creaverimus, non auferetur Pragmatica de regno Franciae, et magnum aliquod malum neglectus Atrebatensis excitabit; et satisfaciendum est nationibus exteris, quae in proxima creatione posthabita fuerunt. Iuramentum commemoras, quod in conclavi prestitimus, et quasi contemptum religionis impropere. Impie agis, qui etiam clam nobis hoc ipsum inculcas auditoribus, nec tui principis honori consulis. Absit a nobis iuramenti violatio! Nihil est, quod tam formidemus. Dicis consensum Sacri Collegii in creandis cardinalibus nos minime querere. Si ita esset, non fuisset te opus adloqui. Conati sumus persuadere desiderium nostrum toti Collegio; quod si non datur, satis fuerit maiorem partem nobis assentiri ad observantiam iuramenti. Et iam certi sumus numerum sufficere. Voluissemus cunctorum suffragia concurrere, ac tuum precipue, quod magni facimus. Quod si te non poterimus flectere, [poterimus contemnere], et sine te licebit creare cardinales!

Nec tu nobis obieceris ordinationem concilii in Constantia editam, quam reris a nobis esse iuratam! Evolvimus decretorum codicem: nunquam in Constantiensi concilio, dum sedit, ordinatio de creandis cardinalibus edita est. Collocutiones quaedam intervenerunt, et scripta fuerunt aliqua memoriae causa; verum nunquam decreti formam acceperere, quamvis postea Martinus Quintus cum quattuor nationibus - [351]

Germanica, Gallica, Hispanica et Anglica - de creandis cardinalibus ordinationes nonnullas, et quidem diversas statuerit, que appellavit Concordata, et ad quinquennium dumtaxat durare voluit. Cum natione Italica, que pre ceteris honoranda fuerat, et cui preiudicari non debuit, nihil convenit. Non est igitur, quod vel numerum cardinalium, vel
 5 *qualitates ex decreto concilii requiras, quod nusquam invenitur. - Possemus et de iure iurando aliquid dicere: an obliget pontificem maximum publicae utilitati contrarium, et an fuerit dispensabile. Sed omittimus, quando adversus iuramentum nihil molimur.*

Illud vero in te maxime reprehensibile ducimus, quod iccirco ex Curia vis abire, quia non recipiuntur consilia tua. Superbia hec est et intollerabilis arrogantia! Nimis tibi de te ipso
 10 *credis. Achitophel videris secuturus exemplum, qui spreto consilio suo laqueo se suspendit. Quasi Apollinis aut alicuius Sibyllarum existimatum iri tua responsa censes, nec reiicienda quovis modo consilia iudicas, et mavis non consulere, quam frustra consulere. Dicis nullum esse, qui suo satis officio faciat, nec intelligis te procul ab officio tuo recedere, [et delyrare et insanire prorsus,] qui propterea fugiendam Curiam arbitraris, quia non semper est tuo*
 15 *consilio locus. Nec boni nec prudentis viri officium implet! Cardinalis est ea consulere, que putet rei publice convenire; si auditur consilium, gratias agere Deo, quod recte consulit; si reiicitur, suam potius, quam principis ignorantiam accusare, et semper deliberata probare ac iuvare. Temerarium est suum iudicium aut principi aut maiori parti Senatus praeferre.*

Reprehendis cuncta, quae fiunt in hac Curia; nec nos cuncta laudamus. Non est tamen
 20 *tua censura; nobis, non tibi commissa est Petri Navicula! Tibi necesse est recte consulere, at nos sequi consilium tuum, nisi optimum videatur, nulla necessitas urget. Nostro periculo aut stat aut cadit Ecclesia. Te de consilio rationem reddere oportebit, nos de regimine. Cura, quae tua sunt, aliena relinque! Cardinalem te scito esse, non papam!*

Putavimus te hactenus sapientem esse. Hodie tui dissimilis visus es et animo inconstanti [ac multivolo]. Petis abeundi potestatem. Non damus! Non auscultamus [furori tuo.]
 25 *Paterne agimus, nolumus stulta petenti concedere. »Solitudinem« - inquis - »et quietem extra Curiam investigabo.« Et quis tibi locus quietis erit? Querenti pacem insatiabilis animus relinquendus est, non Curia fugienda! Ex animo omnis inquietudo tua est: quocunque ieris, novas ille turbas afferet. Nusquam tranquillus eris, nusquam ocium*
 30 *invenies, nisi cupiditati modum imposueris et animo frenum! Ito in domum tuam, et postridie de recessu - si placebit - nos commonito!"*

Flebat loquente pontifice Nicolaus, et ab imo pectore aegra trahebat suspiria. Post finem tacitus assurgens merore ac rubore plenus per medios cardinales, qui erant in anteriori
 35 *cubiculo, nihil locutus et flenti similis in domum suam se recepit. Deinceps mitiorem imbuit animum, multumque [stulti] rigoris amisit, nec inutilem prorsus pontificis correctionem ostendit.*

Cardinalis Sanctorum Quattuor Coronatorum saepe et multum a Pio rogatus, ut de cardinalibus creandis suam sibi sententiam patefaceret, nunquam certa respondit, ut qui neque se ipsum intelligeret, nec alieno consilio crederet, nec de suo satis confideret. [352]

At cum pontifex maiorem cardinalium partem ad se traxisset, certusque esset suos, quos accersiverat, sibi non defuturos, contempsit reliquos; congregatoque Collegio secunda feria ante quatuor Adventus tempora de cardinalium creatione sermonem habuit, et numerum exposuit, et personas nominavit. Respiciebant cardinales taciti alter alterum, et cum ex ipsis vultibus intelligerent summo pontifici annuendum esse, quoniam plures iam persuasi fuissent, nemo ausus est adversari; cuncti laudavere nominatos, atque in eorum creatione consensere. - Cardinalis Sancte Anastasiae, qui pre ceteris [tanto] durior fuerat, [quanto minus prudens], postquam mutari eos animadvertit, qui sibi constantiam persuaserant, inter paucos seorsum: [„Plures"] - inquit - ["proditores sumus, quam cardinales!] *Ruat iam haec dignitas, quando ita placet! Ego, si trecentos adiungere nobis viros pontifex statuerit, non adversabor!"* - Ursinus pontificem adiens: „Si vis" - ait -, „facile Cornetanum pronuntiatis cardinalem; neque enim suffragia desunt." - Ad quem pontifex: „Noluisti, cum volumus; et nos modo, [cum velis,] nolimus!" - [atque ita delusum reiecit.]

Cumque placuissent omnibus nominati, non expectavit pontifex sextam feriam, in qua pronuntiari cardinales consuevere, sed statim annuente ac requirente Collegio pronuntiationem fecit, iussitque in diem, quae prope aderat, eiusmodi solemnitati statutam silentio tegi.

Cardinales ex Italicis creati sunt Bartholomeus archiepiscopus Ravennas, qui iam pridem in regno Siciliae legatum gesserat, doctrina, consilio et morum integritate conspicuus; Iacobus episcopus Papiensis, natione Lucensis, privilegio Senensis, et ab ipso pontifice, qui dexteritatem ingenii dilexisset, Picolominea donatus familia; Franciscus, Mantuani principis filius, nondum XX-ti natus annos, verum corpore, quod longe maiorem prae se ferret aetatem, et gravitate ac prudentia prope senili; illi ad titulum presbyterii assumpti, hic ad diaconatum. Ex Gallicis Iohannes episcopus Atrebas, cuius egregias doctrinae, ingenii ac divinae quodammodo memoriae laudes avaritia demum cognita et ambitio [et nunquam sibi constans animus] fedavit; Ludovicus Labreteus, ex regio Francorum sanguine ortus, placide conversationis, et cuius vita generi conveniat. Ex Hispanis Iacobus episcopus Urgellensis, (ex) domo Cardonea, litteris et moribus ornatus, cuius maiores ad regni quondam fastigium pervenere; his tituli presbyterorum assignati.

Ceperat iam pontificem vexare cyragra atque ardore urgere intolerabili; propter quod publicatio cardinalium in consistorio patenti sine ipso facta est; cardinalis Nicenus de laudibus eorum verba fecit. Digna creatio iudicata, quae de viris excellentibus facta esset, et qui possent Ecclesiae prodesse vel suo ingenio vel amicorum auxilio. Nec minus collaudata est prudentia pontificis, [qui adversantium cardinalium conatus perfregisset, victorque sibi Collegium subiecisset; nec deinceps dubitandum sibi esset, quin pro sua voluntate Senatam duceret, cuius partem iam circiter mediam ab eo creati constituerent.] - Ex creatis noviter cardinalibus unus tantum aderat: Iacobus Lucensis, cui pontifex lectulo decumbens sua manu vel egrota rubrum galerum imposuit. [353]

Ravennati et Urgellensi aulici pontificis pileos tulere, reliqui postea Curiam petentes pro more hisdem insignibus honestati fuerunt.

10. De extinctione Pragmaticae et ense Gallorum regi donato

5

Inter haec Ludovici regis Franciae litterae afferuntur, quibus iam damnata ac sublata penitus Pragmatica Sanctio nuntiatur. Quas cum pontifex in consistorio recitasset, non potuit lachrimas pre gaudio continere, cum se tandem sedente perniciosum virus ab Ecclesia remotum cerneret, et suo tempori datum Gallicae nationis obedientiam ex integro ad Romanam Ecclesiam redire. - Rediit et Antonius Noxetanus et novas attulit litteras, quibus idem confirmabatur, petebaturque magnopere Atrebatensem creari cardinalem. Pontifex creatum rescripsit, et cum eo simul Labretum, ut integrum esset regi gaudium, qui pro sua religione duos cardinales meruisset obtinere. Remisit et Antonium, qui ensem sacra Nativitatis Dominice nocte sacrarum dono regi afferret vagina inclusum ornata, gemmis et auro atque his versibus inscriptum:

10

15

*„Exerat in Turchos tua me, Ludovice, furentes
dextera, Graiorum sanguinis ultor ero.*

20

*Corruet imperium Mahumetis et inclyta rursus
Gallorum virtus te petet astra duce."*

11. Sigismundi Pandulfi heresis et damnatio atque exustio, Beneventanisque depositio

25

Pius interea accersito consistorio cardinalem Sancti Petri, quae de Sigismundo Malatesta invenerit, referre iubet. Is causae documentis inspectis constare asserit Sigismundum plane hereticum esse, qui resurrectionem mortuorum inficietur, et animas hominum mortales fore testetur, nec de futuro regno quicquam speret; homicidia deinde, stupra, adulteria, incestus, sacrilegia, periuria, prodiones et infinita propemodum turpissima et atrocissima scelera eius probata; nec dubium, quin summo supplicio dignus sit. Interrogantur sententiae cardinalium: cuncti damnandum censent. Fit publice iudicium, damnatur reus, qui maiestatem Romani presulis laeserit, atque impia de Christiana religione presumpserit affirmare, vitamque omni flagitio et turpitudine fedatam duxerit. Privatatur vicariatu et omni dignitate atque honore, hisque poenis subiicitur, quas in hereticos et supremae maiestatis reos humanae leges statuerunt.

30

35

Interea pro gradibus basilicae Sancti Petri ex arida materia ingens pyra extruitur, in cuius summitate imago Sigismundi collocatur, [perversi ac nefandi] hominis liniamenta et vestimenti modum adeo proprie reddens, ut vera [354]

magis persona, quam simulacrum videretur. Ne quem tamen imago falleret, scriptura ex ore prodiit, quae diceret:

«Sigismundus hic ego sum Malatesta, filius Pandulfi, rex proditorum, Deo atque hominibus infestus, Sacri censura Senatus igni damnatus.»

5 Scripturam multi legerunt. Deinde astante populo igne immisso et pyra et simulacrum repente flagravat. [Hanc Pius notham impio Malatestarum inussit generi.]

Per idem tempus et Iacobus archiepiscopus Beneventanus - de quo supra locuti sumus -, quoniam proditor esset in Apostolicam Sedem, et beneficia ecclesiastica sacrosque ordines venderet, et falsam pecuniam cuderet, depositus est, eique substitutus Alexius natione 10 Senensis, ex Clusina ecclesia ad Beneventanam translatus, vir probus et amicus pontifici, et qui olim Aeneam sacro presbyteratus ordine initiavit.

12. Aluminis inventio maximusque proventus

15 Paulo ante id temporis Romam venerat Iohannes Castrensis, pontifici iam pridem notus, cum Basilee negociaretur. Huic pater fuit Paulus, iure consultus sui temporis clarissimus, et qui cathedram multos annos Patavi rexit, atque omnem Italiam consiliis implevit, cum frequentes ad eum litigatores concurrerent, et iudices eius auctoritati multum tribuerent, cuius doctrina solida et sine dolo esset. Reliquit moriens plurimas opes et duos filios iam 20 aetate provectos, quorum senior patris studia sectatus est non illaudatus iuris interpres, alter mercature se tradidit, in qua - ut est fortuna fallax - aes alienum grande contraxit; propter quod - cum tuto alibi esse nequiret - ad Pium pontificem se contulit, cui esset compaternitatis federe iunctus, ab eoque litteras impetravit, ut sine molestia creditorum in terris Ecclesiae morari posset. Ingeniosus hic vir fuit, et qui litteris melius, quam mercature 25 studuisset: didicit grammaticam, historias pervolvit, verum nulli rei tam accurate operam impendit, quam astronomie et prophetarum interpretationi ac minerarum inquisitioni - tanquam his artibus mercaturae detrimenta resarcire aliquando posset. Nec fefellit eum opinio. Dum montes collesque cunctos percurrit Ecclesiastici Patrimonii, atque in viscera terrae naturae secreta rimatur, nec glebam nec saxum relinquit intactum, tandem in agro Tolfano 30 aluminis lapidem repperit.

Tolfa vetus oppidum est duorum fratrum Ecclesiae Romane subditorum, non procul a Centum Cellis et Urbe Vetula; hic montes alti a mari introrsus recedunt silvis et aquis fecundi. Per quos dum Iohannes ambulat, novam herbe faciem offendit; miratur, inquit, deinde certior fit similem nasci herbam in montibus Asiae, qui Turchorum aerarium alumine 35 ditant. Videt lapides albos et qui minerales apparent; mordet: salsedinem repperit; excoquit, experimentum facit: alumen producit; accedensque pontificem: [355]

„Hodie" - inquit - tibi victoriam de Turcho offero! Aureorum supra trecenta milia quottannis ille a Christianis extorquet propter alumen, quo diversis coloribus lanas inficimus, quia non reperitur apud Latinos, nisi paululum apud insulam Hisclam, quae olim Aenaria dicebatur, Puteolis vicinam, et in Lyppareo Vulcani antro, quod a Romanis olim exhaustum propemodum defecit. At ego septem montes inveni adeo huiuscemodi materiae fecundos, ut septem orbibus sufficere possint. Si iubes accersiri artifices, apparari fornaces, excoqui lapides, Europeis omnibus alumina ministrabis, et omne Turchi lucrum deficiet, quod tibi additum duplicato damno illum afficiet. Materia et aqua abunde suppetit, et portum habes propinquum in Civitate Vetula, in quo naves onerentur in Occidentem navigature. Licebit iam tibi adversus Turchos bellum instruere: haec tibi minera nervos belli administrabit et auferet Turcho - hoc est: pecuniam."

Delyramentis similia visa sunt Iohannis verba; Pius somnia existimavit et inanes astronomorum fabulas, idemque cardinales omnes arbitrati sunt. -Iohannes, quamvis saepe irrisus atque reiectus esset quasi nugator ac vaniloquus, a proposito tamen non recessit, nunc hunc nunc illum interposuit, qui sibi pontificis aditum iterum atque iterum aperirent, coram quo posset experimentum inventi lapidis facere. Pontifex rerum peritos advocavit; illi veritatem aluminis probavere. De lapide quaesitum est, ne fraus inesset. Missum ad mineram, et inventa eius lapidis ingens vis. Vocati sunt artifices ex Genua, qui aliquando in Asia Turchi alumina tractavere. Ii, cum loci naturam inspexissent, per omnia similem esse dixerunt Asiaticis montibus alumen ferentibus, et prae gaudio illachrimati ter quaterque genua flectentes Deum adoravere, eiusque pietati benedixere, qui tantum donum nostre contulisset aetati. Decoxere lapides, et alumen multo prestantius ac pulchrius exiit, quam illud Asiaticum. Missum est et ad Venetos et ad Florentinos; factum periculum; res ipsa opinionem superavit. Et primi Genuenses pro viginti milibus aureis mercatum fecere; postea Cosmas Medices quinque et septuaginta milia auri nummum in eam rem contulit; atque tantum prior annus attulit preter opinionem omnium. Propter quod Pius Iohannem dignum censuit, quem singularibus prosequeretur honoribus, et cui statuam erigeret in patria, in qua scriptum esset: "Iohanni Castrensi, aluminis inventori", nec sine parte lucri dimissus est. Fratribus Tolve dominis, in quorum fundo minera reperta est, immunitates date et pars quota emolumenti concessa.

Haec divino munere sub Pio pontifice maximo Ecclesiae Romanae accessio contigit, quae si - ut par fuerit - tyrannorum manus evaserit et caute administraretur, in dies augescet, et Romanos pontifices ad ferenda Christianae religionis onera non parum adiuvabit. - Nec defuere, qui rem versibus celebrarent; inter quos et Campani hoc epigramma ad Pium extat:

„Esse tuos celos tantum qui dixerit, errat
deque Pii longe fallitur imperio:
ipsa etiam tellus, quod habet, tibi contulit et se
prebuit eruptis prodiga visceribus. [356]

*Parte alia raucum aes aliaque excussit alumen,
datque alio argentum tertia vena loco.
Abdita telluris gremio hec latuere tot annos
et soli domino nunc patuere suo.*

5 *Tu, quod nunc auri restat, ditissima tellus,
ne furti rea sis, hoc quoque redde Pio!"*

**13. Atrebatensis instabilitas et Ludovici legatio dignissima, eorumque oratio,
ac Pii responsum, et de Pragmatice extinctione laetitia**

10

Creatis - ut relatum est - cardinalibus Atrebatensis, postquam se navigare in portu cognovit, nec sibi de quesita nimium dignitate ambigendum, quae prius tacuerat de Ludovici animo ad res Siculas, scribere cepit: filiam regis parvulam Iohannis Andegavensis filio, Rhenati nepoti fere coetaneo desponsatam esse; genero Regnum optari; facturum omnia Ludovicum, ut Ferdinandum e solio pellat; pontifici non ex usu fore Francorum familiae adversari; auxilia, quae Ferdinando missa fuissent, revocanda: sic regis animum placari posse, et Pragmaticam Sanctionem certissime sublatum iri.

15

20

Afferebantur et Interamnensis episcopi frequentes litterae, qui postquam ex Anglia discesserat, ad novum regem in Franciam se contulerat. Is locutum se semotis arbitris cum Ludovico scribebat, cuius ea sententia esset: ita demum Pragmatice Sanctioni finem imponere, si de regno Siciliae mos ei gereretur; cupere genero Regnum; Ferdinando, que princeps Tarentinus possideret, relinquere posse, et ne regni titulum amitteret, Sardiniam adiici; Antonio, pontificis nepoti Calabriae partem donari; Ecclesiae Romanae sua iura servari: sic regem pacis causa statuisse. Hortari ergo episcopus, ut ea fierent, quae magno regi placerent; sic Pragmaticam morituram fore, et Romanam Curiam ad splendorem pristinum reverteram; alioquin regem cum Venetis federa initurum, ingentes copias per Sabaudiam in Italiam missurum, Mediolanensi bellum illaturum, cui necesse fuerit exercitus e Regno revocare; remansurum cum Ferdinando solum in bello Pium sub tanto pondere periturum. - Et quae pontifici scripsit, eadem Francisco Mediolanensi crebris litteris inculcavit.

25

30

Timuit ea Franciscus, et misso Prospero Camulio, viro docto, et qui dudum in Gallia versatus esset, cum Pio de summa rerum consultavit. Pius contemnenda Interamnensis episcopi scripta censuit, qui se ultro ingressisset ad res non sibi commissas; de regno Siciliae que significasset, sua, non regis esse inventa; expectandos Ludovici oratores, qui propediem venturi essent; hos certam eius mentem allaturos; tum consilium captandum, neque fugiendum hoste non viso. Placuit Francisco deliberatio.

35

Ludovicus paulo post legatos ad pontificem ire iussit: Ricchardum Constantiensem et Iohannem Atrebatensem cardinales, quos secuti sunt Andegavensis [357]

et Sanctonensis episcopi et abbates aliquot et proceres nobilissimi, quorum princeps fuit Petrus comes Calvi Montis, moribus et aetate gravis; fuerunt et doctores et secretarii nonnulli regis inter oratores adnumerati. Preclara legatio et digna rege, quae magno equitum numero et longo famulorum ordine cum dies multos in itinere absumpsisset, tandem tertio
 5 Idus Martii Romam ingressa est [occurrente cardinalium Collegio] propter cardinales, qui missi a rege venerunt. Consistorium deinde publicum habitum in palatio apostolico. Legati solemni pompa ad palatium ducti; pontifex in maiestate sedit in alto solio; cardinales solita tenuerunt scanna; episcoporum et notariorum ordo ad scabellum pontificis pro more locatus; cetera multitudo, quae aderat frequentissima, aut stetit aut in terra sedit id spatium
 10 occupans, quod cardinales inter et pontificis tribunal fuit. Legati regis, postquam pontificis pedes exobsculati sunt, et regias litteras reddiderunt, a tergo cardinalium e regione pontificis sortiti locum atque ibi stantes iussi, que vellent, dicere.

Ibi Atrebatensis de nobilitate Francorum, de regni gloria atque amplitudine, de Gallorum viribus, de Ludovici prestanti virtute, de Pragmatica Sanctione -quo pacato regnum Franciae
 15 invasisset, et quomodo illam Ludovicus eliminasset - longam orationem habuit, ac publica documenta exhibuit, quibus constabat Ludovicum regem ex omni regno ac ditione sua Pragmaticam Sanctionem eiecisse, illamque protinus extirpasse et ad nihilum redegisse, obedientiamque Romanae Primaeque Sedi ac Pio pontifici tanquam Iesu Christi vicario veram et integram restituisse denuoque restituere; esset enim Ludovici animus pontificis
 20 filium gerere, atque ab eius voluntate nutuque nunquam discedere. Fecit et de Turchis mentionem, quorum gladius non sine magno catholicae fidei periculo Christianis cervicibus immineret; cogitare Ludovicum de tutela religionis: si regnum Siciliae Andegavensi familiae pateat, et Genua Gallicum subeat iugum - ut par esset -, missurum in Greciam contra Turchos equitum XL milia, peditum, qui arcubus utantur, milia XXX-ta; qua manu facile
 25 possit Mahumetes ab Europa deturbari, et iterum Syriam cum sacrosancto Christi sepulchro recuperari. Multaque circa hec magnifice [et ambitiose magis, quam vere] locutus est ampullosa miscens verba, [Gallicas vanitates] et aperta mendacia [impudenti facie] pro veris affirmans.

Pontifex, postquam Atrebatensis expectatum et diu desideratum finem fecit, legationem
 30 regis et pium animum multis verbis collaudavit; regni Franciae originem exposuit et regum gloriosa gesta; multa de Ludovici virtute, multa de Pragmatica Sanctione locutus - quae et ipsa inter orationes eius scripta est. [De superstitiosa et conficta atque inani oblatione LXX-ta milium pugnatorum paucissima dixit, ne approbare nugas videretur. - Auditus est pontifex summa omnium attentione - tanquam pro tedio, quod in audiendo Atrebatensi contraxerant,
 35 refici viderentur. Audiunt homines inviti gloriabundos, nec aperta mendacia et vana grandiloquia sine molestia ferre queunt; veritas commode dicta benivolos invenit auditores. Atque hinc factum est, ut Atrebatensis oratio longissima, pontificis brevissima videretur.] [358]

Qua finita Pius Atrebatensem ad se iussit accedere, atque in eodem consistorio rubrum pileum capiti eius imposuit, et inter cardinales sedere mandavit. Indixit et triduo iustitium, et supplicationes per omnia templa fieri, et pompas sacrorum per Urbem duci. Dimisso
 5 consistorio universa Curia et Urbis populus exultavit; ad noctem lucere ignes, canere tube, campanae resonare omnes, saltare iuvenes, choros ducere, cantare, viri ac senes inter sese gloriari, qui priusquam morerentur, sublatam Pragmaticam vidissent; laudare pontificem, cuius tempori id donum datum esset; regem extollere, cuius mentem tanta incessisset pietas; tanto res videri dignior atque admirabilior, quanto minus sperata fuisset. Neque enim
 10 quisquam erat, qui post quattuor et viginti annos inveteratum Pragmatice morbum sub Pio pontifice auferri posse confideret; satis consultum iri Apostolicae Sedi existimabant omnes, si malum non ingravesceret.

14. De concertatione regni Siciliae et indutiarum

15 His ita peractis accedentes pontificem legati regii de regno Siciliae longam faciunt querelam: id olim a Romanis presulibus propter obsequia, quae accepissent, domui Franciae datum; multo sanguine quesitum Aragonenses violenter intrasse; Apostolicam Sedem non tam Hispanis, quam Gallis obnoxiam indigne agere, si illos preferat; misisse Pium auxilia Ferdinando adversus Rhenatum iniuste actum: deinceps revocanda fore; id Ludovicum
 20 petere; non indignum audiri, qui Pragmaticam abstulerit et adversus Turchos tam validum exercitum obtulerit.

Pontifex de meritis Francorum erga Romanam Ecclesiam deque gentis gloria nihil se demere ait; nec de Regni iure velle disserere, cuius esset certissimus iudex, et quod sepe Francis obtulisset in principio sui apostolatus; Ferdinandum integrum Regnum possedisse
 25 concessione apostolica, a possessore patre haeredem institutum; petivisse Regni proceres atque omnem Italiam coronam possessori tradi: fuisse traditam ex decreto Senatus; cum Mantuae conventus ageretur tuende religionis causa, Andegavensem inconsulto pontifice naves, quas cardinalis Avinionensis ex pecunia Ecclesiae comparaverat adversus hostes fidei mittendas, invasisse atque ex his classem instruxisse, qua in Campaniam missa Regni pacem
 30 perturbaverit, Ferdinandumque magna ex parte sui regni eiecerit; decuisse Pium suppetias ei mittere contra violentiam, ne rex a se constitutus incognita causa destitueretur; non se Francis Aragonenses, sed aequitatem [iniquitati] preferre [et arrogantie modestiam]; subtracturum haud rogatum auxilia de Regno, si cessantibus armis res ad iudicium redigatur; sed cur tantopere parva presulis auxilia avocari de Regno petantur, si armatorum
 35 septuaginta milia facile regi est - ut Atrebatensis asseruit - per Italiam contra Turchos in Greciam atque Asiam mittere? Instruantur hae copiae, atque [359]

Alpes transire incipiant, et omnes cedimus ei; tum Genua regi patebit, et nulla de Regni adeptione mora fiet.

5 Multa in hunc modum utrinque iactata sunt. Postremo, cum nihil ex pontifice nisi honestum extorqueri posset, super induciis faciendis hoc modo conventum est: ait pontifex placere sibi inter contententes de Regno inducias modis convenientibus fieri in eum finem, ut illis durantibus aut amicabile tractatu aut iudicio lis sopiretur; atque in hunc sensum pluribus verbis scripta cedula ad regem missa est, ut - si vellet - de tempore et de modis convenire posset.

10 Inter oratores regis Andegavensis et Sanctonensis episcopi - cum se conversos ad Apostolicae Sedis reverentiam, cuius antea persecutores fuerant, verborum artificio et frontis impudentia simulassent, errorum veniam petivissent, lachrimas emisissent, ingentes Deo gratias reddidissent, qui se tandem e tenebris abstraxisset Pragmaticae Sanctionis, et ad candidam lucem apostolice veritatis perduxisset - quecunque voluerunt, impetravere, atque onusti gratiosis indultis in patriam reverterunt. [Sed parva eorum in recto tramite constantia fuit: brevi ad ingenium rediere, atque ut canes vomitantes et in Apostolicam Sedem latrantes, cum mordere non possent, venenosa passim verba disseminarunt.]

15. Bohemorum legatio et eorum hereses ac petitiones insane, Pique responsum

20 Circa hoc tempus legati Georgii regis Bohemiae Romam venere, quorum principes fuerunt Procopius Rabesteynus et Sdenco Cosca, inter barones regni memorabiles. Procopius iam pridem pontifici, cum in minoribus ageret, notissimus fuerat et amicitia singulari coniunctus et in pluribus legationibus socius, cum ambo imperatoris consilarii fuissent. Propter quas res percupide amicum veterem Pius complexus est et donis non vulgaribus prosecutus. Cosca inter paucos regi acceptus erat, eius perfidiae comes; Procopius nunquam a fide catholica deviaerat. His duo sacerdotes additi fuerunt lingua prompta et Hussitarum insanie audacissimi assertores. Honorati sunt tanquam oratores catholici regis, et in auditorio publico auditi. Procopius nomine regis obedientiam prebuit. Alter ex presbyteris voce sonora atque oratione precipiti conventa Bohemorum cum Basiliensi concilio - quae vocant *Compactata* - confirmari Apostolicae Sedis auctoritate petivit; id regem cupere, id regnum expectare; id nisi concedatur, pacem inter Bohemos esse non posse. De communione utriusque speciei multa disseruit, et quasi sanctam divinamque appellavit, tanquam sine illa non esset salus.

35 Pontifex obedientiam regis benigne amplecti se ait, veram et integram esse confidens; quale olim fuisset Bohemie regnum, quam dives, quam floridum ac religiosum, deinde quantum decidisset, exposuit; ut corruissent altissima [360]

palatia, nobilissima templa, amplissima monasteria, regnum ad inopiam ac miseriam pervenisset: id hereses peperisse et ab Ecclesia Romana recessum; voluisse Bohemos aliquos plus sapere, quam oporteret; peregrina dogmata introduxisse, eripuisse sacerdotibus temporalia bona, tanquam nihil possidere eis liceret, qui essent de sorte Domini; tunc articulum inventum, quem *De civili dominio* vocant, quod sacerdotibus prohibitum asserunt; dixerunt et verbum Dei alligatum non esse, licereque passim omnibus predicare; delicta vero publica nulla ferenda, neque magisterium cuiuspiam tolerandum, quem constaret mortali culpa irretitum; tum quoque in lucem venisse communionis articulum, quem vocant *utriusque speciei*, et necessarium existimant ad salutem; cuius non Iohannes Hus aut Hieronymus Constantiae cremati aut doctor aliquis excellens divinae legis interpret inventor fuerit: Iacobellum quendam grammatici ludi magistrum eius erroris fuisse repertorem, qui cum legisset apud Iohannem: „*Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*”: - „*Quid agimus?*” - inquit. - „*Illudunt sacerdotes nobis, paradisi portas claudunt, dum sanguinem nobis prohibent. Soli ad vitam ingredi volunt!*” - Auditus est ab indoctis, crediderunt imperiti salvari neminem posse, nisi sub specie vini de calice biberent; et doctore atque auctore Iacobello effectus articulus, qui diceret communionem sub utraque specie ad necessitatem salutis pertinere; cuius contrarium in Basiliensi concilio declaratum est. Dixit et quomodo Compactata ab eodem concilio indulta fuissent, et quales intercessere conditiones, et ut Bohemi impositas sibi leges neglexerunt, communionem utriusque speciei his tantum indultam fuisse ex regno Bohemiae et marchionatus Moraviae, qui eius usum antea habuissent, et qui eam desiderarent; ipsos vero etiam infantibus calicem tradidisse et invitos compulisse de calice bibere; sacerdotes iussos dicere verba quedam populum sub utraque specie communicantes minime paruisse; conventa mille modis a Bohemis fuisse violata; frustra vocari amplius Compactata, que vim habere desivissent; verum quod rex peteret, in consultatione cum fratribus agitandum. - Atque ita dissoluta est contio.

Post haec sepe legati ad pontificem vocati sunt, et cum selectis cardinalibus auditi, si qua posset inveniri via, qua regnum Bohemiae ad unitatem rediret Ecclesiae, et ceteris Christianis conforme fieret. Procopius, cum esset catholicus, ab honesto nunquam recessit; reliquis nulla potuit honestas persuaderi,³ nisi Compactata confirmarentur, Bohemicam gentem haudquaquam posse quiescere affirmantibus. Ob quam rem necesse fuit publice postulatis publice respondere.

Accersito consistorio pontifex pro tribunali sedit, ac de Compactatis locutus ea ex multis capitibus desiisse monstravit; exin non posse indulgeri sine magno periculo, que peterentur; postremo regem in sua coronatione obediturum se Romano pontifici iuravisse; oportere eum, si animae curam gereret, Apostolice Sedis mandata suscipere, que huiusmodi essent: ut iam tandem dimissa utriusque speciei communionem Romane et universalis Ecclesiae cum familia et subditis [361]

omnibus se coaptet; nisi fecerit, regnum eius stare non posse. - Oratio praesulis hunc sensum continens inter alias scripta est. Qua finita et consistorium finem habuit.

5 Legati Bohemorum ad interius admissi cubiculum gratias pro responso egere, idque se fideliter relatores in Bohemiam dixere, petentes aliquem mitti secum, qui presens esset, cum regi fieret relatio, et qui mandata pontificis - si videretur - latius explicaret, suaderetque regi, ut Apostolicae Sedis mandata suscipere.

10 Fantinus erat in Curia prestabilis iure consultus, natione Dalmata, et qui regis Bohemiae procuratorem gesserat; hunc petentibus legatis haud denegandum pontifex censuit. Missus cum eis est, ut quae acta essent Romae, non regi solum, sed baronibus quoque fidelibus in Bohemia nota faceret, si qua fortasse legati subtraherent.

15 In ipso recessu querelam Cosca fecit, quod cum veniret ad Urbem, in Sutrio unus ex domesticis suis, vir nobilis, cum pro more accinctus gladio per oppidum incederet, a preside fuisset interceptus, et coniectus in carcerem male habitus. Pontifex re cognita Antonium Sarracenum, aulicum suum Sutrium misit, qui presidem in vincula coniectum transeuntibus illac Bohemis exhiberet; quod factum est. Bohemi captivum everberatum dimisere - benignitate pontificis erga se barbaram usi, [quamvis non indigna Tyburtinus pertulit; ex Tybure enim illuc preses fuerat missus.]

20 **16. Consultatio de re publica Christiana, et Pii salutare consilium**

Sub hoc tempore Pius assumptis ex Collegio sex cardinalibus seorsum, in quibus plus fidei ac consilii esse arbitratus est:

25 "*Existimatis*" - inquit - "*fortasse, fratres, quod plerique omnes: rem publicam neglectui nobis esse, qui postquam e Mantua rediimus, de propulsando Turchorum impetu deque tuenda religione neque preparamenta fecimus neque verba, quamvis urgerent hostes in dies magis. Tacuimus, non imus inficias; nihil egimus adversus inimicos Crucis, palam est. Verum taciturnitatis nostrae causa desperatio quaedam fuit, non negligentia. Facultas, non animus defuit. Cogitavimus sepe numero, Christianas vires an cogere in Turchos ista vel illa via possemus, et Christianae plebi consulere, ne fieret tandem praeda Turchorum. Noctes meditando plurimas insomnes duximus, et nunc dextro incumbentes lateri nunc sinistro, infoelices nostri temporis deploravimus casus. Pudebat nos nihil agere, cum Turchi inde Pannoniam hinc Dalmatiam bellis assiduus amplius et amplius urgerent, atque ubi vellent gentium, ferocius grassarentur. Videre videbamus cunctorum in nos ora conversa, nobisque tanquam negligentibus allatrare, qui pereunti evangelicae legi non afferremus opem, et quasi marcentes otio Christianum nomen ruere sineremus. Turgebat animus, et quodammodo senilis fervebat sanguis [commota bile]. Iam iam bellum placebat Turchis indicere, atque omni conatu pro religione contendere. [362]*

Sed cum vires hinc nostras metimur inde hostium, non est Romana Ecclesia, quae suis
 opibus debellare Turchos queat. Nemo, qui sapiat, fortiorem bello lacessit: aut superiorem
 aut certe parem esse oportet, qui pugnam eligit. Nos Turcho multo inferiores sumus, nisi
 Christiani reges arma coniungant. Querimus hoc efficere, investigamus vias: nulla occurrit
 5 idonea. Si celebrare conventum venit in mentem, docet Mantua vanam esse cogitationem;
 si legatos mittimus, qui regum auxilia petant, deridentur; si decimas imponimus clero,
 appellatur futurum concilium; si promulgamus indulgentias, et pecunias conferentes donis
 spiritualibus invitamus, avaritia coarguitur: corrodingi auri causa cuncta fieri creduntur.
 Nemo fidem habet verbis nostris; quasi negotiatores, qui respondere creditoribus
 10 desierunt, sine fide sumus. Quaecunque agimus, in partem deteriore accipiunt, et [
 quoniam sunt omnes reges avarissimi, omnes ecclesiarum prelati pecunie servi,] de suo
 ingenio metiuntur nostrum. Nihil difficilius est, quam extorquere aurum [ab avaro].
 Vertimus in omnes partes aciem mentis: nihil certum nihil solidum invenimus, nihil non
 vanum occurrit. Quid agamus in tanta rerum mole? Periculumne certum adibimus, et
 15 sponte trademur hosti? Aut rem ridiculam inchoabimus? Frustra niti et laborando
 infamiam querere extreme dementiae fuerit. Perplexa et nimis anxia diu mens nostra fuit,
 et rennuat consolari anima nostra, cum in deterius prolabi omnia cerneremus, nec vel
 minima spes rei bene gerende daretur.

At cum dies noctesque taciti magis ac magis huc animo ferimur, ut de communi salute
 20 consilium inquiramus, unum tandem remedium in mentem venit nostro iudicio
 valentissimum - et forsitan non est aliud. Audite: paucis explicabimus, deinde nostram
 sententiam iudicabitis.

Philippus Burgundie dux, quo anno Constantinopolis amissa est, votum vovit publice
 Deo, iturum se contra Turchos et bellum cum eis gesturum, et hostem Mahumetem ad
 25 singulare certamen provocaturum, si vel Federicus imperator vel Karolus Francie vel
 Ladislaus Hungarie rex vel magnus alius quivis princeps, quem se sequi non dedeceret, ad
 hoc ipsum bellum proficisceretur. Nullus adhuc inventus est ex nominatis, qui se tanto
 prelio accinxerit: excusatum sese Philippus existimat, quia non est impleta voti conditio.
 Excusatus est, non absolutus! Stat obligatio, loquitur votum, nec tacet iuramentum! Potest
 30 adhuc satisfieri conditioni, potest princeps magnus aliquis huic expeditioni se accingere, ac
 Philippum, ut se sequatur, accire. Nisi paruerit, reus erit iuramenti et voti violati; quod
 laturam eius mentem haudquaquam arbitramur.

Sedet in animo nostro, quanquam senili et aegroto corpore, bellum contra Turchos pro
 35 fide catholica suscipere et in expeditionem ipsam proficisci, Burgundoque, ut nos sequatur,
 edicere, qui regis ac pontificis locum tenemus, iuramenti votique fidem requirere. Nulla
 patebit excusatio: rege maior et imperatore bellum petet Christi vicarius: obnoxium voto
 ducem non decebit domi manere!

Si annuat desiderio nostro Philippus, non veniet sine comitatu magno et valido: nobilem
 principem multi sequentur. Regem Franciae decem milia bellatorum non mittere pudebit,
 40 qui septuaginta milia publice pollicitus est; de Germania, de Anglia, de Hispania sua
 sponte non pauci aderunt; Hungari, qui suam rem agunt, deesse non possunt; nec Veneti,
 ubi tantos viderint apparatus, classem negabunt. In Asia Charamannus [363]

et alii, quibus Mahumetis potentia est suspecta, haud dubie arma corripient. Epyrote, Albani, Bosnenses, Rasciani, Valachi, Bulgari cornua erigent, quando tantis viribus a Christianis repeti Graeciam viderint. Quis nescit Romanum pontificem cum Venetis et Hungaris sequente Burgundiae duce, adiuvante Francie rege Turchorum gentem posse delere?

5 Sed habenda est ante omnia certitudo de Venetis, et eorum exploranda consilia, qui mores Turchorum potentiamque novere, et quibus viribus quibusque artibus superandi sint, non ignorant. Frustra Burgundis Gallisque hanc expeditionem suaserimus, nisi concurrant Veneti, quibus maria patent. His nostra in primis aperienda sententia. Si non
10 approbant, vana fuit cogitatio nostra; si laudant, Francum ac Burgundum missa legatione hortabimur, ne desint Christiane religioni; ex Franco auxilia postulabimus, Burgundum ex voto requiremus. Quibus - ut par est - consentientibus propositum et iter nostrum publicabimus. Inter Christianos dissidentes quinque annorum inducias servari mandabimus; parentes celesti benedictione donabimus, rebelles anathemate feriemus.
15 Episcopos, abbates atque omnes ordinis ecclesiastici viros ea in hoc opus auxilia iubebimus impendere, quae commode prestare possint; inobedientes excommunicabimus et tanquam ignis aeterni mancipia donabimus diabolo. Reliquos Christi fideles, ut opem pro suis facultatibus afferant, indulgentiarum largitionibus et gratiis spiritualibus alliciemus; et quis erit, qui audito pontificis motu non moveatur?

20 Nisi fallimur, haec unica via est, quae dormientes Christianos valeat excitare, et regum ac populorum corda movere. Vulgata deliberatio quasi tonitru magnum excutiet somnum, et ad tuendam religionem fidelium mentes eriget. Non arma, non equi, non homines aut naves deerunt: terra marique facile struemus bellum, postquam certa res fuerit Romanum pontificem cum Sacro Senatu recto itinere communem salutem querere, nec alienum
25 desiderare argentum, qui non modo suum aurum, verum etiam et ipsum corpus pro Christi nomine sit expositurus.

Haec nobis in mentem venire; an ingenio nostro inventa sint, an Deus ipse inspiraverit, vos iudicate!"

30 Audivere cardinales non sine admiratione et stupore singulari pontificis verba, nec dubitare ex Deo esse, quae Dei causam agerent; verum in re magna novaque et antea nunquam audita consultationi tempus petiere. Quo dato plures dies inter se collocuti, tandem ad pontificem reversi dignam vicario Iesu Christi cogitationem dixere, qui more Magistri pro suis ovibus ponere animam non dubitaret; nihil adversus tam laudabile et altum propositum dici posse, quamvis aliquae difficultates viderentur obstare - quibus apertis
35 pontifex, cui nihil esset non meditatam, facile occurrit. Placuit Venetis scribere eosque cohortari, rem ut secretam tenerent nec aliis communicarent, quam illis, sine quibus tantum absolvi negotium secundum leges nequiret; ita facto opus esse. Litterae manu pontificis scripte fuere, quas licet in epistolarum volumine reperire.

40 Veneti coacto rogatorum consilio, quantum necesse fuit, divinam pontificis meditationem iudicavere, facturamque suam rem publicam pro tutela fidei rescripserunt, quecunque pontifex cuperet. Tum pontifex suadentibus iisdem [364]

cardinalibus Laurentium episcopum Ferrariensem, probitate ac doctrina prestantem, et qui Francia³ mores nosset, in Gallias misit regi ac duci defensionem fidei pro desiderio pontificis suasurum.

5 Et hic quidem iam remissa Gallorum legatione exceptis cardinalibus, qui remanserunt in Curia, profectus est iam Sacra Ebdomada procurrente, in qua Pius pontifex divinum Beati Andree caput iam pridem in arce Narniensi servatum traducere in Urbem statuit. Quam rem, quoniam precipuo studio et singulari solemnitate gesta est, ut ab initio cepit, usque ad finem suo narrabimus ordine.

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI LIBER OCTAVUS
INCIPIT**

5 1. Sancti Andree caput Romam delatum devotissime a Pio exceptum. Eius apostoli historia brevis et collecta

10 Andreas apostolus Iesu Christi, Beati Petri germanus post passionem Domini, cui interfuit, et resurrectionem atque ascensionem eius in celum, quam vidit, accepto cum reliquis discipulis Spiritu Sancto ex Asia migravit in Graeciam, et in Achaiam se contulit, Peloponnessi provinciam, que sibi in sortem predicationis obvenit; Moream nostra aetas vocat. Et quoniam promissionem acceperat a Domino, quando relicta navi et retibus posthabitis ad eum transiverat, quod fieret piscator hominum, haudquaquam fraudatus est; praedicator enim effectus et doctor veritatis eximius infinitos homines linguae suae hamo est piscatus, quos Christo lucrificet, atque ab eo instructa provincia religionis nostrae sacra suscepit, cognovitque Christum Dei Filium cum Patre et Spiritu Sancto unum esse Deum, ac Sanctae Trinitatis fidem venerata est. Ipse autem sanctus apostolus iam senio confectus sub Egea proconsule in civitate Patracensi cruce suspensus interiit, eoque martyrio coronatus, quo frater suus Petrus, et quo magister Iesus Christus. Propterea cum accessisset ad crucem, eamque suavissimis verbis salutasset: „*Accipe*” - inquit - *discipulum eius, qui pependit in te: Iesus Christus!*” - Claruit autem multis miraculis et in vita et post obitum, quae in eius historia referuntur. Corpus eius Maximilla, religiosa mulier conditum aromatibus sepelivit; longoque deinde post tempore in Italiam translatum et in Amalphitana urbe reconditum fuit, quae ob reverentiam eius metropolis effecta sepulchrum habet gloriosum et operis magnificentia et concursu populi. Caput vero apud Patracenses summa reverentia et grandi custodia servatum usque ad annum salutis sexagesimum supra mille quadringentos; tunc autem translatio eius hoc modo facta.

30 Irrumpentibus in Peloponnessum Turchis duo despoti id regni obtinebant: Thomas ac Demetrius, fratres Constantini Grecorum imperatoris, qui apud Constantinopolim paulo ante in eius excidio fuerat interfectus. Horum maior, Demetrius, postquam parum opis afferri a Christianis animadvertit, acceptis alibi possessionibus, ex quibus ageret vitam, ad Turchos defecit. Thomas vero natu minor nullo pacto induci potuit, ut his serviret, qui germanum suum occiderant, atque imperium Grecis ademerant et Christiana sacra polluerant. Cumque imparem sese Turchorum viribus, neque spem ullam auxilii cerneret, migrare ex Peloponneso statuit, cuius iam partem magnam tradente Demetrio Turchi occupaverant. Prius tamen, quam inde abiret, Patras perrexit, que civitas in eius manu erat, et accepto inde Sancti Andree apostoli preciosissimo capite ex sacrario, cuius ipse custodiam gerebat, cum coniuge et liberis multis Graeciae nobilibus comitantibus ad Arte despotum se contulit in insulam, [367]

quam vocant Sancte Maurae, Epyrho vicinam. Neque enim tantum thesaurum hostibus relinquendum existimavit, quamvis illi ut rem sordidam conculcassent; curavit, ne sanctum Domini canibus relinqueretur, et iter suum prosperius comitante apostolo iudicavit. Profectus est igitur incolumis ad cognatum despotum, et cum eo aliquandiu commoratus non minori diligentia sacrum verticem, quam coniugem ac liberos, custodivit.

5 Interea multi principes Christiani - et qui sunt in Italia, et qui trans Alpes habitant - apostolici capituli audita transvectione legatos ad Thomam misere multum auri promittentes, si sacras reliquias impetrarent. Id ubi cognovit Pius pontifex maximus, exilium tam sacri capituli admodum aegre tulit. At postquam sua sede expulsus non facile restitui poterat, nusquam dignius sibi refugium censuit, quam Romae apud ossa germani sui, Beati⁴ Petri apostolorum principis et apud Sedem Apostolicam, arcem fidei, ad quam confugere omnibus tutum est, qui suis ecclesiis eliduntur. Misit igitur et ipse suos nuntios ad Thomam, qui pie factum dicerent, quod ex urbe ruitura et in manus infidelium hostium ventura preciosissimum apostoli caput abduxisset, nec sivisset perire; facturum vero impie atque crudeliter, si alteri quam Romano pontifici traderet, cuius est de sanctorum honoribus iudicare, aut si alibi esse vellet, quam Rome cum fratre suo et cognatis ossibus; adduceret id Romam: futurum aliquando volente Deo, quod in suum solium ope germani restitueretur; caveret, ne rem sacram iniussu pape cuiquam crederet, nisi apostolorum indignationem vellet incurere, nec inopiam causaretur; venturo enim ad Urbem ibique mansuro hi sumptus fierent, qui principi convenirent.

10 Victus his despotus navigaturum se Anthonam promisit, sacrumque pignus adducturum; nec mentitus est, siquidem ad annum quadringentesimum sexagesimum primum supra millesimum post Christi Salvatoris ortum Anthonae appulit incolumis - ut credibile est: apostoli auxilio ex validis et horrendis ereptus procellis, quae illo anno Adriaticum pelagus plus solito vexaverunt, et innumerabiles naves absorberunt.

25 At Pius adventu cognito Alexandrum Sanctae Susanne presbyterum cardinalem, vite sanctimonia et litterarum doctrina celebrem eo legatum de latere misit, qui recognitis sancti apostoli reliquiis eas ex manu despota assumeret, atque cum apparatu et reverentia, quae tam sacre rei deberetur, Narniam usque deferret, et ibi collocaret in arce a prefecta servandas, donec vehi ad Urbem possent his honoribus atque ceremoniis, quae convenirent; quod tunc fieri non poterat sevirante bello, quod tyranni circa Romam pontifici intulerant.

30 Alexander profectus Anthonam diligenter inspecto capite et signis recognitis ubi verum apostoli verticem esse iudicavit, veneratus est eum, et acceptum a despoto, auro ei pro comeatu ad Curiam donato cum egregio comitatu solemnique pompa et multis luminaribus transtulit in arcem Narniensem, et obsignatum commendavit prefecto; atque aliquandiu decenter ardentibus perpetuo coram eo lampadibus servatum est. [368]

Elapsis deinde pluribus mensibus, cum res bellicae pontifici prospere successissent, et Iacobus Picininus infestus Ecclesiae hostis ex agro Romano pulsus abiisset, Iacobusque Sabellus amissis pluribus oppidis fractus animo ad veniam pontificis - ut diximus - recurrisset, ceterique percussi metu aut sese dedissent, aut procul effugissent, et iam pax in agro Romano restituta esset, et segura per circuitum quiete populi potirentur, nec audiretur amplius fragor armorum: statuit pontifex honoratum caput in Urbem advocare. Utque eo magnificentiùs exciperetur adveniens, quo maior adesset populus, omnibus, qui in eius introitu Urbem accederent aut receptioni interessent, remissionem omnium peccatorum plenariam est pollicitus, ac decretum in eam rem factum ad precipuas Italiae urbes transmisit prescripta die adventus. Quae cum prope instaret, tres cardinales elegit - Bessarionem episcopum Tusculanum, natione Grecum, utriusque linguae peritissimum virumque magni nominis, et Alexandrum, cuius ante meminimus, ac Franciscum administratorem ecclesie Senensis -, atque hos iussit Narniam petere, depositumque inde sanctum pignus afferre.

Interea Romae omnia parabantur, quae ad solemnem ac magnificam receptionem sancti apostoli digna videbantur; verebaturque pontifex, ne in honore tanti apostoli diminute agere videretur, nec quicquam satis arbitrabatur; fuitque illi animus apostolorum Petri et Pauli gloriosissima capita, quae in ede Beati Iohannis apud Lateranum condita sunt, obviam ducere, atque cum illis extra Urbem advenienti sacro Andreae vertici occurrere. Quod ne fieret, argenti moles impedivit, quo ipsa capita sunt inclusa; nam supra quattuor milia pondo feruntur, estque preterea multum ferri, quod neque frangi sine gravi incommodo neque portari poterat. Omissa est igitur ea capitum delatio, mandatumque, ut quibus diebus ante meridiem Beati Andree caput per Urbem eveheretur, post meridiem apostolorum capita in Laterano publice omnibus ostenderentur; quod non sine maxima populorum frequentia factum est.

Cardinales Narniam missi cum eo venissent, recognitis signis sanctissima venerati sunt ossa, eaque cum tremore et summa reverentia suscipientes ad pontem Milvium detulerunt ipsa die Palmarum, quae fuit pridie Idus Aprilis anno salutis secundo et sexagesimo supra millesimum et quadringentesimum, occurrentibus per omnem viam innumerabilibus populis laudantibus Deum et sese apostolo Andree commendantibus. Secundoque ab Urbe miliario in ipsa pontis turri venerandas reliquias per noctem servandas collocarunt duobus archiepiscopis - Perocto Sipontino et Alexio Beneventano -, qui excubias agerent, ibi relictis.

Pontifex autem ea die celebrata in apostolico palatio apud Sanctum Petrum pro veteri consuetudine Palmarum solemnitate, post meridiem cum Sacro Senatu cardinalium et omni clero statuit ecclesiam Sancte Marie in Populo petere, ibique noctem agere, ut sequenti die sacro capiti inde occurreret; haeret enim ea ecclesia portae Flaminiae, que ducit ad pontem Milvium Tyberi iniectum. Sedangebatur metu pluvie, quae impendere videbatur: nubes celum obduxerant, fulgora et coruscationes ubique visebantur, exaudiebanturque [369]

passim tonitrua, nec spes erat serenitatis; et quamvis multi dies nebulosi humectique precessissent, tunc tamen precipue minari videbatur aether, et horrida tempestas instare ventis omnibus Urbem versus nubes impellentibus, ita, ut crederet nemo absque maximo imbre iter fieri posse. Sed - mirabile dictu! - servavit sibi suum tempus magnus Andreas, nec iter cleri sese honoratum euntis intervertere pluviam passus est. Nam etsi dies noctesque mensis eius madide fuerunt, eo tamen tempore, quo sacrum caput vehebatur, et quo pontifex illi obviam perrexit, nunquam aquae gutta cecidit super terram, qua parte eundum fuit; et omnis illa imbrum congregatio, quae transitum pontificis occupatura videbatur, usque in noctem se continuit, ita, ut sicco vestigio iter fieret. Nox vero humida spem ademit posse in crastinum optata solemnia celebrari, et in aliud tempus transferenda existimabantur. At mane exorto cessavit pluvia, et sol splendens super terram invitare ad eundum videbatur. Mox tres cardinales, qui sacrum caput in ponte Milvio reposuerant, eo profecti id acceperunt, et Urbem versus cum pompa eduxerunt.

15 **2. Apparatus Pii ad sacrum caput excipiendum, eiusque oratio devotissima, hymnusque cantatus, et pompa omnium aetatis nostrae maxima. Concursus nationum incredibilis**

20 Ponti Milvio vicina sunt prata latissima, quae Romam petenti via Flaminea ad sinistram iacent; ea tum herbida erant et florida atque adeo laeta, ut ridere viderentur. In horum medio iusserat pontifex suggestum erigi ex materia ita amplum et solidum, ut omnem clerum, qui aderat, continere posset, atque altum adeo, ut que ibi fierent, ab omnibus, qui essent in pratis, perspicue cernerentur sublimi ara in medio constituta. Premissis igitur tribus cardinalibus - ut memoratum est - paulo post pontifex ipse cum reliquo Senatu cumque omni clero, cum legatis principum et proceribus Urbis atque ingenti populi multitudine Flamineam portam exiit palmae ramum in manu gestans, et pariter cardinales reliquique prelati palmas portaverunt, quibus precedenti die ab ipso pontifice donati fuerant ob memoriam Salvatoris. Plena erat omnis via populo, nec vel agri vel vinee pre multitudine hominum videri poterant, adeo vulgus obtexerat omnia.

30 Ut primum in prata ventum est, que diximus, iussit pontifex cardinales ac prelatos ab equis descendere, et sacerdotalibus acceptis ornamentis sacrisque vestibus, quantum arcus iacere potest, iter pedibus agere, secumque suggestum conscendere. Erant omnium sacerdotum paludamenta alba, albe mytre et omnis ornatus albus, et in viridi prato candidior videbatur. Tenebat ora cunctorum attonita mirabilis ordo et dignitas et pompa tot sacerdotum, qui bini palmas gerentes in manibus et Deo preces porrigentes cum pontifice maximo astante populi corona per prata lento passu et gravibus incedebant vultibus. - Erant duo aditus in suggestum per gradus clementes: alter ponti Milvio erat [370]

oppositus, alter Urbi; et dum pontifex hunc ascendit prae gaudio et devotione illachrimans, sequente Collegio cleroque omni, Bessarion cum aliis duobus cardinalibus alterum scandit, arculam ferens, in qua sacrum caput clausum continebatur, eamque deposuit in altaris medio, cantoribus sacra carmina intonantibus. Exin facto silentio, presentatis clavibus et
 5 obsignaculis recognitis aperta est arcula, et Bessarion accipiens sacrum apostoli verticem, flens flenti pontifici tradidit. Ipse autem pontifex, priusquam sacra ossa contingeret, genibus flexis ante aram prostratus, vultu demisso et pallenti, oculis madidis ac voce tremula in hunc modum locutus est:

10 „Advenisti tandem, o sacratissimum et adoratissimum sancti apostoli caput! Turchorum te tua sede furor expulit, ad fratrem tuum, apostolorum principem confugisti exulans. Non deerit germanus tuus tibi: restitueris in solio tuo cum gloria volente Domino, licebitque aliquando dicere: »O foelix exilium, quod tale repperit auxilium!« Interea temporis cum tuo germano aliquandiu moraberis, et honore pari cum eo poteris. Haec est alma Roma, quam prope cernis, precioso tui germani sanguine dedicata; hanc plebem, quae circum
 15 astat, Beatus Petrus apostolus, frater tuus pientissimus, et cum eo Vas Electionis, Sanctus Paulus Christo Domino regeneravit. Nepotes tui ex fratre, Romani omnes te veluti patrum patremque suum venerantur, colunt, observant, et tuo se uti patrocínio in conspectu magni Dei non dubitant.

20 O beatissime apostole Andrea, predicator veritatis et assertor Trinitatis eximie! Quanto nos hodie gaudio replet, dum verticem hunc tuum sacrum et venerandum coram aspicimus, qui dignus fuit, in quo visibiliter sub specie ignis in die Penthecostes Sanctus resideret Paraclytus! O vos, qui Hierosolymam petitis ob reverentiam Salvatoris visuri locum, ubi steterunt pedes eius: ecce sedem Spiritus Sancti, ecce divinitatis solium! Hic, hic
 25 consedit Spiritus Domini! Hic tertia in Trinitate persona visa est! Hic oculi fuerunt, qui sepe Dominum in carne viderunt! Hoc os saepe Christum est allocutum! Has genas non est dubium, quin sepe Iesus fuerit osculatus! En magnum sacrarium, en caritas, en pietas, en animae dulcedo, en consolatio Spiritus! Et quis est, cuius viscera non commoveantur, cuius non ardeant intima cordis, cui non excidant pre letitia lachryme in conspectu tam
 30 preciosarum apostoli reliquiarum?

Gaudemus, exultamus, iubilamus adventu tuo, divinissime apostole Andrea! Neque enim dubitamus, quin tui capitis comes adsis, et cum eo ingrediaris Urbem. Odimus Turchos, Christiane religionis hostes; in hoc non odimus, quod tui adventus causa fuerunt! Nam quid nobis optatius contingere potuit, quam tuum hoc honoratissimum intueri caput, eius
 35 fragrantissimo perfundi odore? Id molestum est, quod adventanti tibi non eos honores impendimus, quos mereris, nec te possumus pro tua excellenti sanctimonia digne suscipere. Sed accipe voluntatem nostram, [et] mentem [metire, non factum;] atque aequo animo patere, quod pollutis manibus tua contrectamus ossa, et te peccatores intra menia comitamur Urbis. Ingredere sanctam civitatem, et esto propitius Romano populo! Sit omnibus Christianis salutaris tuus adventus, sit pacificus ingressus tuus, sit foelix
 40 faustaue tua nobiscum mora! Esto noster advocatus in celo, et una cum beatis apostolis Petro et Paulo conserva hanc Urbem, et universo populo Christiano pie consule, ut vestris patrociniis fiat misericordia Dei super nos. [371]

Et si qua est eius indignatio propter peccata nostra, quae multa sunt, transeat ad impios Turchos et ad nationes barbaras, quae Christum Dominum contemnunt!"

Provocavit oratio presulis omnium lachrimas, nec quisquam in suggesto adfuit vel clericus vel laicus, qui non ploraret et non tunderet pectora sua beati apostoli patrocinium implorans.

5 Fuerunt, qui verba pontificis adeo menti sue impresserint, ut domum reversi orationem ipsam quasi ad verbum rescripserint pontificique tradiderint. Inter quos fuit Theodorus episcopus Feltrensis, ingenio et doctrina iuxta preditus; eam cum pontifex oblatam legisset, admiratus est memoriam hominis, et vim ingenii laudavit.

10 Tenebatur loquente presule mirum silentium, quamvis singultus nonnullorum exaudiebantur, qui peccata sua plangentes ploratum retinere nequibant. Ardebant luminaria circum, et omnis in pratis populus finem tacitus expectabat. Postquam vero pontifex dicendi finem fecit, exobsculatus est sacrum caput, et omnes pariter, qui erant in suggesto, flentes obsculati sunt. Et rursus pontifex:

15 „*Omnipotens*" - inquit -, *sempiternae Deus, qui celeste simul et terrenum moderaris imperium, quique nos hodie Beati Andree, apostoli tui preciosi capitis accessione consolari dignatus es, tribue, quesumus, ut eius meritis et intercessione perfide Turchorum gentis attrita superbia et omnium infidelium sublata molestia Christianus populus securo tibi serviat libertate. Per Christum Dominum nostrum.*" - Et cum omnes respondissent:

20 „*Amen!*" -, accepit venerandas apostoli reliquias in manus suas, et elevans in altum, circuiens undique suggestum, ostendit populo desideratum donum; nec quisquam fuit, qui eius visione privaretur. Moxque voces altissimae auditae sunt multitudinis Dei misericordiam implorantis, ita, ut omnes circum valles redderent sonum. Post hec alta voce intonatum canticum, cuius initium est „*Te Deum laudamus*", quod fama est Ambrosium et Augustinum, viros in Ecclesia celebres condidisse; et eo finito cantores hymnum cecinerunt
25 in hunc modum:

„*Primus hic lesum sequitur vocantem,
et crucem primus similem subivit,
martyr Argivis veneratus oris
30 omne per aevum.*

*Hinc Pius Graios populante Turcho,
preda ne fiat canibus cruentis,
tollit, et sancta profugum Secundus
35 excipit Urbe,*

*seque cum Sacro comitem Senatu
obvium prebet redolente Roma
floribus festis, resonante clero
40 cantica laudum.* [372]

*Sacra fert dextra nitidus sacerdos,
splendidi carmen referunt Quirites:
»Alme sis nostrae columen, precamur,
et pater Urbis!*

5

*O pugil sancte fidei supremus,
primus agnoscens Dominum vocantem,
primus et leto simili triumphans,
protege Romam!*

10

*Fac diem faustum, Deus alme, nobis
fulmen in Turchos acuens trisulcum!« -
Audit Andreas populum precantem
talia reddens:*

15

*»Te precor, celi Sator atque terrae,
tolle iam clades scelerumque penas,
et tui tandem populi misertus
contere Turchos!*

20

*Hoc pius pastor meritique tanti
pronus exorat: miserere fessis,
da manum mundo prope iam labanti,
maxime Rector!*

25

*Hoc duces Urbis, Petrus atque Paulus,
supplices poscunt, pariterque Roma
his velut nitens geminis columnis
strata precatur.*

30

*Da Pio vitam, rogitamus omnes:
solus in Turchos animo perenni
ausus Alpinos superare montes
arma vocavit.*

35

*Et caput prebet proprium libenter,
nomen ut Christi veneretur orbis,
et viam nostre videat salutis
perfidus hostis.« Amen."*

40

Hunc hymnum iubente Pio ediderat Agapytus episcopus Anthonitanus, civis Romanus - incertum: iuris interpret an orator vel poeta preclarior. - Descendit exin pontifex de suggesto luminaribus undique circumdatus, et [373]

venerabile pignus in suis manibus tenens portavit in Urbem, cardinalibus et episcopis ceterisque prelati suum servantibus ordinem, et palmas pre se ferentibus. In via pre multitudine plebis et equorum non pauci comprimebantur, vixque aditus in tanta populi frequentia patebat. Ad Urbis portam cleri pars adfuit cum sacris occurrens apostolo venienti,

5

quo salutato rediit cum eo in Urbem. Et pontifex ecclesiam Beate Mariae ingressus caput apostoli in altario deposuit apud imaginem Glorioso Virginis, matris Domini - quam tradunt Beatum Lucam evangelistam effinxisse -, et benedicto populo episcopos ordinavit ex numero referendariorum, qui vigiliis illic per noctem agerent, et ipse in cubiculo apud eandem ecclesiam preparato pernoctavit.

10

Necdum sol conditus est, et ecce mutato aere novas auster pluvias adduxit, que noctem totam usque ad auroram tenuerunt, adeoque ingentes ceciderunt imbres, ut nulla spes esset in crastinum efferendi per Urbem capitis ad basilicam Beati Petri, ut institutum erat. Communis omnium mentes occuparat meror tantam solemnitatem, que preparata erat, impediri dolentium, et tantam populi expectationem frustrari. Confluxerant infiniti advene

15

ex Germania, Gallia, Hungaria et reliquis Transalpinis regionibus; tum vero ex Italia innumerabiles adventaverant plebes, et viri multi nobiles studio visendi sacratum verticem, adeo, ut in Iobeleo, qui sub Nicolao Quinto pontifice Romano celebratus est - quem constat fuisse maximum -, nunquam una die maior hominum multitudo visa fuerit. Et omnes tristes erant, ii presertim, qui non fuerant in pratis; nam multi postea introierant. Nec Pium

20

pontificem minor affligebat moestitia timentem super populo, cuius desideria frustrari animadvertibat, et hinc civibus, inde advenis condolebat, qui pariter angebantur. Rogabant autem universi Deum, ut serenitatem in crastinum elargiretur; quos non audire noluit divina miseratio - et vero simile est impetrasse Beatum Andream suo capiti placidum tempus, qui exauditus est pro sua dignitate. Subito enim paulo ante solis exortum - sive aquilo fuit sive

25

boreas aut alius ventus - nubes omnes pepulit, et celum nitidum serenumque reddidit, et sol ipse splendidus ac supra modum fulgidus apparuit in orienti, ita, ut meminerint multi, et precipue pontifex ipse, illius distici:

30

*„Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
divisum imperium cum Iove Caesar habet.“*

Sed mutavit [Pius] carmen, dixitque circumstantibus:

35

*„Nocte pluit tota, redierunt tempora nostra:
nox fuit acta hostis, lux erit ista Dei.“ [374]*

Et subiunxit:

*„Humida preterit tempestas, sicca reversa est:
nox inimica abiit, luxit amica dies.“*

5

Iussitque pontifex accersiri cardinales et parari, que essent ad educendam pompam necessaria. Ipse vero in cubiculo suo celebravit, et Passionem dominicam legit eius diei secundum Lucam.

10

Et finito sacrificio, cum iam frequens Senatus adesset et omnis clerus, accersitis cardinalibus perconctatus est, quid facto esset opus. Nam ducere in pompa caput apostoli decretum erat, verum pedibus an equis iter agendum, nondum certum. Etsi enim mundaverat hesternae die populus omnem viam, qua erat eundem, nox tamen pluviosa multum superinduxerat luti, et transitus in lubrico solo sacerdotibus sacra ferentibus et sacris indutis vestimentis difficillimus videbatur. Tum longitudo itineris gravis apparebat senibus, nam circiter duo milia passuum conficienda erant ab aede Sanctae Marie Popularis ad basilicam Sancti Petri per mediam Urbem. Itaque multorum sententia fuit indulgendum esse cardinalibus, episcopis et abbatibus, ut in equis incederent; reliqui pedibus ambularent. At id pontifici minime placuit, ne vel divisa processionis pompa videretur, vel parva sacerdotum devotio et minor impensa divino apostolo reverentia; iussitque, ut omnes

20

pedibus irent, honorarentque suo labore sacrum verticem, dignique fierent indulgentiis; si qui vero senes aut valitudinarii id laboris subire non possent, irent alio itinere equitantes ad Sanctum Petrum, et ibi expectarent in gradibus ante fores adventum pompae; et nihilominus qui non possent totum iter pedibus agere, possent autem partem, tantum irent, quantum suo ex arbitrio valerent, selecto loco, ex quo possent ad Sanctum Petrum pedibus pervenire.

25

Quo audito perpauci fuerunt, qui non totum iter ambulare decreverint. Ex cardinalibus quidem Iohannes Penestrinus, excellens theologus, extremo confectus senio, et Prosper Columnensis, doctrina ac nobilitate illustris, verum podagra vexatus, ad Vaticanum occultis aditibus se contulerunt. Ludovicus cardinalis Sancti Laurentii in Damaso domi se continuit, [sive mundo implicitus domestico, sive quod ei solemnitati non ex animo favebat.] Nicolaus Sancti Petri ad Vincula, natione Germanus, et Iohannes Sancte Prisce Hispanus, viri docti et religiosi, gravi detenti valitudine, cum interesse non possent, petierunt, ut domi manentes indulgentiarum participes fierent; quod pontifex indulisit. Nec Philippum cardinalem Bononiensem, Nicolai pape Quinti germanum morbus recens interesse permisit. Bessarion episcopus Tusculanus parum validus in Campo Florum pompae sese immiscuit, et ad aedem Principis Apostolorum non sine gravi labore pervenit, homo non tam annis, quam morbis confractus. Reliqui omnes cardinales excepto Ruteno - de quo post dicemus - iter totum pedibus exegerunt. Paucissimi quoque ex episcopis abfuere, quamvis multi aegrotarent. Fuitque grande spectaculum devotione [375]

30

35

plenum et reverentia grandevos videre senes suis pedibus per lubricum ambulantes, palmas in manu gestantes, et in canis capitibus albas portantes mytras, vestimentis sacerdotalibus indutos et ipsis candidis, luminibus in terram defixis nusquam flectentes oculos, sed orantes et divinam misericordiam super populo implorantes; et nonnulli, qui
 5 prius in delitiis enutriti vix centum passus ire⁵ poterant non equis vecti, hac die duo milia passuum onusti sacris vestibus in luto et aqua facile perrexerunt. Vilhelmus episcopus Ostiensis onus suae carnis - nam pinguis erat et aetate provectus - non sine labore tulit, homo nobilis et regio sanguine natus. Nec Alano Sancte Praxedis cardinali non difficile fuit molem sui corporis ferre, [homini magno et multo abdomine pingui;] ambo tamen alacres
 10 viam peregere. At Iohannes episcopus Portuensis, natione Hispanus, vir civili doctrina excellens, qui paulo ante ex legatione Hungarica redierat, non parum admirationis prebuit, qui etsi senex erat et valitudinarius, laeto tamen et vultu et animo iter totum orando confecit. Fascem portabat amor, et nihil erat amanti difficile. Laborarunt in via non parum Alexander Sancte Susanne et Iacobus Sancte Anastasie cardinales, quorum alterum valitudo non bona, alterum sextus et sexagesimus annus pregravarat; vicit tamen devotio, et nulla in parte pompe defuerunt. Latinus Ursina gente natus, laboris alias impatiens et imbecillo corpore, ea die fortior effectus nihil inter eundum laborasse visus est. Reliqui omnes aetate et robore valebant - ut Petrus Sancti Marci, Eugenii Quarti, Ludovicus Sanctorum Quattuor Coronatorum, Callisti Tertii nepotes; Ricchardus Constantiensis, qui olim Karoli regis Francie consiliarius fuerat, Nicolaus Theanensis, qui pridem exercitibus Ecclesiae prefuera Marsosque domuerat, Iohannes Atrebatensis, qui paulo ante abrogata Sanctione Pragmatica redierat ex Galliis, Iacobus Papiensis, litteris humanitatis apprime peditus, Rodericus vicecancellarius, et ipse Callisti nepos, ingenio prestans, Franciscus Senensis, cuius ante meminimus, Franciscus Mantuanus, nobilissimus Italiae atque Germanie familiis sanguine
 20 iunctus -, fuitque in omnium vultibus et gravitas et religio et devotio, neque ullus affuit gestus indecorus; adeoque modeste incessit cardinalium ordo, ut supra modum astantis turbe commoverentur ad religionem animi.

Nec dissimilis visus est episcoporum et aliorum prelatorum incessus, et in omni clero admirabilis apparuit compunctio cordium. Aderant ecclesiarum totius Urbis sacerdotes
 30 sanctorum reliquias pre se ferentes, aderant splendide vestiti Romani cives, conservatores Camerae, principes regionum et reliqui magistratus, legati quoque regum et principum et barones Urbis, ferebantque in manibus ardentes cereos, et suum quique ex ordine locum tenebant.

Pars legatorum ac nobilium circa pontificem collocata est auratum ferens supra caput apostoli pannum, qui solis radios averteret quasi umbraculum - baldachinum nostra aetas vocat; reliqui antecedeabant clerum. Sunt, qui asserunt XXX-ta milia candelarum ardentium in processu cleri et populi ea die supputata fuisse ad pontem Hadriani, dum illac bini et bini transirent homines, tantusque inventus est sacerdotum numerus sacra ferendum, ut qui priores [376]

incesserant, ante ad Sanctum Petrum pervenerint, quam papa e loco suo se moverit, et nihilominus alter instabat alteri, et precedentis vestigium mox, qui sequebatur, occupabat.

5 Ut ergo cuncta fuerunt apparatus, et pompa iam diu ceperat incedere, descendit pontifex humeris hominum - ut consuerat - sella vectus aurea, nam pedum usum iam pridem - ut diximus - abstulerat podagra, misitque Ostiensem episcopum, qui duobus cardinalibus comitatus ex aede Sanctae Marie apostoli caput ad se ferret; nam sibi pre multitudine plebis non patebat in ecclesiam aditus. Receptum est ex altari nobile pignus, et in manibus pontificis datum vidente omni populo et Dei misericordiam implorante. Pontifex illud exobsculatus accipiens et ante se ferens, et circumfusa multitudini benedicens cepit
10 procedere hora iam XIII-a; tantaque ubique hominum turba viam obsederat, ut vix milites papam stipantes iter fustibus aperire possent, quamvis extra Urbis aedificia aliquandiu esset eundum, qua latiores inveniuntur semite. Flexit enim pontifex ad dextram Tyberim versus, et secundum fluminis ripam incedens reliquit ad sinistram Augusti tumulum. Quibus in locis, etsi late alias patent, nihil eo die vacuum erat, adeoque dense inter se hominum turbae
15 coherebant, ut iactum tritici semen vix posset in terram cadere; et pari modo vici omnes usque ad Sanctum Petrum obsessi reperiebantur, nec turba eadem erat, quae dimisso uno loco alterum occuparet, sed nova ubique facies hominum offendebatur.

Itum est prope Tyberis cursum, donec ventum est ad frequentia Urbis edificia dextro itinere; exin pompa ad sinistram flexit, et per arctos civitatis vicos et altas aedes venit ad
20 templum Pantheon - quod gentiles diis omnibus, id est demonibus, maiores nostri Glorioso Virgini, matri Domini et sanctis omnibus consacrarunt -, atque illac per plateam magni templi vertit se ad dextram manum, quousque preteriit Divi Eustacchii sacellum, ibique rursus sinistrorsum itum est ad aedes usque Eberardi cardinalis Sanctae Sabinae, scientia iuris eminentissimi et exemplaris viri. Tumque tertium ad dextram inclinatum est et via
25 itum, quam Papae vocant, usque ad aedes Maximi recens editas; illinc denuo sinistrum iter acceptum usque in Campum Florum, quo ad dextram pertransito platea Sancti Laurentii in Damaso occurrit, quo in loco sinistro itum est vico, usque quo rursus quoque adesset ripa Tyberis. Et postremo dextra via ad Molem usque Hadriani perventum, ubi ponte transmisso per Viam Sacram ad Sanctum Petrum iter habitum, quod ubique floribus et odoriferis herbis
30 stratum fuit. Qua vero frequentes civium edes invente sunt, urbe tota tecta erat pannis ac ramis arborum via, ne sol offenderet, et omnes domorum parietes ornati, quos aulea pictique tapetes operuerant. Ingentem Romani et letitiam et devotionem ostendere, et pariter curiales et advenae certantes invicem, quo alter alterum in honore apostoli superaret. Quicquid ornamentorum in domibus fuit, id totum effusum est ad decorandas sacro capiti vias; nulla
35 preciosa vestis ea die non est ostensa. Matronae ac virgines in ostiis et in fenestris domorum cum luminaribus et ornatu, qui tempori conveniebat, orantes pompae [377]

transitum intuebantur, sacrumque caput venerabantur. Fumabant per trivium et universas
vias altaria, ardebant thura passim et thimiamata et odoratae arboris ramusculi. Pictas
tabulas, egregias statuas et quae vivos exprimerent vultus, quisquis domi habuit, in porticu
ante fores in propatulo collocavit. Multis in locis personatus varii visebantur, pueri angelos
5 celi representantes alii dulce canebant, alii organis psallebant; nullum musicae artis
instrumentum non audiebatur, et simul apostoli laus aethera implebat. Tum vini fontes et
diversa miracula passim suspensa transeuntium oculos detinebant.

Superavit inferiorum et equalium omnium studia Melchior, equitum Rhodiensium
procurator, homo frugi et doctus, qui pro foribus suae domus altari erecto multa incendit
10 thura, et ornatus varios adhibuit et cantores et tybices et tubicines, et diverso et delectabili
concentu transeuntes apostoli reliquias honoravit. - Cardinales, qui eo itinere habitabant,
cuncti suas domos mirifice appararunt - [uno dempto, quem honoris gratia subiteo, ne
forsitan irreligiosus existimetur.] Spoletanus, quamvis abesset - petierat enim ecclesiam
15 suam per Sacram Ebdomadam plebecule suae et suis ovibus satisfactorius -, ministros tamen
domi reliquit, qui et plateam adiacentem pannis operuerunt, et parietes perpulchre
ornaverunt. Sed victus est ab Alano Sanctae Praxedis cardinali, quem vocant Avinionensem:
is aedes habitavit in Campo Florum, quo in loco Magni Pompei genium fuisse commemorant
- nunc Ursinorum palatia sunt, quae nepos Eugenii pape, cardinalis Portuensis in alieno solo
20 maximo sumptu aedificavit. Alanus altari in foro erecto tectoque pannis aureis et multis
odoramentis incensis prealtos quoque palatii muros preciosis vestivit ornamentis, quae ab
Atrebatu, civitate Galliae in Italiam feruntur.

At omnium sumptus atque conatus et omnium ingenia longe superavit Rodericus
vicecancellarius, qui edes suas, quas in solo Veteris Monete altissimas et amplissimas
25 construxit, divitibus et admirabilibus pannis operuit; tum celum sublime erexit, in quo multa
et varia suspendit mirabilia; nec suas tantum domos, sed vicinas etiam adornavit, ita, ut
platea circumducta paradysus quedam videretur suavibus plena sonis et cantibus, seu
plurimo fulgens auro domus, sicut Neronis fuisse perhibetur; tum carmina plurima appensa
parietibus legebantur ab electis ingeniis recens edita, quae grandioribus conscripta litteris et
30 divi apostoli laudes et Pii pontificis preconia continebant. - Nec Thusci negotiatores
mensarii que, qui prope Hadriani pontem habitant, suas domos inornatas reliquere, quippe
qui alter alterum et sumptu et novarum rerum studio superare certabant. Nulla fuit platea,
nullus vicus, qui habitatores haberet, qui non aliquid admiratione dignum pre se ferret.

Pontifex igitur per tot mirabilia vectus vehensque sacrum verticem denique in eam
plateam pervenit, quae ante Principis Apostolorum basilicam latissime patet. Hanc externus
35 impleverat populus - nam Romani preter eos, qui pompam duxere, in suis vicis mansere,
presertim foeminae. Hic maxima exorta est vociferatio, et quasi murmur aquarum
multarum, cum viso apostoli capite cuncti sese ei tundentes pectora cum gemini et ululatu
commendarent. Ascendit [378]

5 pontifex scalam marmoream multorum graduum, quam ipse magno sumptu paulo ante
 construxerat pro foribus atrii - nam vetus illa, Constantini opus (ut relatum est) iam
 defecerat -, superatoque summo gradu vertit se ad multitudinem, et benedixit ei sacrum
 ostendens verticem. Ingressus vero atrium contemplatus effigiem Beati Petri, quae sedet
 ante vestibulum templi, et tanquam statua illa germani adventu laetabunda fieret,
 10 collachrimatus est duorum fratrum, qui se iam pridem non vidissent, concursum atque com-
 plexum mente revolvens. Processitque inde in ecclesiam, quae tota luminibus ardere visa est
 - nam et ipsa plena erat viris ac mulieribus, et pauci aderant non habentes aut candelas aut
 cereos accensos in manibus, tum lampades innumerabiles et candelabra lucebant; que omnia
 15 modulantibus organis et canente clero admirabiliora reddebantur. - Ventum est ad aram
 maximam non sine magno labore inter conferctissimas turbas, quae vix gladiis dabant
 locum. Sub ara corpora iacent Divorum apostolorum Petri et Pauli orbe toto veneranda; hic
 preciosum Beati Andree caput repositum est, quod prelati et viri excellentes, qui aderant,
 omnes exobsculati sunt.

15 Anno, qui precesserat proximus, percusserat apoplexis Isydorum episcopum Sabinensem,
 Sancte Romane Ecclesiae cardinalem, natione Grecum ex Peloponneso, qui olim Roxanis,
 boreali genti prefuerat; cui etsi sermonem ademit, intellectum tamen non abstulit. Manebat
 hic domi languens; qui ubi transeuntem ante suas edes sacrum verticem conspicatus est,
 20 nullo pacto retineri potuit, quin sequeretur sanctas reliquias. Venit igitur suis pedibus in
 basilicam Beati Petri, et ingressus ferreas craticulas, quae sancta sanctorum cingunt et maius
 altare custodiunt, accedens pontificem signis ac nutibus indicavit se cupere divinum apostoli
 verticem osculari. Impetrata venia flexis genibus cum multis singultibus et lachrimis et
 maxima reverentia desiderio suo fecit satis, et tanquam voti compos exultavit, domumque
 25 iocundior visus est venerandus senex abire. - Tum Bessarion cardinalis dextrum
 apprehendens cornu, et hinc sacrum apostoli caput, illinc pontificem intuens, sermonem
 habuit in hunc modum:

30 „Ecce frater tuus, Beatissime Petre, Princeps Apostolorum, et tu, Vas Electionis et Doctor
 Gentium, qui ultimo in apostolatum vocatus pari dignitate principatum cum Petro
 obtinuisti: en - inquam - vester Andreas, qui primus vocatus caeteris viam ad Salvatorem
 ostendit! Adest ecce vester Andreas, ut qui in celo vobis coniunctus ac Conditori
 Salvatorique humani generis assistens gloria contemplationeque perfruitur, etiam in terris
 corpore hoc tempore coniungatur, resideatque aliquandiu vobiscum - is, qui supra mille
 35 quadringentos et viginti octo annos ab assumptione Domini corpore a vobis disiunctus
 extiterat. Hunc enim Achaia - ut novistis -, quam olim suo sanguine Deo consecraverat,
 retinens procul a vobis Urbeque Romana, quae (vos) conditores, quae vos magistros fidei,
 que vos sanctos verosque pastores adepta est, positum fidelissime custodivit. Huius vero
 adventus sui causam non ignoratis, qui non modo cuncta preterita, verum etiam pleraque
 futura in Verbo contemplamini. Ceterum ut non ad [379]

5 *vestram, sed ad Christianorum - si qui sunt, qui ignorant id - notitiam perveniat: »En ego« - inquit - »tuus Andreas, Petre frater, postquam a Salvatore primo, deinde tuo iussu ad predicationem Evangelii missus post multas diversasque nationes, quas fidei recte Christianaque nomini dedicaveram, tandem in Achaiam, Peloponnessi provinciam*
 10 *multitudine hominum tum nobilitate tum doctrina preditorum referctam ita longe lateque Evangelii veritatem disseminavi, ut omnem provinciam ab idolorum cultu ad veri Dei religionem converterim; ob quam rem ab Egea proconsule — cuius uxorem etiam gladio ignique Spiritus ab eo ereptam Christo obtuleram - sacratissime eius Cruci eo mortis genere, quo tu et Magister noster, Dominus Iesus, ipse quoque vitam finivi. Ubi a*
 15 *Maximilla, proconsulis coniuge sepultus ad hec usque tempora quievi a Christi cultoribus honoratus magnisque sublatus preconiiis. Sed cum Mahumetica gens - heu rem miseram atque funebrem! - quendam diaboli filium, Antichristum, Mahumet sequens occupatis primo ceteris Grecie atque Orientis partibus, tandem novissimis his temporibus Achaiam quoque impiissime subiugasset, ac nephario cultu subvertisset, inde ego nutu divino ex impiorum manibus profugiens ad te, (sanctissimum fratrem, ad te, praeceptorem atque magistrum, ad te,) universalem Christiani gregis pastorem a Deo constitutum tanquam ad tutissimum portum me recipio. Ut quemadmodum Paulus tuus, immo noster a fratribus in sporta per civitatis muros demissus eius, qui in Damasco preerat, crudelissimas manus, ut*
 20 *cursum suum consumaret, et Evangelii predicationem finiret, evasit: ita ego quoque ad te confugiens filios, quos mihi, vel potius tibi, immo vero Christo Domino nostro genueram, impiis nunc et truculentissimis hostibus subditos et non modo libertate corporum privatos, sed etiam de fidei integritate periclitantes ope atque auxilio tuo ad pristinam libertatem reducam, ad veri Dei cultum restituam, et ab omni spurcitia gentilium purgatos Christo Deo nostro incolumes reddam - rem tibi profecto gratam atque nimium acceptissimam*
 25 *desiderans. Nonne tu ille es, zelantissime Petre, qui Malcho, pontificis servo in Christum noctu cum ceteris irruenti auriculam gladio amputasti - ad graviora quoque processurus, nisi clementissimi Magistri nostri voce percussus abstinuisses? Non tu ille es, qui si proditorem novisses, extemplo in eum irruens cruciatibus affecisses, et vel dentibus eum discerpsisses? Non tu ille es, qui Ananyam et Saphyram, quod Spiritui Sancto mentiti fuissent, morte mulcasti? Quid modo ages? An vero in impios Turchos, in salutifere ac sacratissime Crucis acerrimos hostes, per quam te meque recepit, qui per eam nos redemit, in barbaros membra Christi crudeliter dilaniantes et Christum ipsum contumeliis ac blasphemiiis continue afficientes segnis eris aut piger? Itane eos patieris, itane eos impune*
 35 *debauchari permittes? Non decet hoc integritatem tuam! Non decet tuum illum ferventissimum et incomparabilem zelum! Si talia pro rebus minoribus egisti, maiora certe pro multo maioribus facies, cum tibi presertim Christiani reges, principes ac populi colla subiiciant, tibi obediant, tuis iussis ut dominicis mandatis obtemperent, et - quod omnium precipuum est - talem hac tempestate successorem habeas, cui inter alias virtutes haec potissimum cura, hoc desiderium animo insidet, ut innocentem sanguinem Christianum crudelissime effusum iusta animadversione ulciscatur.*
 40

Romani tui, quorum Urbem - magistram ante erroris inveniens - veritatis discipulum atque reginam et sacerdotalem civitatem per sacram tuam Sedem effecisti, [380]

- caputque totius orbis religione divina, quam terrena dominatione latius presidentem instituisti - illi, inquam, Romani tui, cum adhuc gentiles essent, necdum tui, non fratres et filios, sed socios et amicos regnis suis ab hostibus eiectos - ut Massinissam a Syphace, ut Ariobarzanem a Mithridate, ut alios ab aliis pulsos ad se profugientes suamque poscentes
- 5 opem suis sumptibus, laboribus et periculis iuverunt, ac cum magna et illorum et sua gloria restituerunt - quanto magis tu, Petre, sanctissime frater, germano tuo et in passione socio propriis pulso sedibus et filiis tuis ac tuo gregi, cui pascendo pastorem te prefecit Dominus, inter tot tormentorum ac calamitatum genera subvenies, oppressos sublevabis, et ex iniquorum manibus eripies! Nunc illo, quem contra Malchum evaginaveras, utendum est
- 10 gladio contra servos peccati contra servos iniquitatis, contra mancipia omnis spurcitie! Nunc manibus, nunc dentibus, nunc omni cruciatus genere non contra Christi proditores dumtaxat, sed contra eius vexatores atque oppressores irruendum! Nunc in eos, qui Spiritum Sanctum blasphemant et irremissibiliter peccant Christum Dei Filium esse negantes, nutu, verbo, dextra Dei animadvertendum est! Nunc vomeres in gladios vertendi, nunc vendenda tunica et gladius emendus! Nunc tuus zelus exardeat, nunc Pauli tui gladius acuatur, ut tua ope atque auxilio per potentissimos Occidentis principes fide, quam
- 15 predicasti, quam approbasti, qua pater universorum factus es, {defensa} super petram Christum aedificata Ecclesia contra portas inferi prevaleat - autore et teste ipsa Veritate, Domino nostro Iesu Christo!
- 20 At ut hec ad te dicta sufficiant, nunc successorem tuum dignissimum et verum Christi vicarium, pontificem summum appello, qui me summis excepit honoribus, qui me tanta fide et devotione hesterno die salutavit, qui tali me oratione affatus est, ut et ipse lacrimatus sit, et omnes fere ad lacrimas commoverit, quippe qui etiam lapidea corda ad fletum facillime convertisset. Te, inquam, Pie pontifex maxime, oro, te precor, te obtestor, ut que a fratre petii, tu, qui sedem eius merito tenes, qui ei in pontificatu digne succedis, exequaris atque
- 25 perficias. Auge in dies animum, quem ad vindictam Christiani sanguinis hactenus habuisti! Ne desistas hortari principes Christianos, et quod totiens a te interpellati sunt, minime desperes: verebuntur aliquando Christum, verebuntur Petrum, teque meque rogantes induerit Christianum regiumque animum; digna tandem se facient, et crudelissimos hostes aggressi gloriam sempiternam cum magna tui nominis celebritate et populi Christiani salute adipiscentur! Cui te Deus incolumem cum felicitate diutissime conservet Sedis Petri gubernacula cum summo decore et moderatione tenentem, et tibi pro sua pietate prestat gratiam, ut qui cum magna me gloria in hac Urbe impresentiarum accepisti, cum maiori in patriam aliquando reducas, quemadmodum magno cum affectu tua sponte heri pollicitus
- 35 fuisti!«
- Auditus est Bessarion non absque attentione et gratia, quamvis fessi patres ex itinere quietem cuperent, et iam sexta decima esset hora. Nec tamen illo finiente gravati sunt audire pontificis responsum, qui hec verba subintulit:
- 40 „Si loqui possent beatorum apostolorum sacratissima corpora, que sub (hoc) altari iacent, adventu profecto tui venerandissimi capitis, Dive Andrea, magnopere congratularetur, et verbis amplissimis suam laetitiam explicarent, et quae per te petita sunt, [381]

auxilia ultro promitterent. Sed requiescunt illa sine voce usque in diem resurrectionis. Sentiunt tamen hodie - sicut arbitramur - ob presentiam tam cari et tam cognati capitis miram suavitatem et internam quandam dulcedinem maxime Beati Petri, germani tui ossa, quibus fraterna caritas plus aliquid affert. Spiritus autem eorum in celo sunt, in regno Christi, nec dubium est, quin de te cogitent, et opem divinam implorent, qua tuus hic vertex in suum solium restituatur. Agit Petrus, agit Paulus tuam causam, et digni sunt ambo, qui exaudiantur a Domino. Ne dubita: exaudiet Iesus Christus vocem fratris tui, cuius est non fratrem tantum, sed fratres omnes confirmare, dicente Domino ad eum: »Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos!« Quod non inepte ad confirmationem sedium trahi potest. Restitueris volente Altissimo fratris auxilio et Beati Pauli precibus (in tuo solio), et confirmaberis in eo - ut speramus - usque in finem seculi.

Quantum vero ad nos attinet - quia nostri quoque facta est mentio -, qui locum germani (tui) tenemus indigni, ne multis moremur: tibi, Andrea, dignissime Christi apostole, quem ab ineunte aetate usque in hoc aevi praecipuo cultu venerati sumus, et intra celi cultores cum plerisque aliis nobis advocatum et protectorem elegimus, omnes suppetias, quae sunt in nostra potestate, ad recuperandas tuas oves tuamque domum hic in terra volenti et cupido animo pollicemur. Nihil est enim, quod nobis magis cordi sit, quam Christiane religionis et orthodoxe fidei defensio, quam tui nostrique hostes, Turchi conculcare nituntur. Quod si Christiani principes nostram vocem audire voluerint et suum pastorem sequi, videbit et letabitur omnis Ecclesia nec nos, qui sunt officii nostri, neglexisse, nec te frustra huc impetratum fratris auxilia venisse."

Atque his dictis et Collecta decantata surgens dimisit in altari nobile pignus, ut omnibus ea die videndum pateret, auditoribusque Sacri Palatii custodia demandata. Indeque abiens cantantibus cardinalibus et episcopis et alta voce Deum laudantibus ivit ad locum, ex quo videri poterat, et multitudini benedixit, ac nepos eius secundum carnem, Senensis cardinalis plenarias indulgentias annuntiavit. Atque in Palatium reditum est, et sequentes Maioris Ebdomadae dies divinis officiis pro veteri observantia sunt attributi, et Passionis Dominice sacra peracta non absque plebis ingenti devotione.

30 **3. Excommunicatio Sigismundi Austrie et Malatestarum et Errorii, et solemnitatis progressus**

In quinta vero feria in loco ad id electo pontifex cum cardinalibus et omni clero consuetum promulgavit anathema, et homines quattuor, perditionis filios, nominatim excommunicavit, atque extra Ecclesiam Christi fecit: Sigismundum ex Austrie principibus, qui violentas manus in cardinalem Sancti Petri, episcopum suum Brixinensem iniecerat ipsa die sacra et magna Dominice Resurrectionis, ac Gregorium Hamburgensem, cognomento Errorium, qui paulo ante velut hereticus fuerat condemnatus, ut qui auctoritatem Ecclesiae parvi faceret, contemneretque censuras, et damnatos dogmaticaret errores; tertio loco excommunicati [382]

sunt duo fratres tyranni, alter Arimini, alter Cesene, Sigismundus et Malatesta, filii Pandulfi ex genere Malatestarum extra matrimonium nati, qui sepius requisiti debitum Ecclesie Romane censum exsolvere contempserunt. Et Sigismundus quidem, totius malitiae caput et venenata mens sine religione, sine fide, sine Deo, nullius peccati non reus paulo post (quod tamen ante dictum est) de heresi convictus condemnatusque est, et eius imago duobus in locis - et pro scalis basilice Sancti Petri et in Campo Florum - publice exusta, quia compertum esset nihil eum de futura vita credere, et animas simul cum corporibus interire pertinaciter et procaci asserere lingua.

Die sabati, que fuit Aprilis XVII, celebrato grandi officio cum benediceret populo pontifex maximus, promisit in crastinum ob reverentiam Resurrectionis in ecclesia Principis Apostolorum sese rem divinam facturum, portaturumque eo sacrum Andree caput, ut iterum atque iterum videretur, quod ex altario Beati Petri abductum in Palatio clauserat. Res nova et insperata fuit, nam propter aegritudines et absentiam pontificis ante quattuor annos non viderant Romani suum pontificem divinam hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius presul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut sedens celebraret.

Ab eo tempore, quo sacrum caput ex Narnia portatum est, usque id sabati singulis diebus noctibusque pluit, tantumque pluvia cessavit, quantum id fuit in itinere. Quod in religionem pie mentes verterunt, tanquam apostolo suo in publicum exeunti eam serenitatem condonaret Deus. Auxit eam religionem ipsa dies Pasce; nam quamvis nocte tota pluisset, mane tamen serenum rediit, et quamdiu solemnitas sacraque pompa ducta est, splenduit sol, ita, ut diceret iterum pontifex:

*„Nocte pluit tota, rediit sed mane serenum:
nox fuit en sathane, lux erit ista Dei.“*

Descenditque in ecclesiam apostolicam sacrum pre se gestans verticem, et divinam rem agens hostiam obtulit Deo acceptissimam. Filium suum, tradiditque compluribus Sacratissimum Christi Corpus et clericis et laicis sua manu. Inter quos fuerunt oratores Venetorum, Nicolaus Sagundinus, et Senensium, Augustinus Dathus - ambo insignes rhetores et philosophi elegantes. Grecis ac Latinis litteris imbuti; nec minor his Polycarpus, regis Hungarie legatus, et alii prestantes viri.

Expleta sacrificio accepit pontifex venerabile caput, et pergens in pompa cum cardinalibus et clero, venit in eam templi partem, qua sancta servatur Veronica - sic enim appellant admirabilem Iesu Christi faciem, impressam sudario, quod Veronica, insignis mulier illi dicitur obtulisse -, stetitque procul, et iussit ostendi sudarium. Petrus cardinalis Sancti Marci, nobili loco apud Venetos natus. Eugenii - ut diximus - nepos et archipresbyter eius ecclesiae, scala conscensa venerabilem sacramque Domini figuram ostendit ter pro suo more misericordiam implorante populo. Fuit res veneratu et admiratione [383]

dignissima: illinc sanctum intueri Salvatoris vultum, hinc eius apostoli preciosas reliquias, tum pontificem maximum cum cardinalibus et omni clero flexis genibus, nudatis capitibus orantem cernere. Exin ventum est ad locum benedictionis, in quo non minor turba hominum fuit, quam nuper in priori pompa. Viderunt et qui noviter advenerant, nobile apostoli caput, et benedictionem Pii presulis acceperunt ac remissionem plenariam delictorum, qui per confessionem atque contritionem capaces fuere. Abiit deinde in aedes suas pontifex, et sacras apostoli reliquias secum ferens servandas in Arce Sancti Angeli recondidit, donec locus eis idoneus apparari posset.

10 **4. De magistro Rhodiorum, et Rhodi insulae fortuna, cultu ac vetustate, et qui in ea claruerunt**

Obierat non multis mensibus ante hoc tempus Rhodie Militiae magister, natione Gallicus; conventus alterum delegerat ex Hispania Citeriori, Petrum Raymundum Zacostam castellanum - ut vocant - imposte, acris ingenii virum, et qui annos supra quadraginta religioni militasset. (Consuevere Milites Rhodienses Gallicum sibi plerumque magistrum usurpat, aut cui velit, mandat. Cum religio floret, et abunde suppetunt facultates, et pace cum finitimis parta licet delitiis perfrui, Gallus imperat parsimonye inimicus, et qui per luxum cuncta profundat, nec modum ponat expensis. At cum bella fremunt, et aerario exhausto urgent creditores, et in usuras vectigalia censusque dilabuntur, tunc demum ad Hispanos itur, durum genus hominum ac tenax et assuetum malo, ut quod Gallica luxuries obligurivit, Hispanica resarciat abstinentia; atque hoc imposte castellano magisterium demandavit.] Erat [enim] iam prope ad extremam inopiam deducta religio, que mercatoribus aureorum supra ducenta milia debuit.)

Petrus Raymundus, ut primum se novit electum, ordinatis in Hispania rebus ad Pium pontificem pro confirmatione se contulit, splendido sue religionis equitum stipatus comitatu. Qui auditus in consistorio paucis post Pasca diebus cuncta, quae voluit, impetravit, nec diu moratus in Curia cum benedictione pontificis navigavit in Rhodum. Pius Lollium, patruelem suum, eidem religioni addictum cum eo vel invitum misit, ne panem otiosum ederet.

Magnum est et vetus Rhodie nomen insulae, propter quam rem non alienum putavimus hoc loco antiquitatem eius et situm et fortunas quam brevissime recensere.

Rhodus insula noningentorum ac viginti stadiorum ambitu patet Lycie opposita, sive - ut Ptolomeo videtur - Carie, inter Asiaticas insulas tertia; Lesbus enim et Cyprus maiores habentur, Rhodii tamen rerum gestarum gloria prevaluerunt. Insula prius Ophiusa dicta est, deinde Stadia et postea Telchinis, eo quod Telchines insulam incolerent, quos nonnulli fascinatores et maleficos [384]

fuisse tradunt, tanquam Stygiam aquam stirpibus et animalibus pernitiei gratia inspergerent. Alii contra sentiunt Telchines eximios artifices extitisse, primosque ferri et aeris fabricam invenisse, quos ex Creta in Rhodum profectos vicini per invidiam fascinationibus perdiderint; sed priorem infamiam valuisse; sepe enim apud homines succumbit veritas. Post Telchines Eliades insulam tenuere, quorum posteri Lyndum et Iasilum et Albam Camerum condiderunt. Alii tamen a Tlepolemo conditas aiunt, qui cum primum virilem iniisset aetatem, patris sui avunculum, Licimnium senectute gravem interfecit, et navibus aedificatis frequentem cogens populum fuga in Rhodum pervenit, ibique habitavit ab Argis profectus. Propter quam rem originem Rhodiorum alii Eolicam, alii Doricam esse tradunt. Sunt enim, qui Dorienses, cum maximas edificassent urbes, post Codri obitum partim Argivorum aggregatos regno tradant, partim coloniae in Cretam misse participes factos, partim Rhodum petisse. Sed hec posteriora sunt his, quae ab Homero dicuntur, qui Rhodios non Dores nominat, sed Eoles ac Boetios innuit, apud quos Herculis et Licimnii habitatio erat.

Est autem Rhodiorum vetustissimum nomen, siquidem ante Olympiadum institutionem claruere, qui longe a domo profecti in Hispaniam navigarunt, ibique alteram Rhodum urbem condidere, quam postea Massilienses occuparunt. Et in bello Troiano fuisse traduntur, atque eo peracto Gymnasias insulas aedificasse, quas quidam Balearicas esse putant. Poete antiquitatem ac nobilitatem insule astruentes fabulam confinxere, dicentes aurum in insula pluisse, cum Pallas e Iovis capite nasceretur - ut Pyndarus inquit.

Nomen insulae ab urbe sumptum, quae pari modo Rhodus appellatur, in orientali promontorio sita; ea portibus olim et viis et menibus et reliquis ornamentis tantopere ceteras superavit, ne ullam putaretur aequalem habere. Legum prestantia et navalis rei peritia adeo valuit, ut annos multos maris imperio potiretur, et pyrriatarum latrocinia sustulerit Romanis et Grecis amica. Que cum libera esset, multis et donis et simulachris excellentissimis claruit, precipua tamen fama Colossi extitit; statuam enim alii Iovis, alii Solis fuisse tradunt, quam Chares Lyndius decies septenum cubitum altam edidit; ea postea ex terremotu fractis genibus corruit, nec Rhodii attollere ipsam ausi sunt oraculo quodam prohibiti. Hoc inter oblata dona excellentissimum et inter septem miracula maximum omnes confessi sunt. Soldanus Aegypti, cum insulam invasisset, ex aere huius statue, quam confractam repperit, noningentos camelos onerasse fertur, atque in Alexandriam traiecto modico freto per Lyciam et Syriam terrestri itinere transmisisse. - Fuit et Protegenis pictura insignis - Yalius scilicet ac satyrus iuxta columnam stans, super qua perdix erat, ad quem ita homines hyabant, cum nuper tabula esset posita, ut illum solum admirarentur, satyrum vero contemnerent, quanquam perfectissimum opus. Augebant admirationem perdices mansueti, qui a nutritoribus allati et contra pictum appositi caneabant et congredi gestiebant. Quod preter opinionem [385]

Protegenes accidisse videns edituos rogavit, ut se avem delere permetterent; quod illi annuerunt.

5 Fuerunt et navalia apud Rhodum instructissima, et aliqua occulta et ignota plebi, in que si quis introspeisset, capite plectebatur.

In hac urbe et Massilie et Cicici fabrorum et architectorum instrumenta armorumque varia genera in thesauris summa cura studioque locabantur, magis, quam penes alios usquam.

10 Ex hac insula viri illustres multi prodierunt, et imperatores et pugiles, e quibus Pannetii philosophi progenitores fuere, et Memnon, qui Persarum regibus militavit, et eorum copias duxit. Circa res civiles et philosophiam et artes liberales Pannetius ipse et Stratocles et Andronicus peripatheticus et Leonidas stoycus ac priores Praxiphanes et Hieronymus et Eudemus. Possidonius vero, quanquam Rhodi vixit et sophisticam exercuit, Apamiensis tamen e Syria fuit, quemadmodum Apollonius Malachus et Molon, qui Alabandenses fuere; sed prius Apollonius Rhodum profectus est, postea Molon. Pisander etiam, qui *Heracliam* scripsit, poeta Rhodius fuit, et Simias grammaticus et Aristocles; Dionysius quoque Thrax et Apollonius, qui *Argonautas* composuit, Alexandrini quidem fuere, 'Rhodii' tamen vocati sunt, quoniam Rhodi habitavere. Cleobolus insuper, unus e septem sapientibus, e Lyndo fuit, cuius urbis habitatores - quemadmodum Camirenses et Hyalisii - omnes in urbem Rhodiam migraverunt.

20 Ubi Lyndus fuit, nunc carcer est religiosorum militum, qui atrociter peccant, et munitio quedam in altissimo saxo vix humanis expugnanda viribus.

25 Multa civitas Rhodia per civilia Romanorum bella perpessa est, nec sub Grecorum imperio calamitatibus caruit; sed postquam Sarraceni Aegyptum et Syriam, Turchi vero Asiam obtinere, longe maioribus cladibus subiecta fuit, et aliquando Venetorum iugum, aliquando aliorum Christianorum pertulit. Neque ullo pacto Turchorum viribus restitisset, nisi religiosi milites, qui Beato Iohanni dicati sunt, eius insule curam suscepissent. Ii enim post Hierosolymam perditam in eam sese receperunt, et urbem pene dirutam instaurantes, navaliaque et classes reformantes non solum insulam ipsam tutati sunt, sed Cypriis et aliis finitimis Christum colentibus magno presidio fuerunt; quorum virtute, quicquid in Orienti nostre religionis est, Christo servatum fateri licet. Abusacus, Aegypti dominus magnis classibus per nostram aetatem armatis toto quinquennio Rhodum vexavit, multo tamen minora intulit damna, quam pertulit, nec dispari fortuna Turchorum conatus in Rhodios facti ceciderunt. Nam et apud oppidum Sancti Petri, quod Rhodii in continenti munitissimum optinent, et in ipsa insula magnas sepe strages acceperunt. Callistus Tertius, 35 qui Pium in Beati Petri sede precessit, classem non parvam in auxilium Rhodiorum misit, quae diu apud eos morata plures Turchorum naves prelio superatas demersit, et corpora hominum palo suffixit, Stalimumque insulam - Lemnum olim appellatam - et Taxum et Hembrum et alias quasdam minoris nominis Turchorum imperio ademit; nec Aegyptios quiescere permisit, neque [386]

Syros neque Cilicas. Sed mortuo Callisto dissoluta classe Ludovicus cardinalis Aquilegiensis, qui ei prefectus erat, Romam rediit Rhodo et omni Oriente nostre religionis cultore in discrimine summaque desperatione relicto. Et acquirens insulae ad hostes redire, cum Pius intestinis Italiae motibus et subditorum seditionibus occupatus longinqua
5 prospicere non posset, presertim cum Roma ipsa in periculo esset non solum baronibus per circuitum, sed aliquibus Romanis civibus - ut relatum est - res novas molientibus, et ecclesiasticae potentie insidiantibus.

In Rhodo montem omnium altissimum Atabyrim vocavere, pro gentili dementia Iovi sacrum, qui ex loco Atabyrius dicebatur. - Castellum Sancti Petri, quod in continenti magno
10 sumptu Rhodii custodiunt, non parvo usui Christianis est, qui manus Turchorum incidunt; sepe enim eo fugientes salvantur. Canes ingentes noctu extra muros excubant, de quibus fama est, quod Christianos odore cognoscant, eisque adventantibus blandiantur, Turchos autem latratu prodant et morsibus insectentur. - Turchi et ad castellum delendum et insulam invadendam ingentes apparatus facere dicebantur, cum Petrus Raymundus dimisso pontifice
15 navigavit in Rhodum.

5. Corsinianum fit civitas appellaturque Expontificis nomine et auctore Pientia, et ecclesia dotatur

20 Per idem tempus Pius in Senatu rettulit de loco nativitatis suae in civitatem erigendo; quod summo consensu factum est, et pro Corsiniano Pientia dicta. Quam rem Campanus his versibus explicavit:

25 *„Quae nova sublimi prosurgo Pientia colle,
causa mei quae sit nominis, ipsa loquar.
Me Pius ornatam templo murisque reffectam
esse urbem voluit, quae fueram oppidulum.
Tecta suae gentis primis in menibus edes
tangere marmoreum sidera iussit opus.
30 Addidit et nomen, lectoque e more senatu
urbanos ritus et nova iura dedit.
At vos, vicina quae surgitis oppida terra,
invidie nihil est, nam genui ipsa Pium.“*

35 Hinc nono miliario distat nobile oppidum et amplum, nomine Ylcinum, quod a Pientia Senas petentibus in altissimo monte ad sinistram cernitur, cui et sacramenta et episcopalia quevis iura abbas Sancti Anthimi ministravit. Id monasterium est non procul inde situm in nemore, ingens structura et Magni Karoli - ut aiunt - opus, dives olim et ab Apostolica Sede precipuis ornatum privilegiis, cui plura oppida pleno iure fuere subiecta; sed incuria
40 presulum [387]

paulo ante nostram aetatem in tantam pervenit inopiam, ut retentis egre iuribus spiritualibus temporalia queque perdiderit. Abbas, qui nostro tempore monasterio prefuit, homo prodigus et curarum expers, quicquid remanserat temporalitatis, aut neglexit aut vendidit, adeoque cuncta dissipavit, ut in lectulo podagra languens vix «pane doloris et aqua miseriae» sustentaretur. Pius Ylcinum pari honore cum Pientia ad civitatis nomen evexit, et in utraque urbe pontificalem instituit ecclesiam et canonicorum capitula. Sed unum tantum episcopum esse voluit et unam diocesim, quae (partim) ex parrochia Clusini episcopi et Arretini, partim ex castellis ac locis constituta est, quae - ut diximus - monasterio Sancti Anthimi suberant. Pius enim abbati, ut cederet, persuasit retenta, quoad viveret, pensione; monasterium dignitati episcopali incorporavit, et pecuniam ad redimendas excolendasque possessiones contulit; episcopi creatio dilata est, quousque Pius Pientiam peteret.

Post haec festum occurrit Dive Catherinae Senensis, quam supra diximus ab ipso Pio inter sanctas Christi virgines relatam. Predicatores pontificem rogaverunt, ut ad honorandum sancte virginis sepulchrum cum Sacro Senatu se conferret. Itum est ad ecclesiam Beatae Mariae Virginis - quam de Minerva vocant, quia in ruinis exaedificata est eius templi, quod olim Minerve fuit. Inde sacrificio peracto et frequenti populo in summa expectatione benedicto pontifex in aedes propinquas cardinalis Atrebatensis sese recepit, et cum nonnullis cardinalibus apud eum pransus est, qui more Gallico splendidum convivium apparaverat; vesperi ad Palatium rediit.

20

6. Viturvii profectio eiusque amenitas, et iter qua tetenderit. Soriarum et Phalaris

Paucis post diebus elapsis Viturviensia petiturus balnea e Roma discessit. Primam noctem apud Campanianum egit, secundam in Civitate Castellana in aedibus amici episcopi; tertia die prandium sibi in placido nemore non procul a Fabrica oppido apparari iussit, transitu per Falarim habito. Id est monasterium pervetustum in plano situm loco, verum sine monachis et habitatore; muri sunt ex quadrato lapide prealti, sine calce adeo diligenter saxis ingentibus inter se commissis, ut vix queat iunctura discerni. Ager magni oppidi capax muro cingitur, sed nulla insunt edificia; in medio tantum ecclesia iacet adhuc integra; habitacula monachorum et officinae magna ex parte corruerunt, et in ipsa ecclesia brevi constabat stabulatos (esse) equos. Tanta est hoc evo reverentia religionis!

Pontifex ex Fabrica Soriarum petiit per vias eo tempore amenissimas, in quibus cum geneste ingens vis esset eaque florida, crocea magna pars agri videbatur, pars virgultis aliis aut herbis tecta diversis, modo purpureos modo candidos sive alios mille colores obiecit oculis. Virebant omnia Maio mense, et tum agri tum silve ridebant, in quis aves dulce modulabantur. [388]

35

Soriani oppidum in alto colle iacet ad eam partem Cimini montis, que spectat orientem et ad Tyberim vergit. In summo cacumine arx est, opus antiquum et undique saxo et precipiti rupe munitum et adeo sublime, ut tormentali lapide haud facile possit attingi. Britones huic loco famam dedere, qui per Gallicum intromissi pontificem usque ad Martini tempora et

5

arcem et oppidum tenuere, atque omne Patrimonium Beati Petri in Thuscia vexavere. Callistus pontifex Cathalanum prefecerat, quem Pius vix multis oneratum promissis emisit, et Laurentium, neptis suae Montanine virum induxit. Diem ibi totam et duas noctes Pius absumpsit, cum soror adesset Laudomia et neptis Montanina, quibus se negare non potuit, suas et amicorum causas longo sermone commendantibus.

10

Septem cardinales itineris fuere comites - duo Gallici: Rothomagensis et Atrebatensis; unus Hispanus: vicecancellarius; quatuor Italici: Theanensis, Papiensis, Senensis et Mantuanus -, cumque his Viturvium petiit. Duo in via non procul a Viturvio occurrerunt: Bononiensis et Spoletanus; quos torvis oculis inspectavit, nec dignos putavit alloquio, qui rudi quodam ingenio et cerimoniarum ignaro quam primum videre pontificem, ut moris esset, non desilierunt ab equis. Illi postea suam ignorantiam accusavere, ac veniam petierunt.

15

Pius summis honoribus apud Viturvienses exceptus est populo supra modum gestiente. Secuti sunt paulo post cardinales, qui Romae remanserant, fere omnes, cum pestis Urbem populari cepisset; brevique Curia apud Viturvium aucta, neque incommode collocata. Placebat omnibus et urbanitas atque humanitas populi et urbis amenitas, in qua rara domus est sine fonte perennis aquae, nec horti desunt; huc accedebat optimarum copia rerum, vina diversi generis - quae nec Florentinis cederent nec Senensibus -, panis candidus et gratissimi saporis, et quae serpillio et odoratis pascerentur herbis, animalium carnes. Pisces inde Tyrrhenum pelagus, hinc vicinus Vulscinensium lacus abunde suppeditavit, nec iumentis suum pabulum defuit. Pretia rerum ipsi sibi, ut voluerunt, curiales statuere.

20

25

Pontifex arcem inhabitavit, eoque sibi afferri calidas aquas iussit, quibus pro medicorum consilio uteretur. Egrediebatur singulis fere diebus primo diluculo in agros pergratam, priusquam incalesceret, capturus auram, ac virentes spectaturus segetes et florentia lina, que tum celestem imitata colorem ingenti delectatione aspicientes afficiebant. Nec usquam plures aut maiores campi, quam apud Viturvienses, lino seruntur, quod sive natura soli sive, quis macerantur, aquarum optimum apud eos invenitur; ex quo precipuas opes hauriunt. - Lustrabat omnia pontifex, tum prata tum sata, diversis diebus per diversa vectus itinera; nec tamen aut consistoria aut signaturam negligebat, inter eundem et supplices audiebat et legatos. Reversusque aut in consistorio cum cardinalibus erat, antequam pranderet, aut cum referendariis in signatura, quam crebro apud Minores, qui Observantes appellantur, agitavit extra urbem placido in loco, quem Paradisum appellant. [389]

30

35

7. Ludovici regis indignatio, et multorum conficte littere, eiusque legatio et Pii invicta constantia

5 Dum sic pontifex animo suo indulget, Ludovico regi Francie ex Romana Curia complures
 afferuntur litterae, quae Pium pontificem sibi infensum asserunt bellum Siculi regni
 ardentius, quam antea unquam, instruere; cum Pragmaticae Sanctionis abrogatae litteras
 accepisset, [laetabundum exclamasse: „*Bellum, bellum!*“, quia data esset aurum Francia,
 quod bellum abunde aleret Pragmatica deleta. Quidam pontificem regias litteras per
 contemptum in terram proiecisit et conculcasse pedibus renuntiavere.] Quibus rex credulus
 10 auditis mirum in modum succensuit non satis existimans, an verisimilia essent, quae
 scriberentur, dictavitque mox ipse ad pontificem in hunc modum epistolam:

15 „*Ludovicus rex Francie Pio pontifici salutem. Existimavi pietatem tuam, maxime
 pontifex, beneficiis vincere. Abrogavi Pragmaticam Sanctionem, obedientiam liberam ad te
 misi, auxilia contra Turchos obtuli, concilium et res novas adversus Apostolicam Sedem
 petentibus dure respondi; nihil mihi unquam persuaderi potuit, quod non esset ex tua
 dignitate. Quis non putasset his officiis rigorem tuum, [quem videris adversus Francorum
 concepisisse sanguinem,] mollescere debuisse? Mihi persuasum erat, si non fieres mitior, at
 certe duriores minime fieri. Contra evenit: Andegavensem, qui sanguis meus est, nunc
 20 potissimum Regno conaris eiicere; [filiam meam, quam tuo nepoti coniugem obtuli, ultro
 despexisti, et Ferdinandi pretulisti affinitatem; cum Pragmaticam Sanctionem iussu meo
 deletam accepisti, bis bellum acclamavisti; et sunt, qui te litteras meas in eam rem missas
 publice conculcasse affirmant.] Quid agam, si nequeo benefaciendo ferocem spiritum
 mitigare? Experiarne viam contrariam? Non faciam! Non fert animus Christi vicarium
 25 poenitebit te aliquando suscepti [in Francos] odii, et nostro generi fies amicus, et assiduo
 tandem vincens obsequio. Vale.*“

Tolerabilia haec, et quae pontifex rescribendo facile confutavit. Duriora legatus attulit a rege
 missus - marescallus Tolosanus, vir domi nobilis, quamvis sine litteris et Italici sermonis
 ignarus -, qui per interpretem in hanc sententiam verba fecit:

30 „*Rogavit te Ludovicus Francorum rex, auxilia, quae Ferdinando in Regnum misisti, uti
 reduceres, cessaresque aliquando suum persequi sanguinem. Quod ut libentius faceres,
 Pragmaticam Sanctionem e Galliis eliminavit, et obedientiam tibi plenam restituit. Tu pro
 beneficio maleficium reddidisti, novas in Regnum copias misisti, et acrius urges
 Andegavensem. Orat iterum rex, ut desistas, et amico velis uti Francorum regno. Sin pergis
 35 Ferdinandi partes tueri, necesse est Gallos omnes - etiam cardinales - ex tua curia
 decedere: hoc ego illis mandatum offero. Parebunt, ne dubita, potius, quam temporalibus
 privari fortunis velint!*“

Cui pontifex ita respondit:

40 „*Etsi multa et magna sunt Ludovici erga nos beneficia, non tamen idcirco iniqua petenda
 fuerunt, neque nos decuit sui causa ab honesto discedere. Ferdinando ex federe misimus
 auxilia: vim propulsavimus, ne possessor sine iudicio deiceretur. Auferat [390]*“

Ludovicus Andegavensibus arma, et litem de Regno ad iudicium referat! Idem faciet Ferdinandus, aut nos hostes experietur. Plura non licet offerre.

5 *Gallicis libertas esto, cum velint, ex Curia recedere: nulli claudentur portae. [Parituros iussioni regie episcopos et cardinales - ut ipse ais - non dubitamus. Quis enim Gallicus est, et non regi magis, quam Deo pareat? Preferent procul dubio Christi vicario, quem*
preferunt Christo!] Nos sortem, quam Deus tulerit, aequo animo expectabimus."

10 *Ea cum accepisset Atrebatensis, supersedendum esse ait, expectandamque novam iussionem regis, priusquam curialibus mandatum fieret. Ludovicus enim, etsi publice marescallo de revocandis curialibus mandatum dederat, clam tamen, ne quo pacto id faceret, imperaverat: terrificam esse voluerat, non factam; neque id latebat Atrebatensem. Itaque tempus trahebat, si forsitan pontifex metu percussus de revocandis auxiliis animum induceret.*

15 *Percrebruerat iam tota Curia rumor regem Francie summo pontifici succensere et magna minari, nec dubium esse, quin Gallici omnes abirent, nisi Ferdinandi causa relinqueretur indefensa. Accedere et cardinales et alii complures, Pium orare supplices, ut sibi et Ecclesiae bene consuleret; referre, quae audiverant de regis indignatione; Curiam desertam dicere abscedentibus Gallicis; maximum Curie membrum penes eos esse; dandam operam, ne abeant. Quibus pontifex:*

20 *„Verba hec sunt" - inquit. - „Non facient, quod minantur. Terrere voluerunt; non vincimur minis. Manebunt Gallici, quamvis abituros simulent. [Abeant tamen, si placet! Quid erit? Curiane propterea destruetur? Immo vero reparabitur! Avaritia et simonia et luxus et ambitio cum illis abibit, et omnes male artes cessabunt cessantibus Gallicis. Nam que turpitudine in Curia non a Gallis inducta? Beatus ille pontifex, qui nunquam Gallos in Curia vidit! Et quid nobis attulit sublata Pragmatica, Francorum obedientia, nisi conscientie periculum? Quotidie pugnare cum Gallicis cogimur indigna et inhonesta petentibus. De anima luditur: lucrum in archa offerunt et damnum in conscientia. Abeant potius et procul absint: tum demum et pie licebit et quiete vivere!]"*

30 *Marescallus, cum dies aliquot mutationem pontificis expectasset frustra, oportere se inquit iussioni regie satisfacere; petere igitur, ne id pontifex egre ferret. Cui Pius: „Immo vero" - ait - „nimium distulisti. Ito et quam primum regi pareto!" - Nec tamen sic ausus est, quod minabatur, efficere, sed diu postea secutus est Curiam.*

8. Festum Corporis Domini a Pio incredibili solemnitate celebratum Viturvii, et urbis ac cardinalium magnificentissimus apparatus

35

Interea, cum prope adesset Sacratissimi Corporis et Sanguinis Christi solemnitas, quae quottannis summa populorum devotione et singulari religione in [391]

orbe Christiano celebratur, statuit pontifex id festum quanta posset veneratione et precipuis honoribus prosequi. Atque in primis eius rei causa viam publicam, quae ab arce per mediam urbem ad cathedralem ducit ecclesiam, crebris impeditam menianis et tabulatis et porticibus ligneis deformatam, purgari et ad pristinum reduci splendorem iussit. Ablata sunt
 5 omnia, quae prominebant, et prospectum vicine domus auferebant; reddita est ubique sua mensura viae. Quicquid ablatum e publico fuerat, restitutum, nec paries parietem excedere, nec tectum tecto amplius prominere permissum. Exin cardinalibus mandatum, ut partem vie sibi quisque deligeret pannis tegendam atque ornandam; quod reliquum fuit, inter episcopos et reliquos curiales distributum est; quidam etiam inter cardinales adornandas domos
 10 parietesque susceperunt.

Pontifex in cymiterio Beati Francisci, quod ante vestibulum ecclesiae fuit amplissimum, ex pannis diversi coloris mirificum templum excitatis repente trabibus, suspenso tractoque multo fune composuit; erexit altare hinc atque inde divitibus pendentibus auleis, et mirabilia multa imposuit, quae spectandum oculos facile retinerent. Fuit et vestibulum syriceis et
 15 aureis pannis ornatum, et cubiculum prope et purpureus lectus et historiae veteres syrico, lana et auro contexte, et clarorum imagines virorum et ferarum diversi vultus; ex florenti genesta et myrto et lauro arcus multiplices hinc atque inde ab arce usque ad fontem, qui est in plano post clivum, admirabili opere deducti; strata floribus via; in medio e regione templi triumphalis arcus excitatus et cardinalium formae virtutum et insignia, quae vento
 20 agitantur cum presulis tum regum et cardinalium; parietes aut picti tapetes aut flores obtexere.

Pontifex cum cardinalibus et omni clero frequentissimo astante populo in templo, quod erexerat, primos solemnitatis vespere celebravit alto adhuc sole, cuius radii parietes laneos penetrantes tanquam iridis arcus varios simulantes colores, quasi celestem aulam et Summi Regis habitaculum, templi faciem reddiderunt. Nec aliud, quam paradisi quedam visa est,
 25 cum hinc cantores tanquam angeli dulces hymnos intonarent, inde luminaria mirabili artificio disposita celestia imitarentur sidera, et nunc vocis humanae dulce melos, nunc musicorum instrumentorum suavis concentus exaudiretur.

Sequenti die summo diluculo pontifex ex arce cum cardinalibus et episcopis atque omni curialium ordine in solemnem pompam huc rediit, atque hinc Sacratissimam Hostiam ex altari suscipiens versus cathedralem ecclesiam iter incepit. Aderant frequentes populi, qui vel indulgentiae causa - promiserat enim pontifex omnibus, qui adessent, peccatorum plenariam remissionem -, vel ad spectaculum ex vicinis oppidis confluxerant. Plena erat omnis platea et constipata ubique viris, mulieribus ac parvulis via, ut difficile pateret pontifici ac pompae
 35 transitus. Itum tamen est per conferctissimas plebes non sine pressura ac labore.

Qua pontificis ornamenta desivere, Rothomagensis inceperunt et Constantiensis et Lebretei cardinalium, qui suae gentis more pannis, quos vocant Atrebatenses, obduxere parietes, et altaria argento et auro ditia construxerunt, [392]

et multo thure cumularunt. Post eos referendarii suas domos apparavere; imaginem Salvatoris sub altari, quod in sublimi locaverant, iuvenem quendam, qui emularetur sudaretque sanguinem, et aperto latere saluberrimo cruore impleret calicem, imposuerunt, et pueros quasi angelos addidere alatos, qui versus heroicos canerent aut elegiacos a doctis ingeniis editos. - Subinde cardinalis Sancti Sixti locum accepit, qui pro sue religionis dignitate ultimam Domini cenam eiulatus Salvatorem cum discipulis expressit, et institutionem Sacramenti pro memoria passionis et humani generis usque ad finem seculi adversus insidias demonum perpetua defensione et Thomam Aquinatem, virum sanctum, quasi officium tante solemnitatis ordinantem. - Post eum cardinalis Mantuanus longum vie tractum cooperuit et nobilissimis adornavit historiis, quas peritissimi textores pannis appinxere divitibus. - Huic cardinalis Portuensis successit, in cuius apparatu draco ingens et multe malignorum spirituum facies horribile minari aliquid videbantur; verum draconi armatus miles Michaelis archangeli gerens vicem transeunte pontifice caput amputavit, et cuncti demones precipites corruere latrando. Celum tanquam nubes rutilans pannus obduxerat et parietes corium more Betico floribus distinctum aureis. - Erexerat et altare post eum cardinalis Nicenus, et pueros quasi angelos canentes induxerat. Frequentes ubique fumabant are, sacerdotes pluribus in locis rem divinam faciebant; sacra supellex, et quicquid erat in urbe sanctorum reliquiarum, in propatulo auro et argento vestitum visebatur in aris. - Niceno Spoletanus successit, cuius ornamenta duo clausurunt arcus ex floribus et fronde viridi artificiose compositi. Sacrarium et ara in medio fuit, et vis odorifera fumi et puerorum canentium chorus; murorum et celi prospectum pannus abstulit diversi coloris, quem vocant saium. - Proximus deinde vicecancellarii apparatus occurrit, quattuor et septuaginta passibus protensus: cortina claudebat purpurea dives ostro simulachra et personatas historias et cubiculum adornatum et lectum preciosum et fontem, qui non aquam modo, sed optima quoque vina per varias fistulas profunderet. Appropinquant pontifici duo se obtulerunt pueri tanquam angeli suave canentes, qui postquam flexo genu Divinam Hostiam honorarunt et presulem salutarunt, retro ad cortinam reversi suavi et alta voce cecinerunt: „*Attollite portas, principes, vestras, et introibit rex pius, dominus mundi!*” Intus apparatu magnifico quinque reges et armatorum cohors prohibere videbantur ingressum; qui auditis angelis: „*Et quis est iste rex pius?*” - responderunt. Et angeli propter Sacramentum, quod Pius in pompa ferebat: „*Dominus*” - inquit - „*potens in orbe.*” Quo dicto mox cortina remota patuit aditus, et simul insonuere tubae et organa et musicorum instrumenta quam plurima, et reges pontifici adulantes voce canora et dulci de laudibus eius heroicos versus alternantes recitavere. Inter eundem et homo silvester occurrit leonem captivum ducens, cum quo saepe luctatus est. Sublime pannorum erat per omnem plateam, quae fontem ambit, et dives tectum; pendebant vexilla, in quis Callisti presulis et Borgiae, quondam prefecti urbis insignia visebantur; aulea quoque non materia minus, quam ingenio et arte ditissima [393]

lateribus hesere, quae non turbae tantum imperite, sed ipsorum quoque sapientum virorum distinerent oculos, atque animos pascere. In exitu triumphalem arcum in arcis modum aedificatum armati milites occupavere, qui tormentis aeneis imitati tonitrua transeuntibus ingentem incussere timorem. - Cardinalis Sancte Susanne, quod sibi obtigerat

5 viae post vicecancellarium, naturam secutus panno caelestis coloris obduxerat, et stellas impresserat aureas, et fontem induxerat vini albi ornatum floribus et altare odoratum et statuas, quae ridere viderentur et canere, et chorum, qui voce viva et musicis instrumentis oblectaret turbam. - Nicolaus cardinalis Theanensis, ut pontifici res egregias cupienti morem gereret, ex Pistorio, unde sibi origo fuit, ludorum artifices accersivit et pueros, qui dulce

10 canerent. Huic platea obvenit, quam circum magistratus urbis inhabitant; hanc caelestis et albi coloris tela cooperuit et tapetibus undique adornavit, deduxitque plurimos arcus virenti vestitos hedera et flore multiplici, nec columna fuit, quae puerum quasi angelum non haberet insidentem. Duodeviginti fuere pueri vultu, voce et habitu naturam angelicam imitantes, et ii alterna demandata carmina suavi cantu pronunciabant. In medio fori sepulchrum

15 dominicum excitavit, eius simulacrum, in quo Vita nostra propter nos obdormivit in Domino; armati circum milites oppressi somno tanquam mortui iacuerunt, et angeli steterunt vigilantes, qui non sinerent Celestis Sponsi thalamum violari. Cum venisset ad locum pontifex, ecce subito, tanquam e celo advolans, per funem dimissus egregius forma puer alatus quasi angelus, vultu seraphico, divina voce ac nutu presulem salutavit, et hymnum canens futuram e

20 vestigio Salvatoris resurrectionem annuntiat. Fit silentium, nemo non tacet, auditur summa omnium voluptate, tanquam res vera gereretur, et certus esset e celo nuntius. Cum finisset, excitatus in aereo vase mixtis pulveribus ignis tanquam fulgur intonuit, dormientes excitavit milites ac stupore perterritus; et aperto sepulchro, qui Salvatoris personam gerebat, subito prodiit homo rufus, statura et aetate persimilis Iesu, vexillum Crucis manu tenens, ornatus diademate, et qui cicatrices vulnerum perlucidas ostenderet, et versibus Italicis partem

25 Christiano populo salutem diceret. - Post Theanensem cardinalis Avenionensis haud contemnendum erexit altare, et viam sibi distributam Gallicis opibus illustravit. - Papiensis deinde quattuor coloribus celum obduxit, et Atrebatensibus auleis velavit latera, excitavit floridos arcus, et pueros hinc atque inde quasi angelos complures collocavit, qui cereos ardentes in manibus tenentes divinum honorarent Sacramentum.

30 Deinceps minor ornatus inventus: flores et frondes et ramalia virentia pro auleis fuere et tectura, quae pauperes indicaret dominos, quamvis altaria et sacris induti sacerdotes et canentium voces et fumantia thura nusquam deessent. - Ambrosius Senensis, pontificis aulicus rursus ante domum, quam inhabitavit, meliori cultu viam instruxit, et suis opibus

35 sole repulso tectisque parietibus viros aequare magnos adnixus est. - Exin cardinalis Atrebatensis a ponte lapideo, qui partes civitatis coniungit, ad plateam usque maioris ecclesiae ea tela viam cooperuit, quam nuper e Florentia iusserat afferri, ut nova [394]

veste familiam indueret, lane Anglice et coloris inter rubrum pullumque medii; vici latera
 suae urbis fulcivit opibus; trabes hinc atque inde arduas erexerat et funibus obligaverat, ex
 quis aulea penderent, cum domus circumstantes humiliores viderentur. (Nocte, que festum
 5 precessit, magna ventorum vis excitata pulsatis tractisque hac et illac funibus telarum
 magnam partem laceravit, et destinata vestimenta non sine damno famulorum diminuit.) -
 Plateam, que ante cathedralem ecclesiam late patet, cardinalis Sanctorum Quattuor Corona-
 torum magnis erectis trabibus et fune connexis universam cooperuit et opibus ac miraculis
 illustravit; altare loco erexit opportuno, et a dextris pontificalem tronum et subsellia
 10 cardinalium, a sinistris episcoporum sedilia et protonotariorum et abbatum, et qualis in
 Apostolico Palatio, capella instructa. In parte platee, loco sublimiori Gloriose Marie Virginis
 sepulchrum erectum et desuper, in summitate domorum, Celestis aula Regis et sedens in
 maiestate Deus et angelorum sanctorum chori et ardentia sidera et superne gloriae miris
 expressa modis gaudia visebantur.

Peracta est divina res summa populi devotione. Cardinalis Sancti Marci missam celebravit,
 15 pontifex populo benedixit. Exin puer angelum agens suavissimo cantu assumptionem
 Virginis futuram predixit; patuit ilico sepulchrum, et virgo pulcherrima exiit, que angelorum
 manibus sustentata paululum per aerem vecta petenti apostolo cingulum dimisit, exin plena
 gaudio dulce canens in celum assumpta est. Cui occurrens Filius idemque Pater et Dominus
 20 in fronte osculatus matrem, et oblatam aeterno Patri ad dextram suam collocavit. Tum
 canere celestium spirituum agmina, musica instrumenta tangere, letari, gestire et cuncta in
 celo ridere; atque ita solemnitati finis impositus. In qua illud miraculi precipuum fuit, quod
 aulici pontificis paravere: homo Christum exprimens, pudibunda tectus, cetera nudus,
 coronam spineam in capite gerens et tanquam sudaret sanguinem, pictus, crucem baiulans,
 25 in qua pependisse videretur. Ab ecclesia Sancti Francisci usque ad maiorem curru vectus in
 pompa, cum missa celebraretur, et assumptio representaretur matris Domini, immobilis et
 quasi statua perseveravit.

Populum, cum platea non caperet, iussit pontifex in prata, que retro pontificales aedes
 fuerunt, descendere, atque ibi ex fenestris iterum multitudini benedixit, et plenarias
 peccatorum tribuit indulgentias.

30 Hunc Pius Divinissimo Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi Sacramento
 impendit honorem; qui solemnitate peracta cum ipso cardinali Sanctorum Quattuor
 Coronatorum, pontificalem inhabitante domum, prandium fecit. Palatium vetus et amplum
 fuit maiori coniunctum ecclesiae, quod Romani pontifices olim aedificavere, cum sepe apud
 Viturvienses agerent. Triclinia et cubicula sunt digna principe; cardinalis cuncta magnifice
 35 exornavit. Aula erat altissimis suspensa fornicibus, et que lucis multum et gratissimum
 haberet prospectum, et marmoreum in medio fontem, largas et perspicuas aquas pluribus
 fistulis eructantem; hunc auro et argento vestivit. Aulea pro parietibus preciosa suspendit,
 que memoratu dignas historias continerent, et [395]

ingenium pre se ferrent artificis nobilissimum. Convivium, quale reges instruere solent, apparavit, cardinales in prandio complures retentavit, argenti et auri vasa magni ponderis adhibuit, lyram et cantores addidit: nihil, quod desiderare posses, convivio defuit. Grata colloquia et sales honestate conditi breviores horas reddidere. Peracto prandio cum
5 quievisset paulisper suo more pontifex, vesperi comitante Collegio per viam, qua venerat, ad arcem rediit.

Quicumque ea die Viturvium intravere, et tot miracula tantumque rerum ordinem et apparatus per urbem incedentes intuiti sunt, deorum certissimum domicilium sese ingressos, non hominum habitacula putaverunt, et celestem patriam vel vivos in carne sese
10 spectasse dixerunt.

9. Discessus Curie e Viturvio, et pestis exorta, ac monasterii Sancti Martini descriptio

15 Sed quae diuturna mortalibus gaudia? Breve est omne, quod placet! Succedit laetitiae meror, risus extrema luctus occupat! Exultantem hoc statu Curiam civitatemque nimia voluptate gestientem exorta subito pestilentia conturbavit, tabificum venenum et mortifera lues plerosque cum cives tum curiales extinxit. Propter quam rem territi cardinales mutandam Curiam censuerunt.

20 Pontifex retentis penes se paucis cardinalibus, reliquis libertatem fecit, quo vellent, pestiferum morbum effugere. Ipse, priusquam abiret, cenobium Sancti Martini, quod est in monte Cimino, visere statuit; id nepoti commendaverat. Distat a Viturvio milibus passuum tribus, nec tamen ad summitatem montis pertingit. Templum est altis erectum fornicibus ex lapide secto; nobile opus et multis insigne columnis, in quo - sicut ante diximus - cardinalis
25 Egidii conditum fuisse cadaver affirmant. Multi olim religiosi divinas hic laudes cantavere - nunc cornices excubant et palumbe, et nonnunquam suos intonat planctus "ferali carmine bubo". Cenaculum adhuc extat egregium, cetera vel corruerant, vel cito casura videbantur. Pontificis nepos restaurandi curam accepit.

Situs amenissimus est. Large intus et lucide scaturiunt aquae, castanearum silve
30 circumstant, et agri assunt et vineae. Prospectus Senas versus ad Amiatham usque protenditur; inspicit et Argentarium montem in occidentali plaga, et mari terminatur et aere; iocunda aestivis mensibus habitatio.

Hinc redeunti pontifici ac per urbem iam tenebris obortis domum petenti mirabili
35 applausu universae civitatis viri, mulieres, puella, pueri ac senes cum luminaribus occurrerunt, Pio vitam et foelicitatem acclamantes, nec alia vox audiebatur. Quasi deum e celo venientem admirabantur cuncti et salutabant, nec puerulus erat, qui non „*Pium! Pium!*“ parvulo sonaret ore, quamvis per aetatem nondum posset ad plenum verba formare. - Moverunt ista Pium, et lachrimas excussere futuras meditati calamitates; secumque ait:
40 „*En dura mortalium sors! Heu mens ignara futuri! Viri nobis ac matrone letantes applaudent, virgines ac nuptae gestiunt, pulcherrima iuventus utriusque sexus voluptati dedita* [396]

gaudium exprimit, plena parvulis ridet via. Sed quotus pestiferam aetatem evadet? Populabitur pestis urbem, pueros auferet et iuvenes, nulli parcat aetati. Quod si liceat huc aliquando reverti, ex his, qui nos hodie tantopere celebrant, paucos inveniemus. O caro, o vita hominum, quam fragilis es atque caduca!" - Nec plura locutus est.

5

10. Lacus Vulsinensis descriptio, atque amenitas insularum et littoris

In arcem reversus postridie, cum iam Curia ferme omnis abiisset, et ipse cedendum pestifero furori existimavit, atque in possessiones nobilium Farnesie se contulit. Castellum est, quod Caput Montis appellant, Vulsinensi adiacens lacui, amenissimo situm loco. Tres partes lacus abluit, reliquam fossa tuetur et arx egregie munita. Tumulus saxeus ab aquis medio fere stadio in altum assurrexit difficili aditu; in summo planities muro cingitur, qui domus agrestium claudit et nobilium stabula atque horrea. Inter muros et rupes viam construxere sex aut octo pedum, quae tria oppidi latera cingit, plana et ambulatu facilis, et que per aetatem iocundas prebeat umbras, nusquam tota soli patens: mane occidens umbra gaudet, oriens vesperi. Assunt et palmites, qui suo tempore pampineis delectant umbraculis. Rupes, ubi siliceus defuit scopulus, consita vitibus et arbore pomifera viam habuit quasi per scalas prope ad lacum, et ibi inter prerupta saxa et confragosos scopulos plurima crevit ilex, quae omni tempore virens gratissimam turdis silvam exhibuit; inter quam et vineam aditum duorum virorum capacem ferro paravere, in quo sepe avibus insidias tendunt.

Huc pontifex declinavit, et cum paucis habitavit arcem. Referendarii per vicina oppida collocati statutis diebus navibus ad pontificem venere. Pontifex in via, quam diximus oppidum circumire, signaturam fecit. Cum fuit ocium, per vicina nemora vectus placidas captavit auras, et propinqua lustravit loca, et nunc terra nunc aqua fecit iter. Cardinalis Spoletanus et Theanensis prope in oppido fuere ad octo circiter stadia, quod Martam vocant a flumine, quod lacus efficit; illic emissorium habens et anguillarum capturam, quas et maximas et optimas putant. He, cum flavit auster et lympidas gurgitis conturbavit aquas, ad exitum lacus diffugiunt, et fluminis secute cursum insidias incidunt. Accole, qua fluvius casum habuit, turrim construxere et receptaculum in fundo ligneum, cuius pavimentum multis et parvis foraminibus retentis anguillis aquam dimitteret. Ille, cum nequirent adversus fluminis impetum superne cadentis retro scandere, relicte caperentur in sicco. Turris in custodia est, que vectigal haud parvum reddit. Licet et fluminis cursum a turri deducere, cum nimis creverit aqua. Pontifex et hunc locum invisit, ut que auribus hauserat, subiiceret oculis.

In lacu due insule sunt digne memoratu, et que olim frequentibus edificiis culte fuerunt; extant adhuc vestigia ruine veteris. Constat et his principes usum [397]

carceris tribuisse, nam et Christinam virginem huc relegatam legimus, et Amalasuntam, nobilissimam Gothorum reginam impia suorum fraude ac manu necatam. Maiorem hodie Bisenthyniam vocant ab oppido Bisenthyno, cuius in propinquo monte ruinae visuntur; Minores incolunt, quos suam servare regulam putant, atque iccirco Observantinos appellant.

5 Et sunt quidem viri exemplares, paupertate divites et abstinentia - [nisi se magis, quam alios fallunt.] His Ranutius Farnesius et sacellum et cenobium aedificavit, et agros insule dedit, in quis et vites et arbores plantavere, quae vel fructu vel umbra iuarent. Pars insulae hortus est diligenter excultus, semitas perlatas et planas habens. Et hic quidem olera sunt, ibi legumina, nec prata desunt; pars cuniculis relicta est, qui plurimi inter vepres latitant, et

10 quorum venatione saepe monachis instruitur mensa. Viam inter spinas et rubos ferro paravere, in qua retia tendunt cubitalis altitudinis; deinde fustibus ac lapidibus spineta everberant, et animalia exire cogunt; quae cum retia incidunt, facile detinentur. Tertia pars insulae in altum asperatur saxum, quamvis et oleis et amigdalis consita est, nec vite caret, et in cacumine fert ilicem. Multa illic oratoria, ad quae per gradus ferro excisos iter habent.

15 Pius in summo vertice novum sacellum erigi iussit, et spiritualibus ditavit gratiis. Alteram insulam, quae minor est, Sancti Augustini Fratres, quos vocant Heremitas, excolunt. Huius quoque pars plana est in hortum redacta, pars aspera et in altum elevata saxum aditu difficili. Duae insunt ecclesiae vetustae et veneratu digne. Altera in plano est amplior, quam circumstant monachorum habitacula et arborum ac vitium novelle

20 plantationes; altera in summo vertice iacet, in qua Dive Magdalенаe, quae sacros Domini pedes lachrimis lavit et capillis tersit, ossa recens reperta non sine miraculo feruntur, et magnum attrahunt populi concursum. Fidem inventioni vetus historia facit et signorum fama, et quod insulam longo iam tempore ab eadem gloriosa sanctaque foemina vocitant. - Pontifex, cum eo accessisset, insulam circumnavigavit, et missarum solemnibus in ecclesia superiori interfuit, et sacra inspexit ossa, que veneratus et osculatus est. Illic tum primum

25 habitationes monachorum aedificabantur Cornetano episcopo adiutricem manum afferente, cuius studio religiosi fratres inducti sunt, et insula, quae prius derelicta fuerat, habitari cepta. Apud eum pontifex cum duobus cardinalibus prandium fecit.

30 Inter utrasque insulas lacus profunditatem immensurabilem ferunt: naute sepe funibus pertingere fundum adnixa obligato saxo nunquam voti compotes fuere. Hinc piscibus secreta profugia, quorum piscatio circa littora tantum patet. Cum statuisset pontifex apud insulam Bisenthyniam nativitatem Divi Iohannis, precursoris Domini in sacello Minorum celebrare, plenarias omnibus, qui adessent, indulgentias publicari iussit.

35 Gabriel Farnesius, qui loci dominus esset, ut festum redderet celebrius, his premia posuit, qui navium cursu certaturi adventarent. Navigavit pontifex summo diluculo e Capite Montis ad insulam, et cum eo Spoletanus et Theanensis [398]

cardinales; accessit et Rothomagensis, qui non procul habitabat. Affuerunt referendarii et Cornetanus episcopus et Fulginas; ex propinquis oppidis frequens adventavit populus. Res divina suo tempore peracta est pia devotione. Rudolfus decanus Vormaciensis in altari ministravit, et hostiam Deo gratissimam obtulit - vir doctus et a iuventute pontifici amicus.

5 Exin prandium in pratis ad umbram populi peractum, quod viri religiosi - ut pontificem maximum digne susciperent - per oppida circumiecta multis diebus antea mendicaverant. Pium enim oraverant, ne sua cibaria dedignaretur, neve monachorum contemneret apparatus. Neque ille contempsit: fercula, quae apposita fuerunt, edit, et vinis usus est mendicatis, ne pauperem mensam fastidire videretur. Pransus est uno die cum fratribus -
10 verum fratres multos dies ipse pavit!

Aderant finito prandio navium duces, quos inter de cursu certamen erat futurum, et qui remos agitaturi essent, robustissimi iuvenes. - Quinque fuerunt ex omni multitudine naves ad cursum delectae: priorem instruxerant Vulsinenses verbis atque animis gloriabundi, tanquam premia palmae certissime relaturi; Clarentani alteram, Cornetani familiares
15 tertiam, qui Criptam incolunt Sancti Laurentii, quartam, Martani quintam. Magna in omnibus fiducia, maior iactatio: contemnere alter alterum, se quisque preferre, et quo magis abbibisset, sua magnificare facinora: vicisse olim et magno spatio emulos preterisse, potitumque bravio; nil dubium, quin tum quoque victurus esset. Interciderunt et contentiones de magnitudine navium, de remigum numero, de longitudine remorum.
20 Gabriel Farnesius et Alexander apostolicae magister domus et Pacalia custos corporis delecti iudices lites omnes composuere.

Principium cursus apud Caput Montis designatum est, meta in portu insulae; ibique premia posuere, quae victoribus cederent: panni coccinei Florentini optimi ulnas octo, et quae proximi consequerentur, alia munera. - Navigia, que scapharum magnitudinem non
25 excessere, quattuor contenta remigibus singula et uno magistro esse voluerunt; que postquam ad litus pervenere, iuxta Caput Montis per sortem delegere loca, ex quibus tanquam ex carceribus evolarent. Magistri ad clavum sedentes bisso candida et fronde populea cinxere comas; idem fecere remiges nudi omnia preter obscenas partes et oleo perfusi nitentes; extentis ad remos brachiis signum in transtris expectant. Pulsat corda
30 pavor, et ingens arripit mentes cupido laudis.

Ut signum tuba dedit, mox finibus suis prosiliunt omnes, et clamore rauco feriunt aethera. Adductis versa lacertis spumat unda, infindunt sulcos pariter, et remis ac rostris convulsa dehiscunt ima lacus. Prope assequitur cymbarum classis, in quis spectatores his aut illis faventes ingenti fremitu ac plausu feruntur, et clamoribus omnia complent. Consonant vicina
35 in montibus nemora, inclusam vocem littora volvant, et pulsati clamore resultant colles. Prima inter fremitum ac turbam elabatur Vulsinensium navis, et toto corpore preterit alias. Proxima Cornetana subit et Martana simul, relique parvo discrimine subsequuntur. Pontifex, quamvis procul a portu, loco reducto cum [399]

cardinalibus de re publica loqueretur, scapharum tamen contentionem et cursum non sine iocunditate et animi relaxatione spectavit.

In littore, iuxta portum et bravium referendarii et prelati reliqui et multi nobiles steterunt; [inter quos Guicciardus quidam fuit, materno genere pontifici coniunctus, ac propterea
5 Vulsinensibus prefectus. Qui cum accepisset clientes suos priorem tenere locum (incertus id rumor attulerat): „Nonne” - inquit -, „predixi futurum? Noluistis credere. Noram Vulsinensium vires, nusquam validiora invenias brachia. Viros fortes exercitatio fecit et vinum, quod meracissimum bibunt. Frustra Martani contendunt; non Clarentanos aut Criptenses timeo, Cornetanos flocci facio. Mox aderit victrix nostra pinus. Solvite iam
10 bravium ac nobis decernite, iudices! Nostra est palma! Vicimus! Non potest preda hec manus nostras fugere!” - Cui Gabriel: „Si multibibis” - inquit - „palma debetur, non eo inficias clientes tuos victuros fore, quamvis egregie Clarentani bibunt. Sed non tam facile remus trahitur, quam scyphus exhauritur! Hunc ludum Cornetanus episcopus instituit primus, et iam pluribus annis cucurrere naves; nec auditum est Vulsinenses aliquando vicisse. Martani sepe tulerunt premia, idem hoc anno facient, spero, nisi provisum est
15 totiens tuos remiges posse bibere, quotiens aquas remis everberant.”]

Nondum licebat agnoscere naves, et quae prior esset, diiudicare, cum passibus supra mille a portu distarent, spatiumque totius cursus circiter duo milia complecteretur. Interea Martana in puppe magister: „Quid agimus” - inquit -, „socii? Tertio iam in loco relictii sumus, qui nunquam non primi consuevimus esse! En pudor! Quo lacertorum abiere vires? Cum illis hodie contendimus, quos sepe vicimus. Unde aut illi meliores, aut nos deteriores effecti sumus? Hoccine dedecus ferre poterimus, ut spectante pontifice maximo invicti alias vincamur hodie? Mori satius est! Pro, iuvenes, resumite vires! Incumbite remis acrius, et tantum a nostro genere nefas avertite!”

Audiit animosa iuventus, et totis procumbens viribus vastis ictibus percusso gurgite trementi puppi subtrahit solum, et preterita Clarentana cymba Vulsinensis adequat cursum, unaque ambo iunctis frontibus aliquantisper feruntur, exin victrix Martana longo spatio cunctas antecedit. Superat et Clarentana Vulsinensem et Cornetana pariter, cum iam creber hanelitus arida quateret bibulorum ora, et sudor flueret nullo repensatus vino. [Quod
30 Guicciardus cum animadvertisset, nimio dolore percitus e turba recessit.] - Martani longe ante alios tenuere portum, victoresque bravium retulere. Proxima deinde premia Clarentanis reddita. Vulsinenses inter ultimos dimissi Guicciardi iurgia et infamiam veriti portum declinavere; cum quibus par dedecus tulere Criptenses. Cornetani inter gloriam et ignominiam medii fuere.

Finito certamine cuncti abierunt, quamvis validus exoriens ventus lacus faciem conturbaverit, et tempestatem non parvam induxerit. Rothomagensis non sine periculo summersionis domum suam repetiit, cum Clarentani, in quorum nave vehebatur, vino madidi propter ebrietatem nec clavum rite regerent, nec remis probe incumberent. Referendarii duabus instructis navibus inter abeundum Aethyopes imitati fluctuante lacu -
40 quasi rem veram gererent [400]

– navale prelium ostendere nunc contis nunc arcibus concertantes. Pugnam procella diremit; quamvis sepe sub undis mersi et multo trementes frigore, tandem evaserunt.

–
11. Cripte oppidum eiusque antiqua fidelitas, et Aque Pendentis profectio

5

Pontifex in habitationem suam reversus paucos ibi dies moratus, cum propinqua loca pervasisset pestis, tranato navibus lacu, benedicto populo, qui multus erat in ulteriori ripa, per prata virentia et amenam vallem perspicuis aquis irriguam ad oppidum pervenit, quas
 10 Ciertas vocant. Tumulus topheus est stadiis excelsus duobus, uno tantum aditu oppugnabilis, verum fossa et muro munitus alto, caetera preruptis et profundissimis defensibus vallibus. Oppidani speluncas effoderunt, in quis magna pars habitant; sunt et domus ex lapide secto. (Durescit ad solem tofus, et saxi prebet usum.) - In persecutionibus, quae nostra vel patrum nostrorum memoria Romanam Ecclesiam vexavere, nunquam ad
 15 hostes defecere Ciertasenses, fidem inconcussam summis pontificibus servavere. Propter quam rem dignos censuit Pius, quos sua presentia consolaretur.

Incredibilis fuit eius populi letitia, qui nunquam antea Christi vicarium viderat; cuncti suas opes ostendere, ut transeunti pontifici vias ornatas redderent. Ille apud veterem amicam, eius loci parrochianum, frugi hominem et meliori prudentia, quam vultu, divertit ad
 20 prandium, quod oppidani pro tempore splendidum apparaverant. In eo dum sedet cum cardinalibus, tanta imbrium e celo vis cecidit, ut valles impletura propinquas videretur, et ipsum quamvis sublime oppidum submersura; sed cessavit cum prandio, et pontifex ad Aquam Pendentem ipsa die se contulit, ibique pernoctavit.

25 **12. Legatio [nobilitatis] Senensium et Augustini Dathi [garrula mendaxque perfidia] et rerum Senensium mentio**

Quo in loco legati ex [nobilitate Senensi] ad eum venire petitura, ne sua causa apud [populum] amplius ageretur.

30 Fuerat Romae Augustinus Datus legatus [populi] - ut ante diximus -, multisque precibus oraverat, ut per aestatem pontifex patriam suam reviseret. Pius spem fecerat, si meliori in se animo civitas inveniretur. Venerat ille usque Viturvium secutus Curiam; et cum esset omnium iudicio non indoctus neque ignarus dicendi, suo vero doctissimus et eloquentissimus, sepe cum Pio pari oratione contendit, et ambitiosa disputatione vincere
 35 conatus est; scripsitque magistratibus [et dicta et non dicta; sua magnificavit, pontificis verba imminuit, nisi que poterant odium augere: in his profusior fuit. Nec meliorem se [401]

prebuit, cum in senatu reversus, quae egisset, recensuit: pontificem amarulento animo se audisse; odisse civitatis populum; nullum diligere nisi nobiles; statuisse plebem deiicere, nobilitatem extollere; nisi caveant, perituram presentis regiminis formam; esse aliquos ex populo, qui cum nobilibus sentiant, et ceptis faveant papae, secreta senatus scribant, consilia pernitiiosa ineant; occurrendum, priusquam ingravescat malum.

5 Bartholomeus falso cognomento Benassai tum forte capitaneum populi gerebat (is est summus apud Senenses magistratus). Pius hunc virum multis beneficiis cumulaverat: pretorem Spoletanis dederat, et finito magistratu confirmaverat; Reatinis et Interamnensibus gubernatorem prefecerat; ex quibus muneribus multum corrasit aurum. 10 Sed nulla degenerem animum obligant beneficia, ambitioso nullus honor satis est, avaro semper minus dedisti: vocatus ad munera partem accepit meriti, revocatus iniuriam tulit. Bartholomeus, tanquam affectus contumelia fuisset, post annum ex gubernatione dimissus adversari pontifici, et eius postulata refellere, quae prius aliquando probaverat, non est veritus. Audita relatione Dathi nobiles urbis in Palatium ad se vocavit, plenusque tumore 15 vano et ira:

"Pontifex" - inquit - „*maximus vestra causa nobis molestus est: quotidie plura petit, nec cessat modo litteris urgere modo nuntiis. Promisimus, quod satis fuerat, de regimine; plura petuntur. Quis tot molestias aequo animo ferat? Mittite ad eum, date operam, ut facessat iam tandem haec molestia! Nisi sapitis, in capite vestro cudetur faba. Vox mea vox populi est! Declinate furorem plebis, cui iam satis odiosi estis! Nisi cessaverit pontifex plura petere, pro regimine, quod queritis, aut exilium aut carceres patiemini!*"

20 Nobiles ad pontificem duos misere: Iacobum Picolomineum et Bartholomeum Salvanum, qui mentem populi apud Aquam Pendentem, capitanei verba et civium murmura, et quod factum opus esset, illi exposuere. Pontifex, etsi malum suae civitatis erga se animum cognovit, tamen hoc modo respondit:

25 *Revertimini et dicite populo, quieto ut vivat animo. Non erimus molesti patrie nostrae, neque ulterius ab his, qui civitatem gubernant, aliquid postulabimus. Idem erga nos ipsi agant: nihil flagitent! Aequa sit utriusque conditio!*" - atque ita legatos absolvit. - Scripserat prius ex Viturvio has litteras:

30 *"Pius papa Secundus primoribus et capitaneo populi civitatis Senarum salutem. Piense templum absolutum esse accepimus, quod propediem dedicatum eo profecturi sumus. Hoc scire vestrum senatum placuit. Valet."*

35 Quibus in senatu recitatis admirari omnes scripture brevitate, pro suo quisque sensu interpretari, et singula in peiorem accipere partem. Fremere, qui papam odissent, insidias inesse dicere; consultandum providendumque fore, ne incautos venturus Pientiam pontifex adoriretur. Fit libertas senatoribus [adversus postulata papae] dicendi, quae velint, et secreti servandi ius iurandum exigitur. Multa ibi ferociter dicta; nullius tamen oratio virulentior fuit, [402]

quam Leonardi Benevolentis, qui veteris amicitie, qua cum pontifice iunctus fuerat, prorsus oblitus in hunc modum verba fecit:

5 **13. Leonardi Benevolentis non benivola oratio [adversus nobilitatem], et Pii nunquam imminuta benignitas**

10 „Nunquam ego, patres conscripti, [nobilitatem] nostre civitatis amavi, neque unquam eo rem nostram venturam existimavi, ut de communicando cum ea regimine hoc in loco captare consilium oporteret, quando nihil infensius est [populo]. Quid stultius, quam eos in societatem regni accipere, qui te mox eiiciant? Quotiens [nostri nobiles] popularem evertere statum adnixi sunt? Quotiens hanc urbem Florentinis vendere voluerunt? Cur maiores nostri aut Malavoltas aut Salimbenios exilio damnavere, ac preclaras eorum edes exciderunt, nisi quia novis studebant rebus, et quietem urbis impediabant? Nulla libertas, nulla securitas in civitate fuit regnante [nobilitate] . Quae mortales optima ducunt, cuncta sibi [nobiles] vendicarunt; patribus nostris pro mancipiis utebantur; qui superbiam eorum cum ferre non possent, in libertatem se vendicarunt, et ab illis regimen acceperunt. Et nunc, tanquam benefacti poeniteat, de restitutione consulimus? Fortasse putatis naturam mutari posse, et humilitatem [nobilitatemque] simul stare? Falsa opinio est! Generositas nulla non insolescit. Aberam Tiferni gubernator, cum decrevistis hortante papa ad partem munerum [nobilitatem] assumere. Contradicturus eram, si affuissem, et fortasse complures in meam sententiam senatores concessissent. Pio - ut videtis - non sufficiunt promissa; plura petit, et urget in dies magis. Vos, si mihi auscultabitis, etiam quae promissa sunt, revocabitis; [neque enim mens vestra fuit - quemadmodum plurimi asserunt - ea servare, quae obtulistis: dare verba placuit et rem protrahere, si fortasse prius e vita discederet, quam] tempus [adesset], in quo novos creare magistratus oportet. Nondum adest, et in annum prorogari comitia possunt. Quid opus est prevenire? Ex tempore consilium capiemus! Me tamen consultore nunquam [nobilitas] aut claves urbis obtinebit aut eum magistratum, quem populi capitaneatum appellamus. Et impresentiarum quidem decernendum statuo, ne quid amplius [nobilitati] concedatur, quam hactenus concessum est. Si quis aliud consilium dederit, extorris esto!"

30 Fuerunt, qui mitiores dixere sententias, et obiecta [nobilibus] crimina diluerunt, [quamvis nemo postulata presulis admittenda censuerit]. Decretum in sententiam Leonardi factum, cuius eum sensum putavere, ut nulla posthac de promissione pontifici facta mentio fieret.

35 Pontifex ex Aqua Pendenti Percenum venerat, et deinde ad confinia se contulerat, que Romanum agrum a Senensi disternant, atque ibi cum quattuor cardinalibus sub tabernaculo de ramalibus facto sedebat in prandio, cum sibi decretum allatum est a Senensibus editum. Beneventanus archiepiscopus eius rei litteras accepit et pontifici tradidit. Quibus lectis: „En, quantum fallimur" - inquit Pius. - „Legatos Senensium, qui nos in suis finibus letabundi susciperent, [403]

hoc in loco putavimus invenire: nemo datus est obviam; pro legatis contumeliosum decretum occurrit. Ditaturi patriam aestatem in Senensi territorio peragere statueramus, et sequi Curiam iusseramus. Deceret pedem referre, et hoc emolumenti ad alias transferre gentes. At hoc pernitiosi cives cupiunt, qui auctores decreti fuerunt! Discidium inter nos et patriam quaerunt, qui nostra discordia crescunt. Non facient! Ibimus, et urbi, que nos genuit, et Senensi populo vel invito beneficiemus!"

Exin finito prandio per Planum oppidum ad Abbatiam se contulit, quem locum adversus aestum Iulii mensis delegerat.

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
LIBER NONUS INCIPIT**

5 1. Amiate montis situs Abbatieque oppidi mira foelicitas, et Pii delectatio

Armata mons est in agro Senensi Apennmis non inferior iugis, Pistoriensibus tantum
Alpibus et aliis duabus in tota Italia fertur cedere. Ad summum usque verticem vestitur
nemore; pars celsior sepe obsessa nubibus fago tegitur, castanea deinde succedit et post eam
10 vel quercus vel suber, infima vites et humano ingenio satae arbores et agri et prata tenent.
Sunt et in reducta valle montis procerae abietes, quae cum Senensibus tum Romanis
aedificiis materiam nobilem suppeditant; Pius hinc aedificio Pienti trabes coemit. Inter
abietes et castaneas - et nusquam alibi - pars montis calva cernitur, herbosa tamen et utilis
pecori. Ad solis occasum maritime Senensium procumbit; ad meridiem oppido imminet
15 Sancte Flore, de quo paulo post scribemus; ad septentrionem Pientiam respicit, et multa
Senensium castella atque ipsam urbem et Urciam fluvium; ad ortum celsam intuetur
Radicofani arcem et Paleam amnem, qui iunctus Clanio fertur in Tyberim.

Multa insunt oppida populo plena. Quod Abbatiam vocant, loci amenitate nulli cedit in
orientali parte situm, non multo magis a summo cacumine montis, quam ab amne Palea
20 discretum. Planitiem octo circiter stadiorum in media regione natura produxit undique
castanea tectam; qua deficit, rupibus asperatur, veteresque ibi oppidum condidere, inde
pendentibus scopulis, hinc alto muro et fossa decurrentibus aquis plena munitum. Domus
intus ex quadrato lapide construxere non incommodas, tecta ex materia composuere, quae
nivibus resisterent. Ante oppidum silvas quasi ad stadium exciderunt, ubi hortos excolerent
25 et parumper agri.

Vetustum hic monasterium iacet Salvatori Domino dedicatum, templo et monachorum
habitaculis egregie structum; Rotharim Longobardorum regem fundasse perhibent, et
magnis donasse possessionibus. Abbas merum et mixtum imperium in pluribus castellis
obtinuit, et hinc oppidum Abbatia vocatum, quia pleno iure subesset abbati. Sacram
30 suppellectilem pretiosam habuit et bibliothecam nobilem, cuius pauca extant volumina; [
inter quae unum maximum et admirabile] Veteris et Novi Testamenti litteris maiusculis
exaratum, quod Pius pontifex cupide vidit. Monasterium - ut nihil est in terra non mutabile -
hodie pauper est: tyranni cuncta diripuerunt, nec oppidani fidem servaverunt, qui
contemnentibus monasticum iugum ad Senenses defecere, quorum opibus adversus hostium
35 incursiones tutiores redderentur. Mille circiter et quingentis passibus ab hoc monasterio
summitatem Amiatae querentibus vetus sacellum occurrit, in quo reginam conditam tradunt,
Rotharis - ut putant - coniugem; accole summa religione colunt. Heremite circum habitant,
ad quos [405]

difficilis patet ascensus. Pontifex sepulchrum nobilis foeminae inuisit, et indulgentias fano addidit.

- 5 Mense Iulio nondum illic cerasa maturuerant. Iuxta fons largus e saxo emanat, apud quem Pontifex cum prandium fecisset, legationes audivit et vota supplicum. Plures illic dimisso pontifice summum cacumen montis ascendere via precipiti et ardua, et quam nullus auderet scandere, nisi frequens fagus prospectum discriminis auferret, et casuris promitteret obicem. In vertice aream invenere et in medio ingens saxum, cui alterum non minus incubuit; utrunque conscenderunt, ex quo Siciliae montes et Corsice conspiciatos sese rettulerunt. Nicolaus Sagundinus Venetorum legatus cum aliis eo contendit.
- 10 Castanee, que fago succedunt, admodum procerae sunt, et in celum tendunt; robora multa invenias, que vix quattuor homines complectantur; quedam concava quinque et XX-ti pecudibus stabula prebuerunt. Graminei campi sub castaneis patent nunquam non umbrosi, nisi post autumnii frigora, cum folia ceciderunt, per arborum ramos solis radius ingrediatur. Si ullo usquam loco et umbrae suaves et argentei fontes et virides herbe et ridentia prata
- 15 poetas alliciunt: hic per aestatem manebunt. Nec nos vel Cyrrhe vel Nyse aequanda putamus iuga, quamvis multa in fabulis referantur, nec Pennea pretulerimus Tempe - Non serpentes adsunt aut fere, quae noceant; absunt molesta muscarum agmina; non tabanus aut asilus faciem ledit, non cymices odore tetro cubile inficiunt, non auribus immurmurant culices; tranquilla quies per omne nemus, neque sentes aut rubi vulnerant pedes. Arbores tanto inter se spatio distant, quantum proceritate ramorum amplecti et frondibus tegere queant. Solum
- 20 gramina vestiunt, et quae fragra ferant, herbule, inter quas rivi labentes perspicui perpetuo murmure garriunt. - Notaverat locum pontifex anno altero, cum illac transiret, et aptissimum sibi refugium adversus aestivos ignes delegerat - silvarum amator et varia videndi cupidus. Campanus poeta doctus, quem Pius ad pontificalem honorem evexit, cum
- 25 bella Pii cerneret felicia et frequentes secessus in silvas, huiuscemodi versus edidit:

- „Quod victore Pio fieri tot prelia cernis
invalidasque suis hostibus esse manus,
ne mirere: Pium peperit Victoria mater,
30 matris ab uberibus vincere sic didicit.
Quod placeant silve, et magnum lustraverit orbem,
Silvius hac genuit conditione pater.
Iure igitur late spatiatur et omnia vincit:
patris obire orbem, vincere matris habet.”
- 35

Pontifex monasterium inhabitavit. Sex cardinales in oppido mansere et multi curialium; referendarii secundo miliario habitationes sibi delegerunt in loco, quem Planum vocant, non in amenum, neque Abbatia deteriore. Statutis diebus ad signaturam venere, quam pontifex in nemore modo sub ista modo [406]

sub illa arbore et apud suave murmurantes aquas tenuit. Nulla non die locum mutavit, novos in convallibus fontes et novas umbras inveniens, quae dubiam facerent electionem.

5 Contigit aliquando signante pontifice in cervum vasti corporis prope iacentem canes incurrisse. Quibus ille calcibus ac cornu deiectis celeri cursu profugit ad montes. Fiebat et
 10 aliquando cum cardinalibus sub castaneis consistorium, et legationes in pratis audiebantur. Vectabatur quotidie per silvas pontifex, et sequentibus curialibus inter eundem privata simul et publica absolvebat negotia. Cum advesperasceret, paululum extra monasterium profectus in loco, unde cerni Palea posset, cum fratribus consedit iocunda miscens colloquia. Mira suavis!
 15 In valle subiecta sol cuncta exusserat, sitientibus agris aruerat omnis arbor, in cynerem versa tellus Phetonthea perpessa videbatur incendia; circa monasterium et altiora loca cuncta virere, nullum sentiri aestum, suaves spirare auras: beatorum hic sedes fuisse, in valle damnatorum supplicia dixisses. Descendebant aliquando venatum ad inferiora curiales; reversi ardorem intolerabilem sese offendisse aiebant; contra qui montes lustraverant et sublimiora ferarum stabula, horriguisse gelu asserebant.

2. Fons pulcherrimus, et herba adversus pestilentiam divinitus inventa, cenobiique descriptio

20 Pontificem Iulio iam prope exacto visendi fontem in heremo noti fluminis, quem Vivum appellant, cupido incessit. Quadraginta circiter stadia procul aberat in parte montis, quae ad septentrionem vergit; ascensus inter prata et castaneas tria ferme passuum milia fuit non inclemens, descensus tertia parte minor intra quercus preceps et asper. In supercilio iugi, qua prata fuerunt arbore nuda, herba reperta est, quam Karolinam vocant, quod Magno quondam Karolo divinitus ostensa fuerit adversus pestiferam luem salutaris. - Fama est
 25 illum, cum Romam peteret, hac iter habuisse iam exercitu tabe pestifera laborante; super qua re anxium, cum quieti se tradidisset, angelum vidisse, qui diceret: „*Surge, et cum montis iugum ascendens, iaculum proiicito, herbamque illam legito, cuius radicem ferro iaculi vulneraveris. Hanc igne torreto, et redactam in pulverem cum vino aegrotis dato, ut bibant. Virus omne depellet, et tibi exercitum conservabit.*” Somnio fidem periculum peperit. Herba est spinosis foliis, quae solo herentia florem muniunt eius similem, quem producit carduus; colore differt; radice dulci magnitudinis cicoreae, et quae vulneris cicatrice divina dispensatione nunquam careat, ut extaret miraculi indelebilis memoria. Indigene ita memorant. Pius fabulam existimavit, et ab amatoribus Karoli confictas nugas, qui magno imperatori non sua tantum, sed Alexandri quoque Macedonis, qui Orientem subegit,
 35 miracula non verentur ascribere.

Pontifex iter secutus paulo ante meridiem ad fontem pervenit, qui ex antro gelidus ac largus erumpit. Iuxta sacellum adhuc extat ex quadrato lapide, [407]

quamvis tectum ruinam minatur; habitacula, quae circa fuerant, corruere. Castanea simul et fagus mixta umbrosum nemus efficiunt. Prandium in umbra circa fontem apparavere; cardinales accesserant et referendarii. Placuit pontifici, priusquam ederet, signaturam facere. Dies serena fuit, et sol prope celi medium tenuit, nec rigorem frigoris temperaverat aestus:

5 ad nudum solem erigere mensam et signare supplicationes oportuit, atque ita calefactum prandere pontificem, qui plus frigoris, quam optasset, invenerat. Finito prandio ad sexdecim stadia descensum est fluvio, qui ex fonte gignitur, per abrupta saxa et confragosas valles magno a dextris murmure atque impetu decurrente. In valle ima planities non magna reperta est et ager, qui aliquando aratrum pertulit, et pomiferas aluit arbores. Nobile hic

10 fuisse cenobium ruinae docent; Camaldulenses habitavere monachi - nunc bubones incolunt. Fanum adhuc extat non ignobile. Fluvius iuxta decurrit, quem vocant Vivam Heremum, quoniam ab heremo superiori ad inferiorem decurrens lapsu perpetuo nunquam moritur, sed arentem Urciam et aliquando deficientem vivificat; et molas habet, quae per aestatis ardores, cum caeterae deficiunt, Pientie vicinisque oppidis farinam suggerunt. In inferiori

15 monasterio abbas et conventus mansit cum monachis, quibus vita regularis communisque placuit; superiorem heremum fratres incoluere asperioris cultus, et qui solitudine ac ieiunio gauderent; nunc ambo loca deserta sunt.

Pontifex transmisso fluvio per silvas altissimas, in quis procere et instar abietum directissime quercus creverant, per aliud iter ad Abbatiam rediit situm loci metatus oculis, si forte - quod optabat - fluminis cursum divertere posset, et supra Vinionis Balnea in Urciam derivare, et - quod sepe meditatus fuerat - retento amnis cursu, obiecta muri mole lacum efficere, qui planiora tegens loca provinciae piscem sufficeret, et ab hostili tueretur incursu. Sumptuosum opus et pontifice dignum ocioso!

20

25 **3. Oppidum Sancte Flore, et qui tenuerunt, situsque et fontes, et piscationes**

Petiit et Sanctam Floram Pius invitatus a loci [tyranno], quem comitem vocant. Vetus et nobilis prosapia fuit, que Sanctam Floram et alia pleraque oppida in Amiata optinuit, [imperatori tantum subiecta], Senensibus, qui circumstiterent, federata. Eiecta tamen

30 aliquando fuit, et Senenses invasere dominium; quod non diu tenuere: prefectus arcis ab amicis, qui porcum occiderant, invitatus [ad adipata] cum proficisceretur, interceptus arcem restituit.

Nostra aetate Guido comes, cum multos annos in pace regnasset, absque virili prole decessit. Filias tres reliquit et Senensibus ultima voluntate commendavit, qui eas pro dignitate nuptui traderent. Una in domo Peccia nupsit, relique popularia dedignate coniugia viros sibi potentes ascivere: Cecilia Bosium, Francisci Sfortiae germanum, Iohanna Galeazium Arci comitem, Aeneae, [408]

35

quoad vixit, amicum et in eius poemate nominatum. Principatus Bosio cessit, ex quo Cecilia filium peperit, et patris ei nomen indidit. Oppidani hunc amant, quem sui sanguinis esse ducunt. Et hic pontifici, ut locum viseret, supplicavit, eumque venientem precipuis excepit honoribus itinere, quod erat multis in locis impeditum et pene clausum, ingenti labore aperto.

Oppidum in alto iacet saxo rupibus undique preruptis et in profundissimas pendentibus valles asperatum; una tantum parte equus, et coherenti monte ad menia patuit aditus, quem fossa profundior interruptit; et eo in loco arcem construxere, qua servata non est, quod vereri oporteat. Multi hinc atque inde scaturiunt lympidissimi fontes; ad occidentalem partem vis aquarum maxima erumpit, quae postquam piscinam implevit amplam, per fistulas emissa ingenti murmure in subiectam delabitur vallem. In piscina cubitales trutae tanquam in vivario nutriuntur; quarum presente pontifice non parva piscatio facta est. Descendit et pontifex ad inferiorem fluvium, qui trutas gignit pre ceteris Italiae sapidissimas. Accole coram eo piscati sunt, nec capturam parvam fecere.

4. Pii mansuetissima humanitas in lacte a pastore accipiendo

Cum rediret pontifex media per armenta, que pascebantur in pratis, custos gregis, qui nunquam pontificem vidisset, vestimenta cardinalium et purpuratorum admiratus ornamenta - quamvis paululum hesitavit, quem pro summo pontifice venerari oporteret - visa tandem aurea sella, quae humeris hominum inter equites portaretur, sessorem adorandum statuit; et emuncta vacca, que prope aderat, catinum, ex quo bibere atque edere consueverat, lacte plenum pontifici letabundus obtulit, quem propter aestum sitire arbitrabatur. Pontifex memor illius, qui Artaxerxi Persarum regi iter habenti comprehensam utraque palma porrexit aquam, subrisit, nec dedignatus est nigrum et unctum - tanquam biberet - osculari catinum, gustandumque cardinalibus tradere, ne sedulitatem et reverentiam pauperis agrestis contemnere videretur, qui opes apud se carissimas obtulisset. Animum pensavit rerum dispensatorem: meliores procul dubio traditurum, si affuissent.

5. Legatio Senensium, et Pii oratio acris et vehemens adversus seditiosos

In Abbatia legati Senensium quattuor pontificem adiere xenia portantes: vina pretiosa, panes candidos, agnos pingues, vitulos et - que tempori convenirent - poma. Franciscus Aringherius verba fecit missionis moram purgare conatus; et cum multa de caritate Senensium erga Pium disputasset, atque urbem et populum commendasset, postremo, ut Senas accedere et sua presentia carissimos consolari filios dignaretur, supplex oravit. Aderat et Leonardus Benevolentus, [409]

cuius verba in senatu habita supra rettulimus; qui pontifici tanquam sua opera ignoranti subblandiri conatus est. Pius cuncta benigne audivit, deinde ita respondit:

- 5 *"Munera, que attulistis ex patria, grato recipimus animo. Si nobis fines vestros intransibiles urgente causa non occurreritis, ipsi videritis. Pontifici maximo haud multum honoris affert Senensis populi legatio, in cuius comitatu nunquam desunt et cardinales et maximorum regum ac principum oratores. E re vestra fuerat adventanti pontifici in finibus quam primum occurrere, ne quod inter vos nosque discidium ortum [vicini] vestri existimarent, quibus nihil molestius est, quam vestrum civem in apostolico trono sedentem cernere rebus vestris amicum. Vobis fortasse non ita videtur, qui decretis insolitis et*
- 10 *inhonestis nostrum abalienare animum conati estis: patriam nobis commendatis, et vos ipsi patriam persequimini, et hostium agitis causam! [Quis vestrae urbi, quam Florentinus infensor est? Emula civitas, dominandi avida, auro dives, late imperans vestris cervicibus imminet; ad quartum lapidem inimicus adest vestrae ruine semper invigilans! Hunc timetis, nec remedium queritis adversus instantem procellam?]*
- 15 *Duo sunt, quae rem vestram salvare possunt: divitiae atque concordia. Illas nos parare potuimus singulis annis per estatem cum Romana Curia apud vos commorantes: sicut grex ovium impinguat agros, ita et Curia urbes. Quattuor iam perdidistis annos, dum pauca, quae [nobilium] causa petimus, per invidiam contumaciter denegatis. Et nunc pertinaciter vestrae superbissimum edidistis decretum, adversus quod dicere aliquid aut hiscere capitale sit. Pluris vestra edicta, quam Evangelia facitis, neque ab re. Maior est enim*
- 20 *Leonardi, et qui eum sequuntur, quam Christi auctoritas! Forsitan et temporis brevitatis dignitatis aliquid addit: lex vestra paucos dies permanet - Evangelia usque ad finem seculi perdurabunt. Non vultis Romanam Curiam, opes contemnitis, et quibus adversus insidias hostis defendi possitis, arma respuitis.*
- 25 *Nec concordiam, alterum adversus inimicos remedium queritis. Suadere hanc possumus, prestare non possumus; arbitrii vestri est unioni studere. Sepe de hac re verba fecimus, cum Senis ageremus. Diximus difficile munimentum civitatis esse amorem civium; rogavimus, ut divisionis semina tollerentis, id est nomina ipsa factionum; unum rei publice corpus faciendum fore docuimus, cuius neque [nobiles] neque duodecim expertes essent.*
- 30 *Noluistis audire consilium, secuti estis desideria vestra.*
- Frustra nobis civitatem commendatis, quam privatis affectibus itis pessum. Patriam ut nostro consolemur adventu, efflagitatis, et horrendis deterretis edictis. Repellitis et invitatis, vultis et non vultis: nescitis, quid eligatis. Si valuissetis Romanam Curiam ad vos proficisci, iam pridem de petitionibus nostris aliquid mitius decrevissetis. Cum dubitetis,*
- 35 *nos quoque in dubio sumus, an veniendum sit. Pientiam ibimus, [templumque consecrabimus]. Tempus interea et opera vestra nos admonebunt, quid sit faciendum."*
- His auditis diluere obiecta et placare pontificis animum oratores conati nullum fecere verbum, quod Pius non statim reprobarit; maxime vero dicta Leonardi confutavit [dolo et vanitate plena]. Cum duabus circiter horis hinc [410]

atque inde sermo percurrisset, legati relatores in senatu, quae audivissent, sese dicentes abierunt.

6. Legatio Hungarorum, et Pii responsum et auxilium

5

Secutus hucusque marescallus Tolosanus cum diebus aliquot in Abbatia mansisset, audissetque novos legatos ex Francia, qui mandata mitiora ferrent, propediem venturos, impetratis quibusdam gratiis - more hominum, qui publica missi curare sua non negligunt - pontificis recessit amicus.

10

Et baro quidam illustris a rege Hungariae missus supervenit, maiestate corporis et morum elegantia fidem exigens, et qui superiori anno ex Turchorum captivitate fuisset redemptus. Eius oratio hunc sensum habuit:

15

Turchorum imperatorem pacem Hungaris offerre Valachiam et Bosnam relicturis; apparatus belli maximum facere, invasurumque procul dubio cum validis copiis Hungaros, nisi conditiones accipiant; regi nec consultum videri belli socios eosdemque subditos hosti prodere, nec vires esse, quibus tantam belli molem sustinere queat; orare, ne deseratur; si cessent Hungaria Turchis, expectanda illorum arma in Italia; scire se Mahumetis propositum, qui sibi Occidentis imperium persuaserit; Hungaris domitis nihil ei difficile futurum; ex illis non esse requirendum, quod prestare non possint.

20

Pontifex, quamvis in Italia gravissimis belli sumptibus premeretur, vixque illis suppeditare pecunias posset, in Hungaria tamen aere suo equites mille conducturum se ait, qui regi ad bellum ituro coniungerentur; Venetos quoque opem laturos; hortari, ne animo deficerent; in alterum annum futurum, ut maiora possint auxilia prestari. - Legatus hac sponsione placatus in Hungariam rediit. Cardinalis Strigoniensis pecuniam pro pontifice dissolvit; Veneti aureorum XX-ti milia regi misere.

25

7. Recuperatio Valentinensis et Diensis comitatus in Gallia

30

Atrebatensis, cum esset in Viturvio pontifex, Ludovici Francie regis litteras in consistorio dederat, quarum vigore procurator constitutus comitatus in Dalphinatu duos circa Rhodanum - Valentinensem ac Diensem - Romane donarat Ecclesiae. Pius acceptaverat. Ob quam rem placuit Antonium Noxetanum ad regem mittere, qui donatarum rerum promissionem et promissi fidem exigeret.

35

Ultimus terrarum dominus a suis olim nepotibus in carcerem fuerat coniectus. Ille moriens ultima voluntate Francie. regem ea sibi conditione nuncupavit heredem, ut si quid unquam ad ingratos nepotes ex suis bonis sineret pervenire, hereditas ad Romanam Ecclesiam devolveretur. Karolus, qui tunc regnabat, oppida, quae testatoris fuerant, pleraque exhereditatis nepotibus [411]

dederat, testamentumque violaverat. Ludovicus ad regnum sublimatus, quod esset Ecclesie, restituendum censuit data potestate Atrebatensi, qui retenta hereditatis parte ultra Rhodanum sita, reliquum Pio traderet; idque factum habuit ratum, quamvis prefecti locorum primas eius iussiones neglexerint.

5

8. Res in Germania inter Maguntinos geste, Badensiumque calamitas

Dum hec geruntur, in Germania Karolus Badensis marchio accersitis belli sociis fortissimum instruit exercitum, atque adversus Palatinum comitem profectus hostilem agrum tanquam horrida tempestas invadit, villas exurit, oppida diruit, ferro et igne cuncta consumit. Victor nusquam repperit hostem; augetur animo successu rerum, atque inimicum contemnit. Comites si sibi auscultaverit, turpem inusturum hosti notham se dicit; iturum se cum deiectis equitibus Edelbergium usque, atque ibi extra menia leporaria et aliarum ferarum septa vastaturum. Receptum est consilium; cecos secunde res fecerant; octingenti equites ex omnibus copiis deleguntur, viri fortes equis et armis instructiores. Iter, quod unum erat inter montes et Neccarum amnem, qui e Suevicis agris in Rhenum procurrat Hedelbergiumque abluit, nihil metuentes ingrediuntur.

Palatinus adventu per exploratores cognito parte copiarum, quae a tergo feriat hostem, in insidiis collocata cum reliquo exercitu non expectatus occurrit, et magno clamore manus conserit. Atrox certamen initur. Badenses et a tergo et a fronte urgentur, nec ultra progredi, nec retro cedere possunt, sola in dextris spes manet clausa fugiendi via; alter hortatur alterum, in cedem summis conatibus itur. Et iam Palatini cessurus equitatus fuerat, nisi prodeuntes e latebris pedites longis hastis Badensium equos confodere cepissent, stragemque animalium horribilem fecissent. Ea res Palatino victoriam peperit, quamvis non incruentam, cum ferox hostis etiam ceso, in quo sedebat, equo in pedes erectus certamen instauraret, neque se victum fateri vellet nisi vulneratus. Ob quam rem (multi ex utraque parte perierunt;) Badensis cum fratre, episcopo Metensi, et comite Virtembergii multisque aliis baronibus ac nobilibus captus est, et manicis vinctus ferreis in carcerem tetrum raptus. Palatinus more barbarorum exultans et victis illudens diris modis affecit miseros. Ea res Dyetheri causam apud Germanos haud parum erexit, cuius esset Palatinus adiutor, Badensis inimicus.

Pontifex in Abbatia accepto infoelici nuntio: "*Superbia*" - inquit - „*nostrorum ducum res Maguntinas debiliores fecit, non abstulit. Vivo Pio nunquam Dyetherus ex auctoritate Primae Sedis Maguntinae presidebit ecclesiae, et - nisi fallimur - victoria, que nunc ad hostes defecit, cito ad nostros redibit.*" [412]

35

9. De regis Francie mutato proposito

Per idem tempus episcopus Ferrariensis, cum regem Francie convenisset et mandata pontificis exposuisset, longe aliud responsum, quam speraverat, accepit. Contempsit omnia
 5 Ludovicus, quae de Turchis asserebantur - qui more Gallico suspitionibus laborans rem fictam existimabat, ut eo pacto res Sicule obdormiscerent. Cum instaret episcopus et responsa meliora peteret, missurum se Ludovicus ait brevi ad pontificem legatos suos de rebus Siculis et Turchonicis tractaturos; interea Henricum Anglia pulsum in regnum restituere velle, quod uno se anno facturum non dubitabat. Id cum audisset episcopus: "At
 10 ego" - inquit - "*in hanc expeditionem quattuor tibi annos adiicio!*" - atque his quasi per iocum dictis ab eo recessit.

10. Margarite regine Anglie orationes ad regem et ad milites plus quam feminee

15 Margarita Angliae regina tum forte Ludovicum adierat regno pulsa; quam ferunt in conventu procerum his verbis regem allocutam:

"*Supplex ad te venio, Francorum gloria. Rhenatus, pater meus, tuus avunculus, ut genitori tuo regnum pacaret, Henrico Anglie regi in matrimonium me collocavit. Nuptiae
 20 mee indutias peperere belli, et Francia, quae magna ex parte desolata iacebat, meo coniugio reparata est. Verum quietem ego, quam dedi aliis, mihi retinere non potui. In candelae morem exusta sum, dum aliis offero lucem. Gallica pax in me bellum transtulit; eiecti Angli e regno tuo pacem domi servare non potuerunt. Inventa est litis causa: regnum aiunt haud equo iure viri mei maiores obtinuisse; duci Eboracensi deberi, qui propter
 25 seditionem fuerat in exilium missus; Varvici comes pari causa eiectus socium se illi addit; congregant ambo validas manus. Vir meus, quem par fuerat nasci foeminam, in potestatem illorum venit, qui facto apud Lundonias [parlamento] regnum, quoad viveret, coniugi meo confirmavere, filium exheredarunt, me hostem regni declaraverunt, duci annum stipendium marcharum auri decem milium statuerunt, et post Henrici mortem regni coronam. Pugnavi ego adversus ducem, et prelio victum interfeci, virum e manibus
 30 hostium recuperavi, et regni maiorem partem ad me traxi. Verum mutata belli fortuna coacta sum regno cedere: cum filio in spem regni genito et cum viro, qui annos supra quadraginta regnavit, ad Scotos confugi, eorum infoelix auxilia querens, qui hostes regni implacabiles fuerant. Neque sum sprete: miseranda etiam inimicis mea calamitas visa est; non dubitaverunt Scoti eiectam adiuvere reginam et hospitio confovere benigno. Sed quid
 35 agerem? Non sunt Scotorum vires, quae mihi possint regni solium restituere. Filius Eboracensis, Eduardus in Anglia rex declaratus est et ab universa fere gente receptus. Nisi tu adiuves, meus sanguis, frustra conabor. Tibi potestas est res Anglicos corrigere. Quietum invenisti regnum et dives et milite plenum patri succedens; nemo tibi non obedit.
 40 Et quid est Anglia ad Galliam comparata? Bellatores, qui erant in Anglia, quasi omnes*
 [413]

cecidere: plus centum milia militum unius anni absumpsere prelia. Tibi copie innume-
 rabiles militant, nec pecunie desunt. Miserere inopis regine et regis eiecti! Par tibi et
 mecum et cum illo consanguinitas adest: illum amita tua genuit, me matris tue germanus.
 Non culpa nostra regnum perdidimus, iniuria sumus eiecti. Quid rege dignius est, quam
 5 regibus indigna ferentibus opem afferre? Magna tua laus est germano meo in regno Sicilie
 laboranti pecunias subministrasse; maior, quod regi Aragonum adversus Cathalanos
 suppetias miseris. Non est mihi dubium, quin me quoque et virum meum et filium adiuves.
 Neque enim tuos relinques, qui non deseris alienos. In duobus regnis iacentes sublevare
 10 partes adniteris, et iustas protegis causas: adice tertiam! Plures Hercules commemorat
 antiquitas, et sub unius nomine multorum opera referuntur; nec tamen digna sunt, quae
 tuis aequari possint; si - quod te puto facturum - tres reges suis sedibus per iniuriam pulsos
 restitueris, novum et maximum Herculem posteri colent.

Nec ego magna ex te peto, frater: decem milia bellatorum si mihi concesseris, adiunctis
 Scotis et qui mihi tacite in Anglia favent, Eduardum facile debellabo, et Anglie regnum tibi
 15 et omni posteritati tue perpetuo confederatum dabo. Hec tua soror flagito; si annuis,
 regnabo iterum, et filium successorem relinquam, licebitque sepulchro inscribere
 »Margaritam reginam«. Quod si me deseris, in exilio moriar non sine tuo magno
 dedecore."

Ludovicus his auditis sororem bene sperare iussit; se non Herculem esse, neque genus
 20 Eacidarum; Francorum sanguine natum, a Magno Karolo originem trahere, cui nullus ex
 antiquis sit preferendus, quamvis in Alexandri laudibus scriptorum ingenia apprime
 insudaverint; Francorum gesta et Occidentem et Orientem implevisse, nec sub sole maius
 inveniri nomen; nolle a suis progenitoribus degenerare; quamvis et in Italia et in Hispania
 25 ingenti sumptu bellum gerat, non tamen Angliam neglecturum Gallico generi semper
 infestam; Eduardum periurio infamem, qui regem suum prodiderit, cito poenas daturum. -
 Nec mora, duces designavit, qui reginam cum exercitu sequerentur, postulatumque
 bellatorum numerum decrevit. Quorum ductores, centuriones ac decanos ad se vocatos sic
 allocutam reginam tradunt:

"Non me latet, viri fortes, inter vos esse aliquos, qui duram sibi provinciam demandatam
 30 existiment. Trans mare in Angliam bellum gesturi pergitis, durum a stirpe genus hominum
 et ferocia pectora, quibus olim Gallia cessit, vobis occursura putatis. Nihil horum timere
 oportet. In prioribus bellis omne robur militum cecidit; nemo ex illis vivit, qui Franciam
 vastavere. Ipsi per sese Anglici vestrum sanguinem vindicarunt, occisa nobilitate rudem
 35 armare plebem cogentur. Cum pavido et inexperto milite manus conseretis, si tamen
 expectare audeant, et non prius fugiant, quam vestra signa intueantur. Ite mecum,
 bellatores egregii: ad praedam, non ad pugnam vos duco! Gallorum spolia, quibus per tot
 annos dilata est Anglia, reportabitis. Nihil periculi est: audere vicisse fuerit! Si occurrerit
 40 hostis - quod minime crediderim -, prior ego in fronte pugnabo, prior tela excipiam, prior
 adversantes cuneos penetrabo securo. Novi Anglorum mores: sepe illorum perfregi acies,
 et multo duriora, quam modo sint, prostravi agmina. Sequimini reginam, qui puellam
 aliquando rusticam secuti estis! [414]

Iusta est causa, quam paratis defendere; premia victores opulentissima reportabitis. Quod si forte adversa fuerit pugna, nunquam ego ex eo prelio fugiam, in quo meus ceciderit exercitus: vobiscum aut vincor aut vincam. Nec mihi male accidere potest, cui pro iusta causa cadenti non deerit retributor Dominus: aut hic aut in altero mundo regnabo! Hunc mihi animum mulier ipsa paravi; vos, qui viri estis et bellorum casibus indurati, haud molliorem induetis mentem!"

5 Excepta est oratio magno applausu militum. Admirari omnes muliebrem audaciam et in femineo pectore virilem animum et verba sensu plena. Puella, quae Karolum in regno sublimaverat, spiritum in regina renovatum dicere; spem bonam sibi quisque praestare; 10 turpe viris videri minus audere, quam foeminam. Dant omnes nomina volentes, et ingressi naves fiducia pleni in Scotiam navigant. - Ferrariensis autem episcopus rege dimisso ad Philippum Burgundie ducem profectus in Brabantiam penetravit, que olim pars Belgice fuit.

15 Placet res Philippi clariores hoc loco inserere, qui genere Francus sub nomine Burgundo regnat, et pluribus presidet gentibus, opibus et belli gloria claris.

11. De origine Burgundorum, et Philippi ducis inclytis rebus gestis historia dignissima

20 Burgundis ferunt originem fuisse Romanam; nobis incomperta res est. Illud constat: Burgundiones ex Germania in Galliam penetrasse, gentem non minus barbaram, quam ferocem et Romani inimicam Imperii; que adversus Constantini Magni successores varia sepe fortuna contendit, easque sibi tandem sedes obtinuit, quibus posteri Burgundie nomen indidere. (Non imus inficias multos ex Romanis barbaros ac pariter ex barbaris Romanos fieri potuisse, quemadmodum Valachos ultra Danubium cernimus, qui ex Italicis adversus 25 Sarmathas missi, ut fines Imperii defenderent, ipsis barbaris barbariores evasere, quamvis verbis quibusdam nostratibus utantur.)

Burgundorum campos Arar fluvius irrigat, qui a monte Iura exortus non longe a Lugduno in Rodanum fluit. - Inter Burgundos multi annumerantur populi. Hic Sequani sunt et Vesuntiones, quos Dubuis preterfluit amnis, et Lingones et Cavillones et Matiscones et 30 Altisiodorenses, atque horum Celtarumque fere omnium quondam principes: Hedui, inter quos - ut auctor est Diodorus Siculus - Alexiam condidit Hercules, et Galathem filium illic genuit, qui additis ad Celtarum imperium Aquitanis ac Belgis ex se Gallie nomen dedit.

Burgundiam - ut ante diximus - Philippus Audax, Iohannis regis Francie filius a Karolo fratre eodemque rege nomine dotis accepit, cum filiam comitis Flandrie duxisset uxorem, 35 cum qua et ipsam Flandriam et alias plerasque terras sortitus est. Nec filio eius Iohanni minus paruit imperium, qui ad paternam hereditatem plurima ex Gallis adiecit. Huic necato Philippus alter, nec [415]

patre nec avo inferior successit, sub quo mirum in modum res Burgundorum florere haud paucis gentibus, que parentem ignoraverant, in deditionem acceptis. Huic nostra aetate 40 preter Burgundos multi Belgarum populi obediverunt: Menapii, Velloccasses, Morini, Atrebates, Ambiani, Nervi et multa veterum nomina, que hodie aut in Campania aut in Brabantia aut (in) Piccardia aut in Flandria vel Hannonia continentur. Accesserunt et postea Bartuaci, quos nostra aetas Lucemburgenses appellat, et intra Rheni fluentia Holandini et Zelandini, insulares homines, et ultra in solo Germanico vetusta gens Frisiorum. His tot 45 tantisque et tam florentibus populis Philippus imperans, paterne laudis admirator, ut primum per etatem potuit, equitando sagittandoque, cursu ac saltu ad militare se robur exercuit, et in dstringendis hastis pleno militie labore duravit.

Prima eius expeditio adversus Armeniacos fuit, que hoc modo oblata est. Iacobus cognomento Arecuria, vir magne inter Gallos nobilitatis, Burgundarum partium existimatus 50 et a Philippo in paucis amatus in oppidum Sancti Raqueri Ambianensis agri pro hospite admissus hostem se prebuit, occupatoque oppido et Armeniacorum tribus milibus introductis omnem vicinum infestavit agrum. Quod ubi Philippus accepit, missa exercitus parte, que hostium excursiones reprimeret, paulo post cum reliquis copiis subsecutus ad iactum lapidis prope oppidum castra metatus est, proditoremque dura obsidione conclusit. 55 Necessitas deditionem suasisset, nisi conscientia facinoris spem venie ademisisset. Supervenere et dalfini littere, que nutantem confirmavere, nuntiantes duodecim milia equitum per desertas regiones iter facere, que obsidionem dissolvant, iamque ad quintum decimum lapidem appropinquasse, spemque optimam fore improvisum hostem posse deleri. Sed neque Philippum hec consilia latuere; qui ut Armeniacos ad ostia fluminis Sone

pervenisse didicit, antiquius existimavit intermissa obsidione properantibus occurrere, quam circa obsessos prelium expectare, ne duplici pugna erumpentibus obsessis implicaretur. Progressus agmine ordinato ubi ad nonum miliarium pervenit, conspicatus hostes:

5 „Armeniacos" - inquit - "video, commilitones, et infesta contra nos signa ferri. Adeste
 bonis animis! Vestra virtute fretus preliorum hodie sacris initiabor: aut nomen mihi
 10 eternum dabit, aut extra numerum meme hominum facietis. Cum periura gente
 pugnandum nobis est, que ducem vestrum, patrem meum non in bello aut in acie, sed
 inermem sub specie pacis contra ius fasque et datam fidem interemit. Repetet haec dies a
 15 sceleratis hominibus tanti flagitii poenas, si viri eritis. Nihil est, cur timeatis: cum his
 congregiemini, quos sepe meo sub patre vicistis. Efficite, ne me duce vincere discant, et hoc
 prelium, quod primum in eo, ut prosperum feram, totis viribus adnitimini!" - Atque his
 dictis iubet signum bello dari.

Fit concursus utrinque alacer. Hinc Burgundorum, illinc Armeniacorum nomen in aethera
 fertur. In dextro cornu baro quidam nobilis ducalibus adornatus insignibus preerat, in
 15 sinistro Antonius Croius, mediam aciem Philippus ipse regebat militari indutus sago, ne
 internosceretur. Ut ergo prelium commissum [416]

est, et aliquandiu summa contentione pugnatum, cepit in parte Burgundorum dextrum perturbari cornu, cuius ductor baro - quem veste ducali diximus indutum -, dum suos hortatur atque incendit, magno hostium impetu pervasus interficitur; cum quo audax quisque cadit, et ipsa acies incipit cedere. Sed adiuta ab his, qui mediam frontem regebant, vires recipit, pugnamque fortius instaurat. Tum Armeniacus quidam detractum baronis occisi sagum et cruentas ostentans vestes - tanquam ducis interempti spolia - magna voce clamitans: „*Quorsum vestra*" - inquit - "*audacia, o infoelices Burgundi, tendit? Quid sibi vult tanta ferocitas? Cur pugnatis amisso duce? An mortuum recuperare potestis? Reddite vos potius, et vestro parcite sanguini!*" - Cuius dictis cum fidem faceret sanguinolenta vestis, cecidere omnibus animi, qui dextro in cornu pugnabant, et feda hinc fuga cepta est.

Quod ubi Philippus animadvertit, ira et merore concitus non iam victoriam sperans, sed honestam queritans mortem ultro se hostibus incognitum offert, ibique acrius pugnam instaurare nititur, ubi suos cedere effusius videt, et modo hunc modo illum hostem feriens fortissimi militis officium implet. Sed undique gladiis ac lanceis impetitus - mirabile dictu! -, quamvis duabus transfossus militaribus hastis, non tamen deditionem facit, neque se prodit: fracto ense securim, quam ad sellam pendentem gestabat, fiduciae plenus arripit, hastasque ipsas, quibus detinebatur, infringit, atque extrema conatus duos, qui sibi vehementius imminebant, ictu securis interfecit, ac per circumiectam hostium multitudinem penetrans ad sinistrum cornu pervenit. Quem ubi vidit Antonius incolumem: "*En*" - inquit -, „*milites, dux adest! Salvi sumus!*" - Incredibilis mox alacritas orta est, tantusque ardor milites accendit, ut facto ab eo latere concursu belli fortuna mutata sit: victi vicerint et fugientes fugarint. Reintegrato nanque certamine non sustinere Armeniaci vim Burgundorum. Sex milia in ea pugna ex Armeniacis caesa sunt, tria milia capta. Sentraillum Pontonum, hostium ducem Philippus sua manu cepit, et opima deduxit spolia. Ex Burgundis octingenti desiderati sunt. Nec nostra memoria tante contentionis prelium in Gallia gestum.

Oppidum Sancti Riqueri secundum hanc victoriam receptum, ex quo Iacobus Arecuria clam fuga dilapsus cum paucis evasit.

30 **12. Crepi, Veriaci, Montis Cleros, Sancti Desiderii et Melloduni oppidorum a Philippo expugnatio, et Barbise captivitas**

In agro Silvanectensium oppidum est, cui nomen Crepi. Hic duo Aquitanorum praefecti, Laira et Cainetus, in armis clari frequentibus excursionibus finitimos lacessebant; quos Philippus ad deditionem compulsos sine veste fortunisque omnibus abire permisit. Vitriacum quoque, non parvi nominis oppidum in agro Campanie Cathalanico, cesis plurimis hostium expugnavit. [417]

Obtinuerant hostes per diutinam obsidionem castellum, quod Montes Cleros vocant, et in eo multos Burgundorum nobiles, inter quos Antonium Vergeium illustri loco natum, quos Philippus recuperato oppido libertati reddidit. Hostes interea castellum Sancti Desiderii noctu scalis invadunt, et oppido atque arce potiti Treviros atque Barrenses accersunt, vexantque vicinas terras. Philippus cum parte copiarum Iohannem Vergeium premittit paulo post cum reliquis secuturus. Iohannes, cum eo appulisset, magno fortune beneficio hostibus ad excursionem profectis vacuo potitus est oppido. Sed illis per arcem redeuntibus tribus diebus in oppido interdiu noctuque summa contentione pugnatum est. Postremo referentibus pedem de industria Burgundis, ut hostis ab arce longius eliceretur, et ad firmandam fuge opinionem fracta oppidi porta cum Armeniaci acriter insequerentur, Vergeius agmine circumducto reditum in arcem hosti precludit, preliumque fortius instaurat. Victi Armeniaci manus dedere, ex quibus tria milia ceciderunt; Burgundi fere mille desiderati sunt; arx capta in potestatem Philippi rediit.

Mellodunum eo tempore, non ignobile Senonum oppidum, cum Barbasas inter Aquitanos magne nobilitatis ac nominis obtineret, Parisiorumque agros undique infestos redderet, statuit Henricus Anglie rex eum in oppido claudere, et quoniam is unus ex coniuratis fuerat, qui ducem Iohannem occiderant, aequum censuit ad eam obsidionem Philippum accersire, qui patrem ulcisceretur. Philippus ita demum se iturum pollicitus est, si Karolus, senior quoque rex Franciae interesset; sic enim expeditionem suam plus opinionis habituram censuit. Cum venisset in castra Karolus, mox et Philippus secutus tantas copias secum adduxit, ut ei terrori esset, cui suppetias tulerat. Difficilis obsidio fuit propter loci naturam, quem Sequana fluvius interiectus, oppidum ab arce disiungens ita munitum reddit, ut non nisi ternis castris intercludi possit, quorum alteri alterum nullo sit usui. Verum firmata obsidione et obstinatis animis aliquandiu ducta non machinis aut insultibus, sed fame expugnatum est oppidum, et Barbasas captus tanquam reus capitis in carcerem coniectus. Inde ad Monasterium supra Ionam situm Philippus se contulit, eoque potitus ossa patris inde recipiens Divionem transtulit, et funeri iusta persolvit.

13. Dalfinum obsidionem adversus oppidum Cones solvere Burgundus cogit

Inter hec arbitratus dalfinus simultates, quae inter Burgundos et Anglos exoriri ceperant, in dies augescere, suasque partes meliores fieri, congregato ex Aquitanis, Alvernibus Scotisque non parvo exercitu Lygerim transmittit, et oppidum Cones Burgundo subiectum invadit. Quod cum pluribus diebus circumsedisset, indutias tandem quadraginta dierum pepigit eo pacto, ut arx sibi traderetur, nisi medio tempore a Burgundis e campo deiiceretur. Quod cum Burgundus intellexisset, coactis repente XXX-ta milibus equitum suppetias tulit [418]

obsessis. Iohannes Bethfordie dux quinque milia pugnatorum ex Anglicis in eam expugnationem adduxit - non magnam militum manum, sed que magna facere et posset et auderet. Verum tantam contra se vim paratam non expectans Karolus obscura nocte soluta obsidione trans Lygerim se recepit. Victor Philippus more maiorum erecto lapidum acervo tropheum sibi constituit.

14. Bellum Philippi adversus Clocestrie ducem, et Annonie, Hollandie atque Zelandie expugnatio

10 Circa idem tempus Iacoba, excellentis formae femina, Hollandiae ac Zelandiae princeps, Iohanni Brabantiae duci nupta, cum aliquando in colloquium ducis Clocestriae, regis Angliae germani venisset, atque - ut est eiusce gentis mos - venereum facile sermonem commiscuisset, miseram se ait, quae virum sortita frigidum atque impotentem matrimonio uti non posset. Clocester, qui sine coniuge esset, neque forma careret egregia, stultam esse foeminam dixit, quae non viro nupsisset, aut postquam scisset impotentem, in eo coniugio perseveraret, in quo matrimonium esse non posset; seque coniugem obtulit, nisi ducem Clocestrie, regis fratrem aetate florentem forma, quam videret, dedignaretur. Mulier, quae mater fieri et virum, qui vir esset, amplecti cuperet, ubi tantum sponsum offerri sibi cognovit, non recusavit conditionem, sed ut primum potuit, ad illum divertit. Consanguinea hec Philippi fuit, ad quem per obitum eius due ille haud contemnende provinciae - Hollandie atque Zelandiae - rediture erant; at si filium peperisset, ad Anglos venture. Anxius super his Philippus Clocestrem monet, terras Iacobae ut quam primum relinquat, cuius adulter, non maritus esset. Ille se iure possidere bona coniugis ait; Philippum iniurium, qui sibi in consanguinea exprobret adulterium. Uterque bello se accingit. Rex Anglie se fratri minime defuturum scribit, cui Philippus neque se suam hereditatem relicturum respondet. Utriusque dura conditio: Philippo, si hanc pugnam aggrediatur, hinc Angli inde Franci timendi; Henrico Francorum et Burgundorum arma cavenda, cuius frater, dux Clarentie novissime apud Andos in pugna ceciderat.

30 Consuluit igitur rei sue Henricus, ac Burgundo rescripsit amicorum controversias iure melius terminari, quam armis; daturum se operam, ut frater iudicio se obliget; rogare, itidem Burgundus faciat. Nec recusavit Philippus, quamvis protrahi tempus a possessore cognosceret. Itum est ad Martinum Quintum pontificem maximum, qui re cognita inter Clocestrem et Iacobam non matrimonium, sed adulterium esse declaravit. Clocester sententiam summi presulis parvi pendens cum possessioni terrarum tum complexibus adulterae fortius haesit. Burgundus, postquam iudicio ludificatum animadvertit, misso feicali, qui bellum Clocestro indiceret, ad arma prosiliit.

Annonia haud magna terra est, Brabantiae contigua, verum ubere solo dives et Sambro flumine irrigua. Duo et viginti oppida continet, totidem baronum [419]

familias et pari numero locupletes monachorum conventus; hanc quoque cum Holandia ac Zelandia coniugis nomine Clocester obtinebat. Huc primo impetu sese cum copiis Burgundus inferens Halcium oppidanorum deditione in potestatem recipit; exin Brennam machinis oppugnatum occupat, atque occiso presidio spectante Clocestro, qui suppetias laturus non
 5 longe aberat, diripuit atque incendit. Tum divisis copiis Croium ac Iohannem Lucemburgensem ad obsidendum Montense oppidum misit, ipse cum reliquo exercitu ad oppugnationem Nalancenarum⁶ profectus est.

Cum sepe frustra pugnandi copiam hosti fecisset, urgebatur in dies Clocester, nec spes ulla salutis erat deficientibus ab eo in dies subditis; nec multum abfuit, quin et ipse in Philippi
 10 potestatem veniret. Sed qui se armis servare non poterat, astu salutem quesivit. Scripsit Philippo indignum esse duorum hominum contentione tot oppida totque hominum milia periclitari, aequius singulari pugna certamen fieri; se illi accincturum, si conditio recipiatur, ut victori omnia cedant, de quibus lis agitur. Quam rem facile a magnanimo principe impetravit, ac eo pacto constituta die in Angliam transfretavit. Sed homo non tam armis,
 15 quam plumis et libidinibus aptus magnificis, que iactaverat, verbis haudquaquam satisfacit, nec tanti famam, quanti vitam duxit. Ob quam rem, cum non rediisset ad prestitutam diem, omnis ab eo Annonia defecit. Qua recepta Burgundus nihil cunctatus in Holandiam atque Zelandiam duxit, quae provinciae propter maris commoditatem facilius ab Anglicis tutabantur, quibus et Traiectenses federati erant, validus in armis populus. Sed dum
 20 oppidatim vicatimque vincere oportet, bellum septem annis protractum est.

In Traiectensium agro vicus fuit, cui nomen Lemmes; hunc circumfluit amnis alveo utrinque latissimo, verum nisi mare redundet, terrestri siccitate tenetur; ubi vero excrementa maris assurgunt - quod quotidie fit -, adeo extollitur aqua, ut non solum
 25 triremes, sed etiam onerarias cetheasque naves importet. Hic Philippus lateritium mirabili celeritate et artificio castellum instruxit adeo munitum, ut nullis posset perfringi machinis; quod iniectum ligneis trabibus aestu recedente in terra subsideret, redeunte vero tanquam navis elevaretur in altum; impositoque presidio nec Traiectenses negotiari permisit, neque comeatum aliquod genus ad eos deferri. Ob quas res interdicta negotiatione ac fame coacti Traiectenses multo auro pacem emerunt; secundum quam et Holandini Zelandinique manus
 30 dedere.

15. Enenbergii difficillima expugnatio et Anglorum magna cedes

Restabat in medio mari situm Enenbergium, quod Flandrie obiectum quasi specula
 35 quedam mercatoribus Holandinis Zelandinisque magnam molestiam inferebat, cum loci dominus Anglorum partes enixissime tueretur. Difficillima eius oppugnatio videbatur, non tamen intentanda Philippo, qui rem arduissimam adorsus, quicquid navium sub imperio suo inveniri potuit, huc navigare [420]

6 Nalancenarum: Totaro heeft Valancenarum maar geeft ook Nalancenarum aan.

iussit, obsidionemque durissimam oppido adiecit. Res erat non tam obsessis, quam obsidentibus aspera et periculosa, cum venti aquilonares absque intermissione flantes classem impellerent, ac nonnunquam elevatis fluctibus usque ad murorum pinnas extollerent; navigia vero partim inter se collisa, partim hostilibus icta tormentis dehiscerent, atque in profundum multa raperentur. Intoleranda res omnibus visa, neque humanis ferenda viribus. Sed miles duratus malis et principis patientiam admiratus omnia pertulit. Quartum et decimum mensem ducta est in anchoris obsidio, sepe oppugnatio tentata, sepe a muris repulsa vis. Postremo victrix omnium fames oppidum Burgundis aperuit. Presidium Anglicum relicta per ignominiam veste dimissum est. Multe ibi Anglorum opes reperte, et ingens capta preda - Philippo non parvo empta, quem bis decies centena milia auri nummum in hanc expeditionem adversus Clocestrem septennio ductam exposuisse perhibent.

His actis nunciatum est Anglicos classe in Zelandiam vectos apud oppidum Brossavum exposuisse copias; adversus quas profectus Philippus sex milia hostium cecidit, pauci fuga salvati sunt, multos unda sese precipitantes absorbit.

15 **16. Bastardi defectio, et apud Trevantum durum atque anceps prelium, Philippique tandem de Armeniacis preclara victoria**

20 Inter hec bastardus, cognomento Palma, inter Allobroges non ignobili loco natus, cui prefecturam Trevanti oppidi apud Ionam siti Philippus crediderat, pecunia corruptus ad Armeniacos defecit, et relictis decem in arce custodibus ad dalfinum profectus est suasurus, ut exercitum eo duceret: futurum, ut recepto Trevanto magnas Burgundis clades inferat. Quem cum dalfinus audisset, probato consilio XII milibus Scotorum et Aquitanorum non parvis copiis congregatis iter ingreditur.

25 Interea res apud Trevantum mutata est. Duo erant in arce, qui defectionem bastardi egre ferebant; ii reliquos ad cenam invitant. Quorum alter, dum bibitur, quasi allaturus cybos ad turrim proficiscitur, in qua Burgundi non pauci captivi detinebantur, atque hic securi arrepta quattuor ictibus quattuor turris custodes interficit, et liberatis captivis cum his arcem in suam potestatem recepit ac Philippo conservavit. Audax facinus et digna ingenti premio fides! Iam ad vigesimum prope lapidem Armeniaci convenerant, cum renunciatum est Trevantum in potestatem Burgundi rediisse. Territi hoc nuncio retrocedere voluerunt; sed asserente bastardo oppidum frumento vacuum, si obsideretur, diu retineri non posse, appropinquantes oportunis locis castra posuerunt.

35 Collis est e regione oppidi ad Burgundiam spectans. Hunc Aquitani et Alverni munierunt, ne aut importari commeatus in oppidum, aut excursio a Burgundis fieri posset. Ex altera parte Iona fluvius parvo spatio relicto ab oppidi muris excurrit, non minor Arari; hoc intervallum Scoti occupant, fossamque [421]

sex altam pedes effodiunt et aggerem struunt, ne quam oppidani irruptionem tentarent. Erat et alius collis ad eam partem, qua pons iniectus est amni; hunc Vascones et Pitavi insederunt. Sic pluribus diebus obsidione ducta fames premere oppidanos cepit; qui postquam nihil adesse spei deficientibus eduliis putaverunt, deditionem paravere. Sed cum

5 legatos ad hostes ituros, quid dicant, quasve petant conditiones, instruunt, in campo, qui trans flumen passus fere mille patet, equitatum adventantem conspicantur; cuius vexilla diligentius intuentes insigne Philippi cognoscunt, animumque resumunt, et alter alterum cohortantes expectandum rei exitum censent.

Interea Thomas Montacutus, Salesbericensium comes mille et quingentos Anglicos ad

10 Burgundum ducit, fortem et electam manum. Fervere Burgundorum animi, pugnamque alacres petere. Sed fluvius certamen impediabat, cuius erant ignota vada, nec hostes in colle locati pugnae copiam faciebant, satis esse ducentes obsidionem tenere. Lacesunt Burgundi eos, qui ponti preerant; quorum tres, cum longius a suis exissent, nec redire possent, intercluso itinere in fluvium sese precipitant, in quo - sive prius tentaverant, sive casus fuit -

15 incolumes reperto vado ad suos pervenere. Quod intuentes Burgundi et ipsi vadum occupant, Scotosque adoriri festinant. Accurrunt illi prohibitori transitum. Fit prelium in ripa fluminis atrox et anceps. Sed conversis huc Scotorum viribus oppidani transmissa fossa aggereque dirupto Scotos a tergo feriunt. Dura belli facies diu Marte dubio; postremo victor Burgundus campo potitur; Scotorum manus, in qua XII milia militum esse diximus, usque ad internitio-

20 nem cesa; nemo fugam molitus est; mille tantum vivi in potestatem Philippi pervenere. Aquitani et Pitavi, qui collibus insederant, nullam ferre opem Scotis potuerunt impediendo Thoma, qui cum Anglicis medium iter insederat. Ii, postquam stragem suorum viderunt spemque frustratam, fuge se commiserunt; sed insecutus hostis multos eorum cepit, duo milia interfecit. Iohannem comitem Dunois, quem Franci suum appellant Nestorem, dicere solitum ferunt dalfino nullo in bello tantum vulnus illatum, nec usquam minus fuge, plus

25 cedis fuisse.

17. Gandavio- rum adversus Philippum rebellio, clarissimaque de eis victoria

30 Dum hec aguntur, nova belli materia apud Gandavos exoritur. (Ii sunt Frandrenses populi, quos quidam apud veteres Vellocasses appellatos existimant.) Tres hic viri domo profugi fortuneque tenuis pernitiosam docuere philosophiam, asserentes omnes homines natura ingenuos nasci, nec legibus nec magistratibus nec principe opus esse, atque in ea libertate

35 vivendum, quam nascenti cuique Deus dedisset. Haec cum publice atque in foro predicarentur, tumultus exoritur. Alii pellendos ex oppido iudices, alii retinendos dicunt; sed crescente seditione cum res prope ad arma ventura esset, unde plures erant, [422]

inde omnes fuere. Eiecti sunt urbe magistratus, omnisque principis reverentia procul posita; vivere in communi optimates cum plebe, nihil proprii retinere, Platonicam civitatem imitari; egressi oppidum vicina castella nobilium, qui eam dementiam aspernarentur, infestare, captaque diripere atque incendere. Quibus cum ex Anglia Clocester, dalfinus ex
 5 Francia ad delendum Philippi statum auxilia promitterent, non parvo in discrimine res Burgundorum posita est. Quod intelligens Philippus concitatum vulgus non suasionem verborum, sed vi armorum domandum esse putavit, coactisque raptim XII milibus pugnantium in perduelles pergit. Sed cum illi ultro pugnam exposcerent, indignum ratus nobiles atque illustres viros abiectissime plebi obiicere, collem occupat, qui hostium castris
 10 imminebat, indeque sagittis vulgus conficit. Irritati Gandavenses egressi munitiones impetum in hostes faciunt, in quos Philippi equitatus irruens ac peditum phalangem interrumpens stragem permagnam edit. Fugiunt Gandavii, amissisque tribus milibus in castra revertunt, atque inde tensis manibus veniam petunt. Que his legibus data est, ut traditis armis potestas Philippo fieret ducentos ex eis ad supplicium rapere seditionis
 15 concitatores, CCC milia auri nummum poenam penderent, plebiscita nulla haberent, nisi que Philippus indulgeret. Paritum est: thoracum, cassidum loricarumque supra octuaginta milia tradita, poena persoluta, plebiscita correcta, ducenti ad necem rapti concitande plebis auctores.

20 **18. De Philippi adversus Leodienses propter turrim Nammurcensem bello, eorumque deditioe, et Brabantiae hereditate, ac Avallonis oppidi recuperatione**

Puellaria circa hoc tempus bella suboriuntur, quae iam dicta non repetemus, sed ad novam
 25 Leodiensium litem, quae postea nata est, transitum faciemus. Ii turrim rursus erigere conati sunt, quam Iohannes, Philippi pater in agro Namurcensium demoliri iusserat oppido Bovinarum oppositam. Quod cum Philippus cognovisset, aut deleri turrim iubet, aut expectari bellum. Leodienses verba dantes, quibus tempus traherent, interim octuaginta
 30 milia hominum in armis cogunt, et agro Namurcensium vastato Bovinarum oppidum obsidione cingunt. Philippus Antonium Croium cum duobus milibus equitum premittit, qui hostes frumentatum ire prohibeat. Huic Traiectensium octo milia armatorum occurrunt, cum quibus ex improvise commisso prelio victor evadit, captisque duobus milibus hostium Namurcum ingreditur; quo ex loco adeo hostes infestavit preclusa commeatum via, ut inopia frumenti obsidionem compulsus solverint.

35 Interea mortuo Philippo Brabantiae duce hereditas eius ad Burgundum defertur. Qua re magis ac magis fracti animo Leodienses populariter domum egrediuntur, et episcopo suo duce Macliniam petunt Philippi misericordiam imploraturi. Quo in loco cum aliquandiu sine spe venie moram traxissent, demum [423]

ante palatium principis et in medio foro lachrimantes in terram prostrati supplices oravere, ut quibus Philippus vellet, pacem legibus daret. Quorum precibus superata hostis indignatione huiusmodi responsum obtinere:

5 *"Quia non vestri iuris estis, sed ecclesiae servi, insolentiae vestre ignoscitur, et culpa ecclesiae condonatur. Ite et pacem contribulis vestris referte. Verum scitote turrim, quam erexistis, demoliendam esse; vicos, quos exussistis, reficiendos, impensasque belli resarciendas, quarum nomine ducenta milia auri nummum ut conferatis, oportet."* -Dura lex visa Leodiensibus, sed necessitas lenem reddidit.

10 Post hec castellum Avalonis, quod per furtum dalfini milites occupaverant, longa obsidione a Burgundis recuperatum est, et in circuitu oppida quedam devicta; et Hispani atque Itali septingenti in eis comprehensi, quoniam ius gentium violassent nonnullis legatis vim inferentes, partim furca suspensi sunt, partim in Ararim fluvium demersi.

19. Philippi de Rhenato rege memorabilis victoria regisque captivitas

15 Memoratu dignum et illud est prelium, quod Vademontensis comes auxilio Philippi et auspitiis gessit adversus Rhenatum Sicilie regem, quamvis tempora non coherent.

Lothoringia Galliae provincia est non procul a Rheno, Moselle amni circumiecta. A Lothario rege nomen accepit, cui cum fratribus regnum Francie dividenti sorte obvenit. Huic
20 nostra aetate Rhenatus pefuit, dux gentis ab Imperio constitutus. Intra fines Lothoringie comitatus Vademontensis clauditur; hunc Rhenatus octo et decem milium equitum, peditum XX milium congregato exercitu vastare adoritur. Comes in aula Philippi nutritus opem ab eo petit. Deliguntur ex Burgundis quattuor milia equitum, ex Picchardis mille et quingenti sagittarii, qui comitem sequantur excursiones hostium prohibitori, donec maiores mittantur
25 copiae; Antonii duo - alter Vergeius, alter Tholosanus - periti duces adduntur.

Rhenatus precipuum comitatus oppidum obsidebat spe plenus, septem et decem principum Germanorum suppetiis adiutus; qui ut per exploratores accepit adventare Burgundos, cognita hostium paucitate, intermissa obsidione, ordinata agmine obviam pergit in campis patentibus pugnaturus. Barbasas eo die primam sorte ducebat aciem, rei militaris
30 peritissimus; qui ubi conspicatus est Burgundorum vexilla retro hastas - quasi nullum sentirent flatum - directa ferri, contra Rhenati modo ad dexteram modo ad sinistram versa crispari et cum vento luctari: *"Heu, quam funesta nobis"* - inquit - *"pugnaturis instat dies! Renatus, si sapiat, prelio abstinebit."* - Nec moratus regem adiens pugnam dissuadet, quia etsi pauci essent hostes, ex signis tamen, que viderat, vinci non possent. Cui Rhenatus: *"Ergo
35 paucis multi cedemus, et in medio Lothoringie, que nobis patria est, Burgundi tropheum statuent? Non patiar!"* - Laudavere ceteri regis animum, [424]

atque ultro prelium petivere, precipue Comerceius, Theutonici ductor auxilii. Mittitur tubicen, qui pugnam denuntiet hostibus. Cui Vergeius: „*Venimus*” - inquit -, „*neque assueti fugere, neque soliti arma ponere, nisi cruore aspersa: hec Burgundi responsa remittunt!*”

5 Erat locus, in quo Burgundi consederant, dumis ac virgultis a dextris circumseptus ac defensus. In sinistra parte fossam natura produxerat quattuor pedibus altam; hic enea locavere tormenta equestrem impetum retentum, a tergo carros, quos adduxerant multos, locavere; exin dimissis equis pedestrem phalangem gravioris armature militum in fronte explicaverunt. Cornua ex medio exercitu mixtis sagittariis produxerunt palis in terram coram se defixis, qui hostis equitatum prohiberent. Rhenatus peditatu haud procul dimisso cum
10 duabus turmis equitum hostem a fronte petiturus Comerceium, qui vel a tergo vel a latere Burgundos lacesat, cum reliquo equitatu ire iubet. Ipse prior pugnam iniit. Comerceius transilire fossam conatus tormentis repulsus ad carros se confert, ibique certamen atrox committitur. Burgundi et retro et ante invasi haud segniter se tuentur; succubuissent tamen urgente Rhenato, nisi clamor exortus Theutonicos equites effugere nuntiasset. Comerceius
15 enim spiculis ac tormentis e carris eiectus tam fede fugere cepit, quam paulo ante magnifice capessendum prelium suaserat. Hac audita voce Burgundi erectis animis alacres instauravere certamen; hostibus manus ac brachia ceciderunt, sola in pedibus spes relicta salutis. Victor Burgundus ingenti preda ditatus est, Rhenatus captus et nonnulli principes cum eo. Mira res et apud posteros caritura fide: quinque hominum milia octo et triginta
20 milia fuderunt. Tantum in bello fortuna potest! Signa militaria octo et centum intercepta, ex hostibus tria milia caesa, viri nobiles mille et ducenti capti; ex Burgundis septingenti periire. - Nihil tam in bello nocet, quam hostem contemnere!

25 **20. Sigismundi caesaris ad Philippum superba mandata, Philippique magnanimum responsum, et Grancensis oppidi deditio**

Sigismundus imperator circa idem tempus Basileam venit, ubi Ecclesia convenerat, indeque more gentis eraldum - quem fecialem possumus appellare - ad Philippum misit, qui Brabantiam, Holandiam Zelandiamque ab eo repeteret, neganti bellum indiceret. In litteris,
30 quas scripsit, imperatorem se Romanorum, Germanorum, Hunorum, Bohemorum et aliarum multarum gentium regem ac dominum appellavit, et magnifica facta maiorum inseruit.

Philippus in aula splendide ornata aurea innixus sella multis proceribus circumfusus, audito nuntio ita respondit:

35 *"Redi ad caesarem, atque hec renuntiato! Bellum mihi esse cum Franco rege, cuius Grancense oppidum obsideo. Hostis meus sibi amicus est. Ferat opem obsessis, non longum est iter: ibi pugnandi copiam facio. Sin hoc recusat, dicito instare mihi duellum [425]*

cum Karolo; ad sexagesimum diem singulare certamen - nisi fallit me hostis - inibimus. Illo peracto diem statuat Sigismundus: signa - quocunque in loco voluerit -pugnaturus conferam. Bellum offert - bellum accipio. Non sum ego imperator, neque mundi dominus, verum Magni Karoli sanguis, quem verba terrere non possunt!" -Atque his dictis auream
 5 *vestem exuens eraldo dedit. Deinde, cum neque Francus subveniret obsessis, aut singularem ingredi pugnam auderet, neque Sigismundus preter querelas et ampullosa verba quicquam attentaret, Grancenses in deditionem accepit; transfugas coniecit in vincula, milites alios nudo pede ignominie causa ad Karolum et Sigismundum reverti iussit, atque in signum recusati duelli tropheum erexit.*

10

21. De Philippi bello foeliciter gesto adversus Borbonium, sororis sue virum eum provocantem, sororisque oratione et Philippi ingenti clementia

15

Karolus quoque Borbonii dux - qui olim puer in aula Iohannis fuerat educatus, et filiam eius Agnetem, Philippi sororem duxerat uxorem - Burgundorum armis circa idem tempus correctus est. Immemor enim affinitatis ex oppido, quod Chirnonim vocant, infestare Burgundiam ceperat, ac Martiniacum intempesta nocte admotis scalis invaserat. Quod cum Philippus accepisset, sumptis tumultuarie armis in Alvernos duxit, ac levibus quibusdam preliis Borboniorum pressit audaciam. (Hos quidam Boios esse putant, a Iulio Cesare in finibus Heduorum collocatos.) In castellum Dunois multi se hostes receperant; hoc Burgundi noctu cremaverunt; presidium, cum validus flaret aquilo, clam profugit. Profectus Martiniacum Philippus primo impetu muros irrupit, et caeso presidio arcem cuniculis cepit, atque omnem late regionem exussit. Cum Franci copias in agro Lugdunensi apud Ararim consedissee didicisset, pugnae cupidus ad eas properavit; quibus non expectantibus pro suo more tropheum erexit, nec cunctatus oppidum Belle Ville obsessum ivit. Floride iuventutis presidium inerat, et ardentibus bello viri; qui ubi appropinquare Burgundos menibus non tam caute, quam fortiter adverterunt, eruptione facta non parvam cladem hostibus intulere cesis supra centum ex his, qui fortitudine audaciaque prestabant; maiorique damno Burgundos affecissent, nisi Philippus cognito periculo e castris sublato clamore cum Atrebatibus ac

20

25

30

35

monte potitus [426]

tanquam victor illic tota die consedit; sequenti luce reversus in castra obsessos per cuniculos prodeuntes multa intulisse obsessoribus damna comperit. Quibus brevi resarcitis ad oppugnationem solito acrius incubuit. Milites, qui presidio inerant, spe destituti ea lege deditionem fecere, ut exarmati pedibus abirent, oppidanos prede relinquerent. Suasit omnia necessitas. Dives oppidum Burgundi diripuerunt.

His gestis rigente iam bruma Philippus Avaricum concessit, quod hodie Nivernum vocant. Huc Agnes profecta quinque liberos secum adduxit tenera aetate; que postquam in conspectum Philippi venit, diu fratris obvoluta genibus loqui non potuit, crebris singultibus ac suspiriis impedita. Sed erecta tandem manu fraterna in hunc modum effari cepit:

"Querar an precer, incerta sum, frater, quando nec querenti iudex, nec precanti princeps idoneus adest. Si dixero bellum iniustum, quod sorori ac nepotibus intulisti, quis te mihi condemnabit? Si precabor, ut ignoscas viro, cui te volente denupsi, misericordiam excludet ira. Infoelix ego mulier, cui nec orare licet nec conqueri! Experiar tamen utrunque fortuna vel invita. Tu mihi ut sorori, non ut hosti prestabis aures!

Querelas primum aggrediar, in quibus non illud accuso, germane, quod viro meo bellum intuleris. Stulte ab eo factum es, qui te provocavit, neque affini pepercit, neque accepti beneficii fuit memor. Illud queror, illud damno ac detestor, quod tam pertinaci animo bellum susceperis, ut placari nullo modo queas. Esto enim: irritavit te vir meus et iniurius fuit; at cognovit errorem, penas dedit, mulctatus est! Superavit poena delictum: vastatus ager, iuventus occisa, maior principatus adempta pars. Petitur venia: quid amplius queris? Nullam, ire tue finis est? An non aliquando post victoriam misericordie recordaberis? Siccine tecum agere Deum velis, et non aliquando placatum iri? Cuncti Deum clementem magis, quam severum optamus, et misericordiam preire vindictam cupimus - tu etiam ultione peracta veniam denegas! Quid, si te barbarus aliquis appetisset ferro? Numquid pepercisses humiliato et supplici? Nunc vir meus adest, qui te pacem rogat, nobilissimo genere natus - et tu vultum amoves? Heu me miseram, que dum virum amo, fratrem odisse videor; dum fratrem colo, virum perdo! Et quis modus erit hos inter repugnantes affectus? Te mihi natura fratrem dedit, fortuna hostem fecit. Hos ego tibi nepotes genui: tu horum patrimonium vastavisti, quorum tutorem esse decebat. Ergo idcirco me viro tradidisti, ut mendicatuos gignerem, et mea soboles, tuus sanguis ostiatim quereret panem?

En filioli, huc adeste! Quin fletis cum flente matre? Et avunculum piis lachrimis placatum reddite patri! Non intelligunt pueruli suam calamitatem. Cogita, frater, quae maiusculi dicerent! An non te infantilis commovet aetas? An nihil in te potest fructus mei ventris? An si captivum patrem in vincula coniecisses statuissesque perdere, his non traderes? Aut his parentis, mihi viri concedito patrimonium, aut si non cadit ira, in me vindica delictum! Utinam virgo apud te perissem, quando haec stipendia matrimonii fero! Utcunque res ierit, hos tibi educandos scito!" - Nec plura locuta cadentibus ubertim lachrimis in eiulatum se convertit. Ad quam Philippus:

„Indignus erat vir tuus" - inquit -, „cui pacem daremus, nisi te duxisset uxorem. Vicisti, soror tuis precibus: bellum solvimus!" -, iussitque Karolum accersiri. Cui [427]

advenienti et multa in excusationem suam dicere paranti silentium imposuit, quoniam sublato bello non essent audiende querelae; atque hec addidit verba: *"Ego tibi, Karole, pacem reddo, tuisque liberis omnia dono, quae de Alvernis armis quesivi. Tu deinceps amicitiam meam experiri potius, quam arma curato!"*

5 Sic pax firmata est, secundum quam paulo post in Atrebato de concordia inter Francos et Burgundos convenit; in qua diligentem navavit operam Borbonius utrique parti acceptus.

Hec de Philippi bellis retulisse sat fuerit; quorum aliqua idcirco in ultimis reservavimus, quia iam aliis scriptis ad nostram notitiam pervenere, quamvis tempore precesserint. Multa pretermisimus, que non satis explorata fuerunt.

10

22. Voluntas Burgundi adversus Thurchum, et Franci nequam impedimentum, reditusque Ferrariensis

15 Aegrotabat apud Bursellam Philippus morbo periculosissimo, cum Ferrariensis episcopus ad eum venit. (Id est oppidum Brabantie nobilissimum, ad quod sepe divertere principes solent, quod aedes ibi pulcherrimas habent et venationes multiplices.) Triduo cum expectasset Ferrariensis convalescentiam ducis, tandem admissus est, et astantibus episcopo Tornacensi, Karolo, ducis filio atque Antonio Croio pontificis legationem exposuit, et litteras manu eius scriptas reddidit. Quibus recitatis Philippus ex lectulo in hunc modum locutus est:

20 „*Victuram febrim et me prorsus extincturam non dubitabam, adeo iam vires omnes ademerat. Sed tu mihi, episcope, sanitatem attulisti cum istoc nuntio tuo. Iuvat pontificis animum intellexisse, quem video sue dignitati convenire. Nullam ob causam tam dura mihi et acerba mors videbatur, quam quod Turchis inultam patris mei captivitatem relinquebam. Nunc spem concipio et patrem meum ultum et rei publice Christiane optime*

25 *consultum iri, quando is pontifex nobis datus est, qui curam religionis habet, et exemplo boni pastoris paratus est pro suis ovibus animam ponere. Ego, si convaluero - quod minime dubito -, non solum voto meo faciam satis, sed omnia conabor exequi, que Pius mandaverit.*" - Iussitque consiliarios, qui astabant, cum Ferrariensi de numero militum, qui esset ducendus, de machinis preparandis, de pecuniis cogendis, de itinere faciendo colloquium habere; nec alia Philippi cura erat, quam convalescere, et se adversus Turchos preparare.

30 Interea Ludovicus bello in Anglos decreto Philippo mandat, ut et ipse adversus Eduardum, Anglici regni usurpatorem, quem ipse hostem suum declarasset, arma moveat. Que res mirum in modum Philippi animum perturbavit. Misit tamen ad Ludovicum rogatum, ne se bello Anglico implicaret, neve cogeret Eduardo pacem infringere, quam se suasore atque impulsore ea lege fecisset, ut solvi non posset, nisi ante annum revocata; esse animum sibi adversus Turchos expeditionem ducere; sineret se rem fidei agere et Romano pontifici obedire. Ferrariensi vero, ut ad pontificem reverteretur, dixit, et animum suum referret et impedimenta regis Francie; missurum se Octobri mense [428]

35

legatos Roman, qui omnem suam deliberationem exponerent. Neque hoc fecit, cum nullam ex Ludovico certam excerpere conclusionem potuisset, et Leodienses res moliri novas viderentur adversus episcopum suum, quibus Ludovicus fauturum se promiserat, nec Philippus e re sua ducebat episcopum indefensum relinquere.

5 Hec Ferrariensis ex Galliis reportavit ad Pium, qui iam Pientiam se contulerat.

23. Profectio pontificis ad Pientiam, et prestantissimorum edificiorum artificiosissima descriptio

10 Aegrotavit in Abbatia pontifex, et arthetico dolore per diem noctemque decubuerat oppressus, cum subito exterriti cardinales pestem in oppido cepisse nuntiant et notos aliquos occubuisse, fugiendumque tetrum virus suadent. Pontifex nihil cunctatus apparari sibi lecticam iubet, et sole iam cadente cum omni familia sequentibus cardinalibus iter ingreditur non sine vehementi dolore languens. Hic exitus delitiarum Abbatie fuit - ut semper
15 voluptatem sequitur meror. - Nocte iam multa Pientiam venit, nec aedifitia sua pro desiderio intueri potuit diebus aliquot morbo decumbens. Postquam convaluit, singula diligenter invisit, nec penituit expensarum, quamvis auri supra quinquaginta milia nummum in ea opera contulisset; pulchritudo et dignitas aedifitii molestiam sumptus ademit.

20 Palatium quadratum fuit nonaginta pedibus altum ex lapide vivo, ab imo usque ad summum ferro artificis expolito, ad digiti crassitudinem circumsecto, ita, ut iuncture in ipsa cesione concurrerent, et saxorum frontes tanquam tesserae prominerent. In vertice compluvium ex grandioribus saxis quinque pedibus a muro recedens collectas in canali tectorum aquas per fistulas ferreas procul eiecit. Muri crassitudo nusquam sex aut quattuor pedibus minor. - Tria in hunc modum palatii latera surrexerunt, quorum aquilonare centum
25 XX-ti sex pedes longitudinis habuit, orientale et occidentale duodeviginti amplius propter porticus, que in australi latere palatii quadrum excessere; totius palatii ambitus quingentorum et quadraginta. Tum fenestrarum duo fuerunt ordines structura et amplitudine admirabiles. Tres et XX-ti fenestras aequo inter se spatio distantes ordo unus complexus est, et alter totidem. Tres ex qualibet fenestra viri exterius prospicere potuerunt
30 columnellis inter se divisi. Sub utroque fenestrarum ordine ex lapide ei simili, quem Tyburtinum vocant, duo pluteorum cimatia, quas vulgo cornices appellant, nobili artificio deducta palatium quasi due coronae cinxerunt. Duxit et architectus a terra compluvium usque quadratas columnarum figuras suis basibus et capitulis aptissime coherentes. Suspendit et in angulis palatii et inter fenestras pluribus in locis scuta lapidea, in quis
35 Picolominee domus insignia sculptoris pictorisque opere auri et argenti et aliis fulsere coloribus. Ferri quoque multi annuli additi et instrumenta, [429]

que faces ardentes nocturno tempore servare, et que vexilla interdiu sustinere possent, iniecta sunt. Fuerunt et fenestrae minores in forma quadrata, quae loca inferiora collustrarent; has cratibus ferreis conclusere. Sedilia quoque duorum graduum et aliquibus in locis trium circumposita ex lapide cimatorum. In latere, quod aquilonem spectat, portam
 5 in medio amplissimam et magnificam collocarunt, que precipua esset. In orientali latere, quod oppidi plateam respicit, cum medium porta tenere non posset, ad servandam simmetrie gratiam due ianue addite sunt, quarum altera muro obducta clause vestigium pre se ferret, altera ad quotidianum usum mansit aperta; in occidentali latere idem fecere. Ad
 10 quartum latus, cui meridies et Amiata mons aspectu gratissimus obiicitur, tres porticus erexerunt, quarum secunda prime et tertia secundae superincumberent columnis innixe lapideis. Prima sub testudine alta et nobili deambulationem iuxta hortum prebuit amenissimam; altera sub contignatione coloribus et picturis ornatissima mansionem hyberno tempore iocundissimam [praebuit] pluteis - que ad umbilicum hominis cum suis cimatiis pertingerent - elevatis; similis conditio tertia, quamvis lacunari minoris artificii. Hec
 15 exterior forma palatii.

Tectorum compluvia partim exterius - ut diximus - aquas emiserunt, partim interius in aream, ut per meatum et glaream purgate cisternas implerent; que in palatio due fuerunt, et tertia in horto amplissima et magne familie suffectum. In cacumine tecti, qua fumi caminorum exhalant, tres et viginti quasi turres pinnis et propugnaculis picturisque variis
 20 ornatas construxerunt, que procul vise multum splendoris et gratie operi addiderunt. Ingredi palatium porta maiori peristillum altum occurrit et amplum, quod quadratam ambit aream columnis subnixum unius lapidis sex et decem pedibus altis et ad proportionem sue longitudinis crassis, basibus et capitulis aptissime coniunctis. Hic triclynia sunt et hyemalia et aestiva, et que medio tempori convenient, et cubicula digna regibus et rerum
 25 diversarum receptacula sub testudine et supra testudinem sita. Effodientes enim palatii fundamenta saxum durissimum ad sexdecim circiter pedes exciderunt, ibique promptuarias ac vinarias et olearias cellas superinductis fornicibus construxerunt: nobile certe penu, et quod difficile queat impleri. A porta maiori ad peristillum usque porticus sub fornice candida tam longa patet, quam lata sunt hinc atque inde triclynia. Hac deambulata ingressus
 30 peristillum, si ad dexteram te converteris, scalas offendas, quae secunda in habitacula ducent gradibus dementibus circiter quadraginta, qui - alti, quantum pes unus est, duobus lati, longi novem - quot numero sunt, tot ex lapidibus succreverunt. Scale a dextris viginti gradibus ascendunt, totidem a sinistris versae, fenestra in ipsa conversione adiecta, que utrarumque aditum illuminet. His ascensis deambulatorium occurrit, quod ex tribus lateribus per
 35 fenestras quadratas et lapide per modum crucis divisas in aream respicit; contignatio desuper apte composita et variis ornata coloribus. Ad dexteram deambulanti quadrata sese offert aula honestissimis cubiculis duobus serviens, quorum alterum ab occidenti lumen recipit, alterum [430]

etiam ab aquilone lucem admittit, et conclave interius habet, in quo possint preciosa recondi.

In fine deambulatorii aula est septuaginta duorum pedum, tertia parte sua latitudine longior. Hec ostia sex habet: duo deambulatoria respiciunt, duo in porticum mediam
5 Armatam versus aditum prebent, reliqua in duo ampla et ornatissima cubicula, quorum alterum ab oriente sole, alterum ab occidenti lucem mutuatur. Aulam ipsam et ostia illuminant et fenestre maiores in aream verse et due minores, que in porticum vergunt. Caminus inest ex lapide albo ingeniose constructus. Lacunar et contignationis aptitudine et
10 picturarum varietate conspicuum. Locus nullo tempori non conveniens, excessivi frigoris et caloris expers.

Ad sinistram deambulatorii conversus alteras offendes scalas, quibus in tertia scanditur habitacula, prioribus per omnia similes. His dimissis ostium ingredieris, quod deambulatorium in duas partes dividit. Exin a dextris - si placuerit - in aulam ibis, cui diximus mediam porticum cohaerere; a sinistra vero aestivum cenaculum sive aulam
15 omnibus maiorem reperies, cuius quattuor fenestre septentrionem admittunt, orientem due, et ille in vicum respiciunt, iste in forum. Ex aula in oratorium itur et habitacula in orientem versa, id est cubicula tria, quorum ultimum ostium habet - ut diximus - in aulam sex ostiorum et in porticum coherentem. Et hoc pontifex habitavit, quod abiete iusserat incrustari, ne recentis parietis humor officeret. Nullum cubiculum aut camino caruit aut
20 aliis, que necessaria viderentur officinis. Spectatu digna ubique laquearia, trabes abiegne magnitudine et pulchritudine respondententes operi; asseres et tigna cum suo corpore, tum picturarum additamento et auri laminis mirificum splendorem attulerunt. Pavimenta ex lateribus perpolitatis nusquam inaequalia, una omnium facies. Nihil est, quod ex cubiculo in cubiculum aut ex loco in locum vadentem aut ascendere oporteat aut descendere. Et qualis
25 forma est mediarum habitationum, talis est tertiarum, aut certe minimam distantiam habent. Concamerationes paululum declinant coloribus et pictura carentes et asserum tantum dignitate conspicue.

Et si prima edium gratia - ut quibusdam placet - lux est, profecto nulla domus huic fuerit preferenda, quae plagas celi quattuor expeditas habet, et lumen non solum ab exterioribus
30 fenestris, sed etiam ab interioribus per cavum palatii copiose admittit, et usque in imum penu derivat. Respicientis ad occidentalem plagam ex altioribus habitaculis prospectus ultra Ilcinum et Senas et in ipsis Pistoriensibus Alpibus terminatur. Ad aquilonem prospicienti varietas collium et silvarum iocunda viriditas sese offert ad quinque milia passuum protensa. Fertur et in Appenninum acrius intuentis acies, et sedentem in alto colle Corthonam respicit
35 non procul a lacu Trasimeno; vallem, que media interiacet, amnis Clanii profunditas e conspectu aufert. Ad orientem brevior est prospectus Politianum usque procurrrens, Senensi populo perpetuo metuendum, et montes, qui Claniam regionem ab Urciensi disternant. - Tres porticus meridianum solem excipientes in Amiata - ut diximus - altissimo et [431]

nemoroso monte visum terminant, subiectamque Urcie vallem et viridantia prata collesque suo tempore gramineos et frugiferos agros et vineta et in preruptis rupibus arces atque oppida intuentur et balnea, que vocant Venionis, et montem Pesium Radicofano celsiorem et brumalis ostium solis.

- 5 Deerat huic fabrice coquinarum structura. Domus quadrata ad altitudinem palatii erecta est iuxta cisternam in horto defossam in angulo hyemalis occasus et in ea tres coquine cum suis membris alia super aliam edificate, que porticibus coherentes tribus palatii habitationibus commodissime inservirent, nec fumo laborarent nec ventis, et aquam ex proxima cisterna funibus haurirent.
- 10 Ultra porticus et coquinas usque ad muros oppidi tantum spatii fuit, quantum palatium ipsum occupavit; hic hortum plantare libuit; sed erat inaequale solum et ingens descensus. Deducti sunt magna spissitudine muri ab ima saxorum crepidine, et sub columnis lapideis ac latericeis iniecti fornices, qui centum equis stabula preberent et officinas ferrarias. Exin vacuo XII circiter pedum relicto alii desuper fornices additi, et super his terra congesta, que
- 15 solum equaret, et hortum pensilem faceret vitibus et arboribus aptum - cautione adiecta, ne pluviales aque inferiores quirent testudines penetrare aut humectare stabula. Circa hortum sedilia fuere saxea et plutea pectoribus tenuis pinnis ornata depictis, que procul vise speciem letissimam prebuerunt. Ingressi palatium maiori ianua ad boream versa peristillum et aream et per posticum infimam porticum et hortum et ultimas horti metas uno prospectu
- 20 contuentur, et passu placido nil pedibus elevatis cuncta deambulare possunt.

24. Descriptio templi Pientini

- 25 Et palatium quidem ita se habuit. Cui proximum fuit templum in honorem Beate Marie semper Virginis aedificatum, quod ut esset duplex - alterum inferius, alterum superius -, inequalitas soli fecit. Fundamenta in viscera terre quesita vix tandem post octo et centum altitudinis pedes non satis commoda sunt inventa inter saxa non coherentia; cum rimas effoderent solidum reperturi fundamentum, hyatus offendere perpetuos et sulphureas exhalationes, quas dum conantur obstruere, nonnulli artifices ruina non bene custoditae
- 30 scrobis obruti perierunt. Ob quam rem ex saxo in saxum arcus deduxere latissimos, et super his murum iniecerunt non satis explorata saxorum radice - quae licet essent ingentia, incertum tamen est, qua firmitate subsideant -; et rimula in edifitio demum suborta, quae a summo usque deorsum procurrit, suspectam fundamenti sedem efficit. Architectus calcem inter durescendum subsedissee censuit, indeque rimam prodiisse, nec verendum operi;
- 35 veritatem dies patefaciet. - Murorum eximia spissitudo fuit et idonea, quae suam altitudinem et duplicatos posset sustinere fornices.

Ad templum inferius per portam et gradus XXXVI late patentes descensus fuit. Due in medio columnae universam molem sustinere. Lumen abunde per [432]

tres fenestras ampliores altaria quattuor et universam aedem illustravit et fontem baptismatis, quem eo in loco in uno ex sacellis reconditum ex lapide albo nobili opere construxerunt. Ipsa templi facies commotionem mentis et religionis quandam reverentiam excitat intrantibus.

5 Superior aedes centum et quadraginta pedes longitudinis habuit, altitudinis sexaginta, latitudinis totidem - non supputato eo spatio, quod sacella sibi vendicavere, hinc longius inde latius efficientia templum; quod urgente necessitate preter consuetudinem a septentrione in meridiem protenditur.

10 In foro, quod ante palatium lateribus in latus erectis et calce stratum erat, tres gradus - quam lata fuit templi facies - ex duro lapide produxere, quibus in templum per aream quindecim pedes latam tanquam vestibuli vicem tenentem ascenderetur. Frons ipsa templi duo et septuaginta pedes alta, ex lapide Tyburtino simili et marmoreum imitanti candorem, vetustarum aedium pre se formam tulit columnis, spiris et emiciclis, quae statuas recipere possent, perpulchre adornata. Tres portas habuit congrua dimensione venustas, mediam ceteris ampliolem et in morem Cyclopi oculum late patentem et insigne Picolomineum et desuper pontificalem infulam corona triplici redimitam, clavibus Ecclesiae interpositis.

15 Surgitque frons ipsa a fundamentis usque ad tectum equaliter lata, deinde usque ad summum pyramidalem accipit formam non indecoris communitam cimatiis; relique murorum partes ex saxo minus precioso creverunt, verum quadrato et commode perpolito,

20 prominentiis quibusdam tanquam costis interiectis, quae pariter inter se distantes stabilius redderent edificium.

Ingredienti mediam portam universum templum cum sacellis et altaribus in conspectu datur precipua luminis claritate et operis nitore conspicuum. Tres -ut aiunt - naves aedem perficiunt; media latior est, altitudo omnium par: ita Pius iusserat, qui exemplar apud

25 Germanos in Austria vidisset; venustius ea res et luminosius templum reddit. Octo columnae spissitudine et altitudine congruentes universam testudinum sustentant molem. Architectus fundatis basibus cum columnas quattuor habentes facies emicicleas superduxisset, et capitula imposuisset, animadvertit fornices minus, quam par esset, sublimitatis habituras, erexitque super capitulis quadratas septem pedum columnas, et altera superaddidit capitula,

30 quibus testudinum arcus inniterentur. Gratus operis error et ipsa varietate decorem afferens. - Naves extreme usque ad tertiam columnam equaliter procedunt, deinde paulatim coarctantur universo templo in formam semicirculi desinente. Pars enim superior tanquam coronatum caput in ediculas quinque divisa, quae a reliquo corpore exterius procumberent, totidem fornices habuit navibus altitudine pares, in quis stelle affixae aureae et color impressus aereus veram celi faciem emulabantur. Reliquas navium testudines diversis coloribus appinxerunt, et columnis - quas diximus ad corrigendum errorem additas - cum capitulis suis porphirii et aliorum nobilium lapidum addidere colores; columnae inferiores naturam suam servavere lapidis albi. Parietes templi et reliquum omne corpus candore mirabili resplenduerunt. [433]

35

- In edicula, quae media fuit, episcopalem cathedram et canonicorum sedilia ex materia nobili arte, quam vocant Tharsicam, sculpturis et imaginibus insignia composuerunt; in reliquis quattuor altaria pictis ornata tabulis erexerunt illustrium, quos Sene produxerunt, pictorum operibus. In ea, quae secunda est a sinistris cathedre, Divini Sacramenti conditorium ex albo lapide sculpere artificio non ignobili. Nec ulla edicula est, quae fenestram non habeat latam et altam, columnellis et floribus lapideis artificiose compositam, vitro, quod crystallinum vocant, oclusam. Sunt et alie quattuor fenestre similes sub navibus extremis, quibus fulgente sole tanta lux admittitur, ut qui templum incolunt, non domo lapidea, sed vitrea sese clausos existiment. Duabus columnis, quae proxime portis assunt, duo adherent lavacra, ex quibus sacris se lymphis aspergunt ingredienti; non vilis opus ingenii.

Altare maius inter duas columnas ultimas situm est, ad quod quattuor gradibus ascenditur. Sacerdos et ministri, cum rem divinam faciunt, a tergo populum habent, cantores a fronte iuxta pontificis cathedram. Sunt et alia duo altaria, quae multitudini serviant in inferiori edis corpore. Et in parte dextera sacrarium constructum est, in sinistra turris campanaria, cuius altitudinem centum et sexaginta pedum constituerunt; ei adhuc pars tertia defuit. - Deduxerunt et ab inferiori templo a sinistris et a dextris scalas per muri spissitudinem ad aedem superiorem et deinde ad tecti summitatem in modum coclearum centum triginta duos gradus habentes.

Fuit et in foro iuxta palatium puteus profundus aque vive, cuius os pulcherrimo lapide adornarunt adiectis columnis, quae trabem lapideam ingeniose sculptam sustinerent, et catenas et situlas hauriendis aquis necessarias.

Hec omnia a fundamentis usque ad summum triennio perfecta sunt excepta turri campanaria, quae nondum erat absoluta.

25. De Bernardo architecto, et decreto pro decore templi conservando edito, et aliis Pientinis edificiis

Multa adversus architectum pontifici suggesta fuerant, qui et infideliter egisset, et errasset in edificio, et qui sumptum operis octo aut decem milibus aureis estimasset, supra quinquaginta milia consumpsisset; quem lex Ephesiorum resarcire impensas - ut est apud Vitruvium - precepisset. - Bernardus hic erat, natione Florentinus, Senensibus ipsa patria odiosus; absentem cuncti lacerabant.

Pius inspectis operibus et omnia contemplatus accersiri hominem iussit. Cui post dies aliquot non sine metu adventanti, qui se multis criminationibus delatum non ignoraret:

"Probe" - inquit - "egisti, Bernarde, qui nobis de futura operis impensa mentitus es. Si verum dixisses, nunquam nobis tantum auri exponendum suasisses, neque hoc palatium nobile neque templum tota Italia illustrissimum modo extaret. Surrexerunt [434]

tua fallacia preclarissima hec aedificia, que cuncti laudant paucis exceptis, quos edit invidie livor. Nos tibi gratias agimus, et te inter omnes architectos nostri seculi precipuo dignum honore censemus." - Iussitque omnem homini reddi mercedem, et ultra centum aureos et vestem coccineam dono dari; et filio, quas optavit, gratias elargitus est, et novis eum prefecit operibus. Qui audito pontifice pre gaudio collachrimatus est.

Pius, ut templi dignitatem ac nitorem servaret, huiuscemodi decretum edidit:

"Pius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. In hoc templo, quod Beate Marie Virgini, Domini et Dei nostri genitrici ereximus et dedicavimus, nemo mortuum sepelito exceptis tumulis, qui sacerdotibus et episcopis assignati sunt; nemo candorem parietum atque columnarum violato; nemo picturas facito; nemo tabulas appendito; nemo capellas plures, quam sint, aut altaria erigito; nemo formam ipsius templi - sive quae superius, sive quae inferius est - mutato. Si quis contra fecerit, anathema esto, solius Romani pontificis, excepto mortis articulo, auctoritate absolvendus. Datum Pientie, anno Incarnationis Dominice M-o CCCC-o LXII-o XVI Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno quinto."

Aedificavit pontifex et domum iuxta templum a sinistris, in qua prepositus et canonici commode habitarent, et per ianuam quandam parvam, eorum causa in latere templi dimissam, ad nocturna diurnaque munera nullo impediendo procederent. - E regione palatii interiecto foro domus antiqua fuit, quam pretor et reliqui magistratus oppidi incolere consueverunt. Hanc Pius coemit diruendamque vicecancellario ea lege tradidit, ut palatium ibi episcopale construeret, ac Beate Marie Virgini dono daret. Emit et alias aedes civium oppositas ultra forum templo, quibus dirutis tertium aedificari palatium iussit cum porticu et aula magna et cubiculis et armamentariis et turri, que campanis et horologio serviret et carceri, magistratus urbis ut hic habitarent, et consilia civium fierent. Conduxitque operarios, et partem magnam mercedis tradidit, volens quattuor nobilibus edifiis circumdari forum.

Fuerunt et alie domus magnifice in oppido constructae. Cardinalis Atrebatensis post vicecancellarium altas et amplas edes edificavit, deinde thesaurarius, post eum Gregorius Lollius fundamenta iecit. Primus omnium aptissimam et pulchram domum construxit cardinalis Papiensis quadratam et insularem; Mantuanus constructurus aream emit; Thomas quoque, pontificis cubicularius et plumbi ministri et plures oppidani deiectionis antiquis domibus novas erexerunt, ut nusquam prior oppidi facies appareret.

In Decollatione Beati Iohannis Baptiste pontifex templum et altaria per cardinalem Ostiensem dedicavit, et per se ipsum maioris are frontem inunxit, et reconditis in ea sanctorum reliquiis sigillum adiecit, ac Clusinum episcopum, Iohannem Cinughium, nobili loco apud Senenses natum illuc transtulit, et novae sponse virum dedit; Clusinis Gabrielem Picolomineum ex Ordine Minorum, qui Observantes habentur, prefecit antistitem. Et paulo post Hispalensi [435]

archiepiscopo in ea ipsa aede per cardinalem Portuensem coram se consecrato sua manu mytram imposuit et benedixit.

26. Diversa certamina currentium, et constituta premia victoribus

5

Oppidani Divum Mattheum apostolum pia religione colunt, et in eius festo, quod Septembrio celebrant, frequentes habent nundinas, et premia cursu certantibus ponunt. Pius, ut se presente celebrius agerent festum, consulares omnes cives nova veste donavit, et pecuniam dedit ad sumptus necessarios. Illi cursoribus equis premia posuerant panni coccinei ulnas octo, asinis ulnas quattuor coloris alterius; viris, qui pedibus currerent, totidem, pueris anserem.

10

Ubi dies statuta illuxit, summo mane res divina in templo coram pontifice ingenti populi devotione peracta est. Multitudo deinde extra oppidum in tabernacula se recepit, in quis caupones XXX magnos boves ab aratro receptos coxerant et animalia multa minora; quae omnia unico prandio vorata sunt. Deinde usque ad vesperum emundis vendundisque rebus ac mendaciis tempus datum.

15

Post haec equis assignati carceres, et signum currendi datum. Spectaculum vilius reddidit velocitas impar et sine contentione victoria: Alexandri longe post se dimissis emulis primus ad metam equus nullo insequente pervenit. Inter asinos magna concertatio fuit, et nunc unus nunc alter precessit crebris verberibus stimulatus. Postremo Sacchini asina, quae sepe consuesset vincere, sessore deiecto prima tenuit metam. Qui proximus sequebatur asino insedens, deberi sibi bravium contendit, non Sacchino, qui fuisset ab animali excussus. Iudices petitionem reiecere, quod asinis, non hominibus fuissent posita premia. - Iuvenes robusti et agiles, et qui sepe in stadio cucurrissent, complures in cursu certaverunt.

20

Pluerat aliquantulum, et lubricum erat iter. Nudi currebant, et nunc unus nunc alter preibat; eratque sepe videre lapsu pedum nunc istum nunc illum in terram cadere ac luto provolvi, et qui erant ultimi, fieri priores. Stadiis per hunc modum quattuor usque ad portam cursitatum est minimo inter victorem et victos spatio intercedente, ita corporibus luto fedatis, ut internosci non possent. Tum cocus unus, cognomento Trippes, ex popina pontificis, dimissis vestibus et caligis, duploide tantum retenta ex angulo prosiliens incognitus, tanquam unus ex contententibus esset, per oppidum currere cepit, et celeri passu recens duos, qui precesserant, antecessit, et quasi victor bravium apprehendit non sine dolore sequentis, qui se victum, cum iam vicisset, existimabat, et victoriam de manibus ereptam iniquo ferebat animo. Sed cognovit e vestigio fraudem, victorem ubi aspersum luto parum animadvertit, et indutum duploide, cum qua non potuisset tantum cursum peragere. Iudices in risum soluti reiecto coco Sartheanensi, qui primus fuerat, dedere premium. [436]

25

30

35

Puerorum cursus spectaculis omnibus prestatit. Multi fuerunt in stadio nondum puberes, qui nudi prosilientes accepto signo, dum alius alium precedere conatur, mira contentione decertant, nec pedes e creta tenaci possunt tollere: nunc deficiente spiritu labuntur, nunc hanelitu resumpto consurgunt, et his parentes illis fratres adsunt crebris cohortationibus animos excitantes. Curritur circiter stadium usque ad portam oppidi inter plures nutante victoria. Tum vero quidam Alexandri vernaculus, corpore minimus, et quia barba carebat, impubes existimatus, ad cursum receptus primus evolat, et oppido celeri passu decurso tanquam victor metam attingit, ac premium petit. Succedit Piensis quidam crine candido et toto corpore pulcher, quamvis luto deformis; et quoniam tribus quattuorve passibus superatum se non ignorabat, flens fortunam suam sibi ipsi succensebat, qui non celerius cucurrisset. Aderat mater, non invenusta mulier, que dulcibus verbis filium consolabatur, et linteo tergebat sudantem. Iudices iamiam primo decreturi anserem videbantur; quod cum Alexander intellexisset: "*Quid agitis?*" - inquit. - "*Vernaculus meus duodeviginti natus annos dolo inter pueros ascriptus est. Cavete, ne fraus ei subveniat!*" -Hii re cognita Piensem pretulerunt; qui vivo donatus ansere pii parentis humeris, frequenti turba subsequente domum delatus omnem viciniam letificavit.

Haec pontifex ex altissima fenestra cum cardinalibus non sine iocunditate spectavit, quamvis interea de publicis negotiis consultaret.

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
LIBER DECIMUS**

1. Bohemorum heresis et Fantini constantia

5

Legati Bohemorum, dum hec geruntur. Pragam reversi, que cum pontifice Romae gesserant, regi enarraverunt. Ille conventum regni ad profestum Sancti Laurentii iussit adesse. Convenere frequentes heretici et catholici, plures tamen heretici. Rex in contionem prodiens e suggestu sibi et coniugi apparato iussit oratores, qui Romae fuerant, cuncta, quae

10

gesserant, exponere, et mandata pontificis referre. Procopius et Coscha omnem rei seriem ex ordine narraverunt, nec quicquam mentiti sunt. Quibus finem facientibus:
„Miramur” - inquit rex - *”studium pape, qui regnum hoc multo labore vix tandem per Compactata pacatum atque unitum turbare et disiungere conatur. Concilium nobis Basiliense - maioris auctoritatis, quam ipse est - et antecessor eius, Eugenius Compactata dederunt; non est eius auferre, quod maior concessit. Si licet papae destruere, quicquid antecessores edificarunt, quis erit in sua iustitia tutus? Accusamur, tanquam iuramento in nostra coronatione prestito non fecerimus satis. Quid iuravimus, nisi hereticam pravitatem e regno nostro procul obicere? Scitote nos infensos hereticis esse, at communionem utriusque speciei et Compactata nostra, ut papa existimat, nunquam putavimus heresim sapere, que fundata est in Evangelio, et praxim Christi et Ecclesiae primitive imitatur, et nobis tanquam privilegium nostre virtutis per magnam concessa synodum. Hanc igitur communionem obicere iurassetis? Minime quidem! Immo vero in eadem nati, educati et in hanc usque regiam dignitatem proveci eam, quoad vita fuerit comes, tenebimus et defendemus, et in ea tandem moriemur! Exemplum nostrum contoralis nostra a dextris sedens et liberi nostri et amici omnes sequentur. Nec credimus aliam esse viam salutis animabus nostris, quam Compactata tenere, et iuxta Salvatoris institutionem utraque uti communionem.*

20

25

Querimus autem ex vobis, Bohemi: si quis propter Compactata nobis regno bellum indixerit, quid animi geratis? Nobis an illis auxilio eritis?”

30

Tum Coscha cum hereticis, quorum numerus erat multus, consultatione habita:
”Rex” - inquit -, percupide audivimus te cum liberis et uxore nostrae fidei consortem esse. Nos tibi ad Compactata defendenda regnumque conservandum non res tantum, sed corpora quoque devovemus, et gratias tibi agimus, qui talem indueris mentem, qualem paulo ante demonstrasti.”

35

Tum rex ad catholicos versus: *”Et quid vos” - inquit - „respondetis?”*
Aderant Vratislaviensis et Olumicensis episcopi et multi barones et nobiles ac civitatum legati, qui Sdenchoni Sternenbergio hoc responsum commiserunt:

40

”Non te fugit, maxime rex, nihil nobis hactenus cum tuis Compactatis fuisse commune, neque deinceps ea curabimus. Sed sicut in unitate et obedientia Sancte Romane Ecclesiae cum nostris progenitoribus in hanc usque diem viximus, ita et in futurum [439]

vivere ac mori est animus; et sicut tu fidem tue nativitatē servandam putas, ita et nobis ipsi de nostra faciendum instituimus. Petis, quid facturi simus, si propter Compactata bellum ingruerit. Predecessores tui, Bohemie reges nihil, quod arduum esset, absque nostrorum progenitorum consilio statuerunt; idem te facere erga nos in Compactatorum
 5 *acceptatione decebat. Tu sine nobis ea servare decrevisti; illorum ergo auxilia exquirito, quorum consilia secutus es! Nos tamen tibi et regno, ubi honor Dei et iustitia non laedatur, haudquaquam deerimus."*

10 Rex eo responso minime contentus cum aliud postularet, obtinere non potuit; dimisitque contionem precepto multitudini dato, ut postera die ad audiendum Fantinum, Apostolice Sedis nuntium convenirent.

Interea multa regi de Fantino relata fuerant, quae animum eius offenderant, non Pragae tantum, verum etiam Romae gesta. Neque id Fantinum latebat, qui per amicos sepe commonitus fuerat, ut clam recederet, nec iram regis experiri vellet. Ille hinc periculum reputans, si maneret, inde dedecus, si non exposita legatione abiret, vite pudorem pretulit,
 15 *vocatusque venit in contionem. Quo viso rex vultu paululum mutato:*

"Fantinum" - inquit - "audiamus tanquam pape nuntium; postea adversus eum ut procuratorem nostrum aliqua proponemus!" - Nec tamen locum nuntio dignum dedit.

20 **2. Fantini oratio concertatioque acerrima cum rege Bohemie, et regis ipsius perfidia**

Fantinus, ubi dicendi copia facta:

25 *"Lex est" - inquit - "gentium, serenissime rex, omnes nuntios, etiam ad barbaros et crudelissimas gentes missos libere et absque ullo timore suorum dominorum exponere mandata, deinde responso accepto absque ullo impedimento domum redire posse. Hanc ut mihi legem apostolico nuntio serves, peto."*

30 Annuit rex. Fantinus dicere orsus multa de bono obedientie disputavit, ostendens unum esse principem in Ecclesia militanti oportere, que triumphantis instar condita esset; et hoc Romano presuli munus datum, qui primam teneret in orbe sedem; ab eo ligandi solvendique potestatem in omnem Ecclesiam derivari, eique cunctos reges ac populos obedire debere, qui Regni Aeterni cuperent fieri participes et coheredes Christi; fecisse id olim Bohemie principes, duces ac reges, nec ullum tota in Christiana societate populum inventum, qui Romanis pontificibus magis deditus et obediens fuerit, quam Bohemicus; floruisse tunc miris modis regnum, viris atque opibus abundasse, et concordia gaudens aedificia nobilissima
 35 construxisse, ornasse templa, bonarum artium studia ad se traxisse. Successu deinde temporis humani generis hoste procurante surrexisse in Bohemia viros pestiferas, qui Prime Sedis mandata dicerent contemnenda, et ad suum sensum sancta interpretantes Evangelia sanam doctrinam respuerent: Iacobellum, Iohannem, Hieronymum, [440]

Corandam et Rochezanam, quorum perverso dogmate infecta regni multitudo ab obedientia sui pastoris abierit, et Archam Noe reliquerit, extra quam non invenitur salus -
 dicens communionem sub utraque specie ad salutem necessariam esse, et multos alios
 errores predicans; hinc mutatam regni faciem: pro pace bellum, pro divitiis pauperiem, pro
 5 doctrina ignorantiam, pro decore deformitatem tanquam inobedientie stipendia subintrasse.
 Poenituisse tandem sui erroris Bohemos, ac de reditu ad Matrem cogitasse; convenisse cum
 Basiliensi concilio, ut reconciliarentur Ecclesiae; concordiam quandam inivisse, cui
 Compactatorum indiderint nomen; indulgisse pro sua benignitate Basiliense concilium
 10 Bohemis ac Moravis, qui duplicis communionis usum haberent, ut in eo, quoad viverent,
 perseverare possent, etiam laicis; dummodo de precepto Domini esse non crederent, aut ad
 salutem necessarium, nec parvulos communicarent, neque invitos ad duplicem speciem
 compellerent. Nihil servasse Bohemos eorum, que promiserant: amisisse privilegium,
 Compactata extincta esse, et iam paucissimos illorum vivere, quibus indulta fuissent; propter
 15 quas res - etsi diligentia regum pax postea de temporalibus rebus in regno reformata fuerit -
 de fide tamen ac religione in eam usque diem semper mansisse contentiones, nec ullam
 fuisse in sacerdotio quietem, sed alteros alteris maledixisse et heresis imputasse crimen.
 Regem ea videntem misisse ad pontificem maximum legatos, qui Compactata confirmari aut
 innovari peterent; pontificem, cui esset sui gregis cura, re in Apostolico discussa Senatu
 inutilia peti censuisse, neque arbitratum filiis, quos diligeret, postulata noxia concedenda
 20 fore; causas plurimas adduxisse, que Compactatis locum esse non sinerent; mandasse
 legatis, regi regnoque ut suo nomine Compactatorum observantiam interdicerent; se quoque
 missum esse, ut idem faceret; hortari ergo sapientiam regis, ut iuramenti, quod in sua
 coronatione prestitisset, memor esset: heresim omnem ex Bohemia repelleret,
 25 communionem sub utraque specie relinqueret, Romane et Universalis Ecclesiae ritum
 imbueret, summo pontifici, quam verbo promiserat, obedientiam facto prestaret, sacerdotes
 rebelles decano Pragensi traderet coercendos, audiret cum toto regno pii pastoris vocem,
 sciretque illum Bohemice gentis amantissimum esse, qui et in Bohemia aliquando versatus
 fuisset, et *Historiam Bohemicam* barbaram scriptam Romano illustraverit eloquio non sine
 30 magna regni laude; nihil Pium magis cupere, quam veram Bohemorum salutem, atque
 idcirco non que placerent multitudini, sed quae forent utilia, precepisse; hortari omnes igitur
 et barones et nobiles et populares, ut iam tandem Compactatorum relicto fermento ad
 unionem Sancte Matris Ecclesiae revertantur, et integram Pio pontifici restituant
 obedientiam, qui regni necessitatibus pie ac benigne consulturus sit.
 35 His dictis hereticorum animi admodum consternati fuerunt, catholicorum erecti,
 existimantes regem mandata pontificis haudquaquam neglecturum. Sed contra evenit: nihil
 perfidia regis mutata est, quamvis prodiit, que latebat: in Fantinum virus evomit, et multa
 minatus proditorem suum compellavit, plectendumque dixit. Ad quem Fantinus forti et
 constanti animo, ut qui nihil mori timeret: [441]

„Corpus mihi, rex" - inquit -, „auferre potes, animam non potes. Si vitam perdidero temporalem, acquiram eternam pro veritate moriens. Atque utinam tanto me facias honore dignum! Misisti me, fateor, procuratorem tuum ad Romanam Curiam. Gessi fidelem procuratorem, nunquam prevaricatus sum, diligenter absolvi negotia tua. Veracem me
 5 semper invenisti et consultorem tuis rebus utilem, si me audivisses. Huc modo profectus non tuus procurator, sed orator summi pontificis adventavi; dixi, que ab illo mandata sunt. Ea si moleste fers, nihil est, quod mihi succenseas, cui necesse fuerat obedire. Rogavi ab initio, ut me tanquam legatum communi lege loqui permitteres et patienter audires. Annuisti. Si quid dixi, quod tuas offenderit aures, iussus dixi. Tu, si sapias, in partem
 10 cuncta recipies meliorem, nec Romano pontifici adversaberis, cuius sunt longissime manus, et nihil est eius auctoritati negatum. Nosti iuramentum tuum: noli pro tuo arbitrio interpretari! Clara sunt verba, et commento non egent. Hussitarum heresim abiurasti, et obedire Romano pontifici tactis sacrosanctis Evangeliiis promisisti. Extant documenta publica, non potes dicere: »Non dixi«! Vis Compactata invito pontifice retinere? Rebellio hec est, non obedientia! Dicis communionem sub utraque specie ad salutem esse necessariam, et in ea te velle mori professus es? Hec est Hussitarum heresis! Quid possum dicere, nisi te esse relapsum in errorem, quem abiurasti? Vide, quid agas! Non feret ista Pius pontifex. Habet arma, quibus rebellionem tuam coerceat: regno privaberis, et tanquam periurus et hereticus extra Ecclesiam fies, et in hoc saeculo infamem te reddes, in
 15 altero poenas dabis impietatis. Cave, ne te his malis obiicias! Subiice te Deo, et vicarium eius ne contempseris!"

Plura fuerunt inter Fantinum et regem verba contentionis, que alter in alterum stomachatus evomuit. Tandem contio dimissa est, et Fantinus in diversorium suum secessit.

25 **3. Regis in Fantinum et Apostolicam Sedem blasphemie**

Rex inter proceres, qui secum remansere:

„Audivistis" - inquit -, „amici, quantum hodie Fantinus honorem nostrum laceraverit, et quo pacto nos papa vituperet. Nemo vestrum condolet nobis? Pudet vivere, nisi adversus
 30 Fantinum talia presumentem ulciscamur. Nulla nobis maior cura est, quam honoris: hunc vite preferimus. Ut servaremus honorem, corpus nostrum multis periculis obiectavimus. Idem fecere predecessores nostri: nunquam Bohemie reges honoris studium abiecere. In Apostolica Sede plures sederunt apostate, viri nequam. Sanctam appellant sedem - nos verius pestilentie cathedram nominaverimus! In unione fidelium Sancta Sedes existit, quam
 35 Rome querere non oportet." - Et multa in hunc modum ore polluto et venenato turpissima eructavit verba.

Deinde in vigilia Assumptionis Beate Marie Virginis Fantinum in carcerem rapi iussit, et in vincula coniecit arctissima; Procopium Rabensteynum cautionem dare coegit, quod propriam domum non exiret, et officio cancellarie privavit. Grassatus et in plures fuisset, nisi
 40 motus in regno timuisset, quia plurimi ex catholicis barones aberant, qui pro detentis arma cepissent. Episcopi [442]

Vratislaviensis et Olumicensis, ubi Fantinum captum et Procopium domi retentum agnovere, insalutato rege ad suas ecclesias reverterunt.

4. Alius conventus Bohemorum, et catholicorum constantia

5

Post dies aliquot iussit rex praesbyteros catholicos ex toto regno primores ad se proficisci. Convenere viri quattuordecim et septingenti in castello Pragensi terrore pleni, tanquam ad cedem vocati essent. Decanus ecclesiae maioris et archiepiscopatus administrator multa locutus adversus perfidiam Hussitarum cohortatus omnes, ut in vera religione constanter

10

permanerent, sexta feria rem divinam summa devotione peregit, et Spiritus Sancti gratiam invocavit, quae adversus iram regis pauperes sacerdotes protegeret. Quod cum animadvertissent Hussitae, id ipsum die sabbati in omnibus sinagogis suis fecerunt. Cum dies constituta vocationis adesset, summo diluculo catholici ecclesiam Pragensem petivere. Decanus eos in sacellum Sancti Venceslai accersivit, et quomodo se coram rege deberent gerere, commonuit, et quibus loqui liceret, quibusve tacere necesse foret, ostendit, iussitque, ne vel minimam quaestiunculam cum adversariis inchoarent; quod si furere aut insanire regem contingeret, et in aliquos manus iniicere, scirent in multis membris unum esse corpus, neque unum posse tangi, quin lederetur alter; opponerent se omnes pro salute unius vel minoris.

15

20

Promisere omnes, verum non sine lachrimis ac singultibus, prostratique coram patronis regni Bohemie, sanctis martyribus et confessoribus adversus violentiam perfidi regis suffragium petivere, moxque trini et trini, tanquam in pompa procedentes, e castello Pragensi usque in regiam pervenere; et alii quidem flebant, quod ad victimam pergerent, alii ridebant.

25

Prevenerat iam Rochezana cum multitudine suorum complicum, et latus stipabat regis. Postquam omnes affuere, quos regia iussio desideraverat, rex ex alto solio in hunc modum locutus est:

30

„Quantum vires suppetunt nobis, regni gloriam ampliamus et pacem fovemus; vos autem, sacerdotes, iurgia inter vos excitatis, et alter alteri conpingitis heresim; defunctis sepulturam negatis, vivos ab ecclesia repellitis, suspectarum mulierum consortio sacerdotium vestrum fedatis, thessera luditis, et alia multa, quae horremus dicere, nefanda perpetratis. Nisi alios indueritis mores, ibimus obviam nequitie vestrae, quando iudex abest, qui vos coerceat, spiritualis! Precipimus autem vobis, ut Compactata, quae pro pace regni nostris predecessoribus Basiliense concilium indulsit, inviolabiliter observetis. Si quis contra fecerit, nostram in se iram provocabit! Neque enim passuri sumus, que Sigismundus, Albertus et Ladislaus reges auctoritate apostolica concessa laudaverunt, vestris contentionibus infringantur.“

35

Secessere his auditis paululum catholici, atque in hunc modum reversi responderunt:
[443]

- „Ingentes tue maiestati gratias agimus, maxime rex, qui nos tranquilla pace gubernas, utque multos annos id agas, Deum precamur. Non imus inficias multa per sacerdotes mala patrari. Nam que multitudo est, et malorum consortio non fedatur? Odimus malos, et tamen sine malis esse non possumus; nec scimus, qui sint mali. Si quos ex nobis ea facere, quae dixisti, indicare curaveris, non erit impunitum scelus, nec auctoritas puniendi abest. - De Compactatis dicimus idem, quod pridem regni proceres per te rogati responderunt: nunquam illis equimus, nec egemus hodie; nec Romana Sedes illa unquam concessit, Basiliense tantum concilium indulxit. Utrum autem, quibus indulta fuerunt, iuxta concessionem illa teneant, Deus viderit. Pacem, quam dicis Compactata pre se ferre, libenter amplectimur; at quod nobis ad eternam vitam presidium aliquod afferant, non intelligimus. - De maiestate tua illud nobis persuademus, quod venerabilem ecclesiam Pragensem in suis cerimoniis non impedies, neque alium ritum nobis inculcabis, quam nostris maioribus ab Apostolica Sede traditum. Illa est porta celi: mori praestat, quam illi contraire!"
- 15 Haec administrator nomine omnium locutus cum finem dicendi fecisset, versus ad suos percontatus est, an placeret, quod pro omnibus respondisset. Qui una voce⁷ dixerunt: „Placet et in eternum placebit!"
- Infremuit rex tantam in sacerdotibus catholicis constantiam atque concordiam intuens, protulitque litteras quasdam casu repertas, in quibus scriptum esset regem in apostolicos sevirere legatos, ac hereticum sese declarasse. (Michael quidam, vicarius ecclesiae Pragensis ad sororem suam Hussitarum labe infectam misisse hanc epistolam ferebatur; is - suo bono - non affuit.) Rex saepius verba epistolae recitavit, et graviter questus est, quod hereticus vocaretur, qui nunquam restitisset Apostolice Sedi, quamvis noluisset ab indulta communione cessare: voluisse se Deo magis, quam pape obedire; nec se Fantinum tanquam pape legatum, sed quasi procuratorem suum et proditorem in carcerem coniecisse; iussitque, ne pro eius liberatione se quisquam interpellaret. - Cui administrator:
- „Scimus" - inquit - *venerabilem Fantinum verum fuisse Pii pape legatum, et mandata eius ad te fideliter detulisse. Cur autem tam probrose comprehensus sit, ignoramus.*" - Tum rex:
- 30 „Si alius" - ait - „tantis nos contumeliis, quantis Fantinus, affecisset, non vixisset in horam!" - Atque his dictis Michaellem intercipi mandavit et ad se duci; quod utrum factum sit, non habemus exploratum.
- Dimissa est contio eius diei, nec permissi sunt catholici ex Praga recedere. Iterum regis edicto convenerunt, et iterum de Compactatis facta est mentio, nec potuit rex extorquere, ut catholici ea laudarent. - Ibi Rochezana Andream quendam praesbyterum, quod sibi non obediret, celsitudini regiae accusavit. Cui rex:
- 35 „Ut tibi omnes" - inquit - „obediant, iubes, et tu nemini vis obedire!" - Stomachusque Rochecanam et conventum dimisit. [444]

5. Fantini adversus regem magnanimitas eiusque liberatio, et occultus favor

Cum esset in carcere Fantinus, accessit ad eum rex, et inter loquendum, cum nullum posset ex captivo humile verbum extorquere:

5 „Vix me” - inquit - „contineo, quin te meis manibus strangulem!” - Cui Fantinus:
 „Tortorem aliquem” - ait - *expectabam teterrimum ac vilissimum, qui mihi vitam eriperet. Si libet manus regias ad hoc opus extendere, honestissime moriar. Sed invidebis hanc mihi gloriam!*”

10 Interea Ludovicus Baioarie dux et alii multi regem coarguerunt, qui legatum apostolicum ausus fuisset comprehendere, neque animadvertisset, quanta sibi et regno ex ea re possent succrescere mala. Quibus exterritus Fantinum tandem post tres menses in carcere maceratum ad Ludovicum misit, et ille ad summum pontificem liberum ire iussit adhibito legato, qui ei tutum iter praeberet, et regem, quoad posset, redderet excusatum.

15 Unum hoc loco haudquaquam fuerit pretereundum, quod Fantino miraculose quodammodo accidit. Pridie, quam iret in contionem audiendus, in interiori cubiculo diversorii sui, quae dicturus esset, meditantem homo convenit ignotus obvoluto capite, iussitque cubiculum egredi; egresso saeculum scripturis plenum obtulit, atque abiit. In eo Fantinus quinque et viginti aureos repperit et complures Basiliensis et Constantiensis concilii bullas, quas postera die in conventu publice recitavit, quoniam et communionem
 20 utriusque speciei damnabant, et quomodo indulta fuissent Compactata, manifestabant, erroresque Rochecane et Hussitarum omnium vivis rationibus evincebant.

Pius Fantinum reversum magno in honore habuit, et dignum episcopatu censuit, cui ad martyrium pro veritate tuenda sanguinis effusio, non animus defuisset.

25 6. Seditio Austrialium adversus imperatorem, et rebellio Viennensium

Dum Bohemus in Praga pro Compactatis anxius hereticum se declarat, in Austria novus exoritur motus: extraneus miles, qui fratribus - Federico imperatori et Alberto duci - stipendia fecerat, cum mercedem consequi non posset, ad predam se convertit, et occupatis
 30 quibusdam munitionibus nihil in provintia tutum reliquit. Nemo extra oppida iter habere potuit, qui non e vestigio caperetur; grassari ubique latrones, rapere, occidere, villas atque ecclesias incendere, nullum scelus non admittere. Res Viennensi populo valde molesta, qui nisi externa in dies afferantur alimenta, propter multitudinem fame perit. Vociferari ergo toto plebs oppido, imperatorem accusare, regionis principem, qui spoliationes non
 35 cohiberet; adire senatum, annonam petere, principem - [445]

nisi pacem foveat - mutandum dicere; alii Albertum, alii alios accersendos contendere, qui latronum molestias auferant. Senatus, qui esset imperatori amicus, plebis impetum cohibere, annonam sumministrare, imperatoris tueri causam, malorum culpam in alios retorquere.

5 Interea Nicolaus Holcer, unus ex infima plebe, tenui censu atque ipsa paupertate audentior, et cui nullum scelus nimis atrox videri posset, concitato inopum vulgo iussisque suis similibus arma capere, magna plebeorum stipante caterva praetorium adit, senatumque omnem de salute urbis cogitantem invadit, et quattuor primores in carcerem coniicit, reliquos sub cautione fideius-soria domum remittit, et urbis regimen occupat - ipse ductor populi et quasi dictator quidam effectus.

10 Ea cum accepisset imperator, prope cum quattuor milibus equitum Viennam petit; neque admissus Holzer impediente, noctem in castris agit non procul ab oppido collocatis. Sequentibus diebus per consiliarios cum tractata reperiri concordia non posset, ad portam, quae ducit in Hungariam, profectus vocatis ad colloquium civibus per sese - quod sibi rarissimum fuit - in hunc modum verba fecit:

15 „Vester sanguis et dominus, viri Viennenses, propriam civitatem ingredi prohibeor. Quid peccavi, ut mihi portas clauderetis? Latronum imputatis spoliationes, et me bellum fovere arbitramini? Nulli latrones infensiores, quam mihi, sunt; nemo pacem magis, quam ego, cupit. Albertus est malorum incensor et auctor: ipse predas alit ex preda vivens, spoliatorum partem latrones ad eum deferunt. Sunt et barones nonnulli complices, quos iuvat ex raptu vivere. Saepe fratri reconciliati sumus, hereditatem saepe partiti, pecuniam saepe largiti, saepe federa pacti. Sed nullam invenimus in eo fidem: dictum indictum est; quod heri placuit, hodie displicet; inter meretrices et lenones cuncta profundit, exhaustus ad me redit. Exauditus saepe, tandem repulsus - quia saccum sine fundo implere nequeo - ad rapinas se convertit, et inita cum latronibus societate et vos et omnem Austriam laccessit. Cohercebo tamen dementiam hominis, et grassanti libidini frenum imponam, nisi vos eritis impedimento res molientes novas. Pacem queritis? Pacem dabo! Si quid aliud ex me vultis, dicite; nihil negabo! Vos mihi fratres estis et filii, et quosdam inter vos video, quos veluti parentes veneror. Unde hoc discidium inter nos erupit? Quis vobis suasit, ut mihi portas clauderetis? Quotiens inter vos fui et tanquam Ladislai tutor et tanquam dominus, quid mali perpessa est civitas me presente? Cui vel minimam intuli aliquando iniuriam? Prodeat, si quis aliquando preter aequum et bonum me auctore laesus est! Non quero vestras opes: ditare vos cupio apud vos cum curia manens; quod feci. Quo fugit beneficiorum memoria? Facessat ingratitude, et me tandem vestrum recognoscite principem! Et si non placet, ut dominum: ut civem saltem admittite!"

35 Moverunt verba multitudinis animos, et multis excussere lachrymas; nec defuere, qui dicerent:

„Si sic iam pridem, imperator, egisses, nulla inter nos discidia succrevissent. Voluisti per alios nos adloqui, quos audiebamus inviti. Nunc per te verba faciens pectora nostra commovisti. Dulce est audire principem, quia non solent ex ore domini prodire [446]

mendacia. Veni ergo, imperator optime, et tuam ingredi civitatem, et quam promisisti, pacem dato! Nos animas et fortunas omnes nostras tue fidei committimus."

5 Duravit colloquium usque ad noctem, et tandem cum multis luminaribus et ingenti populi alacritate ac gaudio imperator intromissus est et in arcem receptus. Sequentibus diebus inter barones Austriae, qui multi aderant, et imperatorem magno studio concordia quesita est, nec tamen inventa. Optimates Viennenses imperatorem sequebantur, plebs baronibus auscultabat; et facinorose multitudinis caput, Holzer, qui plane intelligens civitatis principatum sibi concordiam ablaturam, novum concitavit tumultum, et Ulrico Rüdterer imperatoris consiliario ac Nicolao Grafnechero equitum ductore in vincula coniectis Symonis Nuntioli domum, qui occulte profugerat, negotiatoris ditissimi pervasit, et expulsa uxore bona eius, quae multa fuerunt, occupavit, et quedam sub hasta vendidit, imperatoremque ipsum cum parvulo filio Maximiliano et imperatrice Leonora virisque circiter quadringentis in arce clausit. Reconciliatus enim civibus imperator nihil hostile formidans exercitum dimiserat, togatosque tantum et inermes curiales retinuerat, itaque facile potuit armate plebis incursione claudi.

15 Feda res et hactenus inaudita hic accidit; verum quam posteros non pudeat imitari, quando nihil est, quod iunior aetas aequae vereatur, quam scelere ab ea superari, quae precessit! Crescunt in dies vitia, et ille magis in pretio est, qui facinus magis impium excogitavit. Oblectant inaudita crimina, et novorum scelerum laudantur artifices.

20 Iuraverunt in verba caesaris cuncti Viennenses, eique tanquam naturali domino fidem dederant; id tantum obstare putabant, ne vim possent inferre domino, atque machinis arcem oppugnare; infamiam periurii verebantur ac turpem perfidie notham. Ad quos Holzer:

"Quid timetis?" - inquit. - „Remedium praesto adest. Ibimus, et imperatori ius iurandum fidemque prestitam resignabimus."

25 Placuit consilium. Pergitur ad arcem, et alta preconis voce clamatur:

„Tibi caesari dicimus Viennenses: quando non ille es, quem credidimus, iuramentis et promissionibus, quibus obligati fuimus, nos deinceps nolle teneri, liberumque nobis posthac discernimus te tanquam hostem persequi atque invadere posse."

30 Nihil ad ea respondit imperator, qui fatuae multitudinis impetum verbera sciret, non verba requirere. Tum machinae admote sunt, et acriter oppugnatio cepta.

Interea et Albertus Viennam ingressus et oppidanorum baronumque magno favore exceptus non quomodo germanum ab hostibus liberaret, sed quo pacto in captivitatem quam primum raperet aut ferro interimeret, annixus est. Horrendum facinus: frater in fratrem deseivit, et inplacabili persecutus est odio! Armatus ante arcem Albertus bombardas figere, maiores balistas erigere, et omne machinarum genus admovere. Federicus e propugnaculis lapides iacere ac sagittas, tormentum aeneum - quod mortarium vocant - ingentis magnitudinis in arcis atrio componere, lapides grandiores in urbem proicere, hostes [447]

propellere, omni conatu se ac suos tueri. Crudelis hinc atque inde pugna misceri.

- Bohemus interea - cui cordi essent fraterna Austrialium odia, nec vinci alterum ab altero, sed utrunque extenuari et annihilari placeret, ut ad se tandem cuncta pervenirent - veritus, ne Albertus imperatore capto plenum Austriae consequeretur imperium, seque tandem
- 5 contemneret, Victorinum filium cum quingentis equitibus transire Danubium ac suppetias imperatori ferre mandavit, seque paulo post cum XX-ti milibus secutorum promisit, ac bellum Alberto et Viennensibus indixit. Venerant iam de Styria et Carinthia imperatori auxilia equitum circiter quattuor milia peditumque non parva manus; quae, ubi Victorinus advenit, aggredi civitatis suburbia fossa et vallo munita statuerunt, quibus non expugnatis
- 10 impossibile erat imperatorem educi in arce reclusum - que licet in ipsis moenibus urbis sita esset, intra suburbia tamen continebatur, nec liberum habebat egressum. Pugnatur igitur pro fossa suburbii, et ad vallum usque prorumpitur. Trucidantur in primo congressu resistentes, et iam prope capta munitio videbatur, cum Albertus valida suorum manu procurrens hostes repellit. Committitur atrox prelium et multa cedes. Postremo victi caesariani non sine magno
- 15 damno fugam capessunt. Imperator - qui ad eam usque diem, quae fuit obsidionis nona, licet quassate turres corruissent, et arcis omnes muri prope ad terram protriti iacerent, nec preter legumina, quod ederetur, adesset, nullum voluerat de concordia verbum audire -, postquam suorum conflictum accepit, caduceatorem admisit. Res in hunc modum composita est:
- Imperator sua secum referre permissus, liberi omnes dimissi, qui erant in arce.
- 20 - Vienna et Austria in annos octo Alberto gubernanda permissa, exceptis paucis oppidis imperatori relictis.
- Census ex Austria quattuor milia aureorum in annos singulos, qui caesari redderetur, decretus.
 - Maximilianus post annos octo dominus declaratus.
- 25 Caetera, in quibus non convenere, ad arbitrium Bohemi remissa, qui iam ad Danubium cum exercitu descenderat, et prope Burgum Triticum octo milibus passuum a Vienna constiterat; que res meliores imperatori conditiones reddidit.
- Sic rebus compositis imperatrix cum filio ad Novam Civitatem se transtulit, imperator regem Bohemiae convenit ultra Danubium profectus, et paulo post Albertus quoque eo se
- 30 contulit. Tractata est concordia super capitulis, quae restabant, nec unquam fieri pax ex integro potuit, nec reconciliari fratres aut ad colloquium perducere quovis pacto valuerunt; credibile est Bohemo discordiam magis placuisse. Tamen rebus haudquaquam sedatis rex in Bohemiam abiit, imperator Novam Civitatem repetiit, Albertus Viennam; quorum tanta gratia est, quanta inter eos esse solet, qui alter alterius vite insidiantur. [448]

Ulricus Ridrerer, quem diximus apud Viennenses in vincula fuisse coniectum, subtili ingenio custodes aut elusit aut corrupit, et tandem cum imperatrice ad Novam Civitatem pervenit. Nescia futuri mens saepe, quod nocet, expetit. Melius Ulrico fuerat diutius in carcere macerari. Paucis post diebus, cum libertati redditus esset, ante ostium domus, quam
 5 inhabitavit, summo diluculo necatus inventus est; caput a cervice precisum parva pellicula detinebatur, tibie concise et multa in corpore vulnera visebantur. Hic exitus doctissimi viri fuit, et qui os diu gessisset imperatoris, et solus leges dicere videretur, scientia iuris peritissimus, et qui Theutonica facundia cunctos preiret, ingenio versatili et ad omnia prompto. Ferunt mulierem, cui commisceretur, necis fuisse causam, et a potenti rivali
 10 percussores immissos. Nonnulli divinam existimant ultionem, quia cum esset annos supra sex et quinquaginta natus, et beneficia ecclesiastica magni proventus multos annos obtinisset, nunquam tamen sacris ordinibus voluisset initiari. Nos Deo sua secreta relinquimus. Ulricus de se ipso dicere solebat omni se vitio vacuum preter avaritiam, cuius se mancipium fatebatur. Neque ab re: perorando causas pecuniam innumerabilem congregavit
 15 inter omnes caesaris consiliarios ditior, nec potuit relinquere, cui voluit, et fortasse illum heredem habuit, cui maxime fuit infensus - ut sunt incerte mortalium spes, et rata perraro consilia.

20 **7. Bella Turchorum cum Hungaris et aliis, eorumque impie victoriae**

In Hungaria saepe hoc anno cum Turchis levia commissa sunt praelia, et rara Hungaros victoria secuta est. In Valachia res Turchorum superiores fuere, qui Transilvanam ingressi provinciam non parvam inde predam asportavere. Circa Savum quoque populati sunt agros, et multa intulere Dalmatis incommoda. Nunquam totis viribus tentare fortunam
 25 presumpsere, quamvis Matthias rex Hungariae ad exercitum profectus pugnandi copiam facere praesto esset.

In Asia Turchorum imperator emissa classe Lesbos, insulam fama notissimam cepit, freto non magno a Troiano discretam agro. Tyrannum insule, ab origine Genuensem, et qui primi erant apud eum, et omnes Italici generis viros palo suffixit, reliquam turbam in servitutem
 30 redegit. Potuissent Veneti periclitantibus opem afferre, quorum classis quattuor forsitan et XX-ti triremium instructissima prope aderat: visam fugissent hostes; sed prefectus iniussu senatus Turchis bellum indicere non presumpsit. Nunc et ipsum poenitet et senatum, qui maris imperium affectare Turchos non dubitant, et Chio timent et Rhodo, nec Euboeam servare posse confidunt.

35 Libet hic, quoniam aetate nostra hec insula Christiano nomini perdita est, eius situm describere, et quos habuit viros illustres, et varios gentis casus; sic enim detrimenta nostra melius intelligemus. Pudebit fortasse aliquando ignavie nostrae, et adversus religionis hostes paratiori erimus animo. [449]

8. De Lesbi insule situ atque ambitu, et qui eam tenuerunt quique ibi claruerunt, et eius excidio

5 Lesbos olim non solum Eolica, sed Eolicarum urbium altera metropolis fuit, et universae Troadis imperium obtinuit. Ambitus eius stadiorum centum supra mille, a borea in austrum protensa quingenta et sexaginta stadia longitudinis habens, feraci agro et multa materia ad classes conficiendas idonea; tantum a Chio Lemnoque distans, quantum a Thenedo: intra quinquaginta fere stadia. Urbes in ea fuere memoratu dignae: Mitylene, quae adhuc extat, et ab ea insula vocatur; et Pyrrha in occidentali latere sita, quae ab antiquo subversa relicto suburbio, quod habitaretur, fuit; et Eressus in colle iacens, et Antissa cum portu, et Methimna promontorio Lecti opposita.

10 Mitylene inter Methimnam iacet et Malyam, quod est australissimum extremum insule, Cane oppositum. Haec urbs rebus omnibus pulcherrime instructa fuit, portusque duos habuit, quorum australis clausus erat quinquaginta triremium ac navium capax; borealis vero magnus ac profundus, aggere protectus. Ambobus quedam parva insula obiecta fuit partem urbis habens ibi habitata. Distat a Malya stadiis septuaginta, a Cana centum ac XX-ti, totidem ab Arginosis, quae tres insulae sunt parve, continenti proxime et Canae adiacentes. Inter Mitylenem et Methimnam, ubi vicus Egirus fuit, angustissima insula est traiectum habens in Pyrrheum euripum passuum duorum milium et quingentorum.

20 Ex Mitylene fuit Pithacus, unus e septem sapientibus, et Alceus poeta et Anchimenides, frater eius, quem Babyloniorum socium Alceus dicit magnum certamen peregrisse, atque eos e maximis laboribus eripuisse, viro pugnacissimo et - ut inquit - "regum luctatore" interempto. Cum his et Sappho claruit, admiranda mulier et poetice peritissima, cui post tot saecula non est reperta, que posset aequari. Diophanes orator multo tempore posterior fuit, et Potamon et Lesbocles et Crinagoras et Theophanes rerum scriptor, qui Pompeio Magno admodum familiaris fuit, nam res eius gestas posteritati commendavit, et Graecorum omnium clarissimum se exhibuit; cuius filius, M. Pompeius Caesari quoque Augusto carus fuit, a quo Asiae curator constitutus est, et postea inter primos Tiberii familiares locum obtinuit.

30 Ex Eresso fuere Theophrastus et Phannias philosophi peripatetici et Aristoteli familiares. (Theophrasto prius Thirtamo nomen fuit; Aristoteles mutato vocabulo Theophrastum vocavit, simul prioris nominis absurditatem evitans, et futuram simul eius facundiam significans: Aristoteles enim discipulos omnes eloquentes fecit, Theophrastum vero eloquentissimum; quae res admodum eos confundit, qui Aristotelis opera omni eloquentia nuda in nostram linguam converterunt.) Altera quoque Sappho (ut nonnulli asserunt) hinc orta est, poetice perita et inventrix plectri, sed Mitylenensi minor.

35 Ex Methimna ortus est Arion is, quem Herodotus a predonibus in mari obrutum et a delphine incolumem devectum in portum ad Tenarum fabulatur, [450]

quem cytharedum fuisse constat. Ex hac insula et Terpandrum fuisse dicunt, musice artificem, qui primus pro tetracordo lyra heptacordo usus est; ad quem versus illi referuntur:

5 „Nos tibi mutato cordarum quattuor usu
iam nova per septem modulamur carmina nervos.”

Hellanicus quoque rerum scriptor et Callias, qui Alceum et Sapphon exposuit, Lesbii fuisse perhibentur.

10 Mityleneis durissima fuere cum Atheniensibus certamina, adeoque Athenienses in eos seviere, ut senatus consulto decreverint Mityleneorum pubem iugulari. Penituit tamen eos, decretumque mutate sententiae una die ante allatum est ad imperatores, quam mandata essent peracturi. (Non tam benigne cum Capuanis Fulvius egit, qui susceptis rei publice litteris, ut senatui Capuano ignosceret, quem statuerat perdere, prius saevitiae suae satisfacit, quam litteras legeret: tanta illi sanguinis aviditas erat.)

15 Plurime apud Mityleneos intestinae seditiones fuere, et plures tyranni civitatem oppressere; inter quos et Pythacum numerant. Sed is ad dominatus eruendos principatu usus est, non ad tyrannidem exercendam, qui sublatis tyrannis mox cives in pristinam libertatem restituit, ostenditque sapienti principatum non esse appetendum. Neque libertas diuturna speranda est civibus, neque perpetuo metuenda servitus: altera succedit alteri, sicut montibus valles.

20 Hanc insulam - ut Dyodorus ait - Pelasgi primum inhabitavere. Xanctus enim, Triapi filius, Pelasgorum, qui ex Argo venerant, rex parti Lyciae imperavit, deinde Lesbium cultoribus vacuam petens agro Pelasgis diviso insulam, quae Issa prius dicebatur, ab eis Pelasgiam vocavit. Septima deinde progenie, ob diluvium tempore Deucalionis factum cum insula deserta remansisset, Macareus in eam pervenit, Cynaci Iovis filius apud Achayam natus, eoque Ionas transtulit, et humanitate ac iustitia plurimum auctus et hanc et vicinas insulas tenuit. Successu deinde temporis Lesbos, Lapiti filius in hanc insulam navigans, sumpta in uxorem Macarei filia, Methimna nomine, apud eam perseveravit, et claritatem assecutus insulam a se Lesbiam nominavit. Fuit et altera Macareo filia, Mitylene appellata, quae

25 nomen civitati dedit in hoc usque tempus permanenti. (E Lesbo coloni in Chium et in Samum et in Rhodum missi feruntur. Eae insule, cum saluberrimum aerem haberent, frugibus abundarent, loca vero in continenti opposita propter diluvii humiditatem pestilentia et frugum sterilitate laborarent, Fortunatae sunt cognominate.) Macareus legem valde utilem apud Lesbios edidit, quam *Leonem* ab eius animantis virtute ac robore appellavit.

35 Res Mitylenenses nunc prospere nunc adverse per multas manus acte sunt. Pelasgi - ut diximus - priores insulam habitavere, cum staret Troia; postea Eoles successerunt; deinde Persarum imperium subiit, tum Macedonum, deinde Romanorum. Cumque Romana res in Constantinopolim translata esset, [451]

sub Grecorum imperatoribus varia insule fortuna fuit. Postremo cum Kaloiohannes Constantinopolitanus imperator a Catacusino per arma pulsus ope Francisci Gatelusii Genuensis imperium recuperasset, hec insula ob gratitudinem auxiliatori tradita est, atque in eius posteris usque ad haec tempora duravit. Ab eo, quem necatum a Turchis diximus, cum frater natu maior aliquando rem administrasset, in vincula coniectus est publicata causa, quod insulam Turchis Christianamque fidem proderet statuisset - ut est calamitatis infamia comes.

Aetate nostra Turchorum classes sepe numero in Lesbum delatae homines et armenta abegerunt, nil extra urbium moenia relinquentes; quarum unam feminea manu servatam tradunt. Oppugnaverat Turchorum exercitus insule oppidum non contemnendum, muri que partem machina deiecerat, et facta clipeatorum testudine irrumpere properabat, nec oppidanis animus erat ad ferendum impetum, aliis deditioem aliis fugam meditantibus. Sed affuit mulier virilibus armis induta, que - mirabile dictu - salutem patrie peperit. Adhortata enim cives, ne hostem metuerent, primam se Turchis obiecit, ac pro loci fractura depugnans nonnullos obruncavit. Eius audaciam admirati oppidani et ipsi animum resumpsere, tantamque hostium stragem ediderunt, quantam vix credere quispiam possit. Turchi e terra pulsi aegre in navigia se receperunt, quos Callisti classis insecuta magno detrimento affectit. Laus tamen servate insule penes foeminam fuit, cuius tedit non habere nomen; digna enim erat non minori memoria, quam Sappho, sed illi maiora premia in celesti patria reservantur.

- Episcopus Caphensis Callisto pontifici maximo presente Senatu hec enarravit, qui tunc transitum per Mitylenem fecerat ab ecclesia sua Romam petens.

9. Res geste Ferdinandi regis in tertio belli anno in Terra Laboris et Apulia, et Aquadiae excidium

In regno Siciliae tertius currebat belli annus. Ferdinandus nondum exacta hyeme memor cladis apud Sarnum accepte et iniuriam vindicandi cupidus eo cum exercitu proficiscitur, oppidumque undique clausum, ne quid inferri posset, summa vi oppugnat. Turris in vertice montis fuit, quae hostes appropinquare oppido in superiori parte non sineret; hanc pluribus diebus bombarde regie quatiunt, tandemque deiiciunt. Qua re territus loci tyrannus deditioem fecit, cuius exemplum Vicus Massaque, Amalphitani montis secuta sunt oppida. Regi bene auspiciato novi anni bellum inchoasse visum, qui oppidum vicerit, ubi fuerat victus. Circiter undecimum Kalendas Aprilis hanc ei fortuna foelicitatem aperuit, qua omnis Terra Laboris intra Vulturum et Sarnum in tuto posita est.

Dispar interea successus rerum in Appulis fuit. Princeps Tarentinus accersito ad se Picinino ingentibus copiis Tranum obsedit diuque oppugnavit; et cum nulla spes propinqui esset auxilii, oppidani fame laborantes in potestatem [452]

hostis venere. Fuisset et arx paulo post capta propter inopiam annone, nisi praefectus Venetarum triremium frumentum intulisset. Quae res vehementer Picinum deterruit Venetorum arma Gallis infesta putantem. Genuensibus eam urbem Galli ex federe promiserant, cum classem armavere, quae Rhenati filium vexit in Regnum. Quamvis defecisset a Francis Genua, verebantur tamen Veneti, ne - ut est mobilis civitas - iterum ad eos rediret, et portum in Adriatico mari Tranensem obtineret. Dux Andrie, ubi Trantum occupatum animadvertit, impetum belli veritus - neque enim is erat, qui Picino se posset opponere - in gratiam cum principe rediit, rebusque suis consuluit. Picinus Barlettam se contulit, et agro direpto, factis indutiis cum omnibus copiis Canusium versus iter ingressus est - Gravine comitis oppidum, Ferdinando amicum - ibi obsidionem tentaturus.

Cuncta in Appulis trepidabant tardante rege presidium afferre. Militibus hoc anno solito tardius stipendia tradita sunt, itaque ante Kalendas Iunias emitti exercitus non potuere. Primus Alexander Sfortia cum suis cohortibus missus est, qui Picinini reprimeret impetum. Is cum se imparem hosti cognosceret, in agro comitis Campi Bassi substitit, eumque diripuit commeatibus ex Arriano perceptis. Interea rex secutus est, et paulo post Antonius Picolomineus et Ursus Ursinus et Robertus Sancti Severini et Barnabos eiusdem familiae. In agro Griptae tribus ab Arriano miliaribus simul omnes convenere, ducentes equitum turmas quatuor et quadraginta, deinde in baroniam Flumari transiverunt; nec morati ad oppidum Aque Die profecti sunt duodeviginti milibus passuum ab Arriano remotum, Tarentini principis amicum.

Id situm in colle fuit, undique preruptis defensum rupibus, uno tantum itinere, quod planum esset, accessibile; et hoc angustum duabusque fossis ac turribus et propugnaculis communitum; intus validum presidium et oppidani circiter centum. Picinus, cum accepisset regis adventum, dimissa obsidione Canusii indutias cum comite Gravine fecit - et nihilominus contra fedus pecus omne abegit -, venitque ad Ofantum fluvium, atque eo transmisso Turricellam petiit, et itinere continuato apud Macchiafocacciam - ita enim locum appellant - tribus miliaribus ab Aqua Dia constitit; neque ausus est cum hoste congregi, sed recentes in horas milites misit in oppidum, qui pro fessis vulneratisque vicem subirent. Regie cohortes eo, quo licuit, aditu repletis fossis ad murum oppidi pervenere, ibique certamen acerrimum commiserunt. Bombarda precipuam turrim magna ex parte concussam prostraverat, et oppidi muros ita deiecerat, ut vix hominis altitudo maneret. Scandebant regii molem, et iam ensibus ac securibus aequo certamine cum hoste pugnabant. Quod animadvertens bombarde magister: „*Oppidum*” - inquit - „*mox apertum dabo*” -, immissoque igne tormentalem lapidem adeo caute per regios pugnatores emisit, ut nullo eorum tacto tres viros ex hostibus acrius repugnantes uno mactaverit ictu, reliquos ex muro reppulerit. Milites lapidis impetum insecuti oppidum obtinere spoliatumque combussere, viros circiter quinquaginta resistentes trucidavere. [453]

In Calabria paucis diebus ante, quam haec fierent, marchio Crotonias et comes Nicastris relicto Gallicae partis imperio ad Ferdinandum defecerant, et Crotonias quidem in hunc modum litteras regi dederat:

5 „Domine, maiestatem tuam certiore facio me scilicet et comitem Nicastrensem in nomine Dei et magni baronis, Sancti Georgii tua felicia erexisse vexilla, et - quod semper fuit animi mei - statuo sub umbra tua vivere et mori; et postquam pius Deus hac me gratia impartitus est, ut ad optatum finem pervenerim, nemo me vivit in hoc mundo beatior. Supplicio maiestati tuae, ut promissa tuo nomine rata sint, quemadmodum mihi indubitanter persuadeo. Scriptum Mayde manu propria tertio Idus Iunii.”

10

10. Mors Pascalis ducis Venetorum et Christofori suffectio

Circa hoc fere tempus apud Venetos Pasqualis Malipetrus dux mortem obiit, cum gubernasset annis circiter quinque - princeps haud multum religiosus, et qui de bello adversus Turcos gerendo nihil audire voluisset, dum Mantuae Christianorum conventus ageretur. Huic suffectus est Christophorus Maurus, vir probitate insignis, quem Divus Bernardinus Senensis, cui admodum familiaris vixerat, suae gentis futuram ducem saepe praedixerat. Is cum gravem senio se cerneret, nec facile tantum munus posse perferre, Pio significavit principatui velle cedere, et alteri locum dare, qui melior esset. Cui pontifex:

20 „Cave” - inquit -, „fili, ne Dei voluntati resistas! Tibi hoc tempus servatum est, in quo - nisi fallimur - adversus Turcos Christianorum arma potenter movenda sunt. Scimus te principe non defuturos Christianae rei publice Venetos. Quod si magistratu te abdicaveris, qualem sis habiturus successorem, ignoramus.”

25

[Nicolaus Sagundinus harum rerum interpres fuit.]

11. Regis Ferdinandi apud Troiam victoria, Apulorumque subactio

Iacobus Picininus, ubi se inspectante Aquam Diam incensam animadvertit, retro abiit ad locum, quem Turricellam vocant. Ferdinandus cum omni exercitu ad Ursariam contendit, 30 agri Troiani oppidum Iohanni Cosse obediens, quod a Troia tribus milibus passuum abest, atque hoc positis castris oppugnare contendit. Comes camerarius cum bombardis et duabus equitum turmis huc in castra venit et Iohannes ex familia Comitum Romanorum cum quattuor; quinquaginta cohortes equitum Ferdinando fuere, peditum circiter duo milia. Ursarienses, qui suis diffident viribus, quattuor dierum indutias petiere imperata facturi, 35 nisi medio tempore Franci suppetias ferrent. Picininus re cognita laturus obsessis opem cum omni exercitu a Turricella per Asculanum agrum movit, profectusque Troiam pro moenibus castra posuit, qua parte [454]

civitas in orientem spectat. Cum eo fuerunt Iohannes, Rhenati filius, Iohannes Cossa, Iulius Aque Vive, Hercules Estensis et alii complures Gallicarum partium duces; equitatus par pene hinc atque inde fuit, peditatus Picinini superior videbatur. Verum in castris regis viri excellentes, et qui ducere novissent exercitum, plures fuere; rex ipse animo et virtute
 5 excellens haud parum roboris prestabat exercitui. Aderat Alexander dux belli iam pridem fama clarus, Robertus Severineus, Robertus Ursinus, Iohannes Comes, Antonius Picolomineus, comes camerarius, Antonius Trottus et aliorum ingens numerus, qui excepto papae nepote saepe in magnis exercitibus ordines duxerant. Ii, postquam Picininum prope
 10 adesse noverunt, haud ignari quam primum belli fortunam tentandam esse, locorum oportunitatem quaesiverunt, que sepe magnum affert momentum.

Inter castra regis, que ad Ursariam sita diximus, et urbem Troiam tumulus quidam prealtus fuit castris imminens, nomine Verditulus, deinde Maianus paulo minor, et rursus alius non inferior primo, ex quo in planitiem descenditur, quae Sandoro fluvio adiacet. Ultra fluvium maior planities occurrit, postremo collis, in quo Troia iacet, et urbis vineta
 15 procumbunt. Altiolem tumulum si prior occupasset hostis, magna regi attulisset incommoda castris superincumbens et aequatu milites prohibens. Ob eam rem iubetur Antonius Picolomineus primo diluculo tumulum occupare, indeque hostes arcere, si forte illuc procurrant. Roberto Ursino alterius tumuli cura mandatur, rex et Alexander cum reliquis copiis partes alias observare constituunt.

20 Antonius ante solis exortum montem sibi decretum insedit, et cum eo Iohannes Comes, qui iam die lucescente, cum hostes adventare prospexisset, in castra descendit provisurus, ne rex incautus damno afficeretur; Antonius ad montis custodiam remansit. Ursini milites sub ipso lucis ortu ad irritandos hostes profecti cum turmas hostium incidissent, retro terga verterunt; illi tertium montem occupavere, et missa peditum parte tumulum quoque obti-
 25 nuerunt Roberto assignatum Ursino, qui eam contumeliam aegre ferens recollectis raptim suis, quos fugere diximus, in hostes irruit, eosque tumulum sibi decretum relinquere compulit. Quod cum foeliciter successisset, accersito Antonio, qui prope aderat: „*Si me audis*” - inquit -, „*tertium quoque montem hosti auferemus.*” - Annuit Antonius, et ambo in hostes iter arripuerunt. Nec illi morati sunt, qui relicto in monte presidio usque in planum
 30 obviam procurrerunt. Commissum est certamen, nec potuere Bracciani regios sustinere: repulsi sunt usque ad medium montis. Quod Picininus ex vertice conspicatus suppetias suis immisit. Tum rursus in planum Antonius et Robertus coacti pedem rettulere, ibique prelium restaurarunt equites cum peditibus decertantes. Supervenere deinde Alexander Sforcias et Iohannes Comes, montemque cum cohortibus diversa ex parte conscendere ceperunt. Quod
 35 Picinini pedites animadvertentes, veriti, ne reditu in montem prohiberentur, mox terga verterunt, et ordine inter fugiendum neglecto dissipati et magna ex parte caesi sunt. [455]

Mille et ducenti pedites obtinuisse montem ferebantur, qui ante faciem regionum consistere non sunt ausi.

Picininus cum equitibus prior effugit - ut aliqui tradunt; quidam negant eum illic fuisse. In descensu montis fossam invenere, que licet aquam non haberet, fugam retardavit, cum
5 difficile transiretur. Ibi aliquandiu pugnatum est, et resistentia ingens ab hostibus facta.

Rex interea et omnes belli duces paucis, qui castra servarent, relictis cum omnibus copiis affuerunt; ad quorum adventum exterriti hostes cuncti ultra fluvium se recepere, ubi Iohannes Andegavensis et Picininus sui robur exercitus in ordine collocaverant.

10 Medius inter hostiles acies non magnus, quem diximus, decurrebat fluvius, tanquam limes quidam arma misceri prohibens. Dubitabant alteri alteros invadere, nec transiri amnis sine vi magna et periculo poterat, adversas ripas hoste defendente. Anceps aliquandiu rex, quid ageret, tandem copiarum partem ad superiorem fluminis decursum transmisit, iussitque amnem transire, atque hostes pugna lacessere. Ipse ex loco, in quo erat cum suis - ut aiunt -
15 'creatis' et validis nonnullis cohortibus, transmittere Sandorum decrevit, fortunamque extremam experiri animo in utranque partem parato - seu vincere Deus daret, seu sortem adversam subire. Quod cum Alexander cognovisset, prope accedens:

"Quid agis, rex?" - inquit. - "*Transeuntem fluvium aut te vincere oportet, aut succumbere! De tota re ludes!*" - Ad quem rex:

20 „*Istud*" - inquit - „*et opto et quero: aut meas hodie aut hostis molestias finiam. Deus tamen adiutor aderit, et vos, tot fortissimi viri, non sinetis hostem esse victorem!*" - Nec plura locutus admotis equo calcaribus fluvio se commisit; quo traiecto parvum quendam clivum non magno negotio deiectione hostibus superavit, et in planum pervenit campum. Secutus est Alexander regis exemplum, et omnis exercitus sine mora traiecit amnem. Rex in
25 in sinistro cornu non tam ducis, quam militis officium gerens acriter pugnam inivit, Alexander in sinistro cornu produxit aciem; in media fronte multi pugnaverunt viri prestantes, qui magno impetu hostem aggressi terga vertere atque ordinem interrumpere coegerunt, et usque ad radices montis ex campo deiecerunt. Illic fossa non magna fuit, quam cum hostes pertransissent, urgente Picinino ac Iohanne Andegavense et aliis ducibus fugam prohibentibus faciem verterunt, ac prelium instaurantes tandiu restitere, donec Alexander a
30 sinistro incurrens latere transversam perturbavit aciem, omnemque hostis conatum irritum fecit. Hinc iterum Bracciani depulsi celeri cursu collem ascendere Troianum, atque inde conversi ex loco superiori facile regionum impetum repressere; ibique duabus circiter horis summa contentione pugnatum est, nec potuerunt hostes loco moveri.

35 Tumulus erat arduus in parte sinistra usque ad urbem protensus. Hunc Tarentini principis equites et Capacciani et Franci cum vexillis insederant. Hos deturbare loco rex aggressus, Alexandro adversus Braccianos dimisso, ex pluribus equitum turmis tres validissimas acies instruxit; unam ipse duxit [456]

sagittariis premissis, alteram Antonius Picolomineus et Iohannes Comes, tertiam magnus senescallus, cuius nondum equites eius diei prelio sese immiscuerant; comes Ursus regis adhaesit lateri. Robertus Ursinus paulo ante cum suis equitibus ex adversa parte suoapte ingenio montem ascendere ceperat, et iam quattuor itineribus in tumultum fiebat incursus.

5 Hostes tanquam excepturi prelium alacres apparatis protensisque hastis tandiu mansere, quoad regios summo appropinquare vertici adverterunt; exin subito terrore percussi fedam arripuere fugam. Insecute sunt regie turmae, et fugando cedendoque usque ad urbis menia pervenerunt. Idem Sfortiani fecerunt, qui Braccianos, quamvis e superiori loco dimicantes, in ipsas urbis fossas precipitaverunt, parumque abfuit, quin hostibus immixti portas
10 irruperint. Sed his ab oppidanis militibusque, qui intra menia confugerant, statim clausis plurimi ante moenia capti sunt et non pauci enecti, vexilla per muros intra urbem tracta. Cum spes expugnandae urbis nulla esset, ad diripienda castra properavere per ipsas fossarum ripas, qua parte civitas septentrionem spectat; illisque passim direptis ingenti preda potiti sunt, nam plus quam mille equos impedimenta ferentes interceptere.

15 Interea vexilla regia parvo cum presidio relicta cum Picininus conspicatus esset, vociferans per urbem regem cum Alexandro captum, fugientes suos in aciem coegit, egressusque portam ad vexilla regis procurrit; magnoque damno et maiori dedecore Ferdinandum affecisset, nisi accurrentes subito Antonius Picolomineus et Robertus Ursinus iter eius impedivissent. Ibi rursus acre certamen commissum est; et cum modo regii modo Bracciani
20 pedem referrent, tandem vexilla salvata sunt, et Picininus voto frustratus in urbem rediit.

At profligatis ubique hostibus, direptis castris, trecentis et amplius galeatis militibus interceptis cum iam nihil timendum victoribus videretur, non parva clades illata est regiis. Vidit Picininus milites, qui castra invaserant, cum preda sine timore, sine ordine redeuntes
25 non procul ab urbe transitum facere, irruitque in eos, et partem prede recuperavit, galeatosque milites non paucos abduxit, atque ita partem damni resarcivit. Pretiosiora tamen castrorum bona ad regios pervenere: Iohannis Andegavensis gaza et ipsius Picinini argentum et Herculis opes et vestimenta nobilium gregarii inter se milites partiti sunt. - Hec eius diei fortuna fuit, quae ad quintum decimum Kalendas Septembres illuxit anni M CCCC LXII.

Ursarienses, ubi superatos Francos didicerunt, eadem die sese dedidere. Iohannes
30 Andegavensis et Iacobus Picininus diffisi Troiam post acceptam cladem posse defendi, ac veriti, ne intra menia clauderentur, intempesta nocte cum quadringentis circiter equitibus fuge se commiserunt. Rex biduo post castris ab Ursaria motis urbem obsedit; Iohannes Cossa cum praesidio inerat, et arcem tenebat. Oppidani clam exeuntes Alexandrum commonuere, uti postridie, quam primum illucesceret, oppugnare pergeret urbem: futurum,
35 ut captis cives armis externos milites comprehenderent, urbemque sibi aperirent. Annuit Alexander consulto rege, statuitque primo diluculo scalas admovere menibus, [457]

urbemque totis viribus oppugnare. Longior solito visa est civibus nox, nec lucem expectare potuerunt; inter quos triginta fuerunt equites galeati, qui media nocte armato populo ductores se praebuerunt, et cursu per urbem facto presidiarios equites circiter septuaginta, pedites trecentos intercepere, apertisque portis Alexandro, ut ingrederetur, atque urbis imperium caperet, potestatem fecerunt - Sfortiadum familie, non regi servituri. Iacobus cognomento Squarcia et loci episcopus auctores novitatis fuere. Cum nollet Alexander urbem accipere regi debitam, nec cives regis subire iugum vellent, tandem conventum est, ut Isotte, Mediolanensium ducis filiae, primogeniti regis sponse civitas traderetur. Atque ita Sfortiadum sanguis post longa tempora Troiam recuperavit.

10 Iohannes Cossa in arce clausus, ubi spes reliqua nulla fuit, potestati regiae libere se permisit, ea tantum conditione adiecta, ne vis corpori eius inferretur. Qui ubi ad regem in castra perductus est, prostratus in tentorio ante pedes hostis:

15 „Tua me” - inquit - „victoria ex domino servum fecit, et te quodammodo ex privato regem. Nudius tertius regnum Siciliae ludens fortuna ad te detulit, et me tibi subiecit. Nunc te regem esse profiteor, facturus, quae iusseris. Tu si regio fueris animo, nihil imperabis, quod invitum me facere noveris.” - Cui rex:

20 „Unus est regnorum distributor omnium et dator: Deus. Is misit angelum suum, et in bello victorem me fecit et regem. Prius incerta res erat, cuinam faveret celum; nunc rata est Romani pontificis constitutio, qui me pretulit Andegavensibus, et te vel invitum in manus meas dedit. Ignosco tibi, qui fidem antiquo servasti domino. Si vis apud me degere, aedibus et agris te donabo, quibus more nobilium vitam agas. Sin mavis ad priorem reverti dominum, et nostra contemnis arma, quae Deus iuvat, liber esto, et tuum arbitrium sequitor!”

25 Iohannes, qui servire Aragonensibus nesciret, ad Andegavensem rediit, traditis prius Ferdinando, quecunque possidebat in agro Troiano vel arcibus vel castellis.

30 Secundum hanc victoriam et Fogienses capto presidio, quod apud eos erat Gallice partis, ad regem defecere. Deinde Luceriam itum est spe data, quod oppidani metu territi deditionem facerent. Quod cum non successisset, ad Sancte Severe oppidum opulentum admota sunt castra, nec dubium erat, quin armis obtineri posset. Sed oppidani direptionem veriti ultro se dederunt. Hinc retro iter ad Troiam remensum est, et deinde Asculum versus motus exercitus. Asculani nihil in principe, cui suberant, spei collocantes, priusquam veniretur in vineas, missis legatis civitatis claves Ferdinando tradiderunt; prefectus arcis paucorum dierum pactus indutias, cum nemo suppetias ferret, idem fecit. - Parvum erat non procul oppidum ducis Melphiae, nomine Candela, quod repentino impetu captum, direptum atque combustum est. Venit et in potestatem baronia Petrae, Mons Corbinus, Motta, Lancedonia et Rochetta et alia non parvi momenti oppida. Karolus Sanguinis et dux Melphie, postquam [458]

nullum in Gallis presidium esse viderunt, ad regem in castra profecti in eius verba iurarunt.

12. Pax inter Ferdinandum regem et principem Tarentinum, et icta federa

5

Interea, cum ad Ofantum fluvium ventum esset, frequentes nuntii et principis Tarentini ad regem et regis ad principem de pace agentes discurrebant. Princeps victorem formidabat exercitum, rex pecuniosum senem verebatur, ne per desperationem apertis thesauris Picinini copias armaret, bellumque de integro instauraret. Factae sunt XX-ti dierum induciae, et cardinalis Ravennas medio tempore ad principem profectus pacem componere adnixus est. Aderat Picininus magna promittens, si ad instaurandum exercitum pecunia daretur. Advenerat et Sigismundus Malatesta, qui domi conflictus - ut postea dicemus - auxilia principis ex federe requirebat.

10

15

Sed nulla victo federa prosunt, pacta cum fortuna ipsa resolvuntur! Principem, qui magnam thesauri sui partem absumpsisset, plura exponere tenebat, et certam pacem dubiae victoriae referebat. Ob quas res post multa consilia, quae in utranque partem audivit, tandem Malatesta et Picinino exclusis auctore cardinale concordia in hunc modum confecta est:

20

- Ferdinando Sicilie regi et Iohanni Antonio principi Tarentino eorumque successoribus et subditis inter se pax et tranquilla quies esto, et omnis belli memoria atque ulciscendi cupido procul abito.

- Iohannes Antonius publicae salutis instaurator habetor, premia et honores sperato, quibus rei publice conservatores afficiuntur.

25

- Paternam hereditatem, et quaecunque possedit, cum vita excessit. Alfonsus retineto Mariliano excepto, quod regine in donum cedito.

- Crotonum insuper, Malfettam, Iovenatium, Venusium, Minurvinum, Rubum, Avellum, Montem Melonis, quoad vixerit, Bithuntum vero et Cauratum sibi et successoribus vendicata, et in his vectigalia regia pleno iure percipito.

30

- Asculum et arcem e manu regia recuperato.

- Feuda nobilia et alia quaecunque intra decretam sibi provinciam pro suo arbitrio disponito.

- In terris, quae dominiales appellantur, et sibi dimisse sunt, regius vicarius cum mero et mixto imperio ac plenitudine potestatis irrevocabilis esto.

35

- De rebus, que iure perpetuo possidet, aut inter vivos aut in testamento -uti libet - disponito.

- Ex vectigalibus terrarum Apulie, quas elegerit, centum milia auri nummum, dum vixerit, quottannis accipito; si tantum corradere nequiverit, residuum ab aerario regio in tribus terminis expectato.

- Militiam, quantam voluerit, alito. [459]

- Barones intra principatum suum absque provocationis metu corrigito.
 - Luceriam et Manfredoniam ad regis obedientiam, quoad liceat, reducito; arcem Vici et cunctas terras baronie Flumari persolutis sibi munitionibus regi reddito.
 - Iohanni Andegavensi, ut Regno cedat atque abeat, persuadeto.
 - 5 - Ferdinando et successoribus eius fidelis esto, vexilla eius erigito. Rhenati reiicito, hosti publice clamve ne faveto.
 - Sigismundo Malateste extra gratiam Pii pontificis remanenti suppetias nullas concedito.
 - Urso Ursino iniuriam et omnem actionem remittito.
 - In Asculanos, qui se regi dederunt, minime ulciscitor.
 - 10 - Salva securitate sui status equitatu peditatuque omni adversus hostem regem iuvato.
 - Comitem Eversum, si nihil adversus Pium Romanamve Sedem molitus fuerit, federa secum percutere cupientem ne reiicito.
 - Si quid adversus se suosque machinari regem contigerit, Picinum in auxilium suum libere advocato, et nihilominus percussa federa in suo robore remanento.
 - 15 - Tranum intra sex dies et Salernum, quam primum poterit, regi reddito.
 - Qui regi stipendia fecerint, equites peditesve iniussu regis ne conducito; idem rex facito in his, qui sibi militaverint.
 - Tranum rex nullo unquam tempore a se abdicato, Salernum intra annum nulli concedito.
 - Impensas in arce Salernitana factas, id est aureos tria milia quingentos, reddito.
 - 20 - Pio pontifici supplicat, ut Sigismundo Malatestae et fratri eius status reintegretur.
 - Tranensibus et Salernitanis laesae maiestatis crimen remittito.
 - Hostes ex Manfredonia Luceriaque cum suis bonis libere abire permittito, si ea loca suasu principis regi se dederint.
 - 25 - Iohanni Francisco Ursino Aquam Diam et Carbonariam, Raymundello Ursino Laurencanam reddito.
 - Adversus Vilhelmum Capaccii comitem expeditum principi ius dicito.
 - Iohanni Andegavensi, Iacobo Picinino, Sigismundo Malateste securitatem facito, quoquo velint, intra dies octo et decem cum suis copiis et rebus ire, sive divisim sive coniunctim; interea locus, in quo fuerint simul omnes, tutus atque immunis esto.
 - 30 - Comiti Iulio Aquae Vive cuncta reddito, quae fuerunt patris Iosie tempore mortis Alfonsi, et amplius Adriam et Theramum et Silvium intra sex menses, et cuncta, quae tenet Alexander.
 - Celino in annos decem et Sancto Fabiano in annos XX-ti pristinam libertatem reddito.
- [460]

-Vectigalia regia in his terris Iulio permittito, et amplius, quoad vixerit, aureos mille singulis annis elargitor; comitatum Conversani sibi et uxori suae pro voluntate principis confirmato.

5 - Ut se ducem Adriae Iulius vocet, permittito, et quamvis ducatus causa in verba regis iuraturus sit, liberum tamen sinito, ne plus, quam princeps voluerit, persona eius obligetur.

- Quecunque principi rex aut regi princeps promiserit, Pius pontifex maximus confirmato, atque ut observentur, curato; Franciscus quoque Mediolanensium princeps expromissor accedito.

10 - Monumenta regia super conventis arbitrio sapientis, quem princeps elegerit, ut certam obtineant roboris firmitatem, aguntor.

Haec ad XI Kalendas Octobris in urbe Vigiliarum gesta sunt anno salutis M-o CCCC-o LXII-o. Quibus publicatis Picininus et Sigismundus Malatesta consternati animo Trantum concessere cum Iohanne Andegavensi rebus afflictis consulturi.

15 Sigismundus sex diebus ante, quam Franci ad Troiam confligerentur, in Pyceno et apud Senegalliam prelio victus fuerat. De qua re nunc scripturi haud absurdum putamus de Malatestarum origine et eius gentis progressibus nostre historiae aliquid interserere, [ut noto familiae principio, quod a proditionibus incepit, desinant admirari nostri seculi homines Sigismundi proditiones, cui a maioribus datum est et fidem fallere et in omne scelus prolabi - si modo Malatestarum sanguis est, et non Marchesini filius, qui hoc anno apud
20 Insubres decessit ducalis aule notus scurra.]

13. Malatestarum familie origo, et progressus eorum ac gesta usque ad Sigismundum

25 In castello Pennae Montis Feretrani agri duo fuere fratres; nomen uni Malatesta, alteri Iohannes, ambo Malatestae filii. Iohannes uxorem Suliani duxit, et dimissa paterna domo cum ea illic habitavit. Malatesta Verruchium se contulit Ariminensis agri, et ibi, cum esset industrius et robusti corporis, ad equestrem militiam provectus est. Ariminum per id temporis Imperio suberat Federico Secundo imperante, cum iam pridem Romandiolam -
30 quam prisci caesares Romanae Ecclesiae dono dederant - Theutones abstulissent; Rigettus Vicentinus Pandulfine gentis vicariatum gerebat. Duae factiones inerant - Guelforum et Gibellinorum -, quod malum in Italia late patuit. Gibellinorum principatum gessit eques nobilis et dives, nomine Parcitas, cuius filiam Rigettus Vicentinus duxerat; Guelfi, quamvis essent multi, principe et ductore carentes contemnebantur. Ob quam rem caput sibi
35 constituere decreverunt, vocatumque a Verruchio Malatestam possessionibusque donatum Guelfis omnibus prefecere.

Interea, cum obiisset Federicus, successor eius, Henricus Quintus in Italiam venit, et Parmam obsedit; ad quem profectus Rigettus Pandolfinus aureos ei [461]

duo et XX-ti milia detulit, tantum **se** pro imperatore Ex vicariatu suo corrasisse dicens. Imperator inopia laborans id auri percupide accepit, vicariatumque Rigo confirmavit, et paulo post natam ei filiam de sacro fonte per procuratorem levavit, puelleque dono dedit castella tria: Runchum Frigidum, Giovediam et Trebum.

5 Mortuo Rigo Guelfi egregium palatium Malateste aedificarunt iuxta episcopium, et custodes corporis illi addiderunt, et opes auxere, cuius consilio et animi promptitudine Guelfarum partes in dies potentiores fiebant. Id egre tulit Parcitas, veritus, ne Malatestae augmentum suum esset detrimentum; quod ut impediret, amicitiam eius perquisivit, neptemque suam ex filia in matrimonium ei dedit, Rigo filiam, castellis tribus, quae supra
10 nominavimus, dotis nomine assignatis.

Sed nulla est sancta regni societas, nec tyrannidis affectum superat affinitas. Auctus novo matrimonio Malatesta familiam quoque auxit, et satellites sibi ex Guelfis plures adiunxit, maioremque civitatis partem ad se traxit, Guelfos extulit, Gibellinos repressit. Hinc simultas, deinde apertum odium inter Parcitatem et Malatestam erupit, adeo, ut alter alteri nequaquam se crederet, atque in dies invidia et malivolentia cresceret, et ambo armati per
15 urbem incederent, et ferro dimicaturi de tyrannide viderentur. Cives in armis erant, et ambe partes externa querebant auxilia: Parcitas Guidonem comitem ex Urbino accersivit, Malatesta ex Verruchio suos amicos. Nec tamen hic aut ille audebat certamen incipere: Malatesta nobilem civem clientelis et affinitatibus potentem non sperabat urbe posse
20 depellere, Parcitas Guidonis adventum praestolabatur.

Sic suspensa civitate ac tumultum et prelium in horas timente ecce asinus in platea, quam Populi Campum vocant, asinam libidinosus insequitur, atque ingenti ruditu cuncta complet. Fugit asina rabidum animal morsu et calcibus urgens, fugam et homines capiunt: qui causam ignorant, prelium inchoatum putant, et tyrannos inter se pugnam conseruisse. Curritur ad
25 arma, et suos quisque duces iuvare pergunt. Ludovicus, eques Caminatensis in forum procurrat armatus, et Malatestam urbis dominum proclamat. Accurrunt et Parcitis amici, Ludovicumque sagitta confossum perimunt. Nec mora, Malatesta cum expedita armatorum manu huc se recipit, cogitque partem adversam pedem referre usque ad fontem quendam extra forum. Hic rursus prelium instauratum est, et tribus diebus acerrima contentione
30 certatum, et multi perierunt.

Interea certior factus Malatesta Guidonem Urbinatem apud Sanctum Marinum expectare Parcitati auxilio venturum cum trecentis equitibus, nobiles quoque Petramalenses, Firmanos et Fabrianenses suppetias inimico mittere, terrore permotus primores quattuor urbis cives ad se accersivit probitate et auctoritate praestantes, et quibus civilis discordia molestissima
35 esset, dixitque illis se ignorare, cur Parcitas urbem excidio traderet; se neque priorem inchoasse pugnam, neque civilem libenter effundere sanguinem; positurum arma, si Parcitas idem faciat. Illi Parcitatem convenere multisque verbis oravere, [462]

ut suorum civium sanguini parceret. Neque frustra locuti sunt: amator sue patriae Parcitas facile in concordiam ductus est. Venere ad colloquium duces partium, et obsculati alter alterum visi sunt in amicitiam rediisse. Populus ambos humeris sublimes extulit, et tanquam urbis dominos in palatio publico collocavit, Parcitati et Malatestae vitam precatus. Deinde
5 communi consilio per preconem iussi sunt externi milites urbe excedere.

Parcitas, qui bonam inesse fidem arbitrabatur, nec ulla verebatur insidias, presidia, quae ad eum venerant, ilico dimisit, scripsitque Urbinati, ut domum rediret, nam res urbane composite essent. Malatesta fraude usus auxiliares suos in duas partes divisit, et alteram domi abscondit, alteram publice iussit ab urbe recedere - datis clam mandatis, ut ad mediam
10 noctem redirent. Quod et factum est. Cum venissent ad Pontem Maonis tribus milibus passuum ab urbe distantem iam nocte obscura, conversi retro per portam Gattuli intromissi sunt, et coniuncti cum his, qui domi apud Malatestam latebant, percursa civitate partis Guelfe dominatum acclamavere, et Malatestam principem, Gibellinis et Parcitati mortem comminati. Quod ubi Parcitas intellexit, destitutus externo auxilio, et nullam in suis civibus
15 spem habens fuge se commisit; ex amicis eius atque cognatis multi et capti et occisi sunt, inter quos Montagna, gentilis eius in carcerem coniectus est et ibi crudeliter necatus. Parcitas ad Sanctum Marinum se contulit. Quem cum vidisset Guido venientem - neque enim adhuc inde recesserat -: „*Optime*” - inquit - „*venito, civitatis perditor!*” -, alludens nomini (quia sermone Italico paululum immutatis litteris Parcitas idem significat).

His artibus Arimino potitus est Malatesta, a quo Malatestarum nomen exordium sumpsit. Haec origo gentis, [haec familie vetustas, haec nobilitas generis, cuius laudatores nesciunt invenire principium, et nihil antiquius Malatestarum prosapia per adulationem apud Italos inveniri dicunt, que - cum ad verum discussa fuerit - supra ducentos annos haud multum
20 reperietur excedere. Credebamus olim, cum de Malatestis mentio fieret, et antiquitas domus ceteris preferretur Italicis, aliquem ex filiis Noe cognomento Malatestam Ariminum venisse, eamque sibi et posteris urbem perpetuo possidendam aedificasse, a quo Malatestarum nomen acceptum usque in haec tempora perduraverit. Decepti sumus: novum est nomen et nova familia, neque ab Ilio venit, neque Francorum sanguis est, neque Germanicus; ex Penna venit, vili oppidulo et paucis cognito, nec per virtutem crevit; prima tyrannidis fundamenta
25 in proditione iacta fuerunt, per scelus quesita potestas, et qui pro socero fuit, eiectus a genero.]

Parum id Malateste visum: Iohanni quoque germano - quem diximus Soliani uxorem duxisse, atque ibi domicilium contraxisse - bellum indixit, quoniam exules Ariminenses benigne exceperat. Dura obsidione frater a fratre conclusus est. Duodecim maiores balistas
35 Malatesta Soliano admoverat, et contra ius belli non die tantum, sed noctu quoque ingentes in oppidum lapides et res fetidas iaciebat. Sed obiit Malatesta, priusquam frater expugnaretur, relictis ex duabus [463]

uxoribus quinque filiis: Malatestino cognomento Lusco (quoniam altero careret oculo), et Pandolfo ex eadem matre; Iohanne Claudio, Paulo Pulchro et ultimo, qui fuit Ghiaccioli comes. Malatestinum ferunt audacem fuisse virum et ardentis ingenii, verum Gibellini nominis infestissimum hostem; hic patri in Arimino successit. Quo gubernante Iohannes
 5 Claudus Paulum germanum in adulterio cum sua coniuge repperit; impatiens irae ac furoris - ne qua in domo Malatestarum exempla tragoediarum deessent - ambos adulteros interfecit. [Paulus fraternas fedavit nuptias incestu nefando,] Iohannes primus suam familiam parricidio deturpavit. Huic tres filii fuere: Tinus, Rambertus et archipraesbyter.

10 Per idem tempus comes Ghiaccioli ex Arimino abiit, et in comitatu suo moram traxit eo proposito, ut aliquando Malatestinum occideret, qui Pauli Pulchri necem non vindicasset. Iniquum eius propositum mors Malatestini paulo post secuta pretervertit, qui relicto filio Ferrantino e vita decessit.

15 Obiit et circa idem tempus Iohannes Claudus et eius filius, Tinus, ex quo superstes fuit alter Iohannes. Principatus Ariminensis ad Pandulfum pervenit, Malatestini germanum. Hunc aiunt, cum statuisset equestrem ordinem profiteri, e propinquis urbibus precipuos nobiles ad se vocasse, et splendidum apparasse convivium, et ludos instituisse militares, in quibus primus ipse militie concilium accepit, deinde filii eius, Malatesta et Galeottus, tum Ferrantinus, ex fratre nepos eius et Malatestinus abnepos et Rambertus, Iohannis Claudii
 20 filius, cum Iohanne, nepote ex Tino genito, et alii complures tum cives tum extranei. Post haec cum accepisset Pandulfus Ghiaccioli comitem ad Ariminensem dominatum aspirare, et res novas in urbe moliri, ad Ciolam se contulit, germanumque, ut ad se veniret cenaturus, evocavit. Quem venientem et in mensa sedentem tres spurii [- quibus semper Malatestarum domus abundavit -] e latibulis armati prodeuntes, ut Pandulfus constituerat, interfecerunt. Atque ita ex quinque filiis prioris Malateste duo fraternis insidiis periire, [duobusque
 25 parricidiis in ipso exordio suo Malatestarum familia illustrata est.] Et Pandulfus ceso fratre paulo post decessit.

30 Ariminenses Ferrantinum sibi dominum elegere, Malatestini filium. Huic Rambertus solemne convivium apparavit; fueruntque cum eo in prandio Malatestinus, Pandulfi filius et Ferrantinus cognomento Novellus et Galeottus. Quibus discumbentibus Rambertus, tanquam sanguis e naribus deflueret, e mensa surrexit, et ingressus cubiculum sumpsit arma, reversusque cum expeditis circiter centum armatis hospites comprehendit. Nec moratus in forum descendens imperium civitatis arripuit, ac tribus diebus dominatus est.

35 Quod cum audisset Malatesta, Galeotti germanus, cum valida militum manu ex Pensauro, ubi residebat, Ariminum venit suppetias Ferrantino laturus. Non expectavit impetum eius Rambertus, sed porta egressus Sancti Petri ad oppidum Sancti Archangeli cum captivis se contulit. Oppidani excitato repente tumultu captivos e manu Ramberti eripuerunt, liberosque remiserunt Ariminum, et iterum Ferrantinus principatum urbis accepit. Rambertus Ciolam se [464]

contulit, cui et Castilionum parebat. Ferrantinus in eum duxit exercitum, et obsidionem firmavit.

Interea legatus apostolicus Bononiam venit, Beltramus episcopus Ostiensis; cuius favore adiutus Rambertus obsidione liberatus est, et pax facta metu legati aliquandiu duravit. Scribebant alter alteri, et dona inter se missitabant, nec Rambertus aliud querebat, quam Ferrantino reconciliari. Ibat Ferrantinus sepe venatum; Rambertus ei se comitem obtulit, nec recusatus est. Apud Pogianum venationi locus dictus; ibique cum venisset Rambertus, ac veniam peteret errorum, repente a Ferrantino est obtruncatus. Tertium hoc parricidium in domo Malatestarum numeratum, in quo patruelis manu patruelis cecidit.

Legatus Bononiensis id scelus detestatus in poenam criminis Ariminum a Ferrantino repetiit; qui destitutus a gentilibus suis, qui Ecclesie imperium verebantur, urbe excessit, et in Ronchum Frigidum se recepit; Malatestinus ad Sanctum Iohannem in Galilea se contulit. Legatus Ariminum pro Sancta Romana Ecclesia recuperavit, venientemque ad se parricidam et veniam petentem iussit, ut cuncta dimitteret Ariminensis agri oppida. Ille pariturum se dixit, et sequenti die per Ferrariam et Venetias migravit in Forum Iulii, et apud Branchinum nepotem in Portu Bufalecto sex mensibus delituit. - Legatus ad Mondainum castra posuit Malatesta et Galeotto coniungentibus arma; Malatestinus a Perusinis, Firmanis, Fabrianensibus, Aretinis et Urbinatibus adiutus oppidum tuebatur. Ob quam rem legatus revocato Ferrantino ea lege pacem dedit, ut restituto Mundaino oppida reliqua retineret.

Non multo post legatus obsidere Ferrariam statuit Malatesta et Galeotto cum copiis in auxilium vocatis, ibique conflictus est ecclesiasticus exercitus, et multi mortales periire, cum Scaligeri Veronenses tyrannis Ferrariensibus suppetias tulissent; Galeottus et Malatesta capti fuerunt. Ea re cognita Ferrantinus et Malatestinus, Ecclesie cladem suam arbitrati foelicitatem esse, amicos in arma vocant. Dimittitur e vestigio Galeottus, quem Ferrantinus apud Scorticatam convenit, eique reconciliatus est, et iunctis armis Aretinorum auxilio, qui quadringentos equites misere, usque ad Arimini portas populati sunt agros; deinde ad Mondainum conversi per deditionem potiti sunt oppido. Post hec et Malatesta e carcere dimissus Pensaurum rediit.

Legatus ex Bononia equites sexcentos, pedites mille Ariminum misit, qui furorem Ferrantini reprimerent, et Malatestae uterentur consilio; nec prevaluit. Hostis enim e Sancto Archangelo movens Marechia transmisso fluvio cum peditibus mille quingentis, equitibus centum LX-ta et multis exulibus ad portam Sancti Andree procurrit. Cives in urbe tumultuari ceperunt et vicos precludere. Buscula, civis in urbe potens, cognomento Faitanus, cuius aedes muro civitatis herebant, quadringentos pedites Galeotti et vexillum eius intra urbem recepit, partemque civitatis invasit, quam Sancti Andree tribum appellant; sed accurrentibus sex ecclesiasticorum turmis in domum suam profugit, et Galeotti milites e tribu misit. Ecclesiastici, tanquam ea in parte civitatem tutati fuissent, in forum reverterunt. Buscula iterum revocatis Galeotti cohortibus ad portam [465]

Sancti Andree festinans repagula et ingentia saxa disruptit, et Ferrantinum cum omnibus copiis intromisit. Qui congressus in foro cum ecclesiasticis eos in fugam vertit, et tandem in Agolantium tribu confligit, cum populus undique in illos deserviret, et mulieres e fenestris tectisque saxa iacerent.

5 Sic rursus Ariminenses Malatestarum subiere iugum. Ecclesiastici omnes capti et armis exuti sunt. Haud tamen diutina ea foelicitas Ferrantino fuit, qui cum statuisset Malatestam et Galeottum tanquam regni emulos perdere, ab ipsis cum Malatestino et Guidone nepote captus est et in carcerem apud Gradaram coniectus. Malatesta et Galeottus Ariminensem principatum obtinere; Ferrantinus e carcere dimissus Urbinum se contulit.

10 Ferrantinus Novellus per idem tempus Bononie agebat; qui audita novitate Mondainum et Sanctum Laudentium occupavit. Guido et Malatestinus in carcere necati sunt, quod in domo Malatestarum quartum parricidium memorant.

Ferrantinus Urbinatum auxilio et oppidanorum deditione Montem Scutoli recuperavit. Malatesta mox eo duxit exercitum, et obsidionem firmavit. Perusini quadringentos equites Ferrantino suppetias misere. Malatesta, ut eis occurreret, septingentos Florentinorum equites, qui auxilio Venetorum adversus Carrarium mittebantur, mercede conduxit, preclusitque hostibus iter, et oppidanos ad deditionem compulit. Perusini spe frustrati domum revertere, et Florentini a Malatesta dimissi sunt. Nec tamen idcirco quievit, sed Mondainum profectus oppidum circumscedit, et turres XII ligneas erexit impositis presidiiis, quae dies ac noctes obsessos urgerent. Ubertinus Carraria eo accepto, cum esset Ferrantini affinis, Perusie quingentos conduxit equites, ac Ferrantino adversus Malatestam ducendos commisit. Territus ea re Malatesta soluta Mondaini obsidione et omnibus munitionibus exustis copias reduxit Ariminum. Hostis novo presidio fretus in agrum Ariminensem duxit, ac Verruchium per deditionem accepit; deinde, cum caritate premeretur annone, Perusinos remisit, et paulo post a Malatesta obsessus oppidum restituit, atque Urbinum rediit. Malatesta cuncta eius oppida expugnavit, ita, ut iam nulla esset Ferrantino spes imperii recuperandi. Eum ferunt apud lacum Trasimenum sagitta confossum interiisse - rara est enim parricide non cruenta mors.

30 Fani circa idem tempus tyrannus fuit Guido Carignanensis. Hunc aegrotantem Malatesta consolaturus accessit, et illo mortuo principatum urbis arripuit, quem postea Galeotto fratri concessit. Rebellantes Fanenses armis compescuit, et filium, Pandulfum ad equestrem militiam provexit. Deinde procurantibus Urbini dominis, Nolfo et Galasso, Malatesta et Galeottus Ferrantino Novello et nepotibus pacem reddidere, quae paucis mensibus duravit; Maio enim mense concordia facta est, et Februario (Malatesta) Mondainum invasit et obtinuit Ferrantino absente oppidanis se dedentibus [- ne vel unus inter Malatestas sine singulari proditione percurreret annus.]

35 In Sancto Laudentio duo erant tyranni fratres: Cecholinus et Menghinus, quos Malatesta curavit occidi, et inter filios interfectorum et occisores pacem [466]

composuit. Occisor Laurentius quidam fuit, quem postea interceptum Malatesta, ut infamiam suam purgaret, securi percussit, proditorisque nomen prodicione delevit. - Ferrantinus Novellus Urbinatem secutus principem, qui adversus Perusinos Bectonam infestantes exercitum duxerat, apud ipsam Bectonam sagitta extinctus est tribus filiabus relictis; et eodem fere tempore mortem apud Ariminum obiit avus eius, Ferrantinus, annos quinque et nonaginta natus, crevitque potentia Malatestae adeo, ut omnem Pycenum agrum sibi subiecerit, Firmanis et paucis aliis exceptis.

5
10
15
Eo regnante Morialis quidam Ordinis Templariorum eques exercitum quattuor milium pugnatorum ex Roma in Pycenum duxit, vastavitque plures agros. Malatesta, ut eum averteret, aureorum sexaginta milia pro pace pollicitus est, numeravitque ilico triginta milia, pro reliqua summa filium obsidem dedit, Malatestam Hungarum - hoc nomine appellatum, quoniam Ludovicus rex Hungarie, cum Arimino transiret in Apuliam ad vindicandam fratris necem profectus, dignitatem equestrem illi contulerat. Morialis paulo post exercitu dimisso cum trecentis equitibus Romam petiit, ibique iussu tribuni tunc Urbem regentis captus et securi percussus est; Landus Theutonicus reliquas copias in Lombardiam duxit.

20
25
30
Cum Karolus Quartus Romae coronatus esset, ex duobus cardinalibus, qui eum coronavere, alter - legatus pontificis maximi, Egidius nomine, natione Hispanus, ad recuperandas Ecclesie provincias, quas tyranni pervaserant, relictus - prefectum Vici ante omnes correxerat omnibus, quae possidebat, exutum; deinde Patrimonium Beati Petri in Thuscia recuperavit, mox ducatum Spoletanum et marchiam ingressus Anthonitanam apud Eugubinos resedit. Gentilis Molianensis Firmum obtinebat; Malatesta cuncta ei extra muros ademerat. Misit legatus exercitum adversus Gentilem, qui reservata sibi arce civitatem Ecclesiae tradidit. Franciscus Forlivias, Gentilis socer Malatestam genero reconciliavit, ostendens non esse e re Malatestarum Ecclesiae potentiam in Pyceno augeri: tolerabiliorem Gentilem, quam legatum. Hinc factum est, ut cuncta Firmani agri oppida Gentili restituerentur, et ipse, qui arcem teneret, urbem Firmanam Ecclesiae abstulit. Legatus exercitum instauravit, et intra dies paucos omnem Firmanum agrum prioribus bellis defatigatum et ipsam deinde urbem in potestatem accepit, obseditque Gentilem in arce; qui pactus salutem suam tria aureorum milia et castella tria a legato accepit, et reddidit arcem. Legatus paulo post castella, quae proditori dederat, eripuit, coegitque mendicum peregrinari.

35
Racanatenses per eosdem dies et oppida quaedam Anthonitani agri ad Ecclesiam defecere. Inter que Paternum fuit, ad quod recuperandum profectus ex Anchona Galeottus cum quadringentis equitibus ab exercitu ecclesiastico profligatus et captus est. Hoc Malatestarum infortunium et alterum secutum. Misit enim legatus novas copias versus Ariminum ductoribus Ghiaccioli et Vadole comitibus; ad quorum adventum cuncta Ariminensis agri oppida a Malatestis defecere excepto Sancto Iohanne in Galilea. Quibus rebus fractus [467]

animo Malatesta legatum adiit, eique Anthonam et Senegalliam cum omni agro restituit fratris liberationem pactus. Legatus ei Ariminum, Pensaurum, Fanum et Forum Sempronii - quod vocant Fossumbrum - in vicariatum ad decem annos concessit. Et hic tandem legitimus Malatestarum titulus cepit, cum antea sola tyrannide imperarent. - Cumque

5 legatus adversus Cesenates, Forolivienses et Faventinos anathema decrevisset et Crucem predicari iussisset, Malatesta cum sexcentis viris prestantibus cruce signatus est, et Galeottus vexillifer creatus. Et hi in castris Ecclesiae fidelem operam navavere, eorumque potissime auxilio Cesena capta est, et Faventia Ecclesiae restituta, et Bretonorum in potestatem acceptum, et ager Foroliviensis vastatus.

10 Legatus his gestis Avenionem se contulit ad pontificem maximum; cui et Malatesta sese comitem addidit, ut Ariminensem agrum totum recuperaret, cuius maximam partem Ecclesia possidebat. Id egre fuit oppidanis Sancti Archangeli, qui sub Ecclesia remanere cupientes legatos ad pontificem misere oratum, ne Malatestis redderentur. Sed frustra conati sunt: vicere obsequia Malatestarum legato praestita; et Malatesta voti compos in patriam rediit, et a legato castella cuncta recepit Ariminensis agri. Legatus vero Imolam et arcem obtinuit, et iterum adversus Forolivienses duxit, eosque adeo coercuit maceratos fame, ut facturi deditionem haud dubie fuerint, nisi ex Longobardis equitum tria milia suppetias attulissent, et obsessis frumenta importassent. Equites quoque Senensibus et Perusinis militantes duo milia quadringenti per Umbriam in Pycenum transivere; in Ariminensem profecti cum Longobardis coniuncti sunt, ac late populati agros Sulianum vi ceperunt

20 centum quadraginta quatuor oppidanis occisis; in Podio Burgi mortales omnes interfecerunt, et Sanctum Martinum in Converseto diripuerunt. Legatus, ut exirent provinciam, nec redirent, in annos quinque XXX-ta milia auri nummum eis elargitus est, et Foroliviensibus duorum mensium concessit inducias. Quibus exactis cum Franciscus eius loci tyrannus omni spe destitutus esset, deditionem fecit, deinde apud Venetias in summa inopia decessit.

25 Legatus Foroliviensi potitus magnam apud omnes Italos auctoritatem est assecutus.

Malatesta, cum sextum et sexagesimum complisset annum, Galeotto fratri adhuc vivens principatum reliquit, filios suos privatis possessionibus iussit esse contentos; subditorum discordias composuit, carceres aperuit, et captivos dimisit; suppellectilem domus inter egenos distribuit, et more Christiano ecclesiasticis sacramentis communitus animam Creatori reddidit, cum tyrannidem ad legitimum vertisset principatum, et melius finisset, quam inchoasset.

Galeottus uxorem duxit Gentilem ex familia Camertina; quae filium ei seniori, quam gignere posse crederetur, peperit nomine Karolum, quem regina Neapolitana misso procuratore de sacro fonte levavit, et alterum, nomine Pandulphum, et tertium, Andream Malatestam, et quartum, Galeottum Novellum. Berardus, Gentilis pater, ut primum peperisse filiam cognovit: „*Sapiens*” - inquit - „*Gentilina mea est*” (ita enim appellabat), „*quae seni tam arido paravit heredem.*” [468]

35

Gubernante Galeotto pontifex maximus Urbanus ex Avinione cum septem cardinalibus mari vectus Cornetum petiit, et Viturvii aliquandiu curiam tenuit. Ibiq̄ tandem cardinalis Egidius altum illum et nobilem spiritum Domino reddidit, et in monasterio Minorum apud Asisium sepultus est; quamvis - ut ante diximus - in monasterio Sancti Martini in monte
 5 Cymino nonnulli conditum referant. (Fortasse ibi primo servatum est cadaver, deinde in Asisium translatum.) Hic Malatestis primo inimicissimus fuit, deinde reconciliatus -cum eorum opera adversus hostes fideli usus fuisset - effectus est amicissimus, et principatum eorum corroboravit.

Malatesta cognomento Hungarus gubernante Galeotto patruo vitam finivit, unica tantum
 10 relicta filia, quae cum nupsisset in familia Estensi, mortuo viro vidua dives domum rediit, [et turpissimam egit vitam.] Obit et Pandulfus, Galeotti filius apud Pensaurum, cui preerat, relicto filio uno masculino.

Per idem tempus suasu Florentinorum, qui a Romano pontifice fuerant excommunicati, Ecclesiae civitates quattuor - ut aiunt - et sexaginta, oppida vero nominata quingenta
 15 septuaginta septem rebellaverunt, et alia quidem libertatem sibi asseruerunt, alia priores asscivere tyrannos, et quedam novos sibi constituerunt; sola Malatestarum domus in fide permansit Galeotto partes Ecclesie iuvante. Nec tamen [sua] diu constantia mansit, qui rebus Ecclesiae protritris Cesenam et Bretonorum, ne in alienas manus pervenirent, sue ditioni subiecit, [atque - ut est in proverbio - agnos, ne mater perderet, devoravit lupus.]
 20 Decessit autem Galeottus anno salutis sexto et octuagesimo supra millesimum trecentessimum, cuius funus magnificum duxere filii tres superstites: Karolus, Pandulfus et Malatesta; Galeottus Novellus in vita patris obierat. Maior natu Karolus septimum et decimum agens annum in Arimino successit, Pandulfus duobus annis minor Fanum et oppida Pyceni sortitus est, Malatesta Cesenam.

Karolum ferunt virum elegantis stature fuisse et alti cordis, turpitudinis inimicum et
 25 religionis amantem, verum nobilitatis fastu superbissimum, et qui sibi nullum aequari posse arbitraretur, sive civilia pacisque munia, seu bellica tractanti negotia. Fuit enim rei militaris non ignarus a pueritia versatus in castris - infortunatus tamen [et prorsus inglorius.] Cum Florentini, Carrarienses, Scaligeri et alii complures tyranni ac populi ex Gallia Cisalpina
 30 adversus Iohannem Galeacium Mediolanensium principem fedus inissent, ingentesque copias comparassent, ducatum Karolo commiserunt. Mantuanus, cum ex confederatis esset, oppidum habuit in Padi ripa nomine Fortiburgium, ibique fluvio veteres ligneum pontem iniecerant. Hunc sibi Galeacius damno futurum existimans, ex quo posset hostis in Parmensem agrum excurrere, statuit incendere. Karolus tueri adnitebatur impositis mille
 35 viris, qui machinis atque omni missilium genere afferentes incendium prohiberent, et vasa multa ad flammam restinguendam implevit aqua, et procul a ponte, quantum sagitte iactus pateret, flumen cathena coniunxit, quae rates hostium retineret. Galeacius loco sublimiori rates plurimas stipula, pice ac sulphure complevit, et expectato [469]

vento, qui versus pontem flaret, ignem admovit easque dimisit. Quibus ad cathenam
 retentis flamma tamen retineri non potuit, sed vento impulsa valido pontem arripuit ac
 subito ambussit incendio, et supra viros quingentos peremit, cum Karolus descensum
 fugientibus prohibuisset. - Apud Gubernium paulo post, cum Galeacii exercitus epidimia
 5 laboraret, Karolus in eum irruens victoria potitus est, quae inter gesta eius memorabilia
 unica tantum reperitur. - Militavit et Venetis adversus Hungaros Forum Iulii duce Pippone
 bano excurrentes; summa belli penes eum fuit. Commisso prelio mox in fugam actus est,
 fuissetque procul dubio captus, nisi Rogerius Canis hostilem impetum retinisset. Fluvius
 10 fugientibus occurrit ponte coniunctus, qui multitudine ac pondere fugientium fractus reverti
 milites in pugnam coegit. Quibus Rogerius confirmatus et fortior effectus cum palantes et ad
 castra diripienda sine ordine procurrentes hostes animadvertisset, in eos dilapsus et castra
 recuperavit, et ignominiam detersit nomini Veneto, quam Karolus fugiendo attulerat, nec
 sine damno dimisit Hungaros. - Cum defecisset in Italia magna ex parte Ecclesiae potestas,
 et Galeacii Mediolanensis res florentissime viderentur, Karolus et Pandulfus, Malatestarum
 15 principes in eius clientelam concessere, eique militarunt, et eo mortuo apud filium,
 Iohannem Mariam in consilio primi fuerunt. - Cum Bracchius Montonius Perusinos
 infestaret, ac nobiles urbis adversus Raspantes in patriam reducere conaretur, vexaretque
 circumiectos agros, Karolus ei oppositus est, qui apud Tyberim conflictus captusque cum
 20 venisset in potestatem Bracchii, nunquam hosti aut assurrexit venienti, aut cervicem inflexit
 salutanti, ut qui victore maiorem se gereret, et in captivo corpore liberum gestaret animum.
 Redemptus est magno auri pondere. Raspantes sub eius ductu e patria pulsati in hanc usque
 diem exulant. - Fuit et Florentinorum adversus Philippum Mariam Mediolanensium
 principem dux constitutus. [Quod cum Florentinus quidam senex et dicax apud Bononiam
 25 accepisset: „*Rem Florentinam*” - inquit - „*magistratus nostri Karolo crediderunt, quod*
Deus bene vertat! Ita enim necesse est, quando sub eius auspiciis bellum gerimus, cui
ordinarium est saltem semel in anno capi.”] - Castra apud Zagonaram in Romandiola
 collocaverat Karolus, eratque illi ieiunii dies, et in tentorio post meridiem cenabat. Angelus
 Pergulanus ductor hostium, qui olim tyro sub Karolo fuisset, magno impetu in
 30 Florentinorum castra prolabitur. Fit tumultus, concurritur ad ducem, conclamant omnes
 hostem adesse, arma sumenda, occurrendum properandumque fore. Karolus intrepidus
 tranquilla mente cibum sumens nihil aliud dixit nisi: „*Sinite, veniat tyrunculus: penas*
audacie dabit!” Interea hostis munitiones transgressus omnes in castra perrupit.
 Florentinorumque copiis profligatis ducem ipsum adhuc in cena sedentem comprehendit. Ea
 viri superbia fuit, ut se invadere nullum crederet ausurum. Philippus captivum honoravit, ac
 35 paulo post liberum dimisit. Nec longa eius deinde vita fuit. - Cum Mantue degeret Iohannis
 Francisci tutelam gerens, magni Maronis statuam, quam suo civi Mantuani quondam
 erexerant, sub obtentu religionis evertit. Quod Paulus Vergerius Iustinopolitanus, eius
 temporis orator insignis scriptis suis detestatur [470]

et dolet, atque ad hipocresim transfert sive rudem hominis [ignorantemque] mentem, qui gentilis hominis statuum putaverit in Christiano populo idolatriam gignere. - Cum cardinales in concilio Pisano Gregorium XII et Benedictum XIII, qui se Romanos pontifices asserebant, indignos tanto culmine iudicassent, et Alexandrum illis suffecissent, Karolus in obedientia Gregorii perseveravit, et demum ad concilium Constantiense procurator eius missus unioni Ecclesiae consensit, et pro eo papatui cessit.

5 Haec de Karolo digna memoratu repperimus, in quo preter superbiam non facile invenias, quod de moribus damnare queas. - Pandulfi longe dissimilem vitam memorant, cui nec honestatis nec religionis cura fuerit. Post mortem Galeacii Brixiam Bergamumque Iohannis
10 nomine gubernans rupta fide dominum egit. [In bello fugax et trepidus, domi temulentus et audax et quasi ganeo ac turpissimus leno inter scorta victitans; cum senuisset, nec pro voluptate libidini posset operam dare, se coram nudas adduci iubebat foeminas et ad-
lescentes, qui eis admiscerentur, ut ex aliorum coitu suum provocaret. Inter scorta, quibus frequenter abutebatur, unum fuit forma egregium, quod pre ceteris amavit. Huic cum
15 satisfacere non posset vetulus, Marchesinum - cuius supra meminimus - Bergamensem, aetate florida, moribus scurram, qui vicem suppleret suam, introduxit concubinamque concubine adiecit, et sepe medium dormire permisit.] Hinc nobilissima soboles nata:
20 Sigismundus, Pandulfus ac Dominicus Malatesta, qui Malatestarum hodie principes habentur. [Pandulfus pro suis educavit, tanquam ex arido sene meretricula concepisset; Marchesinus se patrem dixit, et ita clam protestatam foeminam ait, quamvis liberis suis auferre principatum publico testimonio recusaverit. Ceterum liniamenta corporis et mores Marchesini in iuvenibus apparere, licet seu Pandulfum seu Marchesinum patrem dixeris, eadem manet turpitudine vitae; corporis forma Marchesino similior fuit. Ferunt Marchesinum sepe dicere solitum:

25 „*Quis neget Sigismundum ex me genitum esse, qui matrem eius cognovi millies? Statura eius mea est, oculorum mobilitatem et totius corporis instabilitatem ex me accepit. Quod mentitur, quod scortatur, quod nulli fidem servat, quod raptor est et vinosus et fallax: ex me habet, quamvis maiora in eo haec sunt, ut aetas aetatem superat.*” - Cum diceret illi aliquando Franciscus Sfortia:

30 „*Cave isthaec dixeris! Sigismundus, si haec audierit, percussores ad te mittet.*” - „*Quid ais, Francisce?*” - respondit. - „*Putasne filium vitae patris insidiaturum? Quamvis malus est et mei simillimus, non maculabit paterno sanguine manus. At filiam tuam, coniugem suam interfecit: parricida est, bene admones! Sequar consilium tuum, et filium meum dicam non esse meum.*”] - Verum Sigismundus et Dominicus ditiores sortiti patrem Pandulfo tanquam
35 filii successere; quorum frater natu maior. Galeottus Robertus Ariminum in hereditatis partem suscepit, Sigismundus Fanum, Dominicus Cesenam.

Galeottus mitis ingenii fuit, religioni deditus, glorie atque imperii contemptor, iusti tenax, [et quem Malatestarum genus esse mores negaverint.] Hunc Sigismundus per insidias regno deiicere conatus est, suadens Ariminensibus [471]

inutilem civitati preesse, qui dies ac noctes in templis ageret, et divina contemplatione contentus societatem humanam negligeret; se, si vocetur, in communi victurum, nec passurum cuivis homini iniurias illatum iri. His artibus excitatus populus arma corripuit, totaque urbe tumultuans in forum prorupit, civitatemque haud recte gubernari acclamavit.

5 Galeottus, qui tum in palatii sacello cum Deo loquebatur, percepto clamore plebis crucem auream ex ara corripit, et occurrens armatis in foro civibus:

"Intelligo" - inquit -, „fratres, commotionis vestre causam. Non placet meum regimen, inviti me fertis dominum. Non est annis opus, cedo libens principatui. Ite, et quem vultis, accipite principem! Nulla erit in me mora, privatus mihi et Deo vivam melius. Vobis expedit diligenter animadvertere, quem mihi successorem detis."

10 Verterunt cives alter in alterum oculos, et erroris puduit plebem. Sedatus est ilico tumultus, et armis abiectis rogaverunt primores populi Galeottum, ne se desereret, neve multitudinis dementiam ulcisceretur; rediret ad suum solium, et pro sua consuetudine civitati consuleret. Paruit Galeottus, triennioque deinde cum summa civium gratia regnavit, et tandem morbo correptus interiit -non sine infamia Sigismundi, quem veneno fratrem abstulisse crediderunt, cum armis deicere non potuisset. Ipsi deinde Ariminum patuit. Galeottum quasi sanctum sui cives coluere, et ad sepulchrum eius vota fecerunt. Sigismundus nunquam eius aliter meminit, quam fatui cuiusdam hominis, [et quotiens tumultum eius honorari accepit: „*Ariminenses*" - inquit - „*meum fatuum venerantur.*"]

20 De Sigismundi moribus saepe fecimus mentionem; non est hoc loco [turpissima] eius vita referenda, quam omnes norunt. - Dominicum fratrem eius paulo minus [sceleratum] necessitas fecit, quem doloribus artheticis laborantem non licuit [naturalis] nequitiae desideria explere. Fuit tamen [in omni libidine profusus et] sacrae religionis contemptor. Et hunc Sigismundus sepe ferro conatus est auferre.

25 Diximus supra Malatestam, primi Galeotti fratrem liberis privatas possessiones reliquisse, germano imperium, cum adhuc viveret, resignasse. Invenimus tamen postea eiusdem Malateste filium paternum nomen referentem Pensaurum et alias plures Ecclesiae urbes per arma quaesivisse, tandemque iubente Karolo patruale ac terroribus et minis urgente cuncta restituisse Pensauo retento, quod in vicariatum accepit; huic Malatestae tres fuisse filios: 30 Karolum, Galeacium et tertium, cuius nomen non accepimus, archiepiscopum Patracensem, gibbo et strumma deformem, et filias: Salomem, quae nupta imperatori Constantinopolitano per varios fortunae casus iactata est, et Paulam, praestantissimam foeminam, quam duxerit uxorem Iohannes Franciscus Mantuanorum [tyrannus], ex qua natus est Ludovicus marchio.

35 Principatus Pensauri Karolo obvenit, qui ex domo Columnensi uxorem duxit Victoriam, Martini Quinti pontificis maximi neptem, quae nec filios ei peperit, [nec victoriam dedit.] Hunc Philippus Maria Mediolanensium princeps in bello contra Venetos sui exercitus ducem creavit non tam rei militaris peritiae [472]

gratia, quam propter familiae dignitatem, cum reliqui duces inter **se** pares alter alterius subire iugum recusarent. Prelium apud Machaloum Brixiensis agri duce minime suadente commissum est, et Carminiola victor omnes Mediolanensium copias profligavit, parumque abfuit, quin Karolus caperetur, qui postea non diu supervixit.

5 Pensaurum Galeacio per mortem eius cessit, homini [insulso et] luxurioso, qui iam senex uxorem duxit Florentinam ex familia Medicorum. Hunc Sigismundus multis artibus atque insidiis principatu deicere adnixus est. Propter quas molestias veritus, ne tandem proditori succumberet, Pensaurum Alexandro Sforcie vendidit XXX-ta milibus aureis, emitque predia et armenta in agro Florentino, ibique aliquandiu ociosam egit vitam; postremo nepoti
10 reconciliatus in Romandiolam rediit, et oppidula quedam ab eo recepit. Quod duabus de causis a Sigismundo factum aiunt: altera, ut hereditatem eius expilaret, ac precium Pensauri ad se traheret, altera, ut per amicos eius Pensauri manentes Alexandrum aliquando ex novo dominatu deturbare posset - quod usque in hanc diem non successit.

15 [In hac Malatestarum familia viros turpissima libidine nothatos commemoravimus; nec minor in feminis infamia fuit, quarum incestus notissime referunt historiae. Franciscam, quae apud Ravennam cum viri fratre concubuit, et cum eo transfossa est - ut scribit Dantes -, Malatestarum fuisse genus affirmant. Nostra aetate Parisina, Karoli Malateste neptis Nicolao marchioni Estensi nupsit, que cum privigno commixta et sue et illius necis causa fuit:
20 Nicolaus et Hugonem filium et Pariginam coniugem stulto consilio publice iussit capite truncari. Nobilissima domus, quae tot monstra et tam horrenda peperit!]

14. Sigismundi clades apud Senegalliam accepta

25 Sed iam ad res nostri temporis redeamus, et quomodo apud Senegalliam profligatus fuerit Sigismundus, quam brevissime licet, referamus.

Exercitum ab initio veris ad mensem usque Iulium non sine sumptu ac labore ex Longobardis, Ferrariensibus et Romandiolis non contemnendum coegerat. Silvester Placentinus, Picinini vetus comes et Franciscus Mirandola et alter ex tyrannis Foroliviensibus et multi illarum partium nobiles ad eum confluerant. Duas et triginta
30 equitum turmas in eius castris fuisse prodiderunt, peditum quoque numerum, qui tanto equitatu satis esset, vulgavitque famam, tanquam in Regnum proficisceretur Picinino et Andegavensi, cui se militare dicebat, suppetias laturus; et iam Pycenum ingressus ad Montem usque Ulmi pervenerat agros Ecclesiae longe lateque populatus. Erat ingens trepidatio non in Pyceno solum, sed in Regno quoque; cuius adventu Aprutinas omnes
35 regiones a Ferdinando defecturas coniectabantur, quas milite vacuas esse constabat. Ferdinandus cum robore exercitus adversus Picininum et alios hostes in Apuliam traiecerat, partem copiarum in Calabros miserat, [473]

partem in Terra Laboris reliquerat. Mattheus Capuanus et Federicus Urbinas utrunque Aprutium soli servabant: ille trans Appenninum, hic citra; sed uterque impar videbatur, qui Sigismundi cursum retinere posset. In Pyceno duae et XX-ti equitum turme Ecclesiae militabant, quibus preerat Ursinus Neapoleo. Pontifex huic mandat: Sigismundo, quoad
 5 possit, iter praecludat, Federico quoque, ut prope relicto Aprutio in Pycenum se conferat, ac Neapolioni adiungatur; qui magnis itineribus cum XIII cohortibus intra paucos dies ad Neapolionem pervenit.

Interea prefectus arcis Senogallie ac duces praesidii, quod in oppido erat, mercedem pacti locum Sigismundo tradere promittunt, si eo cum exercitu pergat - id prodicionis velamen
 10 habituri, quod adversus tantas copias parum munitam urbem tueri nequiverint. Retrocedit ex conventionem Sigismundus, ac celeri cursu Senogalliam petit, pergitque muros oppugnare. Insequitur eius vestigia Neapolio, atque in loco, unde posset ab obsessis videri, vicina hostibus castra ponit. Mittuntur nuntii, qui clausis adventum indicent auxilii, atque animos augeant. Sigismundus interim properare, urgere, fossas implere, muros perfodere. Obsessi
 15 partim metu percussi, partim prodicione infecti brevissimas inducias petunt tradituri oppidum, nisi medio tempore hostis ab obsidione deiciatur. Annuat suo more Sigismundus, et nihilominus murum perfringit.

Erat in oppido Senensis quidam, nomine Dota - cuius ante meminimus -, centurio peditum, non tam miles audax, quam notarius olim peritus. Qui ubi perfractam muri partem
 20 animadvertit: „*Quid agimus*” - inquit -, *commilitones? Quin urbem tradimus, priusquam capimur? Nec murum defendere possumus, nec spes auxilii adest. Victori cedite! Hoc ex usu mihi videtur.*” - Excepta est vox percupide a ceteris, quos vel pecunia corruperat, vel metus mente deiecerat. Traditur civitas, priusquam tempus induciarum labatur, et paulo post arcis prefectus deditionem facit. Sigismundus civitatem ingreditur, et tanquam victor gloria-
 25 bundus vexilla suae domus in turribus erigit, loca perfracta reficit, et munitiones munitionibus addit. Sed postquam auctas Ecclesiae copias Federici adventu cognovit, veritus, ne intra moenia clauderetur, noctu abire cum toto exercitu statuit relicto presidio, quod ad tuendam urbem sufficere videretur. Admonentur ductores ordinum, post medium noctis presto cum armis adsint, sarcinulas colligant, suosque duces sequantur.

Sensit hunc motum Bononiensis quidam inter pedites gregarius miles, qui tanquam explorator inter hostes latebat, nec moratus Federico et Neapolioni rem detegit. Qui mox armari cohortes iubent, primumque Antonellum Foroliviensem, in adeundis periculis virum
 30 fortissimum ire, deinde Conradum Alvianensem non minoris audacie, exin ductores reliquos; ipsi deinde sequuntur. Fluvius erat Cessani ponte transmittendus, qui diu ecclesiasticas copias remoratus est, et hosti spatium haud parvum ad precedendum concessit. Apprehendit tamen Antonellus, priusquam illucesceret, celeri cursu profectus a latere occurrens hosti primas fugientium acies, ac excitato clamore nunc istos nunc illos ab equis deiicit. Sigismundus illic aderat; qui ubi adventasse hostem [474]

didicit, non [- ut fortem decebat ducem -] frontem fronti opposuit, sed [- ut ignavus ac vilissimus imperator -] iussis aliquot suorum sistere, atque Antonelli remorari impetum, quam maximo potuit cursu fugam arripuit, ac ne pondere nimio premeret equum, arma proiecit.

5 Interea Neapolio et Federicus cum reliquis cohortibus hostes aggrediuntur, in quis duce fugato parva resistentia est inventa. Omnis in fuga spes illorum fuit: imperatoris exemplum cuncti sequuntur, urgent calcaribus equos Sigismundi milites, ecclesiastici terga feriunt fugientium. Capiuntur modo isti modo illi; nulla insignis pugna committitur, nisi ubi Antonellus adversus eos manus conserit, qui, ut Sigismundo tutiorem fugam preberent, paululum constiterant. His superatis nullum deinceps in reliquis negotium fuit, nec Silvestro plus animi, quam Sigismundo, quem calcaria e manu ecclesiasticorum eripuerunt, et proximum Montis Offi oppidum, in quod confugit. Iohannes Franciscus Mirandula captus est, et multi cum eo ductores ordinum et equites galeati ducenti in manus Neapolionis et Federici pervenere; impedimentorum quoque pars intercepta est. Quod si ecclesiastici citius occurrissent, facile fuerat et Silvestrum et Sigismundum capere, omnemque prorsus exercitum prosternere. Verum ingens ea victoria fuit, in qua media pars hostium capta est, altera fugata; quod maxime virtuti et celeritati Antonelli attributum est, quamvis et ducum providentia multum profuit. - Bononiensem, quem diximus explorasse Sigismundi recessum, Pius pontifex quinquaginta peditibus prefecit ac pecunia donavit.

20 Sigismundus hoc accepto vulnere dimissis, qui se absente res curarent, fratre ac filiis, cum Silvestro mare ingressus in Apuliam navigavit, inde ut afflictis rebus auxilia quererent. Iohannes Franciscus sub fide dimissus est, quod amplius adversus Ecclesiam non militaret; nec postea fidem tenuit. - Pio apud Pientiam agenti idem nuntius et Senogalliam perditam et hostes profligatos attulit et litteras ducum, que pro Senogallia perdita similia multa oppida brevi acquirenda promitterent. Alioquin incertum erat, letum an triste nuntium esset.

25 Profligatus est hostis pridie Idus Augusti, precessitque victoria Pycensis Troianam sex diebus. - Sigismundus ad Picinimum profectus res profligatas invenit, ut supra meminimus. Tubicen eius rei nuntius pontificem [querens per vallem Urcie cum fessum fatigaret equum, nec iter plane internosceret, bubulcum forte quendam interrogavit, quae via Pientiam recta duceret. Ille causam festinationis percontatus postquam victorem in Apulia Ferdinandum cognovit, et hostes ad Troiam profligatos, iter ostendit, deinde per viarum compendia ad Pium precurrens: „Salve” - inquit -, „maxime pontifex! Foelix tibi nuntium offero: Gallos in Apulia vicisti! Aderit ilico tubicen, qui litteras affert, ab eo rei seriem disces. Me, qui primum prospera nuntio, non sines indonatum abire!” -Nec mentitus est] adhuc eo loquente tubicen adfuit, qui regis epistolis rem [certiore reddidit. Pius utrunque donavit.] [475]

15. Comitum Mirabelli, castelli Reforcati et oppidi Insule aliorumque locorum deditio Mundaviique expugnatio

- 5 In Pyceno conflictis hostibus duces ecclesiastici adversus comites Mirabelli, Aloysium et Robertum exercitum duxere, qui Sigismundo militaverant, et partem cladis in prelio acceperant; ii mox se reddidere ad vetus Ecclesiae imperium redeuntes. Castellum Reforcati, cum eo tenderet exercitus, prius se reddidit, quam duces ex equis descenderent. Oppidum Insule, quam vocant Gueldrescam, natura munitum et presidio militum defensum oppugnationem expectavit et bombardarum aliquot ictus; quibus cum muri perfringi cepissent, et oppidanorum et militum deditio facta est, et presidium ecclesiasticum impositum. Idem cum experiri Sorbi Longi oppidanis placuisset, sors durior obvenit: concussere bombarde murum, nec dubium erat, quin prelio commisso vi caperetur oppidum. Quod postquam oppidani animadverterunt, pacti suorum ac militum, qui presidio inerant, salutem corporum exercitui reliqua permisere. Milites ad terrorem aliorum in carcerem coniecti sunt, postea dimissi; cum oppidanis ultra merita benigne actum. Oppidum Barchi vi captum furore militum exustum est. Quo furore perciti habitatores castelli Sancti Andree ultro se dediderunt; et hostes, qui castellum Barbare occupaverant, reliquerunt, et ecclesiastici milites receperunt. Nobiles quoque Castri Leonis, Sigismundo prius subiecti, obedientiam Ecclesiae promiserunt.
- 20 Restabat Mundavium, vicariatus caput, insigne oppidum preruptis undique rupibus munitum, una tantum parte bombardis obnoxium; quo in loco arx sita est, murorum crassitudine et fossis profundioribus defensa. Intus habitatores circiter quingenti, non ignavi homines et qui propter rebellionem Ecclesiae factam extrema passuri videbantur, priusquam caperentur; externi pedites multi, equites galeati octuaginta, armorum et victualium ingens copia. Huc Federicus adversus opinionem multorum exercitum duxit, qui tempus ibi frustra terendum arbitrabantur. Admota sunt oppido castra, obsidio artificiose deducta, oppugnatio cepta, visque omnis bombardarum in arcem directa, suffossi muri, omnis machinarum adhibita violentia. Ridere in principio obsessi stultitiam obsidentium, qui periculosos atque inutiles subirent labores; exire aliquando ad pugnam, irritare hostem, predari, captivos aliquos in urbem adducere, conatus omnes ecclesiasticorum eludere. Certatum est summa utrinque audacia et contentione dies circiter duodecim, nulla non die ad muros itum; sepe tentatus ascensus, sepe scandentes precipitati. Ad extremum, cum turris precipua totius arcis bombardarum ictibus concussa saepius corruisset, ac ruina sua multos mortales oppressisset, et iam sola fosse profunditas irruptionem hostis impediret, instaretque miles, onera ferret, implereque sarmentis ac terra voraginem properaret, et iam signo dato totus ad impetum concurreret exercitus, miraue videretur ecclesiasticorum alacritas - attoniti oppidani simulque milites extranei manus tetenderunt deditioem facturi, si benigne recipentur. Duces exercitus ita demum recipiendos censuere, si se suaque libere [476]

traderent, atque arbitrium vitae necisque victoribus permetterent. Annuerunt obsessi, quando spes alia nulla salutis offerebatur. Facta est deditio, Mundavienses iugum Ecclesiae subiere. Corporibus oppidanorum nulla vis illata; vina frumentaue, hordea adoreaue omnia militi concessa, supellex reliqua possessoribus auro vendita; extraneo militi equi adempti et arma, et - quo vellet - ire data facultas, tantum intra mensem adversus Ecclesiam ne militaret.

Atque ita vaticinium Sigismundi completum est, cuius supra meminimus, dum ait iccirco se Mundavium occupasse, quia compertum haberet ecclesiasticas copias illic pro discretionem militum hybernaturas fore, [nisi consilium preverteret. Prophetavit nesciens, quid diceret, cum esset proditor anni illius. - Non tam verax oraculum Francisci fuit, Mediolanensium principis, quamvis rei bellice peritissimi et locorum omnium gnarissimi Romandiole ac Pyceni.]

16. Francisci Sfortiae sententia de exercitu Ecclesiae in Aprutios mittendo a Pio peritissime confutata

Hic ubi cognovit exercitum Sigismundi conflictum, missis ad Pium frequentibus legatis sufficere inquit, quod ea victoria Ecclesiae agris securitas parta esset; suum consilium fore paucis ad tuendos fines relictis equitibus ac peditibus reliquas omnes copias propere in Regnum mitti; sic futurum, ut omnes Aprutii regiones ad Ferdinandum deficiant, neque in aliam aestatem ulteriori bello sit opus; quod si perseveraverit pontifex Sigismundum persequi, eiusque regnum evertere, conatus omnes irritos futuros; scire se, quibus in locis pugnandum esset, et cunctorum oppidorum situm ac naturam callere et ingenium hostis; Sigismundum minuta castella deserturum, urbes et oppida maiora muniturum, quae capi armis nullo modo valerent, atque ita magnum exercitum aestatem inutiliter consumpturum; inter oppida vero, quae nullo pacto vinci posse diiudicavit, Mundavium nominavit et Mundainum et Gradariam et Montem Florum et Verruchium et alia pleraque, quae - ut post dicemus - adversus magni viri prophesiam ac iudicium cuncta in potestatem Ecclesiae vi atque armis pervenerunt.

Pontifex respondit: quamvis de re bellica Francisci iudicium suo anteponeret, nec de futuris belli eventibus certa posset ferri sententia, sibi tamen ex usu haudquaquam videri exercitum in Aprutios mittendum, atque id spatii Sigismundo dandum, quo sese recolligeret; Federicum Urbinatem, Sigismundi capitalem hostem, qui esset in cursu victoriae, et foelicitatem Ecclesiae suam duceret, invitum eam gloriam eamque praedam, quam mente concepisset, relicturum, neque iturum sine novis stipendiis in alienas provincias, neque pecunias ei ante duos menses tradi posse; prius Octobrium mensem et autumnum pluviale tempus affuturum, quam castra moveri queant; in Aprutio, que regio montana est, per autumnum et hyemem exercitus incommodissime manere, ubi et nives omnia contegunt, et comeatus difficile reperiuntur; quod si frustra [477]

conandum est, minori sumptu ac periculo in agro Sigismundi bellum geretur, quam in Aprutio.

5 **17. Cardinalis Theanensis legatus in Pycenum mittitur. Veneti pontificis victoriam non impedire promittunt. Mondaini deinde et multorum oppidorum expugnatio atque deditio, et presertim Montis Scutuli**

10 Cessit his rationibus Franciscus, et pontifex Nicolaum cardinalem Theanensem legatum de latere ad exercitum misit et cum eo aureorum decem milia, cum iam duces exercitus, Federicus et Neapoleo de titulis contenderent, nec alter alteri velle cedere videretur, et iam simultatibus agitentur indignis. Legatus iam capto Mundavio venit in castra, et novas pecunias inter milites dispertiit, quamvis preda onusti essent.

15 Pius senatui Veneto scripsit auctore Deo [perfidum] Sigismundum proelio fustum esse; statuisse se victoriam prosequi, proditoremque subditum digna coercere poena, rogavitque, ne iustum bellum impediret, neve ullum hosti Ecclesiae preberet auxilium. - Senatus rescripsit iustum esse pontificis desiderium iustumque bellum; pergeret pontifex audacter, propositumque teneret, nec Venetorum impedimenta timeret, qui Sigismundum Ecclesiae subditum scirent ac supplicio dignum. Quod utrum fecerint, sequens monstrabit historia.

20 Capto Mundavio et Urcianum deditioem fecit et Sanctus Georgius et Pladie et Mons Maior et Montirulus et Sanctus Longarinus et Serra Hungarina et Mons Bellus et Saltera et Ripae et Tumba et Bargnie et Ripalta et Puceiolus; cuncta enim haec oppida Mundaviensis obsidionis exitum expectabant. In vicariatu Mundavii seu Fani Senogalliaeve agro Mundulfi et Sancti Constantii duo tantum oppida in hostium fide permansere, in quibus saeviente peste non fuit consilium eo cum exercitu proficisci, placuitque ducibus copiarum et legato in
25 Romandiolam traicere, et in Ariminensi agro castra ponere, primumque Mondainum oppidum obsidere. Quo cum venissent, accepto, quod in Sancto Laudentio nullum esset presidium, eo profecti sunt; neque enim Mundaino multum abest. Oppidani nihil morati mox visis copiarum ducibus se reddidere. Rediit exercitus Mundainum, et dum castra locantur, Melletenses ad Ecclesiam deficiunt; postera die Cerretum et Mons Gridolfus idem
30 facit.

Tertia die Mons Grimanus et Mons Giardinus capitur parte exercitus eo directa - verum Montem Giardinum furibundi milites directum incenderunt.

35 Quarta die cardinalis Sancto Clemente et Tumba Agella potitus est et Mundaino, cum iam tertia die oppugnatum esset, nec sustinere amplius vim hostium posset. Id est oppidum magne opinionis, situ nature et arte humana munitum, et quod Sigismundo carissimum fuerat tanquam Malatestarum sanguini fidelissimum, cui superioribus calamitatibus nunquam defecerit. [478]

Oppidum Sancti Laurentii plures emittit homines, et unum censetur inter quattuor principaliora Sigismundi oppida, si urbes demas.

5 Post haec Gemmano, Castro Novo, Colliano, Mollacciano, Monte Scutulo et Serra Valle potiti sunt uno fere incursu, non parvi momenti oppidis. Mollaccianum quinque milibus passuum ab Arimino distat, ex quo ad portas usque urbis omnia infesta sunt reddita. - In Monte Scutulo arx munitissima fuit, ad quam expugnandam cum Neapolio sese accingeret, videretque rem difficilem, vocato ad colloquium prefecto, deditionem ut faceret, conatus est suadere. Quo recusante: „Ergo” - inquit - „perire mavis, quam te reddere! Propere offerte citi ferrum, comites!” -, atque exerto gladio, tanquam murum proscindere vellet, apparatus ostendit. Quo viso exclamans prefectus viris rebusque salvis arcem tradidit. Is, cum dies aliquot post cardinalem accessisset salutatum, plura de se ipso locutus: “Cur mea” - inquit -, “legate, opera non uteris, et aliquam mihi arcem committis? Non minus Ecclesiae fidus ero, quam Sigismundo fui.” - Cui legatus: „Probe” - inquit. - „At ego hac fide non egeo!”

15 **18. Montis Flori obsidio, et oppidanorum adversus prefectum arcis fraus atque deditio**

20 Capta sunt et alia castella minora complura. Deinde Montem Florum obsidere placuit, amplum et munitissimum oppidum et dives, et quod Sigismundus in omni adversitate futurum sibi refugium existimabat; oppidanos enim eius loci prae ceteris subditis honorabat, magistratibus et prefecturis preponebat, seque illis plurimum credebat, semperque aliquem ex liberis illic morari iubebat. - Mons est altus, in cuius cacumine arx munitissima iacet, que toti dominatur oppido, triplici munita muro operis antiqui, quod bombardarum ictus spissitudine sua contemnat. Accesserunt et nova munimenta, oppidi quoque turres solide et 25 muri crassiores difficillimam expugnationem prae se ferebant ac pene impossibilem. Sed nihil intentandum victoribus videbatur. Cepta est oppugnatio Montis Flori; admote sunt machine, concussa est turris bombardarum lapidibus, stetitque tanquam immobile saxum. Quod postquam duces animadverterunt, cuniculis agendum censuere, suffoderuntque montis partem, nec dubium erat, quin oppido potirentur. Arcis autem expugnande desperata 30 ratio videbatur, nisi aut fames aut alius quivis casus obsessos premeret.

Iuivit audaciam fortuna. Oppidani de suo periculo solliciti prefectum arcis adeunt, periturum oppidum aiunt; bona, que habent maioris pretii mobilia, rogant in arcem transferri posse ibique conservari, ne praeda hostium fiant; pugnatos se animosius his extra periculum positos; fortasse defensuros oppidum, quod si expugnetur, tanto minus 35 futurum damnum, quanto ad hostes minor praeda pervenerit. Laudat prefectus consilium. Illi iuvenes quinquaginta robustos onerant supellectili, que fuit in oppido pretiosior, et arma sub veste [479]

ministrant. Pergitur in arcem, non creditur adesse dolus. Admissi iuvenes onera deponunt, prefectumque capiunt, et duos cum eo Sigismundi liberos, arcemque occupant, et missis ad cardinalem oratoribus deditionem pollicentur ea lege, ut arx in eorum potestate remaneat, liceatque Sigismundi filios ac prefectum arcis cum rebus suis emittere. Concedit omnia
 5 legatus preter arcis custodiam, quam tradi Ecclesiae iubet. Illi tandem annuunt, et emissis captivis oppidum atque arcem Ecclesiae tradunt; atque ita preter opinionem inexpugnabile oppidum captum est.

19. [Martialis, Ordinis Predicatorum generalis magister ab officio deponitur]

10 [Priusquam haec fierent, cum accepisset Pius in Ordine Sancti Dominici plurimas vigere deformitates, ipsamque Predicatorum religionem prorsus collabi Martialis cuiusdam Avenionensis culpa, qui iam pridem generalem magistrum gerens nec per se vitam duceret honestam, nec subditorum vitia corrigeret: convenire fratres eius religionis apud Senas
 15 mandaverat, ut in communi necessitatibus ordinis consuleretur. Aderat iam frequens conventus, provinciales ex orbe Christiano cuncti fere concurrerant. Actum in primis de capite, diuque disceptatum est, an Martiali adimenda potestas esset. Ille multos sibi amicos conciliaverat, imitatusque villicum Evangelii ex Mammona iniquitatis rem suam stabilierat, et aliena peccata dimiserat, ut sua sibi dimitterentur. Accesserat et cardinalis Avenionensis
 20 Martialis defensor, qui cum esset protector ordinis ac dives et potens, cunctos deterrebat, qui Martialis erant inimici, nec sinebat adversus eum quenquam loqui.]

[Pius Martialem ad se vocavit, hortatusque est, magistratui ut sponte cederet, nec vellet depositionis ignominiam expectare, quando eius vita tam turpis precessisset, ut ferri ultra
 25 nequiret; cessurum suoapte ingenio inventurum gratiam apud Apostolicam Sedem, eiusque honorem futurum salvum; sin pergat invito papa magistratum velle tenere, frustra conaturum. - Ille Avenionensis patrocinio superbus cedere recusavit. Pontifex litteras ad cardinalem Theanensem, quem eam ob causam Senas miserat, in eam sententiam dedit, ut mox conventum Predicatorum adiens absolutum ab ordinis magistratu auctoritate apostolica
 30 Martialem declararet, mandaretque fratribus, ut successorem, quem vellent, tanto munere dignum eligerent. Conventus decreto pontificis obedivit, servatisque cerimoniis consuetis Conradum Astensem, virum doctum et vitae conversatione probatum suffecit, quem pontifex ad se venientem Pientiae confirmavit.] Nec diu postea misso - ut diximus - adversus Sigismundum legato ex Pientia discessit Petrioli balnea petiturus. [480]

20. Pii ad Sancte Anne monasterium accessio. Montis Oliveti artificiosa descriptio, et monachorum vita

5 Iter ei fuit per monasterium Sancte Anne, quod monachi religiosi colunt in monte lapidoso
 atque admodum sterili, quamvis sua industria in parte aliqua feracem reddiderint,
 multasque ibi amigdolas plantaverint, et alias inseruerint arbores, ex quis partem vite
 traducunt, pium Deo famulatum exhibentes. Montis Oliveti horum religio dicitur, quorum
 10 precipuum cenobium et totius ordinis caput sexto abhinc miliario distat; eoque se pontifex
 contulit per itinera sola aestate calcanda, cum sol omnes ebibit humores. Pluviali tempore
 loca dixeris inaccessa, quae in argilla profundissima nullum admisere lapidem; cedit unguis
 equorum calcata terra, nec remittit, nisi maximum adhibeat equus conatum. Pluvie insuper
 fossas hinc atque inde prodixerunt, et angustas reliquere semitas, quibus non sine magno
 labore inhereas; si pes paululum aberraverit, preceps ruas.

15 Ventum est ad monasterium, cui Montis Oliveti nomen indidere, quod non procul ab
 oppidulo Clausure iacet, cuius caseum inter optimos Thusci ducunt. - Situs monasterii in
 hunc modum se habet. Collis sublimis est ad occidentem respiciens, thofu cretaque
 compactus, stadio circiter longus, latitudine multo minor. Si formam queris, castanee folium
 imitatur. Undique rupes in baratra pergunt profundissima, in quae horror sit aspicere. Qua
 20 iungitur relique terre collis, dorso modico turris erecta est lateritia, que omnem prohibet
 accessum non amicum, et fossa deducta, que in utrunque baratrum emittit aquas; ea ponte
 coniungitur, quo sublato nulli patet ad cenobium aditus. Declivis est collis, et in medio nobile
 templum constructum, et iuxta monachorum cenacula, deambulatoria, porticus et omnia
 officinarum genera, quae necessaria religiosi ducunt. Nihil non egregium, nihil non nitidum,
 et quod non cupide intuearis. - Agrum hunc fuisse tradunt nobilis cuiusdam viri, Ptolomea
 25 gente apud Senenses prognati, qui Deo plenus et religionis novelle fuerit inventor et cenobii
 fundator, cui possessiones suas donaverit; nomen viro Bernardo fuit, cuius ossa religiose
 colunt. Parva ab initio fundatio devotione hominum aucta foelices successus habuit, et in
 omnem Christianitatem propagata est. Ex familia quoque Picolominea multa huic cenobio
 30 accesserunt incrementa, cuius possessiones in circuitu fuere: Avena et Chiatina - quae olim
 non contempsere, loca nunc fere deserta sunt - ad Picolomineos pertinere, et plures ex ea
 familia in Monte Oliveto post obitum conditi sunt. Religiosi eius loci auctores suos non
 minus Picolomineos, quam Ptolomeos aiunt, quamvis fundatorem primum Ptolomeum
 fuisse nemo dubitat.

35 Religio eadem fere est, quae monachorum Sancti Benedicti suam regulam observandum.
 In habitu discrimen invenias: illi fusca veste utuntur, ii candida ac mundissima. Usus
 carnum utrisque pariter interdictus, [nisi aegrotatio requirat.] In ceremoniis pleraque
 invenias diversa, in substantia una fere est vivendi norma, et ii quidem usque in hoc tempus
 sine infamia vitam agunt. [481]

Mons ipse domesticis arboribus consitus plurimas habet oleas, unde Oliveti nomen ortum. Sunt ficus et amigdalae et pirorum malorumque multa genera; assunt et cupressi nemuscula, in quibus aestate suaves captare umbras licet; vineta quoque et umbracula pampinea et olerum horti et lavacra et fons perennis et cisternae ac putei et in ipsis rupibus quercine silvae et arbor iuniperi. Deambulatoria multa, que duos capiant homines, collem ambiunt mediumque intersecant hinc atque inde vitibus aut rosetis seu rore obsita marino: iocunda monachis solatia - iocundiora his, quibus, postquam viderunt, licet abire.

5
10
15
20
25
Monachi advenientem Pium ingenti gaudio exceperunt, atque omnibus modis aggressi sunt honorare. Apud Clausuram nundinae fuerunt, itaque frequens populus pontifici occurrit, et usque ad turrinam, quam diximus Oliveti Montem claudere, benedictionis consequende causa descendit. Dies erat quinte ferie, cum eo ventum est. Cardinales et omnis familia presulis carnes in cena manebant; pontifex iussit omnes eo in loco carnibus abstinere, cum id placitum monachis animadvertisset, exemplumque prelati ecclesiarum eo deinceps applicaturis dedit, ne carnes poscerent, quibus noscerent ob loci reverentiam summum pontificem abstinuisse. Mansit hic et sequenti die Pius, cenamque cum monachis in communi refectorio peregit, et cantores introduxit, qui novum carmen de Diva Katherina Senensi inter edendum tam suavi modulatione cecinerunt, ut omnibus monachis dulces excusserint lachrimas. Adscripsit et indulgentias loco non modicas, et privilegia dedit religioni amplissima.

In hoc cenobio Mattheus Siculus, cognomento Runta consenuit, cui tam promptum fuit edere carmen, ut illud Ovidii non iniuria sibi conveniret: "*Quicquid tentabam dicere, versus erat.*" Mensura tamen in carmine fuit, non elegantia. Dantis poema ex vulgari sermone in Latinum vertit, et heroico versu conscripsit, quamvis parum terso. In senio desipuit, et edendarum cupiditate carniū tractus sepe cenobium exivit, et cum amicis clanculum pullos columbarum voravit avidissime. Vitam alioquin innoxiam peregit

21. Pius Petriolum petit, eiusque inde ad Divi Antonii sacellum iocundus secessus, ac loci descriptio

30
35
Pius hinc digressus iuxta Umbronis flumen descendit, et ad Bonum Conventum transivit amnem, nec intravit oppidum, in quo pestis grassabatur. Ultra Arbiā pernoctavit apud nepotem, cardinalem Senensem, in predio ecclesiae, quam Sanctam Innocentiam vocant. Sequenti die Petriolum concessit, cuius situm supra descripsimus. Hic pro consilio medicorum usus est balneis, et cum fuit otium, saepe in agros exivit, et modo sub arboribus modo in ripa seu Farme amnis seu Merse consedit cum cardinalibus de re publica loquens aut legationes audiens.

Cardinalis Sancte Susanne tribus passuum milibus a Petriolo sedem sibi delegit, indeque, cum fuit consistorii dies, ad pontificem venit, rebusque publicis [482]

interfuit. Placuit Pio habitationem eius invisere, cuius multas accepisset laudes, constitutaque die eo perrexit.

5 Convallis est nemorosa septentrionalibus clausa flatibus, obiecta meridiei, et austro patens; Amiate montes maris prospectum auferunt. Suber silvam implet et castanee et (quercus et) ilex, ex quis glandes suo tempore cadentes apros alunt, quorum greges in ima
10 valle delitescunt. Veteres invento perenni fonte media in valle circumiectam silvam exciderunt, sacellumque Divo Antonio condiderunt ex lapide secto, cuius vetustas venerationem exigit. Monachorum habitacula iuxta construxerunt, et vineas plantaverunt, et hortos excoluerunt, et arbores inseruere pomiferas. Religiosi Fratrum Heremitarum
15 inhabitant non plures: quattuor aut sex, cum elemosyne procul querende sint. Viri exemplares huc mittuntur et solitudinis amantes. Vinum sibi ex vinea parant et olera ex horto, castaneas in silva querunt. Possunt etiam aliquando obsonium venatu conquirere; cetera questor elemosynarum administrat. Rarus hic hospes adest humanus - lupus et aper saepe se offert, et ab his aegre defenditur vinea, nec soli ambulatio tuta in silvis est; alioquin iocundissima umbracula patent inter arbores nullo tempore non virentes.

Fuit hic pontifex autumno iam abeunte, nec tamen adhuc vindemia vitibus ademerat uvas, que racemis grandioribus ex palmitibus pendentes plurime iocundissimum prebebant aspectum. Pontifex, cum hic prandium peregisset, et aliquandiu per vireta, in quis multa fuit laurus, non sine delectatione precipua vectus cuncta considerasset, ad vesperum Petriolum
20 rediit.

22. Indutiarum cum oratoribus Gallicis apud Petriolum tractatus, et Pii cum Iohanne Cossa iocunda contentio

25 Per idem tempus oratores Gallici pontificem adierunt inducias super bello regni Siciliae petituri. Eas Pius - ut ante traditum est - inter contententes de Regno convenientibus modis concessum iri promiserat, et rex Franciae missurum ea de causa sese legatos ad pontificem affirmaverat, et Calvi Montis comiti ac bailivo Astensi eam provinciam demandaverat; Rhenatus episcopum Massiliensem et Iohannes, filius eius bailivum Aquilanum illis
30 addiderant. Legati, cum accepissent partes Gallicas in Regno superiores esse, lento passu proficiscebantur, et nunc unam nunc alteram more causam adnectabant, sperantes interea conflictis hostibus haud futurum induciis opus. Sed cum preter spem duobus in locis partes suas profligatas accepissent, propere Alpes superavere, visitatoque Mediolani principe, Apennino transmisso nihil in via morati Petriolum pervenere; quibus et Iohannes Cossa
35 paucis post diebus sese comitem addidit. Horum legatio fuit regem Franciae pacem Siculi regni querere, atque iccirco oblatas inducias bono animo complecti; orare, ut quam primum fiant. Pontifex idem se cupere dixit de Regni quiete, quamvis rerum status valde immutatus sit, nec facile queant a victoribus inducie obtineri; Ferdinandi regis [483]

ac ducis Mediolani procuratores, quorum de re agendum esset, accersiri oportere, hisque tempus indulgendum, sine quibus inducie rate esse non possent; interea de modis et conditionibus habenda colloquia. Annuerunt oratores Gallici, quamvis inviti. Medio tempore rogati, pro defensione fidei quae regis mandata perferrent, et que promitterent auxilia contra
 5 Thurcos, nihil in ea re sibi commissum fuisse responderunt - quamvis rex ipse Ferrariensi episcopo legationem missurum se promississet ad Pium non de Regno tantum, verum etiam de Turchorum negotio tractaturam. Notavit Pius mendacia Gallica, et levitatem gentis irrisit nullius promissi tenacem et ora inverecunda, quibus negare promissa et asserere dicta, quae sunt indicta, promptissimum est. Quesivit deinde pontifex, quanti temporis inducias
 10 peterent; dixerunt quattuor aut quinque sexve mensium. Pontifex quinque annorum aut saltem trium pacem petebat, interim ut contra Turchos instrui bellum gerique posset, eamque potissime causam esse, propter quam annuisset concedendis induciis.

Auctoritas Gallicae nationis apud cardinalem Atrebatensem precipue resedit, illum enim suis epistolis rex Francie ceteris oratoribus prefecit. Qui, ut erat varius ac mutabilis, novas in
 15 dies difficultates ingerebat, et nova excogitabat mendacia, quibus deceptum pontificem in suam posset sententiam rapere. Sed omnes ei conatus frustra cessere: Pius quasi hostis eius verba pensavit.

Iohannes Cossa, cum in alloquium venisset pontificis: „Euge” - inquit -, „pater sancte, desine Andegavensem persequi domum, cuius aliquando benevolentia delectaberis.” - Cui
 20 pontifex: „Non persequor” - inquit - „Andegavensem familiam: a Ferdinando iniuriam propulso.” - Tum ille: „At iniusta est Ferdinandi causa! Non decet Romanum presulem iniustas tueri partes.” - Ad haec Pius: „Tua vox fuit, cum apud Sarnum vicistis, nihil te de Christi vicario curare, quando ipse Dominus tue parti faveret, eamque iustam declararet victoriam elargitus. Mutata est res, ut vides: Dominus et vicarius Ferdinando favent,
 25 eumque victorem fecerunt. Cecidistis apud Troiam in bello, victi estis: causa vestra iniusta est!” - Tum Cossa: „Vincis me” -inquit - „meis verbis. Nequeo tecum contendere, presul. Spero tamen, cito mutabitur haec fortuna, licebitque victoribus nobis de iustitia gloriari.” - „Probe” - inquit pontifex -, „istuc, cum factum fuerit, ratiocinari licebit. Interea temporis Ferdinandum tanquam iustum Deo dicemus amicum.” - Atque ita iocundo sermoni non sine
 30 risu finis impositus.

23. Expugnatio Gebeltari a rege Castelle, et Algezire instauratio

Nuntium his diebus allatum est Gebeltarum oppidum in potestatem Castelle regis
 35 pervenisse non sine gloria Christiani nominis Sarracenorumque magna iactura, qui hoc velut ostio quodam ad res Hispanicis utebantur. Iacet enim Gebeltarum in litore maris, ubi fretum Herculeum Aphricam ab Hispania disiungit, non amplius septem milibus passuum latitudine patens, quo in loco Herculem erexisse columnas memorant; quidam promontoria esse perhibent, [484]

quae procul visentibus columnarum speciem prae se ferant. Portum habere oppidum et
 tranquillum et tutissimum aiunt, in quem Mauri ex Aphrica solventes brevi traiectu se
 recipere consueverunt, et regno Granate consulere. Vetus haec Saracenorum possessio fuit,
 5 postquam defecit a Christianis, pro qua recuperanda sepe Castelle reges decertaverunt, et
 magnas accepere clades, dum obstinatius obsidere locum atque oppugnare pergunt. Rex
 Alfonsus cognomento Bonus, dum Gebeltarum recuperare contendit, vitam perdit; et nostra
 aetate Henricus Medine dux cum magno nobilium comitatu in prelio cecidit. Vulgo apud
 Hispanos aiunt haudquaquam tot lapides Gebeltari moenia continere, quot pro illis
 10 evertendis Christiani cecidere. Postremo placuit divine pietati locum Hispanis reddere.
 Seditio inter Sarracenos oborta est, qui regnum Granate occupant in Betica Hispaniae
 regione. Presidium, quod erat in Gebeltaro, in auxilium factionis unius profectum locum
 pene incustoditum reliquit. Quod cum accepissent Hispanorum duces, qui fines regni
 observabant, mox coactis copiis, instructo exercitu Gebeltarum petentes oppugnare
 15 ceperunt, biduoque fatigatos oppidanos ad deditionem compulerunt potestate facta, ut
 quantum quisque humeris ferre posset rerum suarum, abiens asportaret, eoque pacto et
 oppidum et arces, quas ibi tres fuisse tradunt, in potestatem Henrici regis venere. Qui rem
 gestam Pio pontifici scribens ideo vacuum remansisse Gebeltarum narravit, quoniam milites
 ad custodiam eius electi laturo suppetias alteri cuidam oppido exivissent, quod ab Hispanis
 20 obsidebatur. Quicquid horum fuerit, certa res est nostro demum seculo ad Christianas
 manus Gebeltarum rediisse, et ubi fuere Maumethis templa, nunc ecclesias divine pietati
 dicatas esse, et multos ex Christianis habitatores eo confluisse.

Deserta inter Gebeltarum et Gades urbs olim amplissima remanserat, Algeziras appellata,
 hinc Saracenis inde Christianis hostiles incursiones formidantibus; nunc frequentes populi
 eo concursare feruntur, et iam civitatem Christianis habitatoribus plenam asserunt. Quas res
 25 non sine voluptate singulari Pius pontifex audivit, quod inter plurimas Christiane rei publice
 calamitates hoc saltem foelix nuntium accepisset.

**24. Astorgius Faventinus Pii iussu pacem nepoti reddit, bellum Dominico
 Malateste infert, a Silvestro Placentino castris exuitur, collectoque tandem
 30 exercitu plurima loca expugnat. Verruchium ab Urbinatibus occupatur**

Astorgius Faventie tyrannus per idem tempus missis ad Pium legatis nepotem suum bello
 aggressus oppida ei quedam ademit, et Imola deiicere conatus est. Pius misso episcopo
 Sinuessano arma utrinque deponi iussit, et castella, que capta fuerant ab Astorgio, in
 35 potestatem suam recepit, ipsumque mercede conduxit cum equitibus quingentis, peditibus
 mille bellum Dominico Malateste illaturum. Qui primo congressu multa illius castella ad
 defectionem [485]

coegit. Invadentem Meldulam, non parvi nominis oppidum, Silvester Placentinus ex improvise adortus castris propemodum exiit; collegit tamen suos Astorgius, et impetum hostis compescuit; cumque venisset ad eum ex castris Ecclesiae maioribus Corradus Alvianus cum trecentis equitibus, Caminatarum oppidum expugnavit, et castrum Montis Veteris et Cusertularum et Vallem Oppii et Montem Veterem in deditionem accepit, et ad Civitellam profectus, quae est in confinibus Florentinorum, cum duobus federatis oppidis ad obedientiam compulit. Comes Cocchus, Sigismundo confederatus cum sex castellis ad Ecclesiam defecit, et in castris Astorgii militavit. Cesenates ea re perterriti complures preciosam suppellectilem ad urbem Ravennatum transtulerunt, veriti, ne civitas obsidione caperetur, si exercitus Ecclesiae eo deduceretur. Verum Federicus Urbinas et cardinalis Theanensis Monte Florum occupato Ariminum, non Cesenam petiere castris ad tertium lapidem collocatis diem ac dimidiam in urbis conspectu commorati, si forsitan - ut spes erat oblata - civitas tumultuaret, exercitumque intromitteret Ecclesiae. Quod ubi frustra expectatum est, Verruchium se contulere, peculiare Malatestarum oppidum, unde suam originem esse tradunt, quamvis - ut ante diximus - ex oppidulo Pennarum primus Malatesta eo se contulit.

Due illic arces fuere: alteram oppidani custodierunt, alteram Sigismundi prefectus; et hec multo munitior. Quadringentos viros, qui arma ferre possent, Verruchium habuit; qui primo congressu intra moenia fusi et se ipsos et arcem, cuius potentes erant, tradiderunt. Alterius arcis expugnatio difficillima videbatur in alto saxo collocata et abunde rebus munita necessariis, multumque ibi temporis terendum. Ad dolos igitur confugitur, quibus hostem capere virtutem ducunt. Nuntius cum his litteris ad prefectum noctu transmittitur quasi ex Cesena profectus:

„Dominicus Malatesta prefecto arcis Verruchii salutem. Obsessum te ab ecclesiastico exercitu nuntiatum est. Esto vir fortis, quoad Sigismundus cum auxiliis revertatur, qui propediem aderit. Interea, si qua re tibi opus est, indicato, et si non adsunt comites, qui sufficient ad arcis custodiam, petito: quot velis, e vestigio mittentur. Vale.”

Figure litterarum ita assimilate sunt, ut Dominici esse viderentur; signaculum quoque additum eius persimile, quo ille utebatur. Homo audax et simulandi peritus hanc provinciam arripit promissis oneratus. Qui arcem petens, postquam intromissus est, litteras reddidit, ac de multis a prefecto interrogatus adeo prudenter respondit, ut fidem faceret a Dominico sese missum. Prefectus rescribit obsidionem forti se animo toleraturum, si viri sedecim in armis experti eo mittantur. Epistolam nuntio dat, utque cito revertatur, exorat, et duas in partes argenteum proscindens nummum alteram apud se retinet, alteram nuntio tradit quasi pro caractere, quem venturi auxiliares afferant. Ille ad cardinalem Federicumque redit, rem gestam enarrat, paratamque victoriam dicit. Deliguntur sedecim viri robusti corporis et animi presentis, qui tertia deinde nocte sumptis armis, cum castra quiescere viderent, per vias obliquas ad portam arcis exteriorem, qua solent intromitti subsidia, tanquam trepidantes [486]

procurrunt. (Ex industria enim duces exercitus, tanquam hostes auditi essent, tumultuare ceperunt.) Prefectus, ubi adesse auxiliares animadvertit, in spem erectus ad portam procedit; interrogat, quinam advenerint. Illi a Dominico venire se aiunt obsessae arcis auxilio. Petitur character, offertur dimidiatus nummus; applicatur alteri parti, conveniunt omnia; recipiuntur
 5 in arcem ecclesiastici pro Malatestis. Qui postquam ad munitiora loca pervenerunt, apprehenso prefecto et eius comitibus Ecclesie dominium acclamaverunt, atque aperta venientibus porta duces ecclesiasticos admisere. Supellectilem et cuncta, que in arce fuere, munimenta ex pacto viri sedecim optinere non indigni tanto premio.

Prope fuit, ne dolus patefieret, antequam patraretur. Puer, qui lumen referebat, unum ex
 10 sedecim viris diligentius inspiciens cognoscere se hominem ait, qui Federico Urbinati servivisset. Ad quem homo: „Quidni?” - inquit. - "*Mercennarius ego miles sum: qui stipem dat, illi servio. Nunc argento Dominici inarratus huc veni.*" - Data est fides, sic Deo placuit: Verruchium Sigismundo fraudes eripuerunt. Digna res: dolosum aliquando vicerunt doli, et fraudulentum suae ceperunt artes.

15 **25. Sancti Archangeli et aliorum oppidorum deditio. Sigismundus ventis fatigatus Venetias appulit, supplexque a senatu oratorem pro rebus suis ad pontificem impetrat**

20 Ductum est deinde ad Sanctum Archangelum, insigne oppidum et populo plenum; sexcentos et amplius viros armare potest. Oppidani sese dedere, et arx fracta bombardis intra dies paucos capta. - Per eosdem dies et plebanatus Sextini ab ecclesiasticis occupatur duodeviginti oppida continens. Scorticata quoque, trecentorum virorum oppidum Ecclesie se tradidit; oppidula et palatia, que in medio fuere, direpta atque incensa multa sunt. Milites
 25 onusti preda bellum se faustum invenisse gaudere, villas prediaque rustica vino ac tritico plena inter se partiri, anseres ac gallinas sine modo vorare, vina electa bibere, inebriari, contendere; duces nullo magis labore teneri, quam rixas prohibere. Erat tum forte vindemie tempus; omnia militi cessere: et que in vasis condita musta fuerunt, et que super vitibus pendebant uve. Cumque pluviosus autumnus sui natura consueverit esse, hoc anno ingens siccitas divino quodam beneficio concessa. Est enim argillosa illis in locis provincia, et quae -
 30 ubi maduit - difficile permeari potest. Quod si pluvie suo more per autumnum cecidissent, neque Mons Florum neque alia multa oppida oppugnari - ne dicam: expugnari - potuissent. Sigismundi nequitiae data est trium fere mensium serenitas, quae militi serviret ecclesiastico, et sibi patrimonium auferret.

35 Qui dum ex Apulia desperatis auxiliis domum repetiturus navem ingreditur, horrida invasus procella ita ex oculis in litore spectandum sublatus est, ut omnium opinione summensus crederetur. Sed incendio dignum non potuere [487]

venti mariave perimere: quassatum atque attonitum in Dalmatie litus eiecerunt. Ipse pro sua consuetudine mutata veste cum paucis per asperos montes terra iter fecit, atque in Forum Iulii descendit, inde Venetias petiit. Ubi cum foelices Ecclesiae successus et suorum defectiones subditorum accepisset, anxius animi senatum adiit, atque afflictis rebus
 5 consilium et auxilium efflagitavit. Et tum quidem, cum viri plerique religiosi ad clavum cum duce urbis sederent, parum letis vultibus exceptus est propter anathema, quo erat irretitus, cuius se fieri participes auditores verebantur. Illud nihilominus obtinuit: missuros ad pontificem Venetos, eique veniam, si fieri queat, imploratorios; idem et Dominico, eius fratri responderant suppetias postulanti. Quibus ut satisfacerent, primum Nicolao Sagundino,
 10 apud pontificem manenti secretario suo scripserunt, ut Malatestas pontifici commendaret, deinde legatum maioris nominis, Bernardum miserunt ex familia Iustiniana, virum eloquentia et gravitate insignem Veneta, et qui pro sua re publica multas sepe legationes obiisset. Hunc Pius Petrioli primum audivit, et propter urbis eminentiam et hominis dignitatem apprime honoravit. Qui postquam semotis arbitris, quae vellet, dicere permissus est, in hunc modum verba fecit:

26. Oratio Bernardi Iustiniani deprecatoria ad Pium pontificem pro Sigismundo Malatesta, Pique prudentissimum atque magnanimum responsum

20 „Bellum, quod adversus Malatestas geris, piissime maxime pontifex, iustum esse omnes censent, atque in primis senatus Venetus, qui Sigismundi mores optime callet, et eius in te tuamque sedem piacula non ignorat. At cum animadvertit victoriae tue cursum, et quantum agri ab eo abstulisti, quantisque cladibus et ipsum et agrum eius affecisti, satis
 25 superque satis punita esse hominis scelera censet. Si pro peccato filii maximo - ut vulgo dicunt - paulum supplicii satis est patri: tu non Sigismundi tantum, sed omnium fidelium pater es, paterna te uti clementia decet. Sedes Apostolica, pia Mater nunquam redeuntibus ad se filiis sinum pietatis occludit, semper ad veniam prona est; adeo misericordiam diligit, ut sepe iustitiae preferat crudelitatemque vocitet omne iudicium clementis moderationis
 30 expers. Parcere tui solii proprium est. Septuagies septies iussus est Petrus, cuius locum tenes, in se delinquenti peccatum dimittere, et pro numero infinito finitus ponitur. Peccavit in te Sigismundus et sepe et multum - quis nescit? At veniam petenti quo pacto negabis, Iesu Christi vicarie, qui Dominum tuum nosti pro suis orasse persecutoribus, et in Cruce latroni veniam prebuisse, parsurumque proditori Iude fuisse, si humiliatus misericordiam implorasset. Non vult Deus mortem peccatoris: conversionem et vitam cupit - pleni sunt
 35 codices exemplis. Nihil Ecclesia benignius est, nihil ad misericordiam magis pronum. Quod intelligens senatus Venetus commendare tibi Malatestas audet, veniamque pro his petere, quibus iam pridem et vicinis et amicis est usus. Non correctionem prohibet, quae magna ex parte peracta est: extirpationem horret nobilissime familie. Neque enim [488]

- memoria nostra audivimus in Italia preclaram aliquam prosapiam radicitus evulsam
 fuisse ac prorsus adnihilatam. Vetustissimum et nobilissimum Malatestarum genus inter
 Italos memorant. Multi in eo viri prestantes claruerunt, quorum egregia facinora non
 Ecclesiae tantum Romane, sed Italiae universe et ipsi Christiane rei publice admodum
 5 profuerunt. Sit utile filiis preclaros habuisse parentes! Aboleat maiorum virtus peccata
 minorum! Concedendum est aliquid priscis imaginibus! Non tulit premia digna probitas,
 quae solos extulit auctores: preclara virtus plures aetates illustrat. Indignus est
 Sigismundus - non eo inficias -, cui veniam prebeas, nec Dominicum laudo, qui tibi
 10 adversatus est, quamvis pro fratre arma suscipiens excusari potuit. At Karolus et
 Pandulfus et alii maiores meruere, ut posteris suis ignoscas, si quid in te peccavere!
 Digna est res publica Veneta, quam exaudias, tue sanctitatis et Apostolice Sedis
 obsequentissima filia. Agitur in hac parte de statu suo. Notunt Veneti, quos habuerunt in
 Malatestarum gente vicinos; mutationem verentur, ne deterior fiat conditio. Quid habeant,
 sciunt; quid habituri sint, nesciunt. Multa eos timere oportet: suspecta sunt Itolorum
 15 ingenia, et nullum imperium metu vacat. Oramus pietatem tuam, ne rebus nostris
 incommodes, aut in finibus nostris eos regnare permittas, quorum veremur insidias! Cum
 Malatestis quiete viximus hactenus, et vivemus - sicut speramus - in posterum.
 Suademus preterea, paci ut Italiae consulas, et pericula metiaris, quae hoc ex bello possunt
 emergere. Minima sepe favilla maximum excitavit incendium. Nemo ex regno volens
 20 eiicitur: omnia experiuntur homines, priusquam dominatione priverentur. Aspirant ad
 imperium Italiae Franci, et in regno Siciliae non parum agri possident. Quid, si Malatestae
 reliquis destitutis auxiliis ad eos confugiant, eosque sibi assumunt dominos? Exemplum
 omnes Romandiole tyranni sequentur, nec Florentini, Francis amici, a rebus novis
 abstinebunt.
 25 Quid de Turchis dicam? Ais te velle eorum conatibus resistere. Quomodo foris bellum
 geres inquietus atque insegurus domi? Quid, si - ut est maligna Sigismundi mens - ab eo
 Turcorum arma in Italiam invitentur? Non est longa navigatio ex Aulona - quam vulgo
 Valonam appellant, et a Turchis tenetur - usque Ariminum. Omnia faciet Sigismundus,
 priusquam sibi dominatus eripiatur. Incertus est belli exitus, et multa dies affert, que
 30 existimavit eventum esse. Nunquam fortuna diu benigna est. Vicisti hucusque, et prospero
 fortune flatu es usus. Quid, si more suo belli domina retro abeat? Nemo, si sapiat, illi se
 credit. Tum paci danda est opera, cum vincitur, nec secundis rebus inolescere convenit.
 Contentare, pontifex, presenti rerum statu, ne dum maiora queris, ea, que tenes, amittas!
 Da pacem miseris, et Malatestarum familiam, quae satis correcta est, in gratiam recipito!
 35 Haec Veneti ex te petimus, hec oramus supplices. Annue hoc gratie populo de te bene
 merenti, et qui Sanctam Sedem Apostolicam summo semper studio coluit! Sincero haec
 animo dicimus non minus tue glorie, quam nostre rei publice consulentes. Amplexere in
 bonam partem, que recta et bona ex mente procedunt!"
 Pontifex his auditis huiuscemodi responsum dedit: [489]

- "Quecunque rogat suadetque Venetus senatus, in partem accipimus meliorem, nec dubitamus verba menti consonare, amica esse consilia ducimus. Bellum, quod Malatestis indiximus, non ab re iustum fatetur; nisi enim iusta est ultio nostra in Sigismundum, nullam aliquando vindictam nostri maiores iustam exercuere. Satis vero correctum esse reum non recte iudicat: atrociam delicta atrocem exigunt poenam. Merenti crucem sufficere scuticam quis dixerit? De furtis agitur, de rapinis, de adulteriis, de incestibus, de proditi-
 5 onibus, de crimine lese maiestatis, de contemptu religionis, de impia heresi - et tu satis punitum dicis, cui pars agri adempta est, et in corpore nihil molestie tulit? Subditi dedere poenas, Sigismundus adhuc intactus evasit. Dicis nos loco patris haberi, magnumque filii peccatum apud patrem levi poena mulctari. Omnes, qui rei publice recte
 10 presunt, subditos pro liberis habent; et senatus Venetus suos cives aut filiorum loco ducit aut fratrum. Si filii sunt Veneti suorum magistratum, cur tam rigide puniuntur, cum deliquerunt? Nempe quia duabus rebus res publica continetur: poena scilicet ac premio. Nulla diu stare civitas potest, nisi malos deprimat, et bonos extollat. Et Veneti quidem in
 15 coercendis criminibus semper habiti sunt severissimi, atque iccirco diuturna est vestra potestas, et imperium servatis legibus auctum. Non tulistis perniciosos cives, nulli apud vos licuit impune peccare. Mille sunt horrenda Sigismundi scelera, quorum dumtaxat unum si ex vestris civibus quispiam admisisset, non sineretis eum vivere: nulle preces, nulle pecunie reum a morte redimerent. Et nunc Sigismundum, omnium sceleratorum sceleratissimum
 20 venia dignum putatis?
 Filius Francisci Foscari, vestri ducis, quod in suspicionem necati cuiusdam civis venisset, diris excarnificatum modis exilio damnavistis; Brutus, Romanorum consul filios securi percussit, quod adversus patriam cum Tarquiniis conspirassent; nec Torquatus adolescenti filio vitam reliquit, qui adversus imperium suum, quamquam victor, pugnasset in hostem;
 25 et Nicolaus marchio Estensis aetate nostra Hugonem filium neci tradidit cum noverca in adulterio comprehensum. Quid censes? Severos natura sepe numero parentes dedit, et tu lege constitutos iustitie prorsus immemores esse voles? Exempla nobis Christi commemoras et Beato Petro mandatam a Domino datum, ut peccata dimitteret, et nobis idem faciendum asseris. Fatemur: ignoscendum est reis, quando reversos ad cor in veritate penitet deliquisse, nec suo exemplo nocet impunitas. Providus pastor morbidas oves a grege procul
 30 abiicit. Medici ex humano corpore putridas carnes ferro demunt et cauterio, et tum maxime pietatem exercent, cum videntur esse crudeles. Omnes Christiani unum sumus in Christo corpus et unus grex; cavere oportet, ne pars corporis infecta partem inficiat sanam, et ne morbida facta pecus totum corrumpat ovile. Amovenda sunt omnia, quae corpori nocent.
 35 Non est pietas uni membro parcere, et totum corpus in discrimen adducere. »Si oculus tuus« - inquit Dominus - »scandalizat te, erue eum et proice abs te; et si pes tuus scandalizat te, abscide eum et proice abs te!« Et asserit melius esse cum uno oculo et uno pede intrare in vitam eternam, quam duos oculos vel duos pedes habentem mitti in Gehennam ignis.
 40 Quid hec sibi volunt? Admonemur a Domino scandalosa membra precipere, ne reliquo corpori noceant. Admonentur rectores urbium populorumque duces perniciosos rei publice cives e medio tollere, ne multitudini officiant. Sigismundum nulla male [490]

factorum poenitentia tenet; id ei molestum est, quod non peiora patravit; omissa deflet scelera, non commissa; nec potest ad Deum reverti, qui nullum credit esse Deum. Impletum in eo est, quod in Sacris Eloquiis scribitur: »Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit.« Hereticus est; hereticum iubet apostolus post primam et secundam admonitionem devitari. Commonuimus hominem bis, ter, quater atque iterum - nil profuit. Perversus est, eius desperata salus. Quomodo possumus homini heretico subditorum nostrorum gubernationem relinquere? Si peccasset in nos Sigismundus, dimitteremus ei. At peccantem in Deum, divine legis mandata deridentem, Romane Ecclesie insultantem, iura omnia pervertentem, Christiane plebi non minus exemplo, quam facto nocentem ac prorsus incorrigibilem non possumus impunitum relinquere! Eiicienda sunt hec monstra, ne presint populis! Auferenda sunt perniciosus bestiis regna, nec feris tam immanibus ulla permittenda potestas!

Dicis non esse auditum aetate nostra aut parentum nostrorum nobilem aliquam domum funditus esse deletam, indignumque putas vetustissimam ac nobilissimam Malatestarum familiam nostro tempore prorsus eradicatum iri. Bis falleris. Non sunt Malateste - ut arbitraris - antiqui ac nobiles: nova gens est et ante ducentos annos prorsus incognita; vilis origo ex oppidulo vili Pennarum, proditionibus et malis artibus in lucem venit, Imperio rebellis et Ecclesie adversa. Utinam possit - ut digna est - e terra deleri! Non erit prima - ut arbitraris - familia nobilis extirpata. Quot vos Veneti illustres prosapias delevistis? Ommittimus quam plures nobiles in Foro Iulii, in Istria, in Dalmatia et aliis provintiis imperio subiectis Veneto vestris decretis paterna possessione deiectos; Scaligeros, Carrarios preterire non possumus, quorum alteros Verona ac Vicentia, alteros Patavio, quamvis essent nobilissimi, deturbastis, imperioque privatos avito inopes in exilium egistis; Marsilium vero, cum paternam hereditatem vindicare conaretur, interceptum summo supplicio damnavistis, duasque domos tota Italia clarissimas non horruistis extinguere. Unde ista severitas? Nempe quod rei publice vestre videbantur insidiari. Et illi quidem non subditi vestri erant, sed vicini et hostes et imperatoris Romani vicem agentes: in alienos extendistis manus, et alterius servos non timuistis corrigere ac funditus delere. Et audetis nobis suadere, ne subditos nostros, quamquam proditores et omni scelere coinquinos, eo, quod nobiles sunt, corrigamus? Iniurii estis, qui nobis ea in servos nostros licere negatis, que vobis ipsis in alienos arrogavistis! Filios dicitis Malatestas esse, non servos. Fuere filii quondam et liberi: servos fecere peccata. Non pudet nos vestra sequi vestigia et vestram imitari severitatem, quando hac una potissimum via res vestras crevisse vulgo creditur.

Sed ais Malatestas omnia prius temptaturos, quam regno pellantur: vitam facilius homines, quam dominationem relinquere. Certum id quidem est, verum necessitati cuncta obediunt. Non est Malatestarum potentia, que viribus nostris resistere possit. Nudi auxilio sunt, nisi vos opem perituris affertis. Nemo in Italia est, qui sit eos adiuturus: non Florentini, non dux Mediolani, non Borsius noster in Ferraria vicarius, non alius quispiam. Omnes bello nostro tanquam iustissimo adversus proditores et impios favent. Vos, si iungetis cum Malatestis arma, fatemur: conatus nostros impedire poteritis, et hoc unum rebus nostris periculum imminet. At hoc vestrum est auferre, nec sine dedecore vestro Apostolice Sedis iudicium infringetis! Extant promissa [491]

vestra, quae nos certiores reddunt in cursu victoriae nostrae adversus Malatestas nullum a Venetis impedimentum fore timendum. Si secus evenerit, senatus vester et mendax et proditor invenietur - quod nobis in mentem venire non potest.

5 *Nec Francorum Turchorumve nos metus agitat. Ludovicus Francie rex Cathalanico et Britannico bello distinetur: Italico, si sapit, non implicabitur. Quod si ad res Italicas inclinaverit animum, Genuensium ante omnia rebellionem vendicabit, qui a patre suo desciverunt. Difficilis est expugnatio Ligurum, et nobis non parum datura tempus. Quod si*
10 *recta via adversus nos exercitum mittere voluerit, montes et flumina intersunt et Insubrium princeps nobis affederatus, qui hostes transire non sinet; nec Franci sunt, qui pecuniaria soleant auxilia mittere - Italis presertim, quorum fidem suspectam habent.*

Nec Turchis ad Ariminum via patet, nisi per Adriaticum sinum, cuius vos esse custodes asseritis, et in quo vestre semper excubant classes; sine vestra negligentia penetrare in Italiam nequeunt. Expugnabitur procul dubio Sigismundus, et infame delebitur Malatestarum nomen, nisi vestra res publica sese nobis apponat - quod nulla ratio suadet.

15 *At vicinos mutare times, et antiquos servare cupis. Mutabis, nisi conatibus nostris obicem posueris; verum iustos pro iniquis, pro infidelibus fidos, pro inimicis amicos. Aut enim Ecclesia illis succedet iustitiae tenax et nullius conscia culpe, aut Malatestarum imperium [nepotibus nostris] elargiemur, qui cum vestra re publica perpetuo iungentur foedere, nec decretis unquam vestri senatus adversabuntur.*

20 *Quibus de rebus indigne sunt preces, quas pro Malatestis effunditis, nec nos illis auscultare decet. Iusto insequimur impios bello; non sunt digni venia, qui Deum contemnunt, et quorum salus multorum perniciem affert. Punire nocentes oportet, nec tuta videatur iniquitas, neve facilitas venie incentivum prebeat delinquendi. Non est in exigenda pena periculum, nisi a vobis proveniat; nec causam habetis, cur cepta nostra*
25 *impediatis, et contra fidem feceritis victoriae nostrae cursum ablaturi. Hortamur igitur, ut de nostris subditis liberum nobis iudicium relinquatis, nec ea petatis ex nobis, quae rogati ab aliis nullo pacto concederetis."*

30 *Orator Venetus, cum suo more adversus haec non pauca subintulisset, eaque pontifex manifestissimis rationibus confutasset, scripturum se tandem senatui dixit, quod accepisset responsum.*

27. Discessus Pii e Petriolo et ad Tudertum profectio, eiusque urbis situs ac factiones regiminisque renovatio

35 *Senenses, dum Petrioli pontifex fuit, sepe ad eum misere dona, esculenta et poculenta ac legatos, qui peterent dulcem adire patriam. Pius insalubritatem aeris causatus (obierant enim Senis nonnulli ex peste) dolere se ait, quod pro suo desiderio carissimorum precibus filiorum non posset annuere, dimissisque balneis Pientiam reversus est, ubi propter aegritudinem diem unam peregit. Deinde per Monticulum et alta nemorosaque iuga, quae*
40 *monti Pesio coniunguntur, [492]*

Sartheanum se contulit, nec moratus transmissio non procul a Clusio amne Clanio in agrum Perusinorum descendit, et apud Panicale oppidum pernoctavit in montibus, qui Trasimeno supereminet lacui. Quibus transmissis in amenam vallem penetravit multis referctam castellis, ex qua licet Perusiam cernere. Transmisit et alios montes, et in vallem pervenit
 5 Tyberinam late patentem, et apud Martianum nocte peracta die sequenti Tyberim invento vado transivit, Tudertumque petiit, ibi ut tamdiu quiesceret, donec Rome purificatum esse aerem intelligeret. Precesserant eo legationes regum ac civitatum et cardinales complures, qui omnes adventanti pontifici occurrerunt. Civitas inextimabili gaudio plena, quae iam pluribus annis suum dominum non vidisset, quam maximis potuit honoribus adventum eius excepit.

10 Tudertum - sive, ut antiqui dixerunt, Tuder -, urbs non ignobilis atque inter Umbros primaria, in colle iacet propinqua Tyberi ad stadia circiter XX-ti; quacunque pergas in oppidum, semper ascendas, necesse est. Gibellinarum partium fuisse populum aquile indicant, quae in porta veteris urbis grandiores sculpte visuntur; nunc Guelfi prevalent.
 15 Ambitus olim murorum multo minor fuit, quam hodie cernitur: summa montis cacumina tantum cinxit; aucto deinde populo et muros ampliari oportuit. - Inter viros illustres huius urbis Martinum commemorant Romanum pontificem pro Christi nomine martyrio coronatum. Braccius Perusinus aetate nostra Romane Ecclesie hanc urbem eripuit, et in summo vertice arcem aedificavit, que postea destructa est. Franciscus etiam Sfortia eius loci
 20 Eugenio sedente dominatum arripuit, tandemque coactus dimisit ab Ecclesiae ducibus extra Umbriam pulsus.

Pius in episcopali palatio mansionem elegit, quamvis cives pretorium ei apparaverint et aedes in foro precipuas. Salubrior visa est in episcopio habitatio minus exposita ventis, qui apud Tudertinos assidue perflant: alteram hic Eoli domum dixeris. - Prospectus, quocunque
 25 te vertas, gratissimus occurrit: licet Perusiam videre et omnem, que media iacet, vallem castellis referctam, late patentibus ac frugiferis agris, et amne Tyberi nobilem, qui anguis in morem varios agens flexus Tusciam ab Umbria dividit, multusque sub ipsa civitate montes ingreditur, per quos murmurans, tanquam invitus coerceatur, ad inferiora descendit. Subiecti urbi colles consiti vitibus atque oleis non sine voluptate cernuntur, nec remotiores
 30 vestiti silvis ac pascuis apti minus oblectant oculos. Aestate omnia virent, hyeme sepe nive canescunt. Nulli tamen tempori habitatio satis commoda: estate sitit paucis adaquata fontibus, hyeme riget frigore nunquam boreali spiritu carens. Frugibus abundat et vino.

Pius, cum eo venisset, intestinis agitatum seditionibus civitatem invenit. Duo fuerunt in urbe cives primarii familia nobili nati, quam vocant Actorum: Iacobus et Andreas germani; qui opibus abundantes plebem sibi largitionibus conciliaverant, atque inopum multitudine
 35 freti, quos aiebant, civitatem pro sua libidine administrabant, erantque terrori non solum optimatibus, sed ipsis quoque presidibus atque prefectis ab Apostolica Sede missis vim inferebant, non permittentes eos aut delicta corrigere, aut ex bono et equo ius dicere. Sepe [493]

carcerem effregere, saepe capitali sententia damnatos e manibus militum, cum ducerentur ad necem, eripuerunt. Impune itaque rapi virgines, adulteria cedebant fieri, et domus diripi opulente; impune omne patrari scelus ab his, qui in Actorum clientelam concessissent; et nuper ab eis primus lictorum presidis fuerat obruncatus, nec ulla secuta ultio. Id boni cives
 5 detestari, dolere patrie calamitatem, que sub Ecclesiae regno tyrannidem pateretur; conari iugum excutere, alloqui alter alterum, audendum esse aliquid dicere pro libertate patrie; federa percutere: in adventu summi pontificis, quem non dubitarent brevi affuturum, dandam esse operam, ut tyranni eiiciantur, aut eis auferatur nocendi potestas, reddanturque populo sue leges, nec ferendam amplius grassandi licentiam. - Accedunt igitur Pium
 10 catervatim triduo post eius ingressum; que in eam usque diem mala tulissent, in medium proferunt; credidisse se olim dicunt Ecclesiae fuisse subditos, id facto falsum experiri; Tudertis Actos esse dominos, non presules Romanos; rogant, Romana Ecclesia suum sibi ius vendicet, excutiatque bonis civibus crudele servitutis iugum, quod ferre nullo pacto queant.

Pius cardinales aliquot delegit, qui civium querelas audirent et [Actos,] quid ad ea responderent. Rebus discussis, cum manifeste constaret [Actorum] opera civitatem pessime gubernari, verum Andrea Iacobum multo peiorem esse et magis perniciosum civem, statuit illum urbi subtrahere. Et cum essent incerta populi consilia, novum legit senatum, et nomina magistratuum - qui priores appellantur, et bimestre officium gerunt - nova in pixide clausit, quae sortibus extraherentur. Prohibuit, ne quis arma per urbem deferret; ne pro reo criminis
 20 preces offerret, nisi tertio consanguinitatis gradu proximus illi esset; ne quis tumultuante civitate armatus privati cuiuspiam civis domum accederet. In forum convenire omnes iussit, et ad aedes aut presidis aut prefecti, et alias plerasque leges edidit urbi salutare, que usque in hanc diem servate pacem peperere.

25 **28. Tractatus induciarum irritus cum Gallis Tuderti habitus**

Legati Francorum, qui pontificem ex Petriolo secuti fuerant super bello regni Siciliae inducias petentes, cum Ferdinandi regis oratores adventassent, acrius urgere ceperunt: diu se retentos dicere, non posse amplius expectare; aut exaudiri regias preces debere, aut
 30 potestatem sibi abeundi fieri. Contra oratores Ferdinandi inducias parti sue perniciosas asserere; Ferdinandum hostes profligasse; non esse impediendum victoriae cursum; Sinuesse ducem in Campania hostem [restare]: adversus eum castra movenda in locis apricis, que hyemem non sentiant; brevi casurum eius imperium; orare, ne victoria e manibus auferatur. Idem oratores Mediolanensium ducis efflagitare, inter quos erat Corradus, vir sapiens et
 35 ipsius ducis germanus. [494]

Iis pontifex respondit se anno superiore rogatum a Ludovico rege Francie, ut auxilia Ferdinando subtraheret; dixisse id sibi non convenire; quod si regi placeret inter contententes de Regno indutias fieri, non negaturum, ut interim bello finis aut concordia interponeretur aut iudicio; missum fuisse responsum et Ferdinando et Francisco, et ab
 5 utroque comprobatum; Ludovicum, etsi iusto serius oblationem acceptaverit induciarum, reici tamen honeste non posse; quod si Ferdinandus recuset obedire, in arbitrio suo erit; Pius suas copias revocabit a Regno, quia non possit fidem fallere.

Audiverunt ea cum lachrimis Ferdinandi oratores, ut qui omnem belli moram suis rebus nocituram putabant, et adversari pontifici non audebant. Tandem iudicio eius rem omnem
 10 permisere. - Pius ex Francis percontatus est, quam longas inducias vellent. Trium aut quattuor mensium, responderunt. Fraus inerat petitioni: existimabant eo pacto furorem victoris exercitus evadere, donec milites ad hiberna concederent; deinde tempus ipsum pacem daturum, novoque vere novas pecunias ex Gallia venturas, ex quis novi possint exercitus instaurari. Non latuere pontificem doli, quibus occurrit hoc modo:

15 *"Amplectimur"* - inquit - *quattuor mensium indutias, quemadmodum polliciti sumus, inter contententes de Regno."* - Illi Sigismundum Malatestam non posse negligi responderunt, qui belli socius esset, regi Rhenato confederatus.

20 *"Immo vero"* - inquit pontifex - *„nefas est hereticum hominem eas inducias comprehendere, que inter reges fierent Christianos!"* - Sigismundum de religione pessime sentientem iam pridem fuisse damnatum; Ecclesie Romane prius intulisse bellum, quam Rhenato coniungeretur; iniurium fuisse Rhenatum pontifici Romano, qui subditum Ecclesie proditorem atque hereticum in belli societatem accepisset. - Res pluribus diebus agitata est. Postremo, cum Franci Sigismundum in pace prorsus comprehendere vellent, Pius excludere, infectis rebus legati Francorum domum abiere. Pius Ferdinandi oratores his verbis allocutus
 25 est:

30 *„Habetis, quod desiderastis. Non sunt inducie facte, quas Ferdinando victoriam prerepturas arbitrabamini. Periturum Sinuesse ducem vestris armis ante Natalia Domini, si bellum continuaretur, affirmavistis. Ite nunc, et magna verba factis aequate! Quamvis contraria nobis sententia est: festinat ad hiberna miles vester, prima vos pluvia in tecta reducet, frigoris et omnis incommodi patiens hostis ad expugnandas urbes sub divo manebit, et vos aliquando penitebit temporaneam pacem, quam obtulimus, non accepisse."*

Illi multa in contrarium polliciti spe pleni recesserunt.

29. Florentinorum legatio pro Malatestis, et Catherine, Pii sororis adventus

35 Advenerat et Florentinorum legatus pro Malatestis veniam impetraturus, cuius hec verba fuerunt: [495]

„Rogati Florentini a Venetis pietati tue Malatestarum familiam commendant. Nosti, quomodo velis et quando velis reis ignoscere. Iusta est ultio tua, iudicio tuo cuncta permittunt. Verum blandiri Venetis consilium fuit; ero cum eorum legato, et que ille petierit, approbabo. Tuum erit, que velis, facere.”

5 Laudavit pontifex Florentinorum legationem, que nihil importune peteret. Legati deinde simul et Mediolanensis et Venetus et Florentinus Pium adeuntes multis modis Malatestarum causam oravere, reis petentes veniam; de iustitia nihil sperantes ad misericordiam confugere. Pontifex, etsi multa se debere intercessoribus fatebatur, indignos tamen reos esse aiebat, qui veniam consequerentur; verum, cum minora essent Dominici, quam Sigismundi scelera, inventurum illum gratiam propter intercessores, si censum Ecclesie debitum solveret, et alia efficeret, que iure merito deberet. De Sigismundo nihil audire voluit, nisi prius heresim deponeret, et arbitrio pontificis se permetteret. Acceptaverunt legati, que ad Dominicum pertinebant, utque tractari facilius concordia posset, indutias belli petiere; que concesse sunt.

10 Venit et soror pontificis ad eum, Catherina ex arce Spoletana, et Antonia neptis et infans cum ea scitus et admodum pulcher, quem Pius nomine patris Silvium iusserat appellari. Nondum ille vigesimum attigerat mensem, et quecunque videbat, emulabatur, et multa future prudentie pre se ferebat inditia, pontificique haud parum iocunditatis attulit.

20 **30. Romanorum legatio pro pontificis reditu, et eius ex Tuderto discessus, totiusque itineris iocundissima descriptio**

Accesserunt et Romanorum legati, viri primarii - quorum unus ex conservatoribus erat Camerae Urbis: Iohannes Mellinus iuris consultus -, et in comitatu nobilium filii venire, equorum famulorumque splendido apparatu. Ii pestem in Urbe cessasse, et undique in circuitu purificatum esse aerem, tutaque omnia dixere, multisque et magnis precibus pontificem onerarunt, ut suam revisere Romam pergeret suisque filiis sese reddere, qui nimio eius desiderio tenerentur. Annuit pontifex, et sevientem iam hyeme, cum rigerent omnia gelu, Idibus Decembris Tuderto discessit ante lucis exortum, agrumque non inamenum pertransivit usque ad oppidum Aque Sparte, ubi frequentes turbe occurrerunt cum ramis olivarum; in quis mulier tundens pectus et genas lacerans ingenti clamore pro fratris nece lamentabatur, ultionemque sceleris exquirebat. Pius audita causa iudicium Tudertino presidi commisit, qui paulo post rem composuit, quamvis familie non impotentes de sanguine inter se contenderent.

35 Deinde per montes asperiores et iam nive canos ad oppidum ventum est, quod Sancti Gemini appellant, in alto colle situm, ibique pernoctatum. Locum fuisse olim celebrem ruine docent, vineis et olivetis prestat, ac valli supereminet, quam Nar fluvius irrigat; tantum a Narnia distat, quantum ab Interamnia. [496]

Pius hinc digressus ab Interamnensi populo pro facultate civitatis cupide ac magnifice exceptus est, prandioque facto discessit, et per Collem Scipolim Stronconum se contulit. Colles intersunt culti et amenissimi, in quibus Bacchus cum Cerere et Pallade certare videtur. Ager fertilis inter oleas et vites tritici copiam producit; insunt et ficus et nuces et alie arbores pomifere omnis generis. Scipolenses ante fores oppidi mensas apposuerunt, pedestremque turbam cibo potuque recrearunt. Stronconii, apud quos in conventu Fratrum Minorum paulo extra oppidum Pius noctem peregit, omnem Curiam paverunt. Ambo hec oppida libera sunt, Romano tantum subiecta pontifici, cui servire libertas est. Stronconium ab Interamnia quattuor milibus passuum recta euntibus abest in colle saxeo, una tantum parte eaque munitissima hosti accessibile, et a quibusdam inter Sabinos ascribitur. Idem de Colle Scipionis asseritur, tanquam Sabinus ager ad Naris usque fluentia pertingat septentrionem versus, ad meridiem vero quidam Alliam amnem Romanorum clade nobilitatum, quidam Anienem pro termino ponunt; occidentalem partem claudere Tyberim nemo dubitat, a quo Sabinorum regio orientem versus ad Velinum lacum urbemque Reatinam et ad Marsos protenditur Equicuiorumque montes, quos hodie Tagliacocios appellant. Oenotrios ante, inclitum Italiae nomen hanc regionem coluisse credunt, et Archades a Pallante profectos his in montibus habitasse, ex quibus Imela fluvius decurrit. Ab eo loco, quo lacus Velinus per saxa preceps ruit, mons in altum surgit, qui mediam Sabinorum regionem percurrans meridiem versus ad Anienem usque protenditur, Tyburique imminet. Hunc Severum prisci vocavere; hodie partem eius Sancti Iohannis, partem Nigrum montem appellant. Et nostra quidem aetate inter hunc montem et Tyberim Sabinos collocant, nec ultra ad orientem proferri putant in montibus; Petras Foruli nominavere veteres, ad rebellandum, quam ad habitandum aptiores. Que sub montibus terra iacet et in Tyberim vergit, olivetis ac vinetis egregie predata est, glandesque passim producit, gregibus et armentis maxime accommoda. Sabinos viros fuisse fortes ac divites auctore Fabio constat, qui tum primum Romanos divitiarum sensum accepisse tradit, cum huius potiti sunt gentis. Ab his Pingentini et Samnites in coloniam deducti fuerunt. [Vacunne] cultus apud eos prevaluit, quam alii Minervam alii Dianam alii Venerem putavere; Varro Victoriā esse ait, a qua dictum est oppidum Vacunna, de quo Oratius:

30 „*Hec tibi dictabam post fanum putre Vacunne.*”

Pius pontifex, cum a Stronconio discessisset, superatis nonnullis collibus saxorum asperitate difficilibus in vallem quandam descendit, que a sinistris monte Severo clauditur, a dextris Lune montem habet Narniam usque protensum, sublimitate Severo parem; cui non pauca adiacent oppida. Vallem perennis intersectat fluvius, qui non procul a Narnia Narem influit. Hunc adversus eius cursum secutus pontifex ad dorsum pervenit, quo Severus et [497]

Lune montes coniunguntur, paulo illis humiliter et tunc nive tectum. Inde aque bifariam cadunt: alie septentrionem versus fluvium augentes, quem diximus in Narem decurrere, alie in meridiem tendunt longo decursu; et has Imele fluvium efficere nonnulli censent, qui tandem ad dextram conversus et occidentalem solem non procul a Malliano, precipuo Sabinorum oppido in Tyberim cadit. Ab hoc dorso plerique Sabinos incipere putaverunt; quicquid ultra septentrionem respicit, Umbriae tradiderunt.

Pius hoc dorso superato in vallem descendit non in amenam, cui non pauca imminent oppida, inter que Asola cernitur alto in monte sita. Oppidani per rebellionem Iacobi Sabelli veriti, ne armis vastarentur, Ecclesiae se dederunt, atque idcirco transeunti pontifici letabundi occurrerunt in subiectam vallem, multisque precibus petierunt, ne aliquando ab Ecclesiae Romane mitissimo imperio alienarentur; quod Pius sponte benigneque annuit. Deinde iuxta fluminis cursum iter habuit, donec recta in meridiem flexit; inter saxa vero et asperas ad dexteram decurrentem rupes dimisit, et collem superavit, descenditque ad oppidum Ursinorum, quod Turres appellant, una tantum parte oppugnationi patens, qua tumulus altior imminet, quamvis fossa discissus profunda; partes reliquas altissime tuentur valles. Non tamen totum collem occupat oppidum: in occidentali parte non parum spatii remansit vacuum, in quo vetus templum est hedera vestitum, quo capto facile illinc oppidum machine feriant; sed ascensus in eum arduus atque difficilis. Totum olim fuisse habitatum constat, comminutus loci populus muros quoque comminuit. - Quidam Turres pro Curibus dictas putant, et hanc urbem fuisse suo tempore insignem, ex qua exciti sunt Titus Tadius et Numa Pompilius, Rome quandoque regnantes, et Romanos inde Quirites dictos; quamvis Romulum ab hasta Quirinum vocatum eius appellationis fuisse causam constantiori fama credatur. Testis est Gregorius Magnus Romanus pontifex Turres succedere Curibus, qui Gratoso episcopo Numentano scribens curam gubernationemque illi ecclesie Sancti Eutimii in Curium Sabinorum agro constitute se commisisse dicit. Ipsa vero ecclesia non procul a Turribus sita est et episcopali titulo gaudet, qui cardinalibus assignatur Sabinensis appellatus. Nota est Sabinarum rapina virginum, que bello exorto parentes viris placaverunt. Unde fedus cum Tito Tatio factum, et Sabini in civitatem asciti sunt, non tamen ferendi suffragii ius habuerunt. Nulla ibi nunc tante nobilitatis vestigia extant: vile castellum est ab hereticis magna ex parte habitatum, qui occultum quendam pontificem quasi papam venerantur, et clam in speluncis silvisque conveniunt, in superstitionibus tantum sacrilegis ac vanis [Nume] posteris.

Pius hic nocte peracta cum in vallem descendisset admodum profundam, fluvium pertransivit ex montibus cadentem, in quibus Aspra iacet, Sabelli oppidum non ignobile, quod solum ei cum Palumbaria remansit, a loci asperitate, unde nomen habet, defensum. Curenses itineris duces pontificem per devia deduxerunt, ex quis non sine labore ac periculo exivit, cum essent prurupte rupes ac difficiles. Tumque primum Pius de perfidia eorum certior factus [498]

est, correctosque verbis acrioribus dimisit, et ad Cantalupum pervenit. Oppidum lacerum adhuc repperit et agrum deformem. Oppidani obviam effusi magnis se precibus pontifici commendarunt; invitos se Romane Ecclesie restitisse dixerunt, et nihilominus veniam petiverunt. Quibus pontifex non solum ignovit, verum et privilegia quedam gratiasque largitus est. Rursusque in vallem alteram descendit, et fluvio quodam transmisso superatoque proximo colle ad oppidum venit, quod Myrteti Podium vocant. Id est monasterii Farfensis in colle situm eminenti ac prerupto sub monte Severo, cui ad orientem iungitur; inde tantum oppugnationi obnoxium, sed arce defenditur munitissima; cetera insuperabiles tuentur rupes et horrenda precipitia. In arce habitatio commodissima est ac pene regia, et fons largus ac lympidus aquae dulcis et in aestu frigidissimae ex monte perpetuo labentis. Abbas Farfensis, qui et Tranensis archiepiscopus fuit, gentis Ursinae, pontificem in arce collocavit, atque honoribus cumulavit amplissimis. - Sub oppido rivus est, quem Solis appellant. Blondus eum arbitratur esse, quem Flaccus Digentiam vocat his versibus:

15 „*Me quotiens reficit gelidus Digentia rivus,*
quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus.”

Non procul hinc Montopolis cernitur, unde nostra aetate Petrus Romam venit, non ignobilis poeta, qui heroicis lyricisque versibus multa conscripsit. Desipuit tamen, et furore percitus in morbum incidit, ex quo nondum senex obiit.

20 Pius Myrteto relicto ad Farfarum flumen pervenit, qui opacissimis undique tectus arboribus per monasterium, cui nomen dedit, in plana descendit, et ubique lympidus, trutarum ferax in Tyberim cadit. Hoc ponte transmisso, et proximo atque imminente colle superato ad paludes pervenit, quas fluviolus intersecat; Curesium quidam esse volunt, qui Podio Cures nomen dedit; nonnulli amnem Alliam prisco nomine dictum putant, qui Sabinos a Crustumiiis olim disiunxerit sexto decimo ab Urbe miliario, quo in loco Romanos diximus a Gallis fuisse deletos. Per noctem pontifex in Monte Rotundo quievit apud nobiles familie Ursine. Mons Rotundus non ignobile oppidum, frumenti vinique ferax et alendo pecori commodissimum duodecimo ab Urbe miliario distat, et inter Crustumios situm est, inter quos et Vehientes Tyber fluit. Fidenas quoque Crustumiiis attribuunt et Nomentum et Palumbariam. Plerique Sabinis omnia concedunt trans Anienem sita septentrionem versus Naris usque fluenta. - Contemplatus est omnia pontifex inter eundum non sine animi remissione ac voluptate.

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI LIBER UNDECIMUS
INCIPIT**

**5 1. Pii in Urbem reditus civibus expectatissimus, et sacri gladii Veneto principi
elargitio**

10 Pius exinde XV-o Kalendas Ianuarias ad Urbem rediit Aniene per pontem transmisso,
quem Numentanum vocant, nobile Narsis opus; quo in loco ab urbano populo summo cum
desiderio expectabatur. Civitas, quae propter eius absentiam et, que nimium grassata fuerat,
15 pestiferam luem mestissima erat, redeunte domino pristinam recuperavit hilaritatem, et
lugubri veste deposita festos egit dies. Pontifex in Natali Salvatoris Domini sacraque nocte
benedicto pro more gladio legatum Venetum sui principis vice donavit, ut illo in hostes fidei
Turchos uteretur - [frustra conatus ingrati populi benivolentiam aucupari, aut avare rei
15 publice mercatricique multitudini gloriosum suadere bellum. In populis nullam honesti
curam invenias: emolumento serviunt, gloriam, que nihil afferat lucri, contemnunt, nec
simul generositas habitant et mercatura.]

**20 2. Picininus Celani comitatum invadit Rogerotti, impiissimi comitissae filii
suasu atque auxilio**

25 Post recessum ex Tuderto Pii Iacobo Picinino - qui ex Troiano conflictu cum paucis hisque
prorsus inermibus ac nudis in Aprutios profugerat, nec suis rebus qua consulere posset,
ullam invenerat viam - ex insperato fortuna oblata est, que miserum sublevaret. Rogerottus,
comitisse Celani filius, qui preter voluntatem matris Gallicis militasset, ac propterea minus
30 gratiae apud eam invenisset, Picininum adiens iudicium in se matris iniquum dicit;
foeminam Ferdinando parentem atque adversam Gallis eiiciendam fore, sibi que tradendum
imperium, qui nunquam Aragonenses aut Cathalanos amaverit; habere amicos, qui sibi
matrem tradant cum exercitu profecturo; petit, ut secum pergat cum his, quae sibi
35 remanserant, copiis, opulenta spolia relaturus. - Arripit occasionem Picininus, ingressusque
signis infestis agrum Celani prima incursione castella pleraque occupat, que ultro se dedunt.
Deinde oppidum invadit, in quo erat comitissa, ipsumque vi capit atque diripit. Illa in arce
nonnullis diebus sese defendit, et cum nemo succurreret, admoventur bombarde, quassantur
turres, detestabili exemplo matrem filius obsidet, atque omnibus tormentis oppugnat. Mater
40 filium sagittis impeti iubet, filius matrem omni telorum genere querit, nec ulla inveniri
conciliatio potest. Expugnatur tandem Tuentibus muris infelix mater, atque impiissimi filii
captiva clauditur; dives suppellex argenti et auri ac lanarum magna vis Picinino cedit,
castella et arces [501]

Rogerotto traduntur. Hic fructus incestuosi matrimonii fuit - si matrimonium licuit appellare contra ius fasque contractum.

Comitisse Celani Cobelle fuit nomen, ex Iacobella - ut est vero simile - per diminutionem deductum. Pater eius virili orbatu sobole tres filias, priusquam moreretur, nuptui tradidit,
 5 Cobellam nondum viro maturam fato defunctus domi reliquit. Huic multi fuere proci, qui propter principatum secundum leges patrias ei debitum connubio iungi petebant. Non tulit Martinus Quintus pontifex maximus hanc [quasi de suis faucibus eripi predam:] Aduardo nepoti admodum adolescenti puellam matrimonio iunxit, dotalem ut ei comitatum pararet. Triennio simul mansere coniuges; mortuo deinde Martino Cobella iam grandior - sive
 10 strummosum dedignata virum, sive (quod postea vulgavit) impotentem - clam fugit ad suos; Aduardus aliam denique superinduxit, ex qua susceptis pluribus liberis virum se esse ostendit. Iacoputius Caudola - de cuius moribus relatam est - Celani comitatum cupiens suo conterminum, iam senex Cobellam sibi coniunxit, tanquam legitime a coniuge non viro divertisset. Quo mortuo, ne Celanum extra familiam fieret, nepos ex fratre vidue iunctus est,
 15 cui durante adhuc priori matrimonio fuisse commixtum rumor erat. Ex his nuptiis natus est Rogerottus incestis ac nefandis, a quo mater sui sceleris poenas tulit. [Digna matris soboles, at non dignus criminis ultor!]

Pius cognita Celani captura: „*Hic est*” - inquit - „*fructus recusatarum indutiarum, quas tantopere Ferdinandus exhorruit! Sed quis mortalium de futuris recte iudicat? Falluntur humana iudicia, sepeque noxia tanquam profutura eliguntur.*”
 20

3. Sulmone a Picinino per famem expugnatio

Sulmonenses circa idem tempus annone penuria laborabant. Quo percepto Picininus iam paulisper confortatus Celanensi preda ad castella Sulmone propinqua se contulit
 25 prohibitorius, ne quid commeatus importaretur, haud ignarus nihil tam facile urbes expugnare, quam famem. Vicos per circuitum occupat, atque omnes aditus imposito milite claudit; civibus, nisi se statim dedant, vastationem agri minatur; cum non parerent, vites atque arbores precipit, et usque ad portas suburbana corrumpit. Cives ad Pium mittunt, quo
 30 sint in statu, exponunt, et que pericula timeant; tritico sibi opus esse dicunt; id si queat importari, nihil urbi timendum. Pius Robertum Ursinum, virum audacem cum peditibus trecentis, equitibus galeatis quinquaginta in Aprutios ire iubet, qui coniunctus Mattheo Capuano et Alonso Hispano suppetias obsessis ferat. Cum Picinino Caudolenses erant et Montorii comes et Rogerottus et dux Soranus et Honoratus Sermonete tyrannus, Deyphebus,
 35 Eversi filius, insignis proditor et Iohannes Andegavensis, non tam Picinino imperans, quam parens: Iacobum belli ducem et regem dixisses, Iohannem quasi unum, qui sub imperatore duceret ordinem. - Omne partis adverse robur ad expugnandam Sulmonam convenerunt, excepto Rossani principe, qui Sinuessam relinquere non [502]

audebat. Aquilani victui necessaria ministrabant, propter quod - sicut postea dicemus - visi sunt indutiarum federa violasse. Incumbebatur expugnationi urbis non arietibus aut alio machinarum genere: annone caritas victoriam promittebat, que magis in dies ac magis oppidanos premebat.

5 Conveniunt simul Robertus atque Mattheus, et cum se minus validos ad congregiendum cum hoste putarent absente Alonso, qui moras necteret, peritos viarum consulunt, si quod iter inveniri possit, quo liceat clam hostibus commeatus ad obsessos deferri. Illi montem ostendunt, qui supereminet urbi altissimus et ascensu difficilis; hyems horrida congestis nivibus difficiliorem reddiderat: hunc, si contendere velint, superari posse affirmant, 10 quamvis non sine labore ac periculo, indeque frumentum humeris hominum ad Sulmonenses conveni. Suadet omnia necessitas. Emitur vis magna frumenti, et ad radices montis comportatur iumentis; exin pedites sacculos tritici parvi ponderis per nives et glaciem reptantes - tantum lucri dulcedo potest! - ad alterum montis latus deferunt; ubi presto Sulmonenses assunt, qui reddito pretio ac mercede laboris tradita desideratum alimentum in urbem convehunt. Eoque modo per plures dies esuriam populi adeo mitigant, 15 ut ablata Picinino victoria videretur, qui non sine penuria necessariorum degebat: panis militi nigerrimus, et is quidem parce tradebatur, sarmenta contrita pro feno et hordeo equi vorabant; deterior obsidentis, quam obsessi conditio fuit.

Pervicit obstinatio proditoris cuiuscumque beneficio, qui cum Sulmonensibus militaret, 20 Picininum commonuit, quo tempore quoque itinere Ursini milites frumenta deferrent, ubi Sulmonenses illa reciperent, et quibus modis intercipi possent. Misit Picininus ad loca insidiarum designata milites, qui signo accepto a proditore in tempore quasi ex improvise erumpentes et partem plebis Sulmonensis et quadraginta circiter Roberti milites onera gestantes interceperunt, quos Picininus maiori ex parte laqueo suspendit. Secundum hanc 25 cladem civitas fame coacta deditionem fecit quinque milibus aureis in penam tollerate obsidionis mulctata: potentiori restitisse peccatum fuit. Erexit ea victoria Picinini famam, que propemodum sepulta videbatur, labantesque suarum partium animos confirmavit.

30 **4. Ferdinandus Pontis Latroni obsidionem turpissime solvit, Capuamque, quasi Picininum fugeret, rediit**

Accesserat et aliud paulo ante facinus, quod eius estimationi haud parum addiderat. Ferdinandus, cum victor ab Ofanto redisset, Tarentino principi data pace, Serra Capriola Caudolis adempta, Montorio, Porcina, Sancto Martino et aliis plerisque castellis comiti 35 Campi Bassi ablati, pluribus regulis in potestatem redactis, Ponte Landolfo direpto atque incenso, quem diebus quindecim oppugnaverat, Poianello per concordiam obtento ad Pontem Latronum se contulerat, Rossani principis oppidum, binisque castris obsidionem obfirmaverat [503]

ita profundis interiacentibus vallibus, ut altera alteris nulli possent usui esse. Castellum quoque proximum hosti parebat, ex quo transitus in Pontem liber patebat. Nec frequentes in castra copiae venerant: Sfortianorum maxima pars ad hiberna concesserat, ex turmis aliorum multi diffugerant, tempus quoque incommodum fuit ventis atque imbribus obnoxium. Quibus ex rebus damnatum est consilium regis, et plerique dolosum putavere ab his profectum, qui palam pretendentes amare, clam oderunt - ut est omnis regia proditoribus plena.

5 Ea cum Picininus cognovisset, repente cum expedito milite magnis itineribus ex Aprutio Sinuessam venit eo consilio, ut manus cum hoste consereret, haud dubius, quin alterutra castra expugnare posset. Non expectavit congressum Ferdinandus, qui pluviarum nimbos adversamque tempestatem accusans, quibus cepta impedirentur, propere obsidionem dissolvit, Capuamque se contulit, nec eo anno amplius castra metatus est. Cuncti fugisse regem ante Picinini faciem dixere, eique liberati oppidi nomen dedere. Clarum fuga regis Picininum reddidit, Sulmonensis victoria clariorem, qui victus prelio vinceret urbes, et plus 10 hyeme, quam aestate valeret.

5. Sfortiani in hibernis apud Sanctam Severam oppidanorum rebellionem diripiuntur

20 Sforcianorum equitum turme circa idem tempus in Apulis quattuor apud Sanctam Severam hibernabant, ut est consuetudo militum, non sine oppidanorum damno atque iniuria. Ceperat id oppidum aestate superiori Ferdinandus per deditionem. Quamvis expugnare armis poterat, ac militibus ad tollerandam inopiam diripiendum tradere, noluit 25 severus in severos esse, neque amonitus est loci nomine: in Sancta Severa mitem ac clementem se prebuit, pepercit multitudini. - Laude id dignum! At factionis ducem incentoremque rebellionis impunitum relinquere quis probaverit? Crescunt impunitate delicta; audet quotidie maiora, qui sine periculo minora patravit. Consecutus veniam Severine rebellionis auctor alteram e vestigio molitus est: damnanti populo Sfortianorum opera, qui viros ac mulieres contumeliis afficerent, ultionem suadet, arma uti capiant, 30 hortatur, atque improvisos hospites intempesta nocte adorianur et ad unum trucident; prope adesse Gallorum auxilia et Tarentini principis manum; audeant, nihil periculi fore; Ferdinandi partes et in Aprutio et in Terra Laboris profligatas dicit. Arripiunt oppidani consilium, de nece tantum dissentiunt. Adoriuntur ex improviso Sfortianos, intromissisque auxiliis ad eam rem paratis arma et equos hospitibus auferunt, et alios captivos retinent, 35 alios nudos emittunt, atque iterum Rhenati vexilla erigunt, et regno eius sese subiiciunt.

Tria hec vulnera post Troianam victoriam Ferdinandi partibus illata sunt: Celani comitatus ad hostes defecit, Sulmona perdita est, Sancta Severa non [504]

solum rebellavit, sed equitum cohortes validissimas exarmavit. Quibus cladibus fuga regis accessit, que tanto turpior visa est, quanto rarius audire solemus victorem a victo fugari. Non tamen his successibus compensata est hostibus Troiana clades, quae Gallico nomini Tarentinum principem Regnique partem precipuam ademit.

5

6. Henrici partes in Anglia superantur, Franciscusque Interamnensis episcopus, quod legationem Anglicanam infideliter gessisset, interceptus a Pio privatur ac monachus efficitur

10 Angliae regina, quam supra diximus auxiliis a Ludovico rege Francie impetratis in Scotiam navigasse, dum ista fiunt, in parte Angliae boreali ultra Eboracum bellum innovat, et aliquot castella expugnat. Occurrunt regis Eduardi copiae, et inito certamine Scotos Gallosque fugant, castella recuperant, et intercepta in eis presidia, quae regis Henrici nomen profitentur, crudeliter necant, Francis, qui se Ludovico militasse aiunt, ut se redimant, 15 potestatem faciunt. Hac victoria consternati omnes, qui partes Henrici tuebantur, ad Eduardum defecere - duce Somerseti viam monstrante, ac stultum esse dicente saepius adversus Fortunam pertinaci animo depugnare; illam Eduardo regnum promississe, quae nihil aliud sit, quam ratum et immutabile Dei decretum; nolle se divine voluntati resistere - 20 seque victori permisit, a quo receptus in gratiam paternam hereditatem consecutus est, Eduardo regnum confirmatum. Henricus in Scotia curarum expers ac modico contentus remansit, regina cum filio ad Ludovicum mesta et inops consilii in Franciam rediit.

Has regni Anglici mutationes Galli, et qui eis consentiebat, Francisco Interamnensi episcopo imputabant, qui missus in Angliam ad imploranda contra Turchos auxilia pacandamque gentem discidium excitasset, ad bellum profectus Ecclesie vexillum erexisset, 25 partes regis excommunicasset, adversis aeterna salute promissa benedixisset. Nec vanus erat rumor: ambitio et ingentia promissa Franciscum deceperant. Cui pontifex re cognita, ut ad se quam prope reverteretur, litteras dedit. Ipse sibi conscius ac timens, Eduardi regis et aliorum principum commendationes emendicavit, et tanquam procurator Anglorum ac Francisci Mediolanensium ducis consiliarius ad Curiam remeavit, multa in suam 30 purgationem adducens. Cumque auri vascula et gemmas pretiosas attulisset ex Anglia quam plures (venalem nanque suam legationem fecerat), ex Mammona iniquitatis amicos sibi paraverat, maxime cardinales aliquos, quorum presidio pontificis sibi aures conciliaret. In Apostolico quoque Palatio cardinalis Theanensis et Gilifortus thesaurarius veteri secum amicitia iuncti erant, et amico, ne periclitaretur, operas navabant.

35 Dissimulavit aliquandiu pontifex; at cum Roma discedens Viturvium petivisset, rumorque in dies crebresceret Interamnensem episcopum preter spem [505]

omnium ultionem evasisse, Iacobo Ptolomeo, ut episcopum caperet atque in Hadriani Mole retineret, occulte mandavit; eoque facto tabelliones et iudices, qui reum diligenter examinarent, illico Romam misit. Ille absque tormentis de vexillo, de anathemate, de ceteris obiectis cuncta confessus est, et amplius symoniace labis multas turpitudines, qui beneficia
 5 per pecuniam contulisset et sacros ordines et indulgentias et absolutiones; scripsitque confessionem suam manu propria, neque negare istec poterat: libri eius intercepti, quos ipse dictaverat atque signaverat, eadem continebant.

Damnabant cardinales prelatique fere omnes episcopum indemnatum in vincula confectum esse. Pius clamoribus posthabitis clausum custodiri iussit, donec Romam
 10 reventum est. Deinde confessionem rei ad se clam vocatis auditoribus Rote ac iuramento adactis, ne quid efferrent, examinandam tradidit, et qua poena plectendus esset episcopus, qui talia commisisset, percontatus est. Illi tempore ad deliberandum obtento post dies octo scriptam signatamque Rote sigillo suam sententiam attulere, qua privandum episcopatu reum et ab ordine deponendum censuere, et in aliquo monasterio detrudendum, ubi sua
 15 peccata perpetuo defleret.

Vocatur deinde consistorium secretum, in quo pontifex Anglicana gesta commemorat et cruentissima bella, quibus Interamnensis episcopus minime iussus interfuerit, et Ecclesie vexillum erexerit sua manu consutum; confessionem eius producit, deinde cardinalium sententias exquirat. Cumque mitiora nonnulli censerent, quam tanta scelera mererentur, et
 20 amici episcopi comminuere delicta conarentur, consilium Rote in medium protulit; quo lecto erubere defensores rei, et pars maxima cardinalium in auditorum sententiam pedibus ivit. Pius episcopum pro meritis Interamnensi privavit ecclesia, et ab ordine deposuit. Ille postea - sive religionis zelo accensus, sive quod in seculo dignitate privatus vitam sibi molestissimam duceret - a pontifice petiit, ut liceret sibi in monasterio Sancti Pauli cum
 25 fratribus Sancte Iustine Divi Benedicti ordinem profiteri. Indultum est, et ut in presbyteratus ordine ministrare posset, concessum. Nec mora, habitus datus, et pro Francisco Ignatii nomen assumptum, sub quo in hanc usque diem sine reprehensione Domino famulatur - monachus melior, quam episcopus, si ceptum tenuerit iter.

30 **7. Disceptatio acerrima inter Predicatores monachos et Minores, an sanguis Christi preciosissimus in triduo passionis a corpore seperatus divinitati unitus perseveraverit**

Anno, priusquam ista fierent, apud Brixiam, Cisalpine Galliae civitatem Iacobus
 35 Marchianus, Ordinis Minorum professor, Divi Bernardini Senensis quondam socius, verbi Dei predicator in populis acceptus, aetate iam decrepita in die sancto Pasce cum sermonem pro sua consuetudine haberet ad plebem - ut est communis error eorum, qui declamatorie in ecclesiis verba faciunt ad [506]

ostentationem doctrine -, pleraque dixit, que fuerat utilius intacta dimisisse. Inter cetera preciosum Christi sanguinem in triduo passionis, dum iacuit in terra sparsus, indignum fuisse latrunculo cultu asseveravit, quoniam fusus et a corpore dominico separatus hyppostaticam Verbi unionem protinus amisisset. Publicatus sermo ad aures inquisitoris heretice pravitatis
 5 Ordinis Predicatorum pervenit, qui - seu zelo fidei tactus, seu stimulo emulationis accensus - illico damnatam heresim predicatam dixit, mandavitque Iacobo, ut revocaret errorem; nisi quam primum pareret, responsum de fide diem dixit, et nihilominus unum ex confratribus in sermone, qui post meridiem habitus est, contrariam sententiam divulgare iussit. Iacobus, qui annos XL-ta sine reprehensione verbum Dei populis annunciasset, ac suo et aliorum iudicio
 10 fructum attulisset Christiane religioni non modicum, dictam sibi diem impatientissime tulit.

Tactus est mons et fumigavit! Pauperiem pati et famem et sitim et corporis cruciatum et mortem pro Christi nomine nonnulli possunt: iacturam nominis vel minimam ferre recusant, tanquam sua deficiente fama Dei quoque gloria pereat! Vir vere bonus etiam famam, ubi est opus, contemnere novit. - Concurrente sequenti die ad ecclesiam populo ambonem ascendit, et multa de se ipso sine modestia locutus, qui omnem etatem suam docendo populos et in
 15 Italia et (in) Hungaria consumpsisset, nec unquam fuisset inventus error in ore suo, vehementer se dolere ait, quod iam in extremo senio tanquam hereticus accusaretur ex eo, quod sanguinem Christi in passione fustum divinis honoribus asseruisset indignum; non suum id esse inventum: doctores magni nominis ita in scriptis reliquisset -, produxitque
 20 libros Francisci Maronii ac Richardi et aliorum, qui de sanguine Iesu ea continebant, que a se fuerant predicata.

Crevit hoc facto contentio, et schismata in populo facta sunt. Pars Iacobo ac Minoribus Fratribus, pars inquisitori et Predicatoribus auscultabat, et alteri alteros tanquam hereticos incusabant. Interposuit episcopus loci vices suas, neque sedare tumultum potuit aut inflatas
 25 opinione sui placare mentes. Iacobus, nisi vinceret, labores suos annorum XL, quibus sine intermissione predicando populos instruxerat, cassos fore arbitratur; inquisitor defensionem fidei preteriri non posse aiebat. Res ad Apostolicam Sedem remittitur. Pius consulente Senatu utrique parti silentium imponit, prefectisque ordinum mandat: in termino - qui sepe prorogatus est - doctissimos theologos ad Curiam mittant.

Convenere frequentes Rome in festo Natalis Domini anni M CCCC LXIII, cum iam Pius ex Thuscia redisset. Vocantur in Apostolico Palatio cardinales, episcopi ac divini et humani iuris doctores, quorum maximus aderat in Curia numerus. Iubentur Predicatores ac Minores bis ternos eligere, qui simul congregantes in utranque partem questionis articulum disputantes
 30 invertant. Paritum est. Inter Predicatores precipue disputandi partes Gabrieli Cathalano sunt attribute, inter Minores Francisco Saonensi; uterque philosophus, uterque theologus peritissimus habebatur. [507]

Adventaverat ex gymnasio Parisiensi Vilhelmus quidam nomine, ordine Minor, natione Gallus, quem sui gentiles - omnia supra verum extollentes - in doctrina theologica monarcham et omnium doctorum doctorem appellabant, ac veluti quoddam numen admirabantur, cui theologi Italici generis comparari vix nomen discipulorum mererentur.

5 Tantum Gallia de se ipsa garrat! } Hunc Minores, qui de sanguine disputaret, triumvirum elegere. Ea res virum contemptibilem reddidit, cum nihil diceret auditu dignum. Quemadmodum terre flumina, quantumvis ampla et profunda, nomen amittunt ingressa mare, ita et doctores domi clari et inter suos illustres Romanam adeuntes Curiam inter

10 maiora lumina nomen et lucem amittunt. [Perambulat longissimas provincias tumens Danubius, et vastis implet clamoribus valles; at ubi in Euxinum cecidit, paululumque obstantes reppulit maris aquas, mox victus conticescit, nec auditur amplius.] Pari modo Vilhelmus Galliam et Italiam penetravit gloriosus, Romeque nonnullos deterruit opinione doctrine, tanquam ea dicturus, quae nemo auderet confutare; sed cessit repente doctis Curie viris et criste cecidere superbo, [palamque factum est nec deos nec heroas esse Gallos, nec

15 ullo pacto plus valere, quam homines.] Vix paulo post certamen Vilhelmus morbo correptus obiit Rome; corpus eius Minores in Ara Celi condiderunt. Viri vitam preter tumorem doctrine laudabilem et castam fuisse tradunt.

Disputatio de sanguine tribus diebus in Palatio coram pontifice ac Sacro Senatu cardinalium et reliquorum prelatorum conventu agitata est. Predicatores conclusionem, quam defendere vellent, in hunc modum proposuere:

20

Pretiosum Domini Iesu sanguinem in passione fustum, qui demum ad glorificatum corpus rediit, hyppostatica Verbi unione nunquam fuisse privatum; Minores in triduo passionis cessasse unionem affirmaverunt. Unionem autem 'hyppostaticam' Greco vocabulo consensere omnes 'personalem' appellari Latine debere, quoniam Verbum Dei, secunda in

25 Trinitate persona, caro factum, quamvis Deus esset et homo, duasque naturas pre se ferret, unam tamen personam, non duas gereret, et in una persona totus in suis Deus et totus in nostris homo contineretur, verus Deus et verus homo, perfectus Deus et perfectus homo. Additum quoque a Predicatoribus est, quod non totum Christi sanguinem in passione fustum resurrexisset cum Christo asserturi essent; que res altius indaganda videretur. Idque factum

30 est, ne litteris Pii adversari viderentur, in quis declaraverat Tybure manens assertionem, que aliquid de Christi sanguine in terris proderet remansisse, religioni Christiane non esse contrariam.

Pulchrum et delectabile fuit audire doctissimorum virorum preclara ingenia inter se contendere verbis, et nunc istum nunc illum superiorem cernere. Certavere, ut decuit coram tanta maiestate, non sine modestia ac trepidatione viri religiosi; verum adeo durum et acre certamen habuere, ut media hyeme, cum rigerent omnia gelu, in sudorem resolverentur: tantus erat vincendi ardor. Audiebant attentissime consedentes, nec loquentem interturbare quisquam presumpsit. Predicator primus auditus est, deinde Minor. Succedebant sibi [508]

35

- invicem tresviri, et alacres deficientium partes assumebant. Cum satis dixisse visi sunt Minores et Praedicatorum, facta est potestas reliquis theologis, que vellent, dicere. Tum quoque prelium nobile visum, cum Predicatorum alii, Minorum alii partes tuerentur; precipua vero contentio inter duos episcopos fuit: Torcellanum et Ferrariensem, theologice sapientiae peritissimos. Torcellanus, qui olim cum Minoribus senserat, mutato proposito ad Predicatores defecerat; Ferrariensis Minoribus astipulabatur, et summo conatu sententiam impugnabat Predicatorum. Fuerunt et magistri aliquot inter episcopos et abbates non ignobiles, qui disputationem problematicam affirmaverunt, que posset in utranque partem agitari.
- 10 Non tedeat fortasse lectorem, quibus rationibus quibusve auctoritatibus questionis articulus sit agitatus, agnoscere. Attingemus summos argumentationum locos et partium fundamenta, deinde lectori iudicium relinquemus, donec Sancta Sedes Apostolica decretum apposuerit, nisi iam videatur appositum.
- 15 De sanguine Iesu extra corpus effuso dubitatum est, an Verbi retinuerit unionem. Priusquam funderetur, et postquam resumptus est ad glorificatum corpus, tam Minores quam Praedicatorum unitum fuisse divinitati dominicum sanguinem concesserunt, cum Christus in una persona Deus et homo in Cena dixerit: „*Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur*” -, et hodie in altari sanguis Domini consecratus divinos consequatur honores. De triduo passionis contentio fuit.
- 20 Predicatores, quamvis fundatam haberent intentionem, quoniam unione concessa separationem probare Minores decebat, eam tamen in hunc fere modum fundare ac probare conati sunt. Dixerunt enim Dei Filium aeterno Patri et Spiritui Sancto coaequalem, cum redempturus humanum genus incarnatus atque inhumanatus est, non presubstanti secundum se ipsam carni unitum fuisse, sed inhabitantem in utero Sancte Virginis incircumscrip⁸ in sui ipsius hypostasi ex castis semper virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectuali substituisse, ac nostre masse primitias assumpsisse, Deumque, qui erat natura perfectus, factum fuisse perfectum hominem, et in ipso quidem instanti unionis momento, quando Verbum caro factum est, mox affuisse sanguinem. Affuit enim illa caro, et quidem viva, que sanguine carere non potest, quemadmodum philosophi tradunt, nec dubium, quin simul carnem et sanguinem et ossa et nervos et pellem et cetera, quae sunt hominis, Filius Dei homo factus assumpserit. Qua re satis ostensa tritam illam et apud omnes vulgatam sententiam adduxerunt: quod semel Verbum Dei assumpsit, nunquam dimisit - dicente de unione Verbi et hominis Damasceno: „*Invertibiliter*” - *inquam* -, *inalternaliter, indivisibiliter et inevulsibiliter in duabus naturis*
- 35 *perfecte se habentibus unam hypostasim confitemur Verbi Dei;*” et iterum de ipso Verbo: „*nullam partium nature reliquit, non corpus, non animam, sed corpus et animam rationalem et intellectualem et voluntativam et motivam possidet, et ita ad celos rediit.*” Hoc ipsum et auctoritate Magni Leonis comprobaverunt asserentis: quecumque in unione Verbi Dei et hominis convenerunt, neque separationem [509]

8 Balassi heeft incircumsripte in plaats van incircumscripte

unquam neque finem perpeti potuisse. Sanguinem igitur, qui fuit assumptus a Verbo, et qui illa in unione convenit, nunquam fuisse dimissum, alioquin Filius Dei sine sanguine ad celos ascendisset, quod nefas est opinari. Exin multa Sacri Eloquii testimonia produxerunt, que sanguinem Christi humane redemptionis pretium fuisse commemorant, et quidem

5 fusum, atque ipsi sanguini ea tribuunt, que divinitati conveniunt: ut est peccata delere, mundare conscientias, Ecclesiam Dei acquirere, vetus Aadae piaculum detergere, vitam nobis in Deo prestare, Evangelium sanctificare et in hunc modum plura. Ait enim in Evangelio Dominus: „*Sanguis meus vere est potus*” - nec adiecit: „*in corpore clausus*”. Simpliciter ait: „*sanguis meus*”, quasi omne tempus respiciens, in quo suus posset sacramentaliter percipi

10 sanguis. Et Petrus in epistola dicit: „*Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana conversatione paterne traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi Iesu*”. Et loquitur de sanguine fuso per comperationem ad agnum immaculatum, qui fuerat in Veteri Testamento figura Salvatoris, et cuius sanguis effundebatur; non fuisset dignum pretium sanguis Christi effusus a divinitate relictus. Et Paulus ad Hebreos scribit: „*Si enim sanguis hyrcorum et taurorum et cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem⁹ carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi!*” Sanguinem Christi hyrcorum et taurorum sanguini comperat, fusum fuso, et prefert Christi propter unionem Verbi, ut in eodem loco

20 exponit Nicolaus Lyritanus. Idem Paulus in Actibus Apostolorum: „*Attendite*” - inquit - „*vobis et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*” - non 'retento' intellige, sed 'effuso'! Quo in loco scribens Venerabilis Beda: „*Non dubitat*” - ait - Sanctus Paulus „*sanguinem Dei dicere propter unionem persone in duabus naturis Iesu Christi*.” Et Iohannes apostolus in epistola: „*Sanguis*” - inquit - „*Christi emundabit vos ab omni peccato*.” Et rursus Paulus ad Hebreos: „*In sanguine*” - inquit - „*mundantur omnia, et sine sanguine non fit remissio peccatorum*.” Et Damascenus lignum Crucis adorandum ait propter contactum corporis et sanguinis Domini. Et Augustinus contra Faustum: „*Nostra emendatio*” - inquit - „*et Dei propitiatio sine sanguine nulla est*”, nec dubitat Christum dicere pro nostra redemptione sanguinem suum fudisse, et librum Evangelii eo sanguine sanctificasse, id est confirmasse. Et Leo in sermone de Passione: „*Sanguis*” - inquit - „*Immaculati Agni antique prevaricationis peccata delevit*”; et alibi: „*Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis sui complevit oblatio*”; et amplius: „*Sanguis unius iusti, quem nobis donavit, qui eum pro conciliatione mundi credimus fusum, hoc contulit patribus, qui similiter credidere fundendum*.” Et alia in hunc modum

35 testimonia quam plurima in medium sunt adducta cum Sacro ex Canone tum ex dictis sanctorum virorum, quos Romana veneratur Ecclesia. Quod si ea facere sanguis Domini fusus ostenditur, que divinitati conveniunt, non est, cur dicere liceat ab effuso sanguine divinitatem abiisse. Huc et figuras [510]

traxere Veteris Testamenti, quae per sanguinem agni fusum et vitulorum et hyrcorum fundendum Christi sanguinem presignabant, et tum primum vim purgativam conservativamque inesse sanguini ostendebant, cum erat sparsus. Ipso enim et postes et altaria liniebant, neque sine illo audebat summus sacerdos Sancta Sanctorum ingredi.

5 Coaptanda est figurato figura, et cum apostolo concludendum plus valere Christi sanguinem extra corpus, quam illorum animalium, atque adeo valere, ut ipse fuerit, qui Sancta Sanctorum purgaverit et alia fecerit, quae animalium sanguini Scriptura Vetus attribuit, et tandem nos in Cruce fusus ab hoste redemerit. Ad quam rem pulcherrimam Iohannis Chrisostomi super Iohannem introducta est auctoritas in hunc modum: „*Hic sanguis effusus universum abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebreos prosecutus est; hic sanguis adita et Sancta Sanctorum purgabat. Quod si eius figura tantam habuit vim in templo Hebreorum in media Aegypto liminibus aspersus, longe magis Veritas. Hic sanguis aureum altare sanctificavit; sine hoc princeps sacerdotum in penetralia ingredi non audebat; hic sanguis sacerdotes faciebat; hic in figura peccata purgabat*“, que sine Verbi coniunctione haudquaquam potuisset efficere. Inventa est Divi Bernardi auctoritas, qui unam guttam sparsi sanguinis Domini Salvatoris ad redimendum genus humanum suffecturam fuisse testatur. Idem affirmat Clemens pontifex maximus in epistola, quam edidit exhortatoriam, ut Christiani principes pro tuenda religione adversus infideles arma sumerent - quam et Nicolaus Quintus in suis litteris inseruit -, et addidit rationem Clemens:

10 propter unionem Verbi, que vim sanguini dedit.

Cumque omnium doctorum sententia sit sanguinem Christi tanquam nostre redemptionis pretium non diabolo - ut quidam stultissime putaverunt -, sed Deo Patri atque ipsi Trinitati fuisse traditum, alienum a nostra religione, absurdum atque impium videri debet Dei sanguinem Deo datum Dei esse desinere, et pretium ipsum in ipsa traditione vilescere, ac si

25 aurum creditori numeratum convertatur in cuprum. Damnarent homines hoc inter homines fieri - et nos hanc deceptionem apud Divinissimam Trinitatem admittemus, et Deum sibi ipsi concedemus illudere? Cur preterea nobilissimus Christi sanguis iam semel divinitatis unione donatus tanto privetur dono, cum dicat apostolus sine poenitentia esse dona Dei, quoniam sine culpa non amittuntur eius, cui donantur? Et que culpa fuit sanguinis? Nulla equidem!

30 Ut obediret Trinitati, et quod erat constitutum ab initio, fieret: de corpore missus fluxit in terram. Non est obedientia plectenda, sed premio prosequenda. Et anima, que semel Deo per beatitudinem unita est, nunquam dissociatur dicente in *Apocalipsi* Iohanne: „*Foras nunquam egredietur.*“ Non tam solida illa est unio, quam Verbi et sanguinis; et illam dissolvi nolumus, hanc dissolutam asserimus?

35 Ut quid insuper seperatio brevis temporis, cum paulo post iterum uniri deberet? Unam Verbi et hominis unionem factam esse, non duas legimus. Quo pacto cum sanguine bis unitum dicimus Verbum? Que ratio suadet, quae utilitas? Instituit Dominus Sacramentum Altaris in Ultima Cena, ut esset passionis sue memoriale perpetuum, et sanguinem seorsum a corpore conficiendum [511]

docuit, quoniam in triduo passionis sanguis fuit a corpore seperatus. Si fuisset tunc divinitate privatus, non meruisset in Altaris Sacramento representari, quia vilior fuisset ipso representante, nec ratio suadet eius rei pro eo tempore memoriam fieri, quo divinitatem perdiderat, et nullam - ut adversarii volunt - ad salutem humani generis vim obtinebat. Quid, si Iacobus apostolus, quem ferunt missam ordinasse, in triduo passionis celebrasset? An purum hominis sanguinem, et non Dei confecisset? Dicent adversarii sine Deo sanguinem esse in calice, quia sine Deo iacebat in terra. At opinioni huic non quadrat evangelica lectio, in qua Christus loquens Deus et homo sanguinem suum dicit. Non erat suus, si non erat Dei. Quod si nondum toto effuso sanguine, nondum aperto Christi latere celebratio intercessisset, dicendum esset in calice sanguinem pro parte coniunctum divinitati contineri, pro parte disiunctum, si Minoribus auscultetur, qui sanguinem in corpore retentum semper unitum, a corpore seperatum semper a Verbo disiunctum tradunt. Nec dubium est, quin totus Christi sanguis in calicem perfluxisset. Que res multas secum afferunt ineptias pro Minorum opinione recensite. Oportuisset quoque sanguinem in triduo divinitate privatum propriam hyppostasim habuisse, que postea fuerit anihilata unionis reditu. Quod tamen ab initio incarnationis Filius Dei abhorruit, qui ne vel due hyppostases in Christo dici possent, vel aliquam hyppostasim destruere oporteret, ipse carni factus est hyppostasis, et in eodem temporis momento simul caro, simul Verbi Dei caro, simul caro animata et rationalis creata est, quemadmodum ex Leone, Damasceno et aliis auctoribus licet accipere. Sicut igitur corpus Domini ab anima seperatum in ipsa Verbi conquievit hypostasi, ita et sanguis ab ipso corpore disiunctus. Faciunt ad hoc Salvatoris verba, qui ubique parem sanguinis et corporis rationem videtur habere dicens: „*Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*” - et: „*Nisi manducaveritis carnem Filii Homini et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*” Propter quod in Cena sua corpus pariter et sanguinem suis discipulis ministravit, et utriusque commemorationem fieri mandavit. Similiter et in epistolis Paulus apostolus sanguinem Domini cum corpore aequa lance pensitat: „*Reus erit*” - inquit - „*corporis et sanguinis Domini*” - et plura in hunc modum.

Impia igitur eorum vox est et ab Ecclesia repellenda, qui corpus in sepulchro iacens Domini Salvatoris divinitati unitum asserunt, sanguinem eius in terra fusum a divinitate seperatum affirmant. Nam que caritas, que pietas, que humanitas patitur sanguinem, qui modo in sinu divinitatis confovebatur, et unum erat cum Verbo suppositum et una persona, sine culpa, sine causa relinquere, et a se abiicere, ac bene merenti contumeliam inferre? Non sunt haec de Deo putanda, quem pium predicamus et iustum atque omnis iniquitatis osorem. „*Meus est sanguis*” - inquiunt reges -, „*noli tangere!*” Quantum memoria hominum supputare valet, et recta linea et transversali, (et) in sexu virili et in feminis longe remotis familie nobiles sanguinem suum honorant, atque inviolabilem fore cupiunt. Quanto cum favore Virgilianum illud in [512]

5 conspectu Augusti recitatum est de Marcello, sororis filio: „*Sanguis meus*”; tam procul suum sanguinem commendat Anchises. Quid viros commemoramus illustres? Plebei et agrestes homines sine litteris, sine legibus, duce tantum natura vitam agentes, quotiens iniuria generi est illata: „*Noster*” - inquiunt - „*lesus est sanguis*”; et si vulnus aut mors intervenit: „*Nostrum*” - inquiunt - „*sanguinem effuderunt*” -, nec dubitant sanguinem pro sanguine ponere. Commune omnibus est hominibus propinqui sanguinem in terra iacentem colligere atque in sepulchro recondere. „*Posuerunt*” - inquit Psalmista - „*morticina servorum tuorum escas volatilibus celi, carnes sanctorum tuorum bestiis terre; effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, et non erat, qui sepeliret*”;
10 inhonestationem sanguinis et carnum aequae deplorat. Tanti mortales suum sanguinem estimant - et nos pius ac misericordem Deum contempsisse suum dicemus et eum reliquisse in terra iacentem, quoniam de corpore iussus exierit?

15 Timenda est Beati Pauli sententia, quae ad Hebreos scribitur hoc modo: „*Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum dixerit?*” Pollutum videtur sanguinem dicere Salvatoris, qui iacentem in terra divinitate privatum fuisse contendit. Corruptus fuisset illico sanguis divinitate privatus adversus Daviticam sententiam, quae ait: „*Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*”; et iterum: „*Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*” Ac si dicat
20 Salvator Dominus ut homo: „*Quid proderit humano generi sanguis meus, si postquam illum effudero, reliqueris eum, Deus, et putrescere atque corrumpi permiseris?*” Vanum hoc et impium, non ergo factum, quia nihil inutile, nihil impium Deo placet. Conservavit Filius Dei sua presentia et hypostatica unione sanguinem suum in triduo passionis ab omni corruptione, et tertia deinde luce in glorificato corpore resumpsit, et cum illo demum celos
25 ascendit, et ad dexteram Patris sedet in secula gloriosus.

His rationibus Predicatores suam sententiam firmavere, cui et Thomam Aquinatem, virum sanctum, et Albertum Magnum et Nicolaum Lyritanum et Iohannem Neapolitanum astipulari dixerunt eorum verba recensentes. Adductus est et liber quidam Nicolai Americi, quem vocant *Directorium de officio inquisitoris*; in quo scriptum est apud Barchinonam in ecclesiis predicatum fuisse in triduo passionis Domini sanguinem in terra iacentem indignum latria; quod dictum tanquam erroneum et hereticum Clemens Sextus corrigi atque damnari mandaverit. De qua re producta sunt demum publica documenta, cum Pius esset in Tybure.

Minorum assertio hunc fere modum habuit:
35 „*Quae latent in archanis Dei, et ab illius supreme potestatis voluntate dependent, nemini licet affirmare aut negare preter ea, quae Sacris in Eloquiis divinitus sunt expressa. Unitas sanguinis a Christi corpore seperati cum Verbo ex Dei voluntate dependet, et in archanis eius latet, Sacro Canone nihil de hoc dicente; non est igitur* [513]

asserenda. Divinitas preterea sanguini in corpore Christi existenti mediante ipso corpore fuit unita, quod nemo negat; cessavit igitur unio dimisso corpore, quod erat unionis medium. Amplius: si quid duabus rebus unitur, alteri principaliter, alteri per consequentiam; seperato principali ab eo, quod per consequentiam unionem recepit, 5 seperabitur pariter et unitum. Nec dubium est, quin sanguini dominico Verbum divinum non principaliter, sed per concomitantiam quandam fuerit unitum, atque iccirco seperatum a corpore sanguinem unionis gloriam perdidisse. Ea insuper a se invicem seperata unionem retinere fas fuit, que ordinem servaverunt ad humanam naturam, cui facta fuit unio Verbi, quia remansit in illis assumptibilitas, ut in unum redirent. Sanguis hoc ordine 10 caruit ad humanam naturam minime pertinens, non ergo retinuit unionem.

Quod autem sanguis ad humanam naturam non pertineat, multis rationibus ostenditur. Cum dicitur aliquid de veritate cuiuspiam rei esse, perinde est, ac si dicatur ad essentiam illius pertinere; sine his, quae sunt de rei essentia, res ipsa stare non potest. At humana natura sine sanguine consistit saltem ad breve tempus; non est igitur sanguis de veritate 15 vel de essentia humane nature. Constat enim hembrionem in ventre materno prius animari, id est hominem fieri, quam sanguis introducatur; quoniam hembrio, cum factus est caro et habet membra principalia et spermatica completa, mox rationalem et intellectivam consequitur animam, que vitam tribuit, et tunc statim sanguis non adest, quem generari oportet ab epate ex alimentis forinsecus accipiendis; quod generato iam 20 homine et sensato iam corpore per successum temporis fieri necesse est. Ergo pro eo temporis spatio quamvis brevissimo humana natura, id est homo, sine sanguine fuit; quod erat impossibile, si de hominis veritate vel essentia sanguis fuisset. Si quis neget sanguinem ab epate produci ex materia deforis accepta, philosophorum auctoritati contradixerit et presertim Aristotelis. Invenitur et decretalis Innocentii, que differre ab elementis humores 25 tradit, et illis componi corpus humanum, his vegetari attestatur. Unde apparet sanguinem, qui humor est, non esse de his, quae corpus humanum constituunt, nec partem humani corporis, et consequenter ad humanam non pertinere naturam, que ex anima constituitur et corpore.

Sensit et Albertus Magnus in libro De generatione primo sanguinem non esse humani corporis partem, qui longo sermone partes hominis diffiniens nunquam meminit eius. Quod si esset pars hominis sanguis, et ad veritatem humane naturae pertineret, esset utique animatus. Anima caret, non est igitur de veritate hominis. Inanimatum esse sanguinem inde cognoscimus, quia nullam operationem aut actum exercet animate rei: non nutritur, non sentit, non vivit, non aegritudinem patitur, non igitur animatus; his enim precipue 35 signis sese indicat anima. Quod si non est animatus sanguis, profecto nec pars hominis est, quia nihil est in homine non animatum. Minime ergo per se unitus Verbo sanguis fuit, sed per corpus, in quo erat; quo dimisso et Verbi unionem dimisit. Quod si retinisset unionem, haudquaquam fuisset corruptus, sed ubique gentium conservatus sine corruptione perseverasset, et cultu latrue fuisset adorandus. Ostenditur autem in Laterano, Venetiis, 40 Mantuae et in aliis plerisque locis incineratus atque corruptus: non ergo retinuit unionem. [514]

Amplius, si datur unitas divinitatis et sanguinis in triduo passionis, necesse est et
 idiomata communicari, id est proprietates sanguinis Christo attribuire. Sicut enim
 Christum sepultum dicimus et ad inferos descendisse, quamvis solum corpus fuerit
 sepultum, et anima sola descenderit ad inferos, quia divinitas neque a corpore neque ab
 5 anima recessit: ita dicere oporteret Christum effusum aut sparsum propter sanguinem, qui
 fuit effusus et sparsus; quod nemo aut dixit unquam aut dicere temptavit, quoniam non
 mansit unitas cum sanguine. Ad hoc clarissimorum auctoritates doctorum accedunt, et
 primo Iohannis Damasceni, cuius hec sunt verba de Christo loquentis: »Etsi mortuus sit ut
 10 homo, et sancta eius anima ab incontaminato divisa sit corpore, deitas tamen ab utrisque
 inseparabilis permansit; et additur: »ab anima scilicet et corpore aio.« Nihil ille de
 sanguine contestatus est, nec nos decet attestari. Ipse enim precipuus auctor est, a quo
 ceteri doctores inseparabilitatem unitatis acceperunt. Propter quod eius potissime verbis
 inherendum est, nec dicendum, quod ille non dixit.

Adducitur et Bonaventura, Ordinis Minorum professor, qui tandem Romane Ecclesie
 cardinalatum obtinuit. Is sententiam illam, quae asserit nihil a Verbo dimissum, quod
 semel assumpserit, veram esse ait ad principia nature relatam, non ad coassumpta.
 Principia vero nature anima sunt et corpus vel partes essentielles hominis, inter quas
 15 sanguis non continetur, ut monstratum est; dimissus igitur fuit.

Sequitur et Riccardus, cui Mediam Villam dicunt fuisse patriam. Is asserit Christi pedem,
 20 si fuisset a corpore separatus, unitatem divinitatis retenturum fuisse et cultu latræ dignum;
 sanguinem vero, quia non sit de corporis essentia, ab eo separatum non mereri latræ.
 Cum his et Scotus concurrat, qui propter acumen ingenii Doctor Subtilis appellatur. Eius
 hec sunt verba: »Cum dicitur assumptum a Verbo nunquam fuisse dimissum, de
 principatibus partibus corporis debet intelligi, quae concurrunt ad perfectionem hominis,
 25 cuiusmodi sunt etherogenee, ut cor, caput, manus; et de his loquitur Damascenus.«
 Franciscus vero Maronius, cuius est non contemnenda doctrina, in quarto Sententiarum et
 in pluribus sermonibus suis non obscure aut perplexe sive implicite, sed aperte, verbis
 clarissimis attestatus est separatam fuisse divinitatem a toto Christi sanguine in triduo
 passionis effuso. - Non est credibile tam illustris doctrinae viros in tanto errasse negotio!
 30 Neque nobis adversa est Damasceni aut Leonis sententia, quae soliditatem unionis adducit,
 neque vult aliquid esse dimissum, quod semel fuit assumptum. Absurda enim est et aliena a
 vero simpliciter intellecta et minime commentata. Assumpsit humanitatem divinitas et
 dimisit, quoniam in triduo Christus non fuit homo; assumpsit mortalitatem et dimisit in
 resurrectione: factus est immortalis; assumpsit passibilitatem et dimisit: factus est
 35 impassibilis; assumpsit omnia, quae sunt hominis preter ignorantiam et peccatum, nec
 tamen omnia perpetuo retinuit. Si staret sententia, pellicula preputii, quae ostenditur in
 Laterano, adhuc esset unita Verbo. Amputati ungues Domini sive capilli, rasi pili, sputa et
 sudores et sanguis sua sponte de naribus effluens, et quicquid ex corpore Christi cecidisset,
 40 in unione Verbi perpetuo permansisset; quod nefas est dicere. Oportet igitur sententiam
 illam late patentem restringere, vel - sicut Bonaventura dicit - ad principia nature, id est
 animam et corpus, non ad coassumpta, vel - sicut Scotus interpretatur - ad principales
 corporis partes, quae concurrunt ad perfectionem hominis, cuiusmodi sunt etherogenee
 [515]

- ut cor, caput, manus -, ut evitemus absurditates, que sine commento passim irrepunt. Nec rursus illud magni facimus, quod auctoritates admodum multe - tum doctorum antiquorum tum Sacri Canonis - afferuntur divinas proprietates sanguini vel fuso tribuentes, quod abluere peccata dicatur et nostre redemptionis pretium. Cuncta enim,

5 quae de sanguine dicuntur, ad vitam Christi mortemque referuntur. Ait enim apostolus: »Christus pro nobis mortuus est«, et »cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.« Et Augustinus: »Nihil« - inquit - »invenit diabolus in Christo, ut moreretur, sed pro voluntate Patris mori Christus voluit non habens causam mortis, sed obedientia et iustitia mortem gustavit, per quam nos redemit a servitute diaboli.« Et

10 Magister Sententiarum per sanguinem, quo nos redemptos in epistola Petrus affirmat, mortem Domini significari intelligit dicens: "Reconciliavit enim nos Trinitati per mortem, ut Petrus ait, non corruptibilibus auro et argento« et reliqua, preciosum sanguinem pro morte accipiens, quam pretiosam dicere licet, quia per eam Christus solvit pretium, dans vitam suam pro suis ovibus, ut est illud evangelicum: »Bonus pastor ponit animam suam

15 pro suis ovibus.« Et in hunc modum quaecunque de sanguine Iesu dicuntur, ad mortem eius vel ad vitam trahenda sunt. Nec putandum est, quod sanguis fuerit pretium humani generis, quia indignum fuisset pretium pro animato anima carens. Reperimus easdem proprietates, que sanguini tribuuntur, Cruci attributas esse, nec propterea dicimus unitam Verbo fuisse Crucem. Potuisset et genus humanum sine sanguine redimi, si Filius Dei

20 retento sanguine pro nobis animam posuisset. Non est igitur necesse dicere effuso sanguini unitam mansisse divinitatem. - Nec movemur, quod in triduo passionis si quis celebrasset, divinitatem in sanguine non reperisset; quoniam nemo legitur celebrasse, neque divinitas ibi non affuisset propter sanguinem, qui remansit in corpore, neque iccirco inutilis est memoria sanguinis Domini, quamvis in triduo fuerit divinitate nudatus. Iuvat enim

25 meminisse abiectiois et confusionis sue, quas pro nostra salute pertulit, neque prorsus inconveniens est digniora representare viliora. Rursus nec cure nobis est, que fuerit sanguinis hypostasis extra corpus manentis, dum reversum ad corpus in Christi dicamus hypostasi conquiescere, quae una semper fuit, nunquam plures."

His argumentationibus Minores usi sunt, ut Christi sanguinem in triduo passionis

30 divinitate privatum ostenderent, asserentes propterea divinitati Salvatoris nihil ignominie aut contumelie irrogari, cuius mors tanto gloriosior fuit, quanto contemptibilior. - Non tacuere his auditis Predicatores, sed haec addidere repente:

„Quamvis Christi sanguinem in passione fustum unionem Verbi retinuisse in Sacris Eloquiis non reperitur explicite, implicite tamen et in Veteri Lege et in Nova licet invenire,

35 cum sanguini tribuuntur ea, que sunt divinitatis. Multa declaravit Ecclesia, quae in Sacris Eloquiis non erant expressa. Dicunt Minores nos sine canone loqui. Dicimus adversario: »Medice, cura te ipsum!« In emittentem sagitta revertitur, et suo gladio vulneratur hostis. Fatetur adversarius unitum Verbo sanguinem fuisse, priusquam funderetur; hoc amplectimur. Fustum dicit unionem amisisse; hoc negamus. Separationem ponit,

40 separationem doceat! Non docet: victus est. Sed ait amoto medio, quo duo coniunguntur extrema, coniunctionem ipsam cessare oportere; et quoniam [516]

mediante corpore sanguini fuit unitum Verbum, seperato sanguine a corpore necesse fuit et Verbum a sanguine seperari. Facile reiicitur hec sagitta. Doctores duplex coniunctionis medium inducunt: alterum necessitatis, alterum congruitatis. Quod dicitur de cessatione coniunctionis relicto medio, verum esse aiunt in medio necessario, secus in congruo.

5 *Alioquin in corpore Christi ab anima seperato necessario cessasset unio Verbi, cui - ut Damascenus ait - mediante anima fuerat unitum.*

At cessasse divinitatis unionem in corpore nemo presumpserit dicere. Sicut in corpore, ita in sanguine licet argumentari. Non quiescit adversarius: »Principaliter«

10 *- inquit - »corpori facta est unio Verbi, sanguini per consequentiam, quoniam erat in corpore; extra corpus igitur unionem perdidit.« Nos et anime et corpori et sanguini et ossibus et nervis et reliquis, que sunt de substantia hominis, una unione et principali unitam divinitatem dicimus. Quod si principaliter anime simul et corpori unionem concedamus, alia vero minus principaliter et per quandam sequelam unita fateamur, dicemus de sanguine, quod de carne, ossibus ac nervis, itemque de manibus et pedibus et*
15 *reliquis membris, que unito corpore unionem consequuntur. At si pes Christi aut manus aut alterum membrum fuisset in eius passione a corpore seperatum, non tamen unionem perdidisset - ut ipsi etiam seperationis auctores fatentur -, idem et nos de sanguine dicimus. Querimus: quare in pedibus ac manibus hoc dicant? Respondent: quoniam remansisset in*
20 *illis a reliquo corpore seperatis ordo ad humanam naturam et - ut ipsi dicunt - assumptibilitas. Hoc ipsum in sanguine reperimus, qui [ad glorificatum corpus resumptus est]. Quomodo enim in eo non remansisset assumptibilitas, quem constat fuisse resumptum?*

Repetamus adversantium verba: »In his, quae non habuerunt ordinem ad humanam naturam, abinvicem seperatis non remansit assumptibilitas, ideo nec unionem retinere. Sanguis non habuit hunc ordinem, non ergo remansit in eo assumptibilitas, nec unionem retinuit.« - Mutemus argumenti formam, et revincamus adversarium suo iaculo! Ubique remansit assumptibilitas ad humanam naturam, ibi et ordo ad eam fuit, cui facta est unio. In sanguine Christi remansit assumptibilitas, quia resumptus est; igitur et ordo remansit ad humanam naturam, nec cessavit unio.

30 *Tota vis disputationis huius articuli huc tendit: an sanguis humanus sit de veritate humanae nature. Adversarius hoc negat, et multis utitur argumentationibus, in quibus nonnunquam sibi ipsi contrarius est. Fatetur sanguini unitum fuisse Verbum, dum erat in corpore. Dicit nulli rei unionem concedi, quae non sit de veritate humane nature, et hanc sanguini negat. Quomodo fuit unitus Verbo sanguis, si non fuit de veritate hominis?*
35 *Assertionem assertio tollit: ponit et negat adversarius, et suo se vulnerat ense. Pergit, et ait unitum fuisse sanguini Verbum, at non principaliter neque per se, sed per quandam consequentiam, cum esset in corpore divinitati unitus. Si non erat sanguis de veritate humane naturae neque pars corporis humani, quae ursit consequentia unito corpore uniri sanguinem? An quia erat in corpore, iccirco unitus est? Pudet hoc dicere. Ad retrimenta superfluitatesque corporis liceret hoc modo progredi, quod absurdum est ac prorsus alienum.*

40 *Non est sufficiens unionis causa Verbi et sanguinis, quia sanguis erat in corpore. Aut igitur sanguis unitus est, quia de veritate fuit humane nature, aut ob aliam [517]*

causam. Si fuit de veritate, habemus, quod volumus, et reiecta sunt hostilia tela. Si propter aliam causam, ostendere oportet, quaenam fuerit illa causa; quam cum nesciat adversarius deducere, remanet veritas humane nature in sanguine. Quod si forte causa deducatur altera, non cessabit unio Verbi et sanguinis, nisi et illa cessante, quamvis sanguis fuerit a corpore seperatus.

5 Sed prosequamur naturam sanguinis: an humana sit? Concedimus nulli rei unitum Verbum, quod non esset de veritate hominis, quoniam humanatum Verbum legimus, non saxificatum aut herbificatum, et hominem factum, non brutum aliquod animal. Negatur ad
10 essentiam hominis pertinere sanguinem, quia possit homo sine sanguine vivere, quamvis tempore brevi. Si hoc licet asserere, neque pes neque manus ad veritatem humane naturae pertinebunt, sine quibus non brevi temporis spatio, sed aevo longissimo licet homini vitam degere. - Dicent Minores hominem quidem esse his carentem membris, sed minime integrum. Nos quoque exanguem hominem imperfectum dicemus et mancum, et amplius adiiciemus, quoniam diu vivere non possit, immo vero neque ullo modo vivere; quamvis
15 enim epar - ut dictum est - generativum sanguinis existat, ac de foris materiam expectet, non tamen iccirco sequitur in ipsa hominis constitutione nullum affuisse sanguinem cum ipso simul epate cordeque et aliis membris generatum, cum et ipsum epar - ut Macrobius ex mente antiquorum philosophorum scribit - nil aliud sit, quam sanguis concretus. Fatemur epati datam esse a natura vim generandi ulterius et supplendi sanguinem, qui deperit,
20 verum ab initio vitalem sanguinem ab ipsa natura productum aimus; nam cum ex sanguine menstruo carnes et ossa et omnis compago corporis et cor et ipsum epar generetur, quid prohibet tum quoque et sanguinem aliquem in homine generari? Menstruus mulieris sanguis et in carnem convertitur novi fetus et sanguinem; et quia successu temporis sanguis ille consumitur atque resolvitur, et pars in membra convertitur,
25 providit natura, ut epar ex cibis novum in dies sanguinem generaret, cibos autem de foris acciperet. Non est verum hominem sine sanguine vel parvo temporis momento vivere posse; verius est, quod Aristoteles ait: nullum animal sine sanguine vitam agere. Nec nobis Decretalis adversa est, quae corpus humanum elementis constare dicit, humoribus vegetari. Longinquam enim constitutionem corporis commemorat, et quae fit ex materia transeunte, nec negat ex humoribus constitui corpus, quamvis vegetationem illis attribuit, cum et humores ipsi ex elementis constituentur pariter ac reliquum corpus. At cum
30 Decretalis Iohannis apostoli in epistola verba recenseat dicentis: »Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis«, partem nostram defendit, per hec asserens apostolum ostendere voluisse, quod Christus sit verus homo, et ad probandam veritatem humanitatis Spiritum, aquam et sanguinem adduxisse. Non probaretur per sanguinem vera humanitas, nisi et sanguis ipse ad humanitatis veritatem pertineret. (Dicetur hac ratione et aquam, quae de corpore Iesu defluxit, ad veritatem hominis pertinuisse. Concedimus eo modo, quo phisici in cassula cordis humani asservari aquam tradunt.) Est igitur sanguis inter partes hominis necessario computandus; neque movemur
40 auctoritate Alberti, qui eum pretermisit, cum aliquando »bonus dormitet Homerus.« [518]

Averrois, inter philosophos clarus et Alberto maior et antiquior membra hominis bipartitur, et alia simplicia ponit alia composita, et inter simplicia collocat sanguinem, cuius officium sit deferendi spiritus in humano corpore. Ferunt et Avicennam inter membra hominis sanguinem posuisse, cuius inter medicos precipua est auctoritas. Nec verum est,

5 quod Minores asserunt: sanguinem non habere actionem animate rei; ducit enim spiritus in corde generatos ad reliqua membra. Et in Levitico legimus, quod anima omnis carnis est in sanguine; quo in loco Augustinus comentator ait: »Aliquid vitale esse in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur, et per omnes venas corporis diffunditur.« Et

10 Averrois ex Galieno colligit aliquem in animali sanguinem esse vitalem. Vivit ergo sanguis, vivit et nutritur. Quomodo enim viveret, si nutrimento careret? Nec propterea licet dicere non nutriri, quia non accipit in poris nutrimentum, sicut cetera, que nutriuntur; quoniam nutritionis plures esse modi queunt. Et Augustinus in libro Musice sexto dicit unguis et capillos, dum secantur, non sentire; non quia ista in nobis non vivant - aliter autem non continuaretur aut crescerent, aut etiam vitam suam et semina ista propria monstrarent ,

15 sed quia minus libero aere penetrantur, quam ut motus possit ab illo fieri. Si vivunt capilli et unguis, ergo et nutriuntur, quoquo tandem modo nutriantur. Idem par est de sanguine dicere, nec obstat, quod nutrimentum dicitur esse viventis. Potest enim et in se vivere, et aliud nutrire, quemadmodum caro nostra vivit, et vermiculos, qua corrumpitur, alit. Nec iccirco inanimatus dicendus est sanguis, quia non sentit, quando et ossa et cerebrum carere

20 sensu tactus philosophi tradunt. Nec verum est, quod aegrotare sanguinem negant, quia dum vergit ad corruptionem, aegrotat, et vulgo dicimus vivum sanguinem et mortuum; ad mortem per aegritudinem pervenitur. Mors sanguinis corruptio eius est.

Nihil igitur argumentationis afferunt Minores, quod sanguinem de veritate humanae nature non esse ostendant. Docendum est, quod illi dedocent, id est: sanguinem ad veritatem humane nature pertinere. Ad quam rem necessarium est inquirere, quid sit veritas humane nature. Beatus Thomas in septimo Quolibeto Avicenne testimonium affert: veritatem cuiusque rei nihil aliud esse, quam proprietatem sui esse, quod stabilitum est ei. Illud enim dicitur verum aurum, quod ad terminos a natura sibi stabilitos pervenit; similiter et vera esse humana natura dicitur, que terminos suos et suas consecuta est

25 proprietates.

Obscura haec, apertius profari libet! Natura humana specifica est hominis forma, discreta ab alia quacunque natura, quoniam humana natura non est divina aut angelica, neque lupina aut canina, neque alicuius bruti animalis aut plantarum aut lapidea: humana est, quia hominis est, ex anima et corpore constituta et singulis quibusque partibus ad

35 perfectionem hominis pertinentibus; et participat cum Deo et angelis intelligendo, cum brutis animalibus sentiendo, cum plantis vegetando, cum lapidibus tantum essendo. Et competit huic nature singularis forma ab aliis naturis seperata, quia nullum est animal homini per omnia simile. Ad hanc naturam constituendam, ut integra sit et perfecta, multa concurrunt: non anima solum et corpus, sed anima humana - id est rationalis et

40 intellectiva - et corpus humanum, id (est) humanam effigiem habens, que per caput, manus, pedes et cetera membra insinuat. Nec est [519]

humanum corpus sine capillis et unguibus atque aliis pilis; monstrum, non hominem diceremus, si quis ad aetatem XXX-ta annorum sine pilis et unguibus pervenisset, quia non attigisset terminos a natura sibi constitutos, quae illa in aetate barbam requirit; ungues vero mox, ut est natus homo, per se fert. Monstruosior autem seu puer seu vir existimaretur sine sanguine - si posset homo sine sanguine vivere - pallore deformis et macie, venis languidis et omni carne rugosa et propemodum tabefacta. Quaecunque autem hominem ad verum hominis statum perducunt, ea sunt de veritate hominis. Perducit procul dubio sanguis, immo sine sanguine natura non persistit humana; de veritate igitur eius censendus est.

5
10
15
20
25
Dicet aliquis hec nostra inventa esse, et sine auctoritate decurrere doctrine veteris. Ab aliis haec accepimus! Augustinus in Questionibus super Exodum substantiam Christi, id est humanam eius naturam, ex carne et pellibus et sanguine intimatam dixit. Beati Leonis ad Flavianum haec verba legimus: »Integra veri hominis perfectaue natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quae in nobis ab initio Creator condidit, et que reparanda suscepit.« Continet igitur humana natura omnia, que ab initio Creator in nobis condidit. Sanguinem condidit in nobis, ut ostensum est: ad nostram igitur, id est humanam naturam et eius veritatem pertinet sanguis. Si hoc negetur, aliud, quod iam concessum est, non negabitur: sanguinem scilicet, ut repararetur in nobis, fuisse a Deo susceptum; quando iam reparatus est, et in celum cum glorioso corpore translatus. Quicquid vero reparandum in nobis Deus suscepit, ad nostram naturam pertinere Magnus affirmat Leo; ergo et sanguis pertinet non minus, quam caro. Cum vellet enim Leo Christum verum esse Deum et verum hominem ostendere: »Totus« - inquit - »in suis et totus in nostris«. Cum dixit 'nostra', humanitatem significavit; divinitatem, cum dixit 'sua'. Et ad humanitatis veritatem cuncta retulit, que in nobis ab initio Conditor condidit, et que reparanda suscepit. Condidit sanguinem et reparandum suscepit; noster igitur sanguis fuit, id est ad naturam nostram et eius veritatem pertinuit.

30
35
40
In hanc sententiam et doctor Aquinas inclinat in quarto Sententiarum libro, qui hominem microcosmon, id est 'parvum mundum' esse ait, et maioris mundi similitudinem gerere; et ita se habere humores in corpore humano, quemadmodum se habent elementa in universo mundo, quae mixta componunt, et inter partes universi numerantur; et in corpore quidem nostro coleram igni, sanguinem aeri, flegma aque, melancholiam terre correspondere, elementa vero in via generationis esse ad corpora mixta, cum sint eorum materia; non tamen adeo, ut semper in corpora mixta transmutentur, aut in transmutatione persistent, sed habere proprias ac determinatas formas, ratione quarum ad perfectionem pertineant universi. Sicut et corpora mixta, eodem modo et humores in homine ad membra se habere, quoniam et proprias retineant formas et officia propria etiam per se ipsos, non corrupti aut in membra transmutati, sicque de perfectione humani corporis esse, quemadmodum partes reliquas, quamvis minorem perfectionem assequantur. Nam et elementa minus perfectas formas habent, quam corpora mixta, et sicut omnes mundi partes non aequaliter, sed secundum (modum) uniuscuiusque perfectionem consequuntur, ita et humores aliquo modo ab anima rationali in homine perfici; non tamen aequae ac membra principalia et partes perfectio [520]

res, quia non sentiunt, sicut neque capilli neque ungues aut ossa. - Haec ex Beato Thoma mutuari licet, cuius aperta sententia est sanguinem ad humanae naturae veritatem pertinere.

5 *Sed quid tantopere contendimus? Diffinita res est. Fatentur omnes divinum Verbum sacratissimo Christi sanguini fuisse unitum, dum erat in corpore. Unionem vero aperte dicunt ad solam humanam naturam pertinere. Consecutus est sanguis unionem, ergo de veritate humanae nature fuit; nec nobis licet occurrere, quod per consequentiam fuerit unitus in corpore clausus. Quocumque enim modo fuit unitus, ad humanitatem pertinuit, quando nulli rei unionem sui permisit Filius Dei, nisi ad humanam pertinenti naturam;*
10 *alioquin potuisset unitum corpus ad res superfluum unionem trahere, quod antea damnavimus.*

Male igitur adversarii propterea sanguinem de Christi corpore fusum divinitatis unionem amisisse contendunt, quia non fuerit de veritate humanae naturae. Fuit enim, et unitatem retinuit. Quanquam etsi concedere aliquis velit ad humanam naturam non pertinere sanguinem, non tamen iccirco concludere licebit divinitatis unionem abesse, quando - ut diximus - de unione constat. Quod si semel fuit unitus, quomodocumque fuit unitus, non est ratio, que urgeat unitatem abiisse in passione post triduum redituram. Alioquin et corpus potuisset in sepulchro a divinitate relinqui, quod omnes negant. Manet enim inconcussa sententia: quod semel assumpsit Verbum, nunquam dimisit.

20 *Nec obstat, quod obiicitur de humanitate, quae assumpta relicta est in triduo, et de mortalitate et de ceteris accidentibus, quia factus homo immortalis, impassibilis et incorruptibilis. Cum dicimus: "quod assumpsit, non dimisit", realem assumptionem et realem dimissionem accipimus: ad substantias refertur, non ad inania nomina et accidentia, quae per se nihil sunt. Cum dicimus: »humanitatem Deus assumpsit«, corpus et animam et omnia, que concurrunt ad humanitatem realiter constituendam, intelligimus, et haec semel assumpta nunquam dimisit Deus. Humanitas ipsa non potest dici relicta, quia desiit esse in triduo; nec relicte sunt passiones humane, quia et ipse desierunt esse. Relictum alterum ab altero dicitur, cum permanet utrunque; atque hoc est, quod Franciscus Maronius ait de Verbo: »Quod semel assumpsit, nunquam dimisit«,*
25 *intelligendum esse remanentibus extremis, quia non dimittitur, quod non remanet.*

Bonaventura, qui veram esse sententiam dixit ad principia nature relatum, non ad coassumpta, non satis [pensiculate] locutus est. Assumpta sunt enim omnia coassumpta, et coassumpta sunt, id est simul assumpta omnia membra hominis. Que si potuissent a Verbo relinqui, falsa esset commentatio Scoti, qui partes etherogeneas dixit non posse relinqui; et similiter Riccardus, qui pedem a corpore seperatum latraria dignum censuit. Sed arbitramur principia nature apud Bonaventuram cuncta complecti, que cum anima et corpore hominem constituunt, coassumpta vero ad accidentia trahi, que tandem desiverunt; nec apparet Bonaventuram de sanguine loqui. - Scoti vero commentatio prorsus damnabilis est, qui partes etherogeneas non potuisse dimitti, homogeneas potuisse dicit. Quo dicto non sanguinem tantum, sed carnem et cutim et nervos et venas et viscera potuisse relinqui videtur astruere; quod pie non patiuntur [521]
35
40

aures. Quis enim dixerit viscera Dei, si fuissent extra corpus emissa, aut ingentes carnis portiones a corpore seperatas divinitate caruisse? Profecto nemo! Quoniam que ratio corporis est, eadem et carnis est, et que carnis, eadem sanguinis. Perseverat ergo auctoritas salva: nihil relictum a Verbo fuisse, quod semel assumpsit.

5 Neque horremus obiectionem de sputo, de sudoribus, de sanguine sua sponte per nares effluente, de crinibus amputatis, de precis unguibus, de reliquis pilis rasis. Nam quod ad sputa attinet, salutifera vis fuit in eis. Nunquam enim spuisse Dominum legimus, quin salutem hominibus attulerit. Quod si aut sudavit, aut sanguinem e naribus emisit, superfluitates ille fuerunt, nec unquam unionem obtinuerunt. De pilis et unguibus amputatis
10 nihil constat, quia nazarenus fuit Iesus, et »novacula non ascendit super caput eius«, et legimus in Evangelio, quod »capillus nostri capitis non peribit«. Quanto magis non peribit capillus Iesu! Si quid defluxit per resolutionem, idem iudicium habet, quod ipsa caro: in specie reservatur unitas divinitatis et in materia, quae remanet, non in ea, que defluit et prorsus annihilatur. Et per hoc obiectioni respondetur, quae fit de preputio Domini sive
15 apud Lateranum sive alibi conservato. Ait enim Bonaventura in quarto Sententiarum pelliculam illam precisam vel non fuisse de carne secundum speciem, sed divina dispensatione parum aliquid secundum materiam, ut daretur nobis in devotionem more reliquiarum, vel aliquid fuisse de veritate, et illud resurrexisse cum Christo, et esse in celo. Nam cum dicimus, quod in resurrectione resumuntur omnia, que sunt de veritate humane
20 nature, intelligitur secundum partes formales, non secundum materiales. Non enim quelibet pars materialis carnis aut sanguinis resurget - quod esset deforme -, sed ille tantum resurget, in quis debita proportio corporis et membrorum continetur; et partes quidem resolute non necessarie non resurgent.

Non destruimus igitur religionem, cum dicimus Salvatorem in sua resurrectione omnia
25 resumpsisse, que fuerunt de veritate humane naturae. Non tollimus religionem de preputio, ubicunque sit conservata in terra eius pellicula seu caruncula execta, sed aimus illic non esse divinitatem coniunctam, cum non sit ibi species aut pars formalis de Christi corpore sumpta. Nec tollimus religionem, cum dicimus sanguinem, qui ostenditur in ecclesia
30 Lateranensi aut in capella regis Franciae aut in ecclesia Sancti Andree Mantue aut apud Minores in Rupella aut Venetiis aut alibi, unionem Verbi non retinere - quod ipsa corruptio manifestat. Non enim negamus sanguinem illum, quem populi colunt, Christi fuisse, sed dicimus aut miraculose apparuisse, aut alias, quam in passione fuisse fustum. Et si fustus in passione fuit, nec rediit ad corpus in resurrectione, non fuisse vitalem sanguinem, sed
35 nutrimentalis superfluam quandam partem, que nunquam obtinuit divinitatis unionem. Thomas enim Aquinas duplicem videtur in Christo Domino sanguinem considerasse: radicalem et nutrimentalem; et radicalem quidem totum fuisse resumptum, nutrimentalem vero eatenus resurrexisse cum Christo, quatenus ad veritatem humane naturae pertinuit, id est quatenus ad proportionem corporis equam fuit necesse. Quod amplius fuit, superfluit
40 quidem, nec habuit ordinem ad humanam naturam, nec remansit in eo assumptibilitas; quamvis in Christo, quo tempore passus est, difficile sit credere aliquid superflui sanguinis inveniri potuisse, cum esset in aetate perfecta et complexio eius vitaque temperatissima.
[522]

Urgent deinde Minores ad idiomata recurrentes. Si datur - inquiunt - in triduo passionis unitas divinitatis et sanguinis, necesse est et idiomata communicari, id est proprietates sanguinis Christo attribuere. Sicut enim Christum sepultum dicimus et ad inferos descendisse - quamvis solum corpus fuerit sepultum, et anima sola descenderit ad inferos - propter divinitatem, quae neque a corpore neque ab anima recessit, ita dicere oporteret Christum effusum aut sparsum propter sanguinem, qui fuit effusus et sparsus; quod est absurdum. Franciscus Maronius hunc nobis Herculem obiicit, nec putat reici posse; Bonaventura et Thomas Aquinas multa de idiomatibus in medium adduxere, quae non magni facimus. Brevis responsio est: nihil absurditatis habet, si dicatur Christus effusus, cum de ipso legamus in psalmis: »Sicut aqua effusus sum« - quae sunt verba Christi secundum commentatores; et quamvis figurata locutio videatur, potest tamen in proprio recipi sensu, quoniam Filius Dei per sanguinem fuit effusus in Cruce, et ita possemus sparsum dicere non inconcinne. Non dicimus, quia non recepit usus, et novitates introducere abstinemus. Quod vero Damascenus ait ab anima et corpore inseparabilem permansisse divinitatem, non propterea sanguinem excludit, qui appellatione corporis continetur; alioquin sibi ipsi contrarius esset Damascenus, qui alibi dixit de Verbo Dei tractans, quod nullam partium nature reliquit: non corpus, non animam, sed corpus et animam rationalem et intellectualem et voluntativam et motivam possidet, et ita ad celos rediit. Dixit Damascenus Dei Filium non reliquisse corpus in passione neque animam, et ita ad celos rediisse. Si per corpus non intellexit sanguinem, sine sanguine Christus ad celos rediit, quia dicit: »et ita ad celos rediit«. Hoc prorsus absurdum est et alienum a vero; ergo dicendum est, quod nominando corpus omnia complexus est, quae sunt de corpore humano, inter quae sanguinem contineri non est ambiguum.

De Scoto, Riccardo et aliis doctoribus contrariam sententiam affirmantibus tale iudicium facimus, quale rationes eorum merentur: non afferunt rationes efficaces, non movemur. Quod autem adversarii fundamenta nostra pro unione facta revellent auctoritates omnes de sanguine adductas - quod pretium nostre redemptionis fuerit, quod nos Deo reconciliaverit, et reliqua fecerit divinitatis opera - ad mortem vel ad vitam Domini retorquent, et auctoritatibus quibusdam innituntur, confutatione opus habet. - In qua parte illud in primis concedimus: mortem Christi nobis vitam peperisse. Verum est enim, quod sacrosancta canit Ecclesia: »Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Nec imus inficias vitam Christi nostre redemptionis fuisse pretium, Salvatoremque ipsum voluntarie passionem et mortem acceptando meruisse, ut nos redimeret. Est enim Christus et redemptor et redemptionis pretium, qui se ipsum pro nobis obtulit - ut apostolus ait. Non tamen haec urgent, ut Scripturas de sanguine loquentes ad mortem contorqueamus vel ad vitam, et tantam imponamus doctoribus notam, ut propriis uti vocabulis ignoraverint. Si unus aut alter metri causa vel alia quavis necessitate sanguinem dixisset volens mortem significare, possemus commentationem admittere, et sanguinem pro morte recipere. Sed quis dicat Antique Legis scriptores aut evangelistas aut Petrum et Paulum aut alios doctores sanctos - Leonem, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Bernardum, Bedam et cum his [523]

etiam doctores Grecos - in oratione soluta, cum mortem voluissent dicere, sanguinem dixisse? Peritissimi fuerunt, et vim novere verborum, et Crucis mysterium non ignorarunt. Sciebant sancti viri et Spiritus Sancti gratia illustrati per mortem Christi et voluntariam vite traditionem humanum genus fuisse redemptum; verum neque Christum obiisse, nisi sanguinem effundendo, neque vitam datam, nisi cum sanguine, et in passione dominica corpus et animam et sanguinem intervenisse, et omnia simul ad salutem hominis propter Verbi copulam operata, licereque absque offensione dicere et corpus Christi redimisse hominem, et animam redimisse, et sanguinem redimisse, cum totus Christus hominem redemerit, in quo hec Verbo coniuncta fuere et nunc sunt. Quicquid enim in passione Domini operatus est Deus, homini tradimus, et que operatus est homo, concedimus Deo propter communicationem idiomatum. Nec dubium, quin corpus Christi et vita Christi et sanguis Christi pretium fuerit humane redemptionis, nam Christus - ut inquit apostolus - »per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo«. Et Ecclesia in benedictione cerei canit: "Ut servum redimeres, Filium tradidisti". Filius igitur Dei, Deus et homo, Christus Iesus redemptor fuit et pretium: caro pretium et sanguis pretium et anima pretium et vita pretium; nec tamen multa pretia, sed unum pretium: Christus Iesus, in quo continentur omnia.

Vera est vox, quae dicit nos Christi morte redemptos, et que sanguine redemptos affirmat, nec male dixerit, qui vel corpus vel animam adiecerit. Cuncta haec ad nostram redemptionem concurrerunt: mors, vita, caro, sanguis, anima, divinitas, et simul operata sunt. Et licet redemptionis meritum ad voluntatem Domini referatur, efficientia tamen aliqua in carne et sanguine fuit, quemadmodum Paulus ostendit, qui sanguinem Christi ad sanguinem comperat hyrcorum et taurorum, et maioris efficacie ostendit esse. Sunt insuper et nonnulla verba doctorum, que nullo pacto commentationem illam patiuntur, ut sanguinem pro vita vel morte recipiamus; sicut est illud Leonis de passione loquentis, ubi ait: »Sanguinem iustum fudit, qui reconciliando mundo pretium esset et poculum«. Nam quomodo vita poculum aut mors poculum? De fuso sanguine loquitur, et pretium vocat, quia sanguis pretium fuit redemptionis humane et poculum ad potum respiciens, quem Dominus suum esse sanguinem dixit. Et doctores vivificare animam affirmaverunt propter adiunctam et indissolubiler copulatam divinitatem. Non est igitur, cur verba sanctorum violemus, et verbum pro verbo interpretemur, neque illud admittendum, quod aliqui subnectunt: sanguinem Christi ad redemptionem hominis velut instrumentum intervenisse, nisi adiciant: »divinitati adiunctum«; quemadmodum et homine Christo tanquam instrumento coniuncto et sibi unito ad salutem nostram divinitas usa est. Nam Filius Dei, qui totum sibi univit hominem, et partem sibi univit, et qui cum toto aliquid egit, id ipsum cum parte peregit.

Quod autem Minores aiunt: morte Domini non cruenta salvari hominem potuisse, nemo negaverit, si tamen ita ab initio fuisset decretum; immo vero et sine ulla morte potuisset redimi genus humanum. In voluntate Trinitatis fuit, quo placeret modo redimere: et cum morte et sine morte, et cum sanguine et sine sanguine, et cum cruce et sine cruce. At cum in exordio rerum statutum fuerit pro nostra redemptione unigenitum Dei Filium carnem induere, crucem subire, et animam cum sanguine fundere [524]

- quemadmodum prophete annuntiaverunt -, non est obiiciendum, quod sine sanguine potuerit Primi Parentis culpa deleri. Electa est cruenta et dolorosa mors atque horribilis, ut caritas maior ostenderetur, et ita vetus piaculum in Christi sanguine secundum oracula prophetarum abolitum est.

5 *Illud vero stultum, quod quidam aiunt: Christi sanguinem minus dignum fuisse pretium ad humani generis redemptionem, tanquam inanimatum pro animato. Nam Christi sanguis propter unionem Verbi omni humano generi dignior atque nobilior est; neque inanimatus est - ut diximus -, quamquam sive animatus est sive inanimatus, sufficit hypostatica unio Verbi. Quam sanguini non convenire tanquam inanimato si quis dixerit,*
10 *facile revincetur, cum probata sit unio sanguinis et Verbi, plenumque temeritatis fuerit asserere non convenisse, quod Deus fecit.*

Multa - ut videtis - adversus unionem sanguinis effusi dicta sunt, que stare non possunt, neque ullum habent fundamentum. Deus ab initio incarnatus cum sibi assumpsit hominem, ut totum redimeret, et in eo sanguinem, quem plantavit, assumpsit; et quod semel
15 *assumpsit humanae substantiae, nunquam dimisit. Minime igitur in passione fustum dimisit suum sanguinem, sed semper cum eo fuit et cum corpore et cum anima. Et haec demum in resurrectione coniunxit in corpore glorificato, cum quo victor mortis ac mundi et diaboli triumphator ascendit in celum, ibique sedet in dextera Patris per seculorum secula regnaturus."*

20 Haec cum Predicator dixisset, Minor non pauca replicavit, volens ea destruere, quae sue sententiae videbantur adversa. Auditus et ipse est, quantum voluit; sed omnia in prius dicta reddebant.

Pontifex auditorium dissolvit, deinde cum cardinalibus plerisque diebus rem tractavit. Maior pars sententiam Predicatorum approbavit, pauci cum Minoribus sensere; Pius quoque
25 in maiori parte fuit. Sed non est visum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cuius erat contra Turchos predicatio necessaria, offenderetur. Placuit in aliud tempus decisionem referre.

30 **8. Paulus Fulgosius Genuensis archiepiscopus ducatum patrie a civibus extorquet, Gallosque mox Genuam invadentes armis propellit**

Haec dum Rome geruntur, Genua in Liguribus pro sua consuetudine tumultuat. Paulus archiepiscopus, Lacarinus et alter Paulus, Benedictus et Martinettus, gentis Fulgosie principes coniuratione inita ad XVIII Kalendas Ianuarias amicorum non parva manu armata
35 ducale palatium invadunt, Ludovicumque, gentilem suum atque urbis ducem in vincula coniiciunt, deinde captum ad monasterium Divi Francisci rapiunt, quod est arci proximum, ut eam tradi iubeat - patibulo coram erecto, in quo suspendatur, nisi mox custodes arcem reddant. Paruere custodes, atque arcem archiepiscopo tradidere, qui mox accersito consilio ducatum sue civitatis extorsit, haud immemor, quod anno superiori diebus paucis
40 imperasset, cessissetque Ludovico vel invitus, cum ille [525]

arcem teneret. (Apud Romanos glorie fuit quartum fieri consulem; Ludovicus cum suo magno dedecore quater in patria ducatum gessit, et totiens tanquam inutilis eiectus est.) Mira res et nostro non prius audita seculo: pontificem sue civitatis per arma tyrannum creari!

5 Paulus dux creatus in hunc modum Pio pontifici litteras dedit:

„Quia haec civitas nostra per varios fluctus a multo tempore citra ducebatur, quos nunc civiles discordie nunc bella externa, novissimeque Turchorum molestie afferebant, omnium civium et optimatum maxime precibus et consilio concitatus, veriusque impulsus - licet hoc idem patrie caritas persuadere merito potuisset - regimen et ducatum eius suscipere in
10 tanto casu non neglexi, eo quidem animo, ut quantum in me fuerit, opinioni, quam de me cives concepisse videntur, et meo in patriam amori satisfaciam. Hoc igitur utrinque tentato hodie pro Dei clementia ad hunc ducatum assumptus sum sine ullo armorum strepitu, sed togatis civibus tranquillitate animi et libero consilio consensuque, ut hoc fieret, acclamantibus, habita statim integra possessione arcis Castelletti, ut nihil ad firmitatem
15 quietemque rerum deesset. Quod tue beatitudini significandum duxi, ut quod Dei providentia magis, quam humano consilio factum videtur, tua sanctitas sua benedictione confirmet, et me administrandi utriusque gladii onere pressum sua ope suoque consilio iuvare dignetur. Ad cuius iussa sum semper devote paratus." - Subscriptio haec fuit: „Tuae sanctitatis devotissimus Paulus Fulgosius, Dei gratia archiepiscopus et dux Genuensis."

20 Responsum a Pio huiusmodi redditum:

„Pius episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri, Paulo archiepiscopo et duci Genuensi salutem et apostolicam benedictionem. - Ducatum patrie tuae ex libero civium decreto te assecutum scribis, eumque per nostram benedictionem fraternitati tue flagitas confirmari. Admirati sumus consilium tuum, qui eius civitatis temporale regimen
25 acceperis, quae super omnes Italas novitate gaudens semper nutat, semper in motu est, nec ullum diu rectorem ducemve patitur. Et tu anno superiore, quanta sit tuorum civium constantia, in te ipso didicisti; qui cum ab eis ad hunc ipsum principatum fuisses assumptus, non tam cito magistratum inisti, quam deponere coactus fuisti; nobis quidem eodem fere tempore et assumptio tua et depositio nuntiata fuit. Quid nunc futurum sit, ignoramus. Huic accedit rei novitas; nam etsi potest idem homo et ducis et archiepiscopi personam gerere - sanguinis modo absit effusio! -, nescimus tamen, an archiepiscopus Genuensis ante te alius ducatum inierit. Maximam esse causam oportet, que hanc
30 novitatem induxerit. Forsitan experti Genuenses iniusta esse regimina saecularia, atque inde tot mutationes oriri putantes ad te confugerunt, et fastidio quodam secularis imperii experiri aliquando sacerdotale decreverunt, si forsitan iustius ac mitius gubernentur? Magna est tibi bene agendi necessitas imposita: nisi rectam iustitiae virgam tenueris, nisi vim prohibueris, nisi paci et ocio consulueris, nisi modum pravis cupiditatibus imposueris, nisi te ipsum et tuos stipatores in honestatis formam redegeris, non stabit potestas tua; brevi dominaberis, cito regnum amittes, eiicieris non sine tuo et sacerdotalis eminentie
40 magno dedecore - si tamen eiiciaris, et non peiora tibi accidant - ut sunt ante oculos exempla domestica. Vide, quid agas! Non eadem est sacerdotalis et secularis imperii norma. Paternam et omni [526]

clementia plenam esse pontificalem administrationem oportet, non tyrannicam. Multa in saeculari principe ferunt homines, quae abhorrent in ecclesiastico. Quae in laico pusilla et levia existimantur delicta, in clerico maxima et gravissima iudicantur. Sacerdotes, quorum vita veluti speculum inferioribus est, non solum a malis operibus abstinere, sed omnia declinare convenit, quae quoquo modo pre se speciem mali ferunt. Vide, quem gradum ascenderis! Si potis es pie et iuste imperare, ac non subditos solum, sed te ipsum coercere, si vales virtute irrumpere iniquitatem, si pro communi utilitate querenda, non pro tua libidine explenda ducatum accepisti, si ad tutandam religionem Christianam adversus impios Turchos animum geris, et in eam rem corpus tuum devovere proponis, et iniuriam proximi non queris: confidentes rite et secundum leges tue civitatis principatum hunc ad te delatum esse, et quod - ut polliceris - utiliter populo tuo preeris, illum tibi et tuis civibus et universe rei publice Christiane in nomine Sancte Trinitatis benedicimus. - Datum Rome apud Sanctum Petrum pridie Kalendas Februarias anno M-o CCCC-o LXIII-o."

Vera et memoriae tenenda dixit Paulus scripta pontificis, quamvis dura, nec prohibuit exemplaria cupientibus exhiberi; ob quam rem brevi apud omnes Ligures epistola vulgata est. Archiepiscopus inde commonitus regimen suum magna in parte correxit, moderatiorque postea visus est.

Franci rursus cum parte civium archiepiscopo infensa armatis quibusdam navibus Genuam invasere, ingressisque urbem amissum imperium recuperare temptaverunt. Occurrit cum suis archiepiscopus, ac conserta pugna victor evasit. Fugere ad naves trepidi hostes, quidam caesi sunt et quidam capti; inter quos duces factionis adversae nonnulli, quos ad supplicium rapiendos communis opinio fuit. Quod usque in hanc diem minime factum est archiepiscopo sevitiam suam coercente.

9. Francie et Castelle regum apud Baionam conventus, ac leges pacis inter Aragonensem et eos

Diximus supra Ludovicum Franciae et Henricum Castellae reges conventuros fore de pace Cathalanorum et regis Aragonum tractaturos, cum alter Cathalanis alter regi socia arma iunxisset, nec tamen inter se ipsos priscum fedus violare vellent. Nunc, quo pacto res acta sit, exponendum est.

Ludovicus Baionam se contulit, quae civitas est in litore maris Oceani. Proscindit a septentrione terras Oceanus, sinumque efficit late patentem, qui longo tractu in meridiem vergit; dextrum litus Hispani occupant. Galli sinistrum; regnorum limes non procul a Baiona cernitur. Henricus per Biscainos profectus in regno suo prope fines consedit. Mittuntur legationes hinc atque inde, agitur de conventionione, ingeruntur suspitiones - ut fit in congressu potentissimorum; assunt adulatores, curiosi omnes pro sui salute domini videri volunt; ingens de gloria concertatio. "Ille" - inquiunt - „cum exercitu venit et expedito milite, te togati sequuntur. Cavende insidie sunt. Nulla coarctet honestas regnandi cupiditatem. [527]

Tu omnium regum maximus es, aut certe secundus. Quis non appetat tuo loco regnare? Si tuas opes suis accumulet alter, quis illo maior erit, aut quid illi ad orbis imperium deerit? Cogitare animo, quaecumque possunt occurrere pericula, prudentis est, eaque declinare. Quid praeterea necessitatis habet iste conventus? Ad pompam queritur, non ad utilitatem.

5 *Ingredieris alienum regnum: minor videberis, gloriabitur te hospitem accepisse, et in annalibus adnotari iubebit rex Francie Castelle regem sese olim adoratum venisse. Atque utinam non peiora intercident! Pulchra est Castella nostra et gloriosa et magna; fruamur nos bonis nostris, et Gallici fruantur suis! Nos te maiorem novimus neminem. Nulla dispar societas diuturna est." - Haec et his similia regis Castelle auribus inculcata aliquandiu*
10 *animum eius in diversa rapuere. Nec minora regi Francie dicta sunt.*

Oratores crebro hinc atque inde missi difficultates abstulere; maxime vero ad concordiam operata est legatio regis Castelle, quam huiusmodi pompam duxisse comperimus ad Francum profectam: muli quinquaginta precessere onera ferentes et suppellectilem legationis ambitioni convenientem, quos totidem duxere pedites venabulis armati. Tum
15 quinquaginta secuti sunt iuvenes cursoribus insidentes equis, more Mauritano hastilia in manu gerentes, peregrino habitu admirabiles. Exin tertius quinquagenariorum ordo successit; purpurati equites fuere, torquibus aureis et multo gemmarum pondere illustres. Post hos tubicinum, et qui Numidica pulsarent tympana, ingens numerus. His proxima
20 caduceatorum turba, quos nostra aetas eraldos vocat; apud occidentales reges non contemptibile genus hominum. Tum principes legationis venere: Alfonsus archiepiscopus Toletanus et Iohannes marchio Villene, apud regem in primis accepti; alter inter Castelle pontifex maximus, alter inter proceres; cultus utrique sue dignitati conveniens, et qui legationem ornaret. Post eos consilarii et togatorum ministrorumque maxima turba.

Ludovicus primores sue curie adventantibus Hispanis obviam misit, et ingressos Palatium vultu benigno et alloquio blando excepit. Tractatum est de concordia plerisque diebus, et in ipsa pascali festivitate conclusio facta. (Hispani pro sua consuetudine gloriosi nulla non die vestes mutavere, in conspectu regis ut splendorum apparerent.) Concordie haec sententia fuit:

30 - Regnum Navarre Iohanni Aragonie regi, quoad vixerit, cedito; post mortem eius ad filium comitis Fuxi pertineto.

- Comitatus Stelle, qui fuit pars regni Navarre, ad regnum Castelle accedito.

- Iura infantatus et alia, quaecumque obtinet rex Aragonum in regno Castelle, dimittito.

- Henricus Castelle rex, quaecumque de regno Aragonum ac Valentie abstulit, Iohanni reddito.

35 - Comitatus Ronsilioni ac Ceretanie regi Francie tamdiu pareto, quoad auri trecenta milia nummum Aragonensis dissolverit.

- Principatus Cathalonie ad obedientiam Iohannis redito, et sub antiquis privilegiis gubernator; pro rebellionem veniam habeto; nisi paruerit, trium regum arma timeto. [528]

Haec tamdiu occulta fuere, donec reges convenerunt Castelle et Francie in ipsis regnorum finibus.

5 Viderunt se duo reges et amplexati sunt, et duabus circiter horis inter sese secreta miscuere colloquia. Magnum ibi fuisse hominum concursum memorant, et magnos apparatus utroque rege suam magnificentiam ostentante. Et quoniam multi mari adventarunt, multa de navibus digna memoratu relata sunt, quarum proras aureas et puppes argenteas et vela sericea et rudentes sericeos et malos inauratos tradidere, et alia multi generis ornamenta. - Brevi dissoluta conventio est. Non potuere duo reges, quorum diversissimi mores essent, et quorum de gloria par contentio, diu simul esse: alter contempsit alterum, quamvis in 10 presentia sese invicem magni facere viderentur. Reperit uterque, quod in altero reprehenderet: et staturam corporis et mores.

15 Ubi discessio facta est publicata concordie formula, non defuere, qui duos reges in pernitiem tertii convenisse dicerent. Ambo enim inter se spolia regis Aragonum partiti sunt: Henricus partem regni Navarre ad se traxit et infantatus iura, que aureorum triginta milia quotannis Iohanni prestare ferebantur; Ludovicus omnem terram citra Pyreneos montes Cathalanici iuris sibi arripuit quasi pro pignore sumptuum, quos fecisset in bello. Mercatura ea fuit, non amicitia: auxilia vendidit, non gratis misit; sibi, non amico bellavit. Indigna, que de regibus dicerentur!

20 Regina Aragonum, dum hec aguntur, mesta Ludovicum adiit, inique cum viro suo actum dicit, cui multa sint erepta, pauca dimissa. Rex, ut videretur mulieri aliquid annuisse, trecenta milia - pro quibus pignori traditum Rossilioni comitatum et Ceritanie diximus - ad ducenta milia reduxit. Mulier infelix tristior abiit, quam venerat.

25 At de Castelle rege longe peiora in vulgus iactata sunt, quem prodidisse Cathalanos cuncti affirmavere: accepisse illum Barchinonenses et omnes Cathalanici principatus civitates in protectionem suam; dixisse se Cathalanorum dominum; iussisse omnes in sua verba iurare; monetam auream et argenteam Barchinone percussisse; misisse armatorum copias, quae Iohannis violentiam propulsarent; spem pulcherrimam prebuisse nunquam se relicturum Cathalanos, quos sibi sueque corone peculiare elegisset; nihil ex Gallia timendum dixisse, cuius rex aut amicitie sue aut armis cessurus esset; nunc vel metu vel amicitia victum 30 receptos in fidem reliquisse. Et cui credas, si cassa est regum fides? Metus regem an avaritia vicerit, incertum.

35 **10. Maguntie ab Adolfo noctu occupatio Dyetheri partibus eiectis, et Palatini in captivos principes barbara sevitia**

Adolfus archiepiscopus Maguntinus inter haec, quamvis rigeret hyemps, collectis militibus circiter octingentis intempesta nocte Maguntiam invadit. [529]

Bellatores audaces ab ea parte muros scandunt, quae vineas et hortos intra urbem claudit. Fit tumultus in civitate, postquam hostis ingressus est: concurritur ad arma, pugnatur inter frequentia urbis edificia summa contentione. Hinc Dyetheri presidium, inde Adolphi miles acrius urget; civium diversa sunt studia. Superat tamen Adolfus, ac cesis fugatisque Dyetheri

5

partibus urbem in potestatem recipit non sine admiratione cunctorum, qui tam parva manu tantam civitatem suo populo et externo defensam potuerit obtinere. Noctis beneficio res acta: metus adesse maiores copias credidit. Adverse factionis cives sponte sibi exilium elegere. Haec pro captis a Palatino principibus belli compensatio Adolfo data - ut est fortuna inconstans, nunc unam nunc alteram elevans partem.

10

Palatinus post victoriam de principibus habitam nulla usus clementia captivos - ut diximus - in vincula coniecit, et in tetro carcere clausit, compedibusque coercuit et cathenis tanquam latrones ultimo supplicio dignos. Cum ferre miseri captivitatem nequirent, et squalorem carceris horrerent, peterentque, ut a suis redimi possent, his tandem legibus dimissi sunt: Metensi episcopo aureorum quinquaginta milium imposita mulcta est, marchioni Badensi centum milium, tantumdem comiti Virtembergensi; reliqui nobiles pro suis facultatibus et ultra mulctati. Amplius marchioni et comiti munitissima adempta castella, et quedam ita dimissa, ut pro illis homagium facerent, et tanquam Palatini vassalli in eius verba iurarent. Uxor quondam Ludovici, fratris Palatini gemmas et aurea vasa donaque non pauca preciosa ab eo receperat; quo mortuo Virtembergensi comiti nupserat, secumque dona portaverat; ea

15

20

Palatino restituere cuncta oportuit, et annua quinque milia remittere, que sibi tanquam dotis usus fructus ex comitatu Palatino debebantur, quod pro viri libertate non invita fecit. Cum tantum auri corradere principes nequirent, quo se redimerent, amicos invenere fideiussores, atque ita demum carcerem exiere.

25

Ea Palatini liberalitas fuit et animi magnificentia et gloria Baioaricae gentis. Idem factitavit Alexander victo in India Poro, idem Cyrus superato in Asia Creso, idem Philippus Maria captis navali prelio regibus, quorum alter. Alfonsus septem prefuit regnis. Non tantum auri Palatinus ab infelicibus captivis exegit - quamvis totum extorsit, quod potuit -, quantum victor Philippus donavit victis. Utraque liberalitas fuit, sed illa Theutonica, ista Italica; illa barbarica, ista Latina; illa Baioarica, ista Mediolanensis. Palatinus suis captivis ademptis bonis miseram donavit vitam; Philippus, quos vicerat, non solum vivere, sed bene vivere iussit, ditioresque reddidit, quam fuerant ante captivitatem. Tantum Italici mores barbaricos superant. [530]

30

11. Coniuratio Holzer contra Albertum apud Viennam deprehenditur, suppliciumque de coniuratis inter solemnia pascalia atrocissime sumitur

- 5 Vienna in Austria de moribus Theutonicis deque fide Germanica periculum fecit, que - ut supra diximus - imperatorem et dominum suum in arce clausit et machinis oppugnavit, ac suoapte arbitrio iuri iurando renuntiavit. Haec eadem - ut de crudelitate barbarica amplius aliquid adiiciamus - novam materiam suggerit. Nicolaum cognomento Holzer supra retulimus apud viennenses rerum novatorem fuisse, cuius consilio - qui plebis ductor esset - imperator Federicus Viennam amisisset, Albertus germanus eius obtinuisset.
- 10 Penituit hunc patrati facinoris, cum violentum esset imperium Alberti, et in urbe nulla libertas, nulli sua supellex, nulli coniunx, nulli familia salva: rapine militum cuncta paterent. Cognovit excluso pio principe crudelem admissum esse tyrannum; doluit urbis vicem, que sua culpa pessum iret. Conatus est errata corrigere, urbemque restituere Federico. Clam per internuntios res componitur. Panchircher et Grafnecher copiarum duces equites mille ducentos haud procul ab urbe in insidiis collocant; Puichauser, duarum portarum custos in ipsa Pasche vigilia quadringentos equites intra moenia recipit. Excitatur subito rumor captam esse urbem, conclamat populus caesarianos ingressos ferro et igne cuncta vastare. Occurrit Albertus valida militum caterva stipatus; sumunt et arma cives, qui se praede futuros verebantur. Nondum signum intromisse cohortis, qui latebant in insidiis, acceperant,
- 20 nec se loco moverant. Pugnatur in urbe infensis utrinque animis et ira fervida. Vincuntur caesariani, capiunturque omnes ducentis trucidatis; clauduntur porte civitatis, et in ipsis Pasche diebus unica Alberti cura est conspiratores inquirere necique tradere. Opulenti quique in suspitionem adducuntur, nunc iste nunc ille rapitur. Non sufficit publicus carcer, implentur atria; proscriptorum bona inter milites dividuntur.
- 25 Holzer, cuius opera non erant dubia, tumultuante civitate cum aufugisset, a piscatoribus interceptus atque in forum deductus in quatuor partes dissectus est; caput eius hasta affixum in ea porta suspensum, quam caesarianis aperuerat. Dignus, qui hoc fine periret: ex fece vulgi tribunus urbis effectus, modo has partes modo illas adiuvans, nulli fidus et nullo rerum statu contentus. - Captus est et Osvaldus Reicolfus, unicus opulentorum civium, cuius proavus
- 30 Vienne fuisset natus. (Viennam enim frequentes incolunt advene, indigene pauci.) Cum eo et Sebastianus Zigelauser, quem magistratu civium Caesar dignum duxerat, plebs reiecerat, in vincula coniectus est et Pulchauser, quem diximus equites caesarianos admisisse, et Augustinus equestri militia recens donatus, et Iohannes Odonacher, alter plebis concitator, et Volchangus quidam de plebe audacis spiritus; quibus post habitas questiones in publicum adductis inter ipsa pascalia festa spectante populo cervices precise sunt. Tantum religioni Albertus [531]
- 35

attribuit, in cuius potestate usque in hanc diem Vienna perseverat metu coercita - digna tali domino, cui iustus clemensque placere non potuit.

5 12. Iohannis Dragule immanis atque nefanda crudelitas, eiusque in regem Hungarie deprehensa perfidia, et tandem captivitas

Austrialem sevitiā et crudele descripsimus Alberti facinus. Adicienda est Iohannis Dragule atrox nequitia et natura immanis, cuius inter Valachos, quibus prefuit, adeo nobilitata sunt scelera, ut nulla queant tragoedia superari.

- 10 Valachi populi sunt ultra Danubium habitantes inter Euxinum mare et regiones, quas hodie Transilvanas appellant, in quis septem civitates Theutonici sermonis existunt. Valachi lingua utuntur Italica, verum imperfecta et admodum corrupta. Sunt, qui legiones Romanas eo missas olim censeant adversus Dacos, qui eas terras incolebant; legionibus Flaccum quendam prefuisse, a quo Flacci primum, deinde Valachi mutatis litteris sint appellati.
- 15 Quorum posterī - ut ante relatū est - barbariores barbaris evasere. Iis nostra aetate Dragula prefuit animo inconstanti et vario, quem anno sexto et quinquagesimo supra mille quadringentos incarnati Verbi Iohannes Huniatus regni Hungarie gubernator eo, quod ad Turchos defecisset, bello victum captumque cum altero filio neci tradidit, Ladislao quodam ei suffecto, qui Valachos imperio regeret. Fugit gubernatoris manus alter Dragule filius, nomine
- 20 Iohannes, qui paulo post exercitu comperato, interfecto Ladislao paterne hereditatis magnam partem vendicavit cunctis, qui sibi patrique fuerant adversi, crudeliter necatis. Cybiniensem ingressus provinciam quam plures villas populo plenas succendit; viros cathenatos admodum multos in Valachiam tractos palis affixit; negociatores publica illectos fide per Valachiam cum pretiosis mercibus transeuntes direptis bonis interemit; ex Vurtia
- 25 quadringentos pueros tanquam lingua Valachorum erudiendos ad se iussit afferri, quos in estuario clausos immisso igne cremavit; viros sui generis nobiliores, et qui propinquiores sibi fuerunt, cum liberis et uxoribus interfecit; quosdam ex domesticis suis umbilico tenus terra suffodi iussit ac sagittis transfodi; nonnullis cutem ademit; Daym quendam, filium alterius Daym vaivode in bello cepit, viventique ac videnti sepulchrum erexit, iussitque sacerdotes
- 30 exequias decantare, quibus finitis captivo caput amputavit; legatos Siculorum et Transilvanorum quinquaginta tres ad se missos in vincula coniecit, et ingressus eorum terras nihil hostile timentes ferro et igne cuncta vastavit; Ceilinum, suarum copiarum ducem eo, quod immanitati suae non satisfaceret, palo transfixit; viros ex Vurtia sexcentos in alteram provinciam transeuntes, cum in manus eius pervenissent, ad palos peremit; Zeganum quendam, quoniam furem deprehensum recusasset manu sua suspendere, in magno lebetē decoxit, epulandumque suis civibus tradidit; pueros quoque lactantes e sinu matrum abstulit, et illis videntibus ad saxum allisit; Transilvanam ingressus provinciam cunctos
- 35 Valachos illic habitantes [532]

quasi amicos ad se vocavit, et in unum congregatos immissis militibus interfecit, et villas eorum exussit. Supra XXX-ta hominum milia his artibus interfecisse proditur.

Anno M-o CCCC-o LXII-o Turchorum imperator, cuius ditioni subesset, censum petiit. Ipse iturum se Adrinopolim dixit censumque allaturam. Petiit ergo litteras ad locorum
 5 prefectos, quibus tuto ire posset; concessae sunt. Transmisso Danubio, qui glacie coactus erat, cum exercitu occurrentes Turchorum prefectos interfecit, et late grassatus in populos supra XXV milia utriusque sexus hominum trucidavit; inter quos et virgines venustissime perierunt, quamvis a Valachis peterentur uxores. Captivorum magnum numerum in
 10 Valachiam duxit, quorum aliis pellem ademit, alios igni assavit affixos veribus, alios in oleo ferventi decoxit, reliquos palis affixit ita, ut silva palorum quedam in campo appareret, in quo hec sunt gesta. - Cum animadvertisset virum aliquem in agro laborantem, cuius camisia brevior vix pudibunda tegeter, percontatus est, an uxor ei esset. Ubi didicit uxoratum, iussit accersiri foeminam, venientemque interrogavit, quodnam eius esset artificium. Respondenti:
 15 nere et suere - „Cur ergo” - subintulit - „viro tuo camisiam, que verenda tegeter, non perfecisti?” - , iussitque mox feminam ad palum rapi, viroque aliam dedit uxorem.

Cum tot flagitia perpetrasset, a Matthia rege Hungariae tandem captus est ea hyeme, qua Pius pontifex ex Tuderto Romam rediit. Capture causam prebuere litterae sue, que in hunc modum ad imperatorem Turchorum cum scripte mitterentur, intercepte sunt:

“Imperatorum imperatori et dominorum domino, qui sub sole sunt, magno admirato et
 20 magno soldano, Mahumeti in omnibus fortunato Iohannes vaivoda et dominus Valachie humilem subiectionem. Servus ego magni imperii tui certiore te facio me hodie ad terram meam proficisci cum exercitu, et confido in Deo obtenturum me illam, nisi tuo prepediar imperio. Ideo magnitudinem tuam supplex oro, ne meum errorem et peccatum magnum meum inspicias, quoniam imprudenter in te peccavi, et malum feci in terra tua; sed
 25 misereatur mei tua clementia, atque indulgeat, ut legatos ad te mittere possim. Mihi nota est omnis Transilvana regio et omnis Hungaria, et conditiones locorum rerumque calleo. Si placuerit imperii tui magnitudini, possum pro redemptione delicti mei totam regionem Transilvanam tuis manibus tradere, cuius possessionem adeptus poteris omnem Hungariam tue potestati subiicere. Legati mei plura ad te deferent. Ego, quoad vixero, tuus
 30 ero inconcusse fidei servus. Deus magni imperii tui multos faciat annos! Scriptum in Rhotel septimo Idus Novembris M CCCC LXII-o.”

Fuerunt et alie bine litterae eiusdem fere sententiae: une ad basam, altere ad Thoenone dominum, ut pro se intercederent apud magnum imperatorem; ee de lingua Bulgarica in Latinum conversae ad pontificem misse fuere.

35 Valachus adhuc in carcere delitescit - magno et honesto vir corpore, et cuius species imperio digna videatur. Adeo sepe differt hominis ab animo facies. [533]

13. Legatorum Bosne regis ad Pium oratio contra Turchos auxilia et quedam alia petens, Piique clementissimum ac iustum responsum

5 Stephanus circa idem tempus, qui paulo ante genitori suo, regi Bosne vita functo successerat, legatos ad pontificem misit, duos senes statura proceros et habitu venerabiles, quorum alter huiuscemodi orationem habuit:

„Rex Bosne, filius tuus, beatissime pater, nos ad te misit, iussitque suo nomine hec dicere:

10 »Certior factus sum Mahumeten, qui Turchis imperat, estate proxima infesta contra me signa moturum, et iam copias ac belli machinas apparasse. Non sum ego, qui tantum impetum ferre possim. Oravi Hungaros et Venetos et Georgium Albanum, mihi ut opem afferant; idem ex te peto, neque auri montes postulo. Scire hostes et provinciales meos cupio tuum mihi favorem haudquaquam deesse. Si norint Bosnenses me non futurum in bello solum, fortius dimicabunt, neque Turchi terras meas ingredi audebunt, quarum sunt aditus difficillimi et arces pluribus in locis propemodum inexpugnabiles. Tuus antecessor, 15 Eugenius patri meo coronam obtulit, et pontificales ecclesias in Bosna voluit erigere. Rennuit pater, ne Turchorum in se odium provocaret; erat enim novus Christianus, nec Manicheos adhuc regno expulerat. Ego a puero baptizatus fui, et litteras Latinas didici, et Christianam fidem solide apprehendi. Non timeo, quae pater timuit. Coronam ut ad me mittas, opto, et sanctos episcopos: hoc signum erit te mihi non defuturum, si qua ingruerit 20 belli moles. Spem subditis a te coronatus, terrorem hostibus afferam. Iussisti vivente genitore meo arma, quae in Dalmatia sub manu Venetorum erant cruciate nomine collecta, ut ad eum mitterentur; non placuit senatui Veneto. Iubeto, ad me modo mittantur. Fortasse maius imperium invenies, quando mutata est mens Venetorum, et Turchis feruntur indictum bellum. Haec peto, et ut legatum ad Hungaros mittas, qui meam causam regi commendet, horteturque arma iungere mecum. Hoc pacto salvari Bosna poterit, alioquin peritura est. Turchi in meo regno munitiones aliquas construxere, et in agrestes mitem 25 animum ostendunt: dicunt futuros liberos, quicumque ad se deficiunt, blandeque complectuntur. Rusticorum rude ingenium non intelligit artes, et libertatem perpetuo duraturam existimat. Facile his dolis illecte plebes a me deficient, nisi tuo presidio munitum viderint, nec diu nobiles in suis arcibus perseverabunt deserti a rusticis.

30 Si quereret regnum meum Mahumethes, neque ultra progredi vellet, ferenda esset mea sors, neque pro me tuendo reliquam Christianitatem vexare deceret. Verum insatiabilis regnandi cupido nullas habet metas: post me Hungaros agitabit et Dalmatas Venetis subiectos, et per Carnos et Histros queret Italiam, cuius imperium ambit, et sepe de Roma loquitur, atque huc direxit animum. Quod si permittentibus Christianis meo regno potitus fuerit, aptissimam provinciam et loca peropportuna inveniet ad suum desiderium 35 explendum. Ego tempestatem primus expecto, post me Hungari et Veneti suam sortem manebunt, nec Italia conquiescet: sic stat consilium hostis. Haec explorata ad te defero, ne olim dixeris non fuisse predictum, et me arguens negligentiae. Pater meus antecessori tuo, 40 Nicolao et Venetis futuram Constantinopolis calamitatem predixit [534]

- non fuit adhibita fides. Amisit cum suo magno malo Christianitas regiam urbem et patriarchalem sedem et Graeciae columnen. Nunc ego de me vaticinor. Si fidem datis et opem, salvabor; alioquin peribo, et meam ruinam multi sequentur.«

5 *Haec Stephanus ad te iussit deferri. Tu, qui pater es Christiane religionis, et consilium et auxilium adhibe!"*

Pius his auditis consilio fratrum adhibita ita respondit:

10 „*Habemus fidem legationi Stephani: eadem multis ex locis nuntiantur. Occidentis querit imperium Mahumetes, qui orientale pervasit. Aptissima eius desiderio Bosna est: hanc portam - credibile est - in primis perfringere conabitur. Non perficiet audente rege forti animo resistere. Ardua sunt montium claustra et aditus, quos facile tueri pauci queant. Coniungent Hungari arma et Veneti. Legatum eius rei causa ad utranque gentem mitemus, communem causam communibus adiuvabunt viribus. Nos tantum auxilii prestabimus, quantum per facultates licebit. Arma, que sunt in Dalmatia, ministrari iubebimus; ecclesias cathedrales in Bosna mandabimus erigi, et erectis constituemus*

15 *episcopos. Coronam mittere sine preiudicio regis Hungarie haudquaquam possumus, cuius rex Bosne vassallus est, et ad eum pertinet coronare regem. Sciscitabimur, quid sit animi eius. Si equo animo tulerit, coronam, que parata est, per legatum mitemus; invito non faciemus iniuriam, neque irritabimus eum, a quo sunt auxilia expectanda. Stephanus, si sapiat, Matthiam Hungarie regem omnibus sibi studiis conciliabit, quocum federe ac*

20 *benevolentia iunctus difficile a Turchis pessum dabitur."*

Sic remissi Bosnenses leti abierunt; quos secutus est orator pontificis, Dominicus Lucensis, qui et apud Venetos et apud Hungaros eorum postulata curaret exequi.

25 **14. Rebello quorundam oppidorum comitatus Fani, et eorum celerrima recuperatio**

Inter hec nonnulla castella comitatus Fani, quae superiori aestate ecclesiasticus exercitus armis optinuerat, coniuratione facta media hyeme nocte concubia rebellavere, captisque presidiiis, quae inerant, cum per inerciam parum sibi caverent, ad Sigismundum defecere. Ea comes Urbinas primo veris adventu non magno negotio recuperavit, coegitque patrati flagitii poenas dare.

30

15. Leges pacis inter pontificem et Dominicum Malatestam

35 Circa idem tempus, cum Veneti vehementer urgerent Dominico Malateste veniam dari, seque concordiae per legatum mediatores offerrent, annuit pontifex, atque in hunc modum pacis leges edixit:

40 Dominicus, si peccati veniam petierit; si Ravennati ecclesie et Sarsinatensi bona, que abstulit, restituerit; si oppida, quae ab Ecclesia capta ad eum defecere, rursus in potestatem Ecclesie dederit; si censum Apostolice Camere [535]

debitum dissolverit; si caverit, ut se sine liberis masculis legitimisque decedente Cesena, Brettenorum, Meldula et alia, quae possidet, oppida ad imperium Ecclesie redeant; si deinceps fidelem vassallum se promiserit: pacem habeto, neque sperato recuperare, quae sibi armis adempta sunt, uno tantum castello excepto, quod pro sua liberalitate Pius pontifex donaturus est ei.

5 Placuerunt leges. In eo tamen difficultas orta, quo pacto caveri posset post obitum Dominici, ne civitates eius in alias manus, quam Ecclesiae pervenirent. Digna res videbatur, de modo erat contentio. Pontifex in eam rem iuramenta civium requirebat, quibus se obligarent deficiente sine liberis Dominico nullius imperium preterquam Romani pontificis admissuros.

10 Legatus Venetus id novum atque insolitum aiebat, neque sine vilipendio Dominici fieri posse.

16. Veneti contra ius fasque Cerviam a Malatesta emunt. Eorum barbari et iniquissimi mores, ac Pii apud eorum legatum severa atque acerrima redargutio

15

Deliberatione pendente Veneti fide barbara seu mercatorum more, quibus innatum est ad utilitatem omnia pensitare, honestate reiecta Cerviam a Dominico data pecunia coemunt, quatuor milia aureorum sibi - quoad vixerit - et se mortuo quibus voluerit, quotannis dissoluturi, et amplius saccos salis ducentos. Salinae apud Cerviam sunt, et sal ibi optimum reperitur, quod ad Romandiole urbes delatum plurimum Malatestis emolumenti prebuit. Veneti, quoniam Ferrariensibus vel invitis sales prebent, veriti, ne clam hinc subveniretur illis, locum quocumque tandem modo possent - sive iure sive iniuria - ad se rapere statuerunt. Feudum hoc erat Ecclesie Romane, deficiente Malatestarum virili sobole ad eam redditurum, nec licebat Malatestis in aliam familiam gentemve quovis pacto transferre, nec Venetis fas erat invita Ecclesia Cerviam emere. Sed quae piscibus cura iuris? Quanto minus inter animalia bruta rationis inest aquatilibus, tanto sunt in omni humano genere Veneti minus iusti et humanitatis minus capaces. Quippe mare incolunt, et in aquis degunt vitam, navibus pro equis utuntur non tam hominum, quam piscium socii et marinarum comites belluarum, qui solis sibi placent, et se ipsos, dum loquuntur, auscultant et admirantur! Quasi syrene sibi videntur, dum verba faciunt. Huc accedit, quod in Aegypto et in Africa et in Asia versati barbaros induere mores, et nostrae cultum religionis oderunt, quamvis speciem quandam Christianae pietatis pre se ferunt. Hypocrite sunt: vulgo videri Christiani volunt, re vera nihil de Deo sentiunt; quibus preter rem publicam, quam veluti numen habent, nihil sanctum, nihil religiosum est. Hoc Veneto iustum, quod rei publicae conducit; pium est, quod imperium auget. Novam fundare monarchiam Venetus satagit, et iamiam sibi Romanam persuadet fortunam. Eneadum genus a Troia profectum olim rerum potitum; succedere iam Antenoridas, quorum filii sunt Veneti. Licere his omnia, ut ad culmen rerum perveniant: ius fasque omne [536]

20

25

30

35

abrumpendum imperandi causa. Quid mirum, si a non-domino Cerviam emerunt, qui paulo ante Ravennam ecclesiastici iuris occupaverunt, et Aquileiam totumque Iulii Forum patriarche abstulerunt, et Carrarienses Patavio et Scaligeros Verona Vicentiaque deiecerunt, et Brixiam, Bergamum multaque alia oppida de Longobardis ad se traxerunt? Facit et Cervia ad imperium ampliandum, cuius sales Romandiole magno erant usui: nunc ex Venetis querendum sal, nisi longinquum afferatur, quod sine magno pretio fieri non potest.

5 Damnavit omnis Italia Venetorum factum, qui Cerviam, Ecclesiae civitatem ab eo emissent, qui vendere non posset. Turpe id visum et detestabile. Damnatum est, non correctum. Omnes indigna ferentibus commiserescunt, opem affert nemo. Quid raptori vulgi rumor obest, quid feneratori? Paululum, dum cumulat opes, sordidus videtur et impius et humana indignus societate; at ubi dives evasit et potens, quis non beatum dicit, quis non amicitiam eius querit? Plena clientibus domus est, eunti per urbem omnes assurgunt ac cervices inclinant; pars felicitatis est dexteram eius tetigisse.

10 Venetos per multa scelera imperio propagato etsi odere homines tacite, atque absentes damnant, coram nemo non laudat. Hic seculi cursus est; apud optimum Deum nulla flagitia impunita. Veniet, veniet et Venetorum dies! Mutabitur tranquillitas maris, parentum delicta portabunt filii!

15 Pius, cum accepisset de Cervia, quod factum erat, accersito Venetorum legato percontatus est rei causam: quid excusationis afferret? Ille factum confessus est non sine rubore ac trepidatione, ut qui sciret turpe factum non posse defendi. Pretendit utilitatis causam, quoniam salis vectigal, quod Venetis in agro Ferrariensi vicinisque locis maximum esset, Cerviensibus salibus clam advectis magnopere comminueretur; noluisse id detrimenti rem publicam ferre, atque ita locum emisse, unde fraudibus occurri posset. - Cui pontifex:

20 „*Senatu intercedente Veneto pacem Dominico promisimus, te vice senatus concordie mediatorem accepimus. Inter concordie leges illa precipua fuit, ut moriente sine virili sobole Dominico civitates eius, quas ab Ecclesia recepisset in feudum seu vicariatum, ad Ecclesiam reverterentur. Laudasti hanc legem, laudaverunt et Dominici procuratores, quamvis de modo contentio esset. Interea Cerviam ab eo, qui vendere non potest, senatus emit. Obstat natura feudi, obstat confiscatio propter rebellionem, obstat lis iam mota, obstant apostolice littere investiture, quae omnem alienationem prohibent, obstat ipsa honestas. Agimus de Cervia et aliis Malateste civitatibus, quomodo ad Ecclesiam redeant illo vita functo. Cum Venetis ista tractamus, et dum simul cogitamus, Veneti Cerviam sibi usurpant. En bella res! En senatus honestas! En gloria rei publicae Venete! Siccine fidem servatis? Hec vobis cura decoris? Si Iacobus Picininus, cuius sepe vendita fides est, si maior, qui reperiatur in Italia, predo latrove inter nos et Dominicum concordie partes assumpsisset, profecto nunquam hanc turpitudinem admisisset, ut oppidum aliquod, de quo contenderetur, sibi arripuisset. Timuisset infamiam, timuisset populi voces, timuisset proditoris nomen!*

35 40 *At Venetos nihil horum movet. Inanimis est res publica: non verecundatur, non erubescit, non pallet, non titubat, unam semper faciem ante se fert eamque procacem* [537]

et inverecundam. Senatus decreto, non recta ratione honestum metimini. Sanctum est, quod senatui placuit, quamvis Evangelio adversetur. Abrogant divinam legem consulta senatus. - »Sal clanculum Ferrariensi populo Cervia prebuit, comminuit vectigalia nostra. Consulimus indemnitati: non fraudabimur deinceps empta Cervia.« - En pulchra ratio!

5 Cum alieno detrimento vestrum queritis emolumentum. Par vestra est et latronum furumque causa: ab utilitate pendetis. Hoc pacto quecunque faciant homines, approbare licebit. Quis mentis compos actionibus suis non aliquid prefert utilitatis? Et leno et meretrix emolumenta sectatur. Quantum lucraretur vestra res publica, non quantum damni Romane inferretis Ecclesiae, animo pensitastis. Nullus avaritiae vestre modus est, nullus

10 ambitionis. Iure an iniuria cumuletis opes, nihil interest, dum cumuletis, neque finibus imperii propagandis fas nefasve obstat. Pulchrum est augere vires, quocumque tandem modo crescat imperium. Honestas potentiam sequitur. Deum, qui est in celo, contemnitis; res publica vobis pro deo est: hanc colitis universitatis Creatore relicto. Peribit hic deus vester, peribit: nolite immortalem credere! Maiores fuere Athenienses, quam vos estis,

15 maiores Lacedemonii, maiores Carthaginenses; funditus tamen periire, cum essent iniusti. Nulla potentia unquam Romano Imperio maior fuit, et hoc tamen subvertit Deus, cum esset impium, sacerdotiumque substituit, quod divine legis curam gereret.

Roma sacerdotalis facta est, et maior Italiae pars Beato Petro, aeternae vite clavigero et successoribus eius in patrimonium cessit. Cuncti reges et imperatores Romano pontifici

20 tanquam Iesu Christi vicario caput inclinant, et pedes eius exobsculantur. Et vos, Veneti, Romanam contemnitis Ecclesiam, ac iura eius et possessiones invaditis, mandata contemnitis et censuras, et creditis eternam fore rem publicam vestram? Non erit aeterna, nec diuturna: dissipabitur cito male collecta multitudo, piscatorum colluvies exterminabitur! Non potest insana civitas diu stare. Tabescit res vestra, non veniet ad

25 senium, quam morbi teterrimi et incurabiles in adolescentia opprimunt.

Patrum nostrorum memoria magna fuit opinio iustitiae Venetae, castam ferebant esse civitatem et abstinentem et religionis amantem. Nostra aetate abiit omnis religio, omnis moderatio, omnis iustitiae cultus; pro his avaritia, rapacitas, ambitio, invidia, crudelitas, libido, omnes male artes introiere. Non stabitis cum hisce moribus. Ruere necesse est

30 imperium male fundatum. Dabitur penas flagitiorum vestrorum, neque impune cedit Romane Ecclesiae illuisse. Potentes modo estis, et insultatis Matri vestre; superbi, dum carbasa vestra secundi impellunt venti. Mutabitur flatus, nolite aure confidere! Incolunt celum superi memores fandi atque nefandi. Non negligit facta hominum Deus: curat, que condidit, omnemque odit iniquitatem. Non potestis manus eius evadere. Cum putabitis solidius esse imperium vestrum, tunc preter opinionem subita vos calamitas involvet, delebitque funditus divina iustitia!"

35

Horriguit, ea cum audisset, legatus Venetus, diuque subticuit. Tandem, cum nihil aliud haberet, quo sue civitatis causam tueri posset, sperare se dixit senatum Venetum, quod impresentiarum male fecisset, in posterum erga Romanam Ecclesiam utilibus obsequiis

40 repensaturum. Atque ita e conspectu pontificis abiit. [538]

17. Isidori Rutheni et Prosperi Columnensis cardinalium ac Theoderici Coloniensis archiepiscopi obitus eorumque vite brevissima descriptio, atque electio novi Coloniensis

- 5 Hunc annum viri tres in Ecclesia precellentes insignem morientes reddidere. Primus fuit Isidorus cardinalis et episcopus Sabinensis, qui diu antea percussus apoplexi - uti diximus - perdiderat sermonis usum. Ruthenis hic prefuerat quondam pontifex, borealibus populis Graecanicum ritum servantibus. Cum capta est Constantinopolis a Turchis, legatum illic agebat Apostolice Sedis, iam pridem ab Eugenio pontifice maximo cardinalatus dignitate
- 10 donatus. In cede Christianorum, quae ingens ibi facta est, iacenti cadaveri hominis, qui sibi fuisset similis, vestimenta subtraxit et cum suis permutavit, cuculla et rubenti pileo supra mortuum dimissis. Ipse tanquam unus e plebe captus parvo pretio redemptus est; cadaveri, super quo insigne cardinalatus repertum, caput abscisum et haste suffixum cum pileo per urbem castraque Turchorum per ignominiam contemptumque Sedis Apostolice vectatum
- 15 clamitante precone esse Rutheni cardinalis verticem. Ipse vero paulo post ad Nicolaum pontificem rediit; quem aliquot annis postea defuncto Gregorio patriarcha Constantino-politano - qui anno, quo Mantuam itum est, non sine sanctitatis opinione Romae obiit - Pius pontifex ad patriarchatus culmen evexit, eique fatis functo Bessarionem cardinalem Tusculanum substituit, natione Grecum, genere Trapezuntinum.
- 20 Obiit et Prosper, Sancti Georgii ad Vellus Aureum diaconus cardinalis, Columnensis familie princeps, Martini quondam Quinti nepos, miti vir ingenio, litterarum cultor, et quem nemo potuisset non amare, nisi plus equo Gibellinarum partium studiosis auscultasset, matrisque atque sororis, [illaudatarum] foeminarum nimis frequenter audisset consilia. - In monte, qui Larianus dicitur, imminetque Velitris, et universe Campanie dominari videtur,
- 25 arcem aedificare cepit, neque cessavit prohibente pontifice novum opus erigi; que res antea dilectum extra gratiam Pii posuit. Crevere contentiones, et prope ad experimentum, quid quisque posset, ventum, cum cardinalis aedificium nollet infectum dimittere, pontifex haud pati posset opus surgere. Languit interea cardinalis; langorem meror adauxit ab animo tristi manans, cui nec spes erat pontificem superare, nec persuaderi poterat, ut cederet; hinc atque
- 30 inde pendens expiravit.
- Luxere Romani eum fere omnes, et cardinales et qui Curiam sequuntur exteri. Nec Pius eius mortem non acerbe tulit memor antique benevolentie, quamvis in fine paululum contentionis intercessisset. Mala consilia damnavit Pius, hominem semper dilexit, atque iccirco fratres eius et nepotes et universam Columnensium gentem singularibus favoribus
- 35 prosecutus est. Larianum tamen cardinali Senensi tradi voluit, ne latronum ibi asilum fieret.
- Theodericus quoque hoc anno e vita decessit, Coloniensis ecclesie presul, cum annis [septem et quadraginta] pontificatum administrasset. Tres ei [539]

fratres fuere: senior comitatum Morse gubernavit, unde illustris familie Morsensis nomen; alter ecclesie Monasteriensi prefuit episcopus; tertius ad Traiectensem ecclesiam electus nunquam possessionem adipisci potuit, quamvis per arma temptaverit ingredi.

5 Cunctos ante se fratres premiserat, cum decessit Theodericus, vir sui temporis omnium Germanorum facile princeps. Fuit enim statura eminenti et corpore pulchro atque agili adeo, ut septuagesimum agens annum nullo adiuvante conscenderit equum, et arma non magis gravate, quam iuvenis, gestaverit. (Induunt loricas ac thoraces et galeas episcopi Germanie, et pro necessitate ecclesiarum et aliquando pro sua libidine tanquam reges bella gerunt, intersuntque preliis. An id deceat, non asserimus; moribus multa tribuas, necesse est. Que
10 sunt in una provincia sancte leges, sepe in altera damnantur.) - Theodericus pro sua ecclesia plurima bella gessit clientelis et affinitatibus potens, alloquio blandus, aditu facilis, comitate et liberalitate insignis, circumspectus in rebus agendis et solers. Latinas litteras domi didicit; ut pontificii iuris notitiam adipisceretur, in Italiam venit, Bononieque doctores canonum audivit, atque ibi a Iohanne XXIII pontifice summo Coloniensi ecclesie prefectus, cuius
15 possessionem priusquam assequi posset, decies centena milia auri nummum in bellis absumpsit. Nec minorem summam adversus Clivensem ducem bellum gerens - ut ante diximus - exponere coactus est; que res et ipsum et ecclesiam ad egestatem deduxere. Cum pacem assecutus preterita damna resarciret, rebus humanis exemptus est.

20 Canonici successorem ei elegerunt Robertum Baioarie ducem, Federici comitis Palatini germanum, sperantes eum esse, qui Coloniensi et Maguntine ecclesiis pacem daret. Missi sunt oratores ad Pium confirmationem petentes. Pio res suspecta visa est cum propter fratrem, Ecclesie Romane infensum hostem, tum propter electionem, que parum sincera dicebatur. Nec Federicus imperator eam electionem laudabat eius viri, cuius frater hostis esset Imperii. Accedebant et Philippi Burgundi preces nepotem suum, archiepiscopum
25 Lugdunensem ad eam ecclesiam transferri petentis, nec de possessione dubitantis, cuius amici et consanguinei Coloniensem diocesim suis principatibus undique cingerent. Quibus rebus factum est, ut provisio tam insignis ecclesie aliquandiu dilata sit.

30 **18. Quarti anni consilia atque instituta belli gerendi in Regno et in Piceno, postea pro rerum oportunitate mutata**

Quartus interea iam currit annus belli, quod de Sicilie regno gerebatur, et ver prope aderat, in quo expeditas utrinque copias prodire oportebat; nec dubium, quin multo melior eius
35 Multa Franci minabantur auri montes suis militibus promittentes, [ut est profusa in verbis natio,] neque [540]

promissionum inopia suis rebus deest. Nihil facilius promisso Gallico, nihil observatione difficilius. Si queras, ubi fides, ubi ius iurandum, presto mendacium adest, quo se purgent. - Appropinquante vere nulla apparebant signa, quae partibus Gallicis spem certam preberent. Pertinax odium in Ferdinandum et conscientia criminis et ultionis metus fortem in adversis
 5 animum faciebat: experiri omnia extrema animus erat, priusquam redirent ad eum, a quo per prodicionem defecerant.

Pius pontifex et Ferdinandus et Franciscus Sfortia omnem in celeritate apparandorum exercituum spem victoriae collocant, nec dubitant, quin priores ad bellum prodeant. Cuius gerendi hoc consilium ineunt:

10 - In Calabros, quoniam essent hostes propemodum attriti, illudque dumtaxat afferret metum, quod amici Ferdinandi copiarumque duces potentia et auctoritate pares alter alterius nollent imperium ferre, Alfonsum esse mittendum, regis primogenitum, cui nemo parere dedignaretur quamvis annis minori.

15 - Principem Tarenti frequentibus legationibus verbisque blandioribus in officio retinendum.

- In Apulis eas equitum turmas retinendas, quae hostiles incursiones prohibere possent; tum segetes in agris inimicorum corrumpere, falce magis quam ense utendum.

20 - In Terra Laboris exercitum cogendum ecclesiasticorum, regionum Sfortianorumque, qui, ut primum ematuruerint fruges, in agrum Theanensem Sinuessanumque prorumpens spem messis auferat hosti; abstineat munitas urbes atque arces invadere, ne tempus in cassum terat, frumenta corrumpat pecusque abigat; ubi cuncta vastaverit, relicto Sinuesse duce, quem Rossani principem vocant, dimissis copiis, quae ad tutandam regionem sufficiant, rex, Alexander, Antonius ducesque reliqui unitis viribus in Aprutium traiciant Iohannem Andegavensem et Iacobum Picinimum, ubicunque locorum fuerint, oppugnaturi: impares
 25 illos tantis apparatusibus haud ausuros congregari, in fuga spem posituros; quod ubi Aquilani ceterique Gallicarum partium amici populi animadverterint, non expectabunt infesta ad se signa converti, Ferdinando prius sese dabunt, quam requirantur; in reditu facile Sinuessa Theanumque et alie hostium civitates fame laborantes capientur; sic futurum, ut estate proxima bello finis detur.

30 Cum his mandatis Alexander Sfortia, Antonius Picolomineus et Iohannes Comes, qui ad pontificem venerant, remissi sunt. Statutum quoque est, ne interim Picininus in agrum Romanum excurrere posset. Neapolionis copias augeri, qui ei esset oppositus. Auxit eius exercitum pontifex ad turmas equitum usque duodecim, et Roberto fratri eius stipendia dedit, qui Mattheo Capuano iungeretur alteram Aprutii partem defendenti ad Adriaticum mare versam. Duas quoque turmas equitum ex Piceno accersivit, quae Roberti Mattheique
 35 copiis iungerentur. Cardinalis Theanensis ad res Malatestarum [541]

missus pecunias attulit, ut coactis quam primum copiis cum Federico Urbinatē ceterisque ducibus Ariminum pergeret obsidere.

Hic ordo rerum institutus postea mutatus est, quemadmodum res casusque tulit. Quis enim futura satis praevidit? Nulla mortalibus certitudo consiliis inest.

5

19. Pii ad ostia Tyberina amenissimus secessus, atque eius loci et Portuensis (urbis) iocundissima descriptio, et ingens ac terribilis tempestas

10 Ad hoc usque tempus non viderat Pius ostia Tyberina neque id mare, quod litus Romanum abluit. Invitatus a cardinali Rothomagensi, qui Ostiensis esset episcopus, sub monte Aventino navem conscendit, et quatuor cardinalibus comitantibus amne secundo navigationem gratissimam peregit. Ripe fluminis hinc atque inde virebant gramine leto floribusque variis Maio mense cuncta vestiente, nisi qua veteris ruine mansere vestigia, que plerisque in locis tanquam parietes fluminis alveum coercent. Cum ventum est ad Ostiam, 15 septem maximi pisces in litore sunt oblatis (nostra etas 'sturiones' vocat et in pretio habet; vetus nomen non invenimus, nisi 'lupos Tyberinos' hos fuisse vocatos quispiam voluerit); ducentarum et quinquaginta librarum unius pondus esse dixere.

20 Ostiam urbem condidit Ancus, ex priscis Romanorum regibus tertius. Fuisse olim magnam ruine probant, quae multum agri occupant; mille circiter passibus a mari abfuit. Visuntur dirute porticus et columnae iacentes et statuarum fragmenta; extant et veteris templi parietes marmore spoliati, qui nobile quondam fuisse opus ostendunt; cernitur et pars aqueductus, qui ex locis remotioribus salubrem Urbi invexit aquam. Vetustiora urbis menia et ampliora iam pridem corruerunt, et in angustiorem redacta formam ecclesiam tantum cathedralem et 25 paucas habitantium domos clausurunt, quarum pars in ipsis aqueductibus fundata fuit; haec quoque nostra aetate Ladislaum Siciliae regem destruxisse ferunt. Aperti sunt magna ex parte muri; aedem sacram, quam non ignobilem fuisse constat, incertum, an vetustas disiecerit, an violentia: pars tantum superior extat, in qua est ara maior. Sub ea Eugenio sedente pleraque sanctorum ossa reperta sunt; inter quae Dive Monache, Aurelii Augustini matris corpus inventum Romam delatum est, et apud Augustinenses reconditum, cui [Maffeus] Vegius 30 poeta marmoreum locellum condidit et versibus adornavit. Domus reliquae dirute iacent. Palatium episcopale Ludovicus, Eugenii camerarius tecto cooperuit et aliquantisper instauravit; neque aliud extat edificium, quod inhabitare queas, praeter meritoriam quandam tabernam et turrim, quam Martinus Quintus excelsam et rotundam edificavit ad loci custodiam, ne vectigalia fraudari possent, et quasi speculam, ne hostis ascenderet 35 improvisus. Hanc ferunt - si vera est fama - multo sublimiorem fuisse, quam nunc est; [542]

subsedisse agitatam terremotibus aiunt, et ultra, quam hominis statura est, intra viscera terre delituisse. Huiuscemodi hodie Ostia est, cuius magnum fuit apud antiquos nomen; piscatores pauci inhabitant e Dalmatia profecti et turris custodes.

5 Ager, in quo iacet, triangularis est; partem mare abluit per duo milia passuum, nec minorem partem circuit Tyber, reliquam claudit stagnum, in quo sales fiunt. Aqueductus olim per medium stagnum edificatus hodie pontis usum prebet, et per ipsum ab Ostia rectum iter ad Urbem pedibus patet. Olores in ripa et herba palustri ova ponunt et pullos alunt, quorum greges visere atque audire suave est. Stagnum vix passibus quinquaginta abest a Tyberi, ita, ut facile sit ex peninsula veram insulam facere. Ubi latius stagnum cernitur, stadio patet, nec altitudine hominis profundius est. Coangustatur, cum mari appropinquat, et formam canalibus habet hinc atque inde arboribus septum, in quis dulce modulantur aves. Mari haudquaquam coniungitur nisi tumescente pelago; tunc enim harena, quae inter stagnum et mare litus efficit, undis tegitur, et stagnum inflatum cum mari idem efficit corpus. Tota peninsula graminea est et utilis pecori, quamvis plerisque in locis et presertim circa mare harenis abundat.

15 Ostium ipsum Tyberis maius triremes admittit et naves onerarias non admodum magnas, verum cum periculo, quia non amplius tribus cubitis super harenam efferri aquam ferunt, et harenam ipsam sepe mutare locum. Ob quam rem magistro opus est, qui loci naturam noverit; [pedotam] vocant, eumque mercede conducunt; si quis neglexerit, avaritiam naufragio punit. Huic ostio obiectam fuisse Carthaginem tradunt, nec plus quam quingentis milibus passuum abfuisse, advectasque ficus recentes inde Romam, propter quas argumentum Cato sibi assumpserit delendam esse urbem, quae hostis populi Romani potentissima tam propinqua esset.

25 Iohannes cardinalis et episcopus Portuensis, ubi accepit Pium Ostiam petivisse, ad eum navigans rogavit suam quoque ecclesiam visitari; nec negavit pontifex. Ingrediuntur cardinales et papa navigium unum, et amne adverso trahuntur. - Vix stadia duo adnavigaverant, cum orta est de palatio quodam non parva contentio, in partene Ostie situm esset, an in insula Ostie obiecta. Pontifex Ostiense palatium esse aiebat et Gregorius Lollius, ceteri contra sentiebant. Interrogati Romani, qui locorum gnari credebantur, et naute in insula situm asserebant. Inter Gregorium et vicecancellarium pena stipulata est, cum alter alteri esset adversus: victum sturione mulctandum eius staturae, quae maior esset. Res usque ad reditum varia contentione et spe dubia ducta. Perplexos animos dissonasque sententias flexus fluminis varius et humilitas fecit, quae inter insulam et palatium quasi prata continuarentur; nihil aque procul inspicientibus ostendebat. Adeoque anceps decertatio fuit, ut equitantes per insulam versus Ostiam, quamvis prope palatium ad tria circiter stadia profecti essent, adhuc tamen coniunctum insule palatium crederent, donec cursores [543]

iussi palatium petere flumine impediti victorem Lollium retulere; et mox res ipsa subiecta est oculis.

5 Supra Ostiam miliario secundo Tyber in duas partes scinditur. Pars maior, et que multo superat alteram, ad sinistram decurrit Ostiam versus; pars minor ad dexteram flectitur, et in occidentem vergit - sive natura id iter invenit, sive humana vis effodit. Insulam haec duo Tyberis brachia non parvam efficiunt pascuosam et bubulis apprime gratam. Ecclesia Portuensis in ea iacet detecta; parietes tantum extant et turris campanaria sine campanis non ignobilis. In insula nullum eminent aliud aedificium, verum ubicunque effoderis, marmora invenias et statuas et columnas ingentis magnitudinis. Marmora huc advexisse e

10 Ligusticis montibus mercatores ferunt, atque hic Romanis exposuisse venalia; quorum frusta multa iacent scabra et impolita, litteras numerales duobus in lateribus habentia, quarum unis docente Plinio pondus lapidis, alteris missorum a mercatore frustorum ordinem significari constat. Universa fere supercrescente terra obruta iacent. Insula plana est et herbosa, ambitus decem milium circiter passuum, tempore pacis armentis plena.

15 In parte Thuscie, qua minor Tyberis pars Tyrenum influit pelagus, Claudius imperator portum extruxit circumdato dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo iam salo mole obiecta; quam quo facilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrine Fari, ut ad nocturnos ignes navigia cursum dirigerent. Turris adhuc extant

20 vestigia, quae procul in mari cernuntur; reliqua funditus periire.

 Huic propinqua urbs Portuensis a portu nomen sortita, sive Claudii fuerit opus sive Traiani. Ruinae tantum visuntur: extat porta urbis nudata marmoribus et pars murorum corrupta; cernuntur et gentilium templorum vestigia et Christianarum ecclesiarum cadavera. In medio navale fuit, quod Traiani opus dicunt - et vulgo pro Traiano Troianum vocant -, multarum triremium capax; nunc stagni formam habet oppletum ceno. Olim canale per duo

25 milia passuum a mari portuque naves eduxit, et salsam dulci miscuit aquam. Circa stagnum columnarum ordines nondum omnes cecidere, quibus alligari naves consueverunt. Prope assunt fornices ad servandas merces apti et ampliora officinarum loca ad struendas reparandasque naves idonea. Pamachius patritius Romanus hoc in loco xenodochium edificavit, quem Divus Hieronymus commendat; cuius rei nulle visuntur reliquie. Urbs olim destructa fuit, postea in formam castelli redacta; et id quoque inhabitatum cernitur.

30 Cardinalis Portuensis super ruinis dirute urbis tentoria fixit, et tabernacula ex ramalibus erexit, atque in his Pium pontificem excepit vultu hilari et alloquio blando multa de Traiano locutus, cui successisset Hispanus Hispano. -Reversus Ostiam Pius reperit piscatores delphinum quendam permagnum cepisse, quem Gallici cardinalis Rothomagensis domestici multis modis coctum avidè commederunt, quod id genus piscis in Oceano captum laudatissimum habeant, et inter munera regum existimant; Italici exhorruere sive ob tetrum

35 [544]

odorem commota nausea, sive quod ad crapulam usque sturionibus saturati fuissent.

Delphini captura signum future tempestatis habitum. Nocte, que secuta est, decimo octavo Kalendas Iunii hora circiter tertia mare, quod superioribus diebus semper inquietum atque intractabile fuerat, longe plus solito conturbari cepit. Tempestas exoritur valida; auster ab imis sedibus pelagi aquas evolvit, fluctus immensi everberant litora; audisses quasi gemens et ululans mare. Vis tanta ventorum fuit, ut nihil ei resistere posse videretur. Sevire inter se ipsos, et alter alterum nunc fugare nunc fugere, silvas et obstantia queque subvertere; coruscare crebris ignibus ether, intonare celum, et fulgora e nubibus terrifica ruere, ex quis unum turrim percussit et propugnaculum quoddam, simulque campanam deiecit in terram; parumque abfuit, quin monachum quendam opprimeret somno vinoque sepultum. In proximo armenta bovum stabulabantur, et vacce fete pro vitulis anxie horribilem mugitum emittere: sive tonitrua vererentur, sive lupos in tenebris formidarent. Nox obscurissima, quamvis crebri micarent ignes, terrorem ingeminavit; et tanta vis aquarum e celo cecidit, ut iam non pluvias, sed diluvium diceres, tanquam statuisset orbis Conditor humanum genus iterum aquis involvere.

Cum non essent in episcopali palatio neque in turri diversoria, quae omnem pontificis cardinaliumque familiam capere possent, multi sub tentoriis iacere, et pars in navibus quietem quesivit; inter quos cives Romani fuerunt et nonnulli ex familia pontificis et dispensator domus Rothomagensis. Ii tempestate oborta, cum ventus navim agitaret, et pluvia carinam impleret, metu attoniti, quid agerent, nesciebant. Et dispensator quidem aquam fugiens in aquam se proiecit, parumque ab summersione abfuit; forte fortuna proximus ripe funem apprehendit, et auxilium implorans tandem adiutus flumen madidus ac semimortuus exivit. - Unus ex familia papae apprehenso lumine, quod unicum erat in navi, prosiluit in terram. Tum Romani in tenebris relictis alter amplexari alterum, rogare, ne relinquerentur; miseros se dicere, quibus sine lumine pereundum esset; suam fortunam lugere amarissime, diem ultimum advenisse non dubitare, atque ita complexi madidique rei exitum expectare.

Tentoria ventus cuncta deiecerat; duo erant extra muros oppidi, in quibus familia vicecancellarii decubuerat; hec violentus turbo cum arripuisset, obruncatis funibus perfractisque malis prorsus dilaceravit, et malorum alter prope iacentis viri tibiam casu percussit ac pene disruptit. Fugere omnes tentoriis disiectis, nec per tenebras licebat iter cernere. Vis nymbi inter carduos, qui multi locum obsederant, nudos impulit, et spinis vulneravit asperioribus. Miserabile visu: cruenti tandem et gelu rigentes ac propemodum stupidi ad vicecancellarium pervenere in palatio iacentem et horride tempestatis impetum formidantem. Qui ubi suos vidit relictis tentoriis advenisse nudos, non salvine omnes essent, sed ubi posuissent argentum, interrogavit - tanto est maior auri, quam hominis cura -, nec unquam consolatus est, nisi postquam salvum esse argentum didicit. Tremere in palatio cuncti, nemo sue vite non timere preter [545]

eos, qui (cum) in cena plus solito adbibissent, et in cubiculis humilioribus collocati fuissent, altissimo sepulti somno nihil audivere.

Pius in cubiculo suo pro consuetudine dictare aliquid ceperat Augustino Patritio scribente, et iam quasi horam nihil motus tempestatem parvi faciebat. At cum increbuisset nymborum
5 violentia, et venti muros quaterent, nutarentque parietes, totaque domus tremere, et in tecto
verse tegule huc atque illuc raperentur, timere periculum cepit, et aspiciens parietes ac
laquearia, cum vetusta omnia cerneret, verereturque, ne putrefacta corruerent, iussit
Augustinum surgere, atque accersire cubicularios; quibus advenientibus: „*Afferte*” - inquit -
10 „*Vestimenta, ut domum exeam!*” - Negabant illi utile consilium esse, quia nec foris tuta
mansio esset in pluvia vehementi, nec in palatio locus tutior cubiculo suo. At pontifex:
„*Minime*” - inquit - „*sapitis. Ferenda est magis pluvia, quam ruina domus. Vestite me cito,*
sub divo tegar melius! Muri fatiscunt, et in cubiculo confiditis?” - Obediunt cubicularii. Cum
semivestitus esset Pius, tempestas illico sedata est, et omnes venti quieverunt, tanquam
15 pontifici veriti fuissent incommodum afferre; nec aliud auditum est, quam pluvia. Et Pius
mutato proposito in lectulo suo quievit.

Parem tempestatem perpressus est eadem nocte cardinalis Portuensis in urbe sua
commoratus; qui ruente tentorio atque disiecto sub divo relictus vestimentis sese operuit,
atque ita pluviam et noctem evasit periculosam. Fuerunt et Rome tonitrua non minora,
quam Ostie. - Pontifex sequenti die domum rediit non sine letitia expectantis populi, qui [
20 Tybur petitum credebat,] et ibi per aestatem mansurum presulem.

20. Ovium Aquilinarum maxima multitudo Apostolico Fisco ipso iure applicanda Pii liberalitate Aquitanis ingratis redditur

25 Aquilani per hoc tempus greges ovium, que in Ecclesie pascuis maritimisque locis
hyemaverant, ad montana reducere satagebant. Pontifex violasse Aquilanos induciarum
federa respondebat, qui Picinino Sulmonam obsidenti commeatus prebuissent, atque hostis
copias in suis municipiis admisissent, predasque coemissent in agris Ecclesie factas, et alia
30 quam plurima adversus indutiarum formulam datamque fidem patravissent, propter que
poenam aureorum quinquaginta milium sepe incurrissent; oves pro pena retinendas fore.
Aquilani contra liberas oves dicere, neque retineri posse ob indutias violatas aliudve
delictum, etiam si laesae maiestatis crimen interciderit; ita cum publicanis Ecclesie fuisse
conventum, cum misse sunt oves. Procurator Fisci publicanorum eam potestatem esse
35 negare. Rebus in contentionem deductis pontifex auditores Sacri Palatii ad se quasi ob aliam
causam vocatos iuramento adigit, ut taciti veritatem inquirant, sibi que suum iudicium
afferant: liceatne stante publicanorum conventionem ob violatum fedus Aquilano greges
retinere. Illi tempus deliberationis exposcunt, atque octo diebus inter se dubio discusso
[546]

pontifici nuntiant, in questione proposita quid sit iuris, compertum habere. Pius accersitis cardinalibus publicum consistorium edicit, et Aquilanorum legatos adesse iubet, atque in hunc modum affatur:

5 *"Quamvis duobus de regno Sicilie contendentibus eum Aquilam complecti regem venerarique debeant, cui Sancta Sedes Apostolica regnum decernit, immemor tamen honesti iustique civitas Aquilam, tanquam nihil in se iuris habeat Romana Ecclesia, Ferdinando a nobis rege declarato sese opposuit, Rhenato eiusque filio paruit, duces nostros Ferdinando militantes armis aggressa est, Picinino agrum Ecclesie vastanti peditatum adiecit, nec verita est modis omnibus adversus dominum suum, Romanum presulem hostilem ferre animum. Cum nostri superiores in bello essent, diripereturque rebellium Aquilanorum ager, rogati sumus bellum remittere, atque indutias amplecti. Miseriis filiorum cessare ab armis placuit, temporaneamque pacem Aquilanis elargiri his adiectis legibus: ne hosti commeatus ministrarent, ne Picinini exercitum intra suos fines reciperent, neve predas emerent ex nostris agris ereptas; si contra facerent, aureis quinquaginta milibus totiens mulctarentur, quotiens delinquerent. His communi consensu constitutis greges suos, quoniam alibi per hyemem servari non poterant, ad loca nostra maritima miserunt fide publicanorum accepta, quod nullam ob causam retineri possent. Post haec bis terque violata sunt ab Aquilanis indutiarum federa. Propter hoc diximus perdidisse Aquilanos oves. Vos, oratores eorum, quamvis delictum fateremini violataque*
 10 *pacta, negatis tamen retentioni ovium esse locum publicanorum obstante conventionione. Nos rem omnem ad auditores Palatii nostri retulimus, qui Rotam faciunt, orbemque iudicant: ab his audietis, perditane sint animalia vestra. - Dicite, auditores, quid tandem in hoc dubio ius decernat!"*

25 Tum decanus Rote, vir grandevus, natione Hispanus, qui multos annos reddendo iuri in Apostolico Palatio dedisset operam: „Adsumus” - inquit -, “beatissime pater, capellani tui, auditores Rote. Fecimus, quod mandasti; examinavimus diligenter propositam questionem; factum quomodo se haberet, diligenter cognovimus. Vidimus constitutiones Apostolice Camere, vidimus conventiones Aquilanorum et publicanorum, que super mittendis ovibus intervenire; vidimus indutiarum federa. Aquilanorum notoriam rebellionem et in te commissum lese maiestatis crimen et indutias manifeste violatas consideravimus, invenimusque publicanos tuos non potuisse promittere, que promiserunt, neque tu illorum pactis astringi, que decreta Camere prohibent. Quibus ex causis manifesti iuris esse dicimus Aquilanorum oves absque ulla reprehensione per te posse retineri.”

35 Exin pontifex: „Omnium vestrum hec” - inquit - “sententia est, an aliqui contradixere?” - Aderat Sanctius, unus auditorum, et ipse item Hispanus atque penultimus in collegio. Is assurgens, deinde genua flectens: „Omnes” - inquit -, „ut ait decanus noster, eius sententiae sunt, que dicta est. Ego solus dissentio, et cur dissentiam, inter collegas dixi.” - Tum alii dissensisse quidem Sanctium a se dixerunt, verum dissensionis causam, que pondus haberet, nullam adduxisse. Post hec pontifex:

40 „Audivistis” - inquit -, „oratores Aquilanorum, quae sit auditorum Sacri Palatii sententia. Oves vestrae perditae vobis sunt et facte nostre: iure possumus illas retinere. [547]

Quod si fecerimus, minor erit pena vestra, quam delictum. Nec quisquam, qui sapiat, dixerit non iure factum, quod primum in orbe tribunal iustum censuerit. Possumus ab ingratis et rebellibus filiis penam exigere - non faciemus. Maior erit nostra clementia, quam vestra perfidia. Ite, et animalia vestra, quae iure perdideratis, domum reducite!

5 *Dono ea damus rei publicae vestre quamvis male merenti. Discite, inter ecclesiasticum et seculare imperium quantum intersit! Nemo, qui regem quempiam offenderit, quemadmodum vos Ecclesiam offendistis, ab illo eam gratiam reportasset, quam vos hodie refertis a nobis. Vos deinceps, nisi prorsus fueritis ingrati, Romanam Ecclesiam abstinerebitis ledere."*

10 Resumpsere spiritum Aquilanorum legati his auditis, qui prius quasi attoniti, quo tenderent verba pontificis, expectabant anxii, melioremque longe sortiti finem, quam speraverant, confessi errorem suae civitatis pontifici gratias egerunt. Admirati sunt omnes liberalitatem presulis, nam supra centum milia ovium ea die donavit Aquilanis.

15 Miserat et ante aliquot dies presul ad Aquilanos protonotarium Bononiensem cum decreto Rote, ut in senatu civium perditas oves ostenderet, ac benignitate presulis prioribus dominis recuperatas. Quod ideo factum est, ne legati Aquilanorum suae diligentiae ascriberent, quod benignitate pontificis erat factum. Sed nihil ea res Aquilanorum perfidiae detraxit; acceperunt oves nihil effecti meliores. Non est montanorum natura, quae beneficiis vinci queat; ut asini mulique, ita et montani homines verberibus ducuntur.

20

21. Eversus Anguillarie scelestissimus comes pontificis vite insidias parat; detectus quosdam e suis, quasi pontificis iussu sibi insidiantes, supplicio afficit

25 Eversus Anguillarie comes, dum talia fiunt, nullo unquam tempore perfidiae suae oblitus multa in pontificem machinatus est, si quo pacto perdere eum posset vel ferro vel veneno; Broccardum ad eam rem, precipuum Picinini cancellarium consultorem habuit. Inventa sunt epistole alterius ad alterum misse, in quibus plures modos tentatos fuisse constabat extinguendi presulem, nonnullos adhuc tentandos. Reperta est et Petri Pazii Florentini epistola ad Eversum, qui de nece pontificis ab eo requisitus respondit se Gallis amicum esse, eorum causa nec fortunis suis nec corpori hactenus pepercisse; idem facturum deinceps, verum animam Deo servare velle; pontificis maximi insidiari vite nulli fas esse, neque sine anime detrimento fieri posse; desineret posthac similia ex se querere.

30

35 [Venenum se] Broccardus invenisse aiebat, cuius si vel modica portio sellam tinxisset pontificis, mox illi in ea sedenti vitam eriperet; corrupendum esse aliquem ex Pazalie satellitibus, quibus gestare pontificis sellam mos est; extincto pontifice Ferdinandum prorsus periturum; apud Andegavenses mansurum Regnum, ex quo Picininus Eversusque cuncta, quae velint, obtenturi [548]

sint. Cavit sibi pontifex inventis his litteris, quanto amplius potuit, quamvis divine magis custodie, quam humane se credit.

5 Eversus interea ex domesticis suis quosdam apprehendit, tanquam cum Gregorio Lollio de nece sua tractassent, et apud Vetrallam patrem cum duobus filiis in puteo arido clausisse ibi fame perituros traditus est, ore ita obstructo, ut audiri nullatenus possent; alios aliis suppliciiis peremisse; quibusdam proditionem confessis quasi clemens pepercisse - litteris per Italiam missis, quibus pontificem suae vitae insidiari diceret, ignarus suos mores omnibus esse notos, qui tum se proditum dicit, cum prodere alios frustra tentavit.

10 **22. Secessus Pii apud Albanum gratissimus, et multorum locorum accomodata descriptio**

15 Pius interea celebrato in ede Sancti Petri Dominice Ascensionis festo invitatus a cardinali Aquileiensi, camerario suo monasterium Sancti Pauli, quod est in Albano, visere, ut ea vetustatis loca cognosceret, non invitatus annuit. Profectus eo tres cardinales et domesticam familiam secum assumpsit. Egressus Apia porta per viam, que ducit Neapolim, multas inter eundem ruinas contemplatus est, quarum precipua fuit hyppodromi apud Sanctum Sebastianum et magni confracti obelisci, ad quem dirigere bigarum quadrigarumque cursus consuevere, et Cecilie Metelle sepulchri nobilis; Bovis Caput nunc vocitant. Villas deinde plurimas dirutas offendit, et aqueductus altissimis suspensos fornicibus sepe interruptos. Prope Albanum inter nemora Apia via reperta est atro ac durissimo silice strata, et hinc atque inde frequentes sepulchrorum moles instar turrium spoliatae marmoribus.

20 Ludovicus camerarius in Albano monasterium assecutus Sancti Pauli, quod olim Honorius Tertius pontifex maximus gentis Sabelle fundavit, iam dirutum instauravit; ecclesiam, que sine tecto fuit, reparavit, aedes egregias edificavit, et ubi quondam lupos vulpesque cepit, hortos plantavit, et amenissimum locum reddidit. Ibi fons perennis est, et nihilominus addite cisterne sunt, ex quibus aquae meliores hauriuntur. Aer hic non insaluber, quamvis marinis expositus ventis locus, qui ex Africa perflant. Hic animalia Ludovicus nutrit diversis generis, inter que pavones aluit et gallinas Indicas et capras ex Syria vectas, quarum aures longissime fuerunt et late hinc atque inde pendentes et utrasque tegentes genas. Reformata est sub Ludovico facies loci et monasterium reparatum.

25 Dispar circa ecclesiam suam cardinalis Fuxensis cura. Episcopus is Albanensis est, natu nobilis et dives et potens, et qui ex legatione Avinionensi tantum auri corrasi, ut cives prorsus exhausserit. Ecclesia eius in Albano sine tecto iacet, sine altari, sine valvis; parietes tantum extant hedera vestiti, et ipsi cito casuri funditus; interea capris bobusque stabula prebent. Hos in ecclesia [549]

sua cardinalis Albanensis canonicos instituit, qui dies ac noctes divina persolverent officia!

Albam olim parvam fuisse urbem crediderim, in qua regnavit Ascanius, Aeneae filius, et que de scrofa albos enixa suillos cognomen accepit, sexto decimo ab Urbe miliario distans. Illam delevit Tullius Hostilius traducto Romam populo et in monte Celio collocata.

5 Instauratam deinde et in amplissimam formam edificatam fuisse constat, sicut ruine murorum veteres ostendunt, que non minus spatii ambiunt, quam Bononie menia; a labro enim Albani lacus usque ad castellum, quod nunc Albanum vocant, protendebatur, nec minor erat amplitudo. Extant vestigia privatorum et publicorum edificiorum ex quadrato lapide rare magnitudinis; cernitur adhuc theatrum, cuius pars media monti coherens in ipso
10 montis incisa lapide vetusta sedilia retinet, formamque servat integram, quamvis obsitam rubis; alteram partem ex cocto latere addiderunt fornicibus, qui adhuc extant, innixam compluribus; aquarum conservatoria plurima et ingentia insunt. Baptista Florentinus ex Albertorum familia, vir doctus et antiquitatem solertissimus indagator supra XXX-ta inveniri tradidit, que inter vepres rubosque latitant. Pius quatuor inspexit ingentis amplitudinis
15 nondum collapsa.

Henricus Tertius Theutonice gentis imperator maiorem Albam subvertit ultimus. Super ruinis castellum aedificaverunt Sabelli parvi ambitus, quod nostra aetate patriarcha Alexandrinus destruxit, cum Ecclesie Romane esset infensum; id nunc reparatur, et iam defendi potest. In eo palatium Ascanii adhuc manere dicunt. Falsa res est: terme fuerunt
20 imperatorum, opus magnum ac sublime; altissimi fornices extant, unde calefacte defluerunt aque, vestigia ostentantes. Amplitudo termarum ea fuit, que nunc Albani est, cuius muri ab ipsis ruinis robur accipiunt. Cernitur ad eam partem, que respicit Ariciam, quadrata moles exteriori spoliata muro, e cuius summitate quinque assurgunt pyramides forma rotunda sublimes, quarum tres sectis lapidibus, quibus vestite fuerunt, nudate cernuntur; due adhuc
25 suum retinent ornamentum, quamvis inimica rerum vetustas nonnullos lapides ita commoverit, ut ruinam minentur, et in plerisque locis infensam muris inseruerit caprificum. Hunc vulgo tumulum esse aiunt Curatiorum, qui pro libertate certantes cum Romanis Oratiis trigemini pugnaverunt, atque in pugna ceciderunt; aiuntque duas pyramides additas propter duos Oratios, qui simul corruerunt - quod nobis non fit verisimile. Trigemini enim inter
30 Romam et Albam pugnantes cecidere uno servato, qui patrie victoriam peperit. Ubi res gesta est, illic titulos erexisse maiores crediderim, et ubi sunt inventa cadavera, aut certe non procul inde tumulos excitatos. Albam ex Urbe petenti tres moles ostenduntur vetustate corrose, quas censent Curatiis fuisse dicatas, in agro enim Albano iacent.

35 Retro Albam, qua perflat septentrio, lacus Albanus in valle profunda latitat, quem hodie Castelli appellant a Castello Guandulfi Sabinorum, quod illi supereminet, olim a patriarcha destructum, nunc instaurari ceptum. [550]

- Pius eo se contulit, si quid inesset vetustatis, inspecturus. Mira est eius lacus amenitas; undique rupibus cingitur altioribus, quarum que minor est, Romam versus stadii descensum habet; alie multo altiores sunt et inaccessibiles. Silve omnia tegunt, in quis multa est ilex omni tempore virens. Forma lacus quasi ovi: paulo longior, quam latior; ambitus quinque milibus passuum panditur; aptissimus naumachie locus, quam spectare infiniti populi queant. Aque perspicue et pisces alunt optimos, precipue vero anguillas eximie magnitudinis. Profunditatem lacus quidam inmensurabilem dicunt, cuncti maximam ferunt. - Traditum est bello Vehienti vatem Etruscum dixisse: si emitteretur aqua ex Albano lacu, futurum, ut Romani Vehis potirentur. Factum est emissorium maximi operis, et mons ipse Albanus haud minus, quam duo milia passuum perforatus. Ex qua re ingens utilitas emerit: mole constructe sunt, que perpetuo agitantur; anguillarum inventa captura; agri sitientes humefacti; lacus, ne cresceret, cohibitus. Aquam inde egredientem Blondus hanc esse ait, que ad Sanctum Anastasium tertio ab Urbe miliario decurrit, ac paludem efficit, quam vocant Ad Aquas Salvias. Pius utrinque locum spectavit: et qua egreditur aqua lacus, deductum foramen, et qua ingreditur; utrunque dignum admiratione. Vidit et speluncam in saxo defossam muris vetustioribus amplificatam, templi faciem pre se ferentem et loca, in quis idola fuisse apparet; antrum dixeris, quod ab occidentali parte adiacens lacui driades habitaverint. Media sunt inter lacum et antrum prata satis ampla; sive nundinarum locus sive sacrificii fuit aut spectaculi, nihil ei ad voluptatem defuit.
- 20 Hinc pontifex Albam rediit, et sequenti die ad visendum lacum Nemorensem, cuius ingentes acceperat laudes, sese contulit Apia via profectus, quae adhuc strata cernitur, formosior in plerisque locis, quam Romanorum florente Imperio fuerit, nucis avellane frondentibus atque admodum mense Maio virentibus circum supraque tecta. Iter natura gratissimum prebuit quavis arte superior. Aritie ruine ad sinistram in monte mansere, sub quo reliquie veterum cernuntur edificiorum, quas Bovillas dicunt, et locum esse tradunt, ubi Clodium [occiderit] Milo. Aquae ibi recentes scaturiunt, et agri sunt uberes. A dextris mille circiter passibus stagnum cernitur, cui Aricino lacui nomen imposuere. Ascenditur deinde mons, in quo Cintianum castellum sedet Columnensis familie, a Cynthia dictum, quam et Dianam gentilitas appellavit.
- 30 Sub eo Nemorensis lacus iacet, quem et Diane speculum prisca vocavere Latini, neque ab re; speculi enim orbiculati formam gerit, et aqua in modum vitri perlucida intuentis reddit imagines. Vallem profundam occupat, in quam descensus preceps haud minus, quam duo stadia continet, a summo usque ad imum nemorosus; ambitus duo milia passuum aut paulo amplius complectitur. Circa lacum undique via est, quam possis deambulare, et planities non equalis; ubi minor est, decem passibus coartatur, ubi maior, in CC-tos aut eo plures extenditur. Deinde rupes incipiunt et arduus in montes ascensus. Omnis planities et omnis rupes usque ad supercilium montis arboribus fructiferis tegitur; partem castanee tegunt pulcherrime virentes, partem maiores nuces in ordinem [551]

posite, avellane partem; assunt et mali diversi generis altiores, et sub his humiles mespili; assurgunt et pyrorum plante, et que cotana ferunt et que pruna. Sub his umbre suaves et inaccessa soli virentia prata nullis impedita sentibus. Cum ferax est annus, hinc poma in Urbem, quae plebi sufficiant, afferuntur. Nihil per aestum his umbris delectabilius invenias:

5 aptissima poetis deambulatoria; nusquam excitabitur vatis ingenium, quod hic torpuerit. Musarum domicilia dixeris nympharumque tecta, et si quid inest verum fabulis, Diane latibula.

Sub castello, quod Nemus vocitant, et e regione Cintiani in altero labro lacus sedet, gelide et admodum perspicue erumpit aque fons, et in lacum decurrit; adeo largus et exuberans, ut

10 pistrinorum molas quam plures suo casu rotet. Caruit et hic lacus exitu; Romani emissorium perfosso monte magno labore et longo itinere perfecerunt, unde aqua in lacum Aricinum decurrit, tante magnitudinis, quantam amplexari ulne hominis queant. Quidam hinc fontem habere Numicum amnem existimant, in quo Troianus disparuerit Aeneas; quod minime verum putamus, prius enim Numicus Aeneam absorpsit, quam lacus emissorium fieret.

15 Potuit tamen haec aqua in Numicum postea decurrere, cuius adhuc stagna cernuntur mari proxima, non procul ab Ardea. Iulius Caesar iuxta lacum ad occidentalem partem villam aedificavit, nec respondentem expectationi iussit destrui; ruinae adhuc extant.

Delitias hic Romanorum fuisse precipuas multa indicant, maxime vero navis, quae nostra aetate reperta est in fundo summersa lacus, ulnis fere sub aqua duodecim. Prosper cardinalis

20 Columna accersitis ex Genua nautis, quibus sub aqua degere non fuit difficile, extrahere navem aggressus partem perfractam eduxit, quae formam et compaginem indicavit. Corpus ex ligno larice compactum tres digitos crassitudinis habuit. Pars exterior bithumine oblitata fuit; tum sericeus pannus sive crocei sive rubri coloris adiectus; hunc plumbi laminae operuerunt clavis eneas, quorum capita deaurata essent, ita coherentibus affixe, ut nulla posset aqua subingredi. Pars interior, ne posset igne succendi, post bithumen incrustationem habuit ex mixtura ferri et argille, qualem nostra ingenia non intelligunt; et ea tante spissitudinis fuit, quante et materia interius clausa, ita, ut perspicuum esset ab igne tutum navigium. Et carina quidem corpusque navis in sua digestum membra ita compactum apparuit, cuius longitudo haud minor XX cubitis fuit; latitudo, quae longitudini conveniret.

30 Supra navim edificatam fuisse domum existimant, qualem vidimus in Pado Borsii Ferrariensis aut in Mintio Ludovici Mantuani, et qualibus in Rheno principes electores utuntur. Qui nantes ad ima lacus descenderunt, aiunt in fundo navis arcam ferream seu cupream se vidisse quatuor annulis colligatam et hydriam fictilem, cuius coopertorium eris deaurati fuerit. Hoc opus Tiberii Caesaris arbitratur eo, quod in lacu fistulas plumbeas quam

35 plures invenerint, in quis scriptum esset litteris maiusculis: „*TIBERIUS CESAR.*” Pius pontifex trabes [ex ipsa navi ereptas] in litore vidit ligni laricis, quod abiegno consimile est. [552]

His non sine voluptate perspectis Cintianum ascendit, neque intravit castellum: sub ipsis portis iter habuit. Plebs obviam effusa benedictionem obtinuit, quam optavit. Vidisses grandevos senes pre letitia lachrimantes, qui sese ipsos amplexantes aiebant: „*Et quis putasset nos, antequam moreremur, his in locis Romanum pontificem spectaturos? Deus hac gratia nos donavit.*”

5 Cum rediret Apia via pontifex, invenit diligentia Romanorum locum, qui fuerat ascensu difficilis, factum facilem hinc preciso monte, inde muro ex quadratis amplissimisque lapidibus erecto, qui viam retineret. Hic homo lapides effodiebat, viamque destruebat ex ingentibus saxis parva frusta confidens, quibus apud Cyntianum domum construeret. Hunc
10 pontifex acriter increpavit, mandavitque principi Columnensi, Cyntiani domino, ne deinceps viam publicam tangi sineret, que ad pontificis curam pertineret.

Reversus Albam postera die ad nemora inferiora descendit spectatu digna sub castello, quod Sabellum vocant, unde Sabelle familie nomen inditum. Hic Iturne lacum invisit, in quo Turni soror audita illius morte sese precipitasse traditur. Et huius stagni - sive lacum
15 esse velis - nullus apparet exitus; profunditas parva est et ambitus parvus, pisces tamen alit non paucos.

[Post haec rogavit pontificem] Adoardus Marsie dux, familie Columnensis, Arcem, quam Pape vocitant, ut accedere dignaretur, et si placeret loci amenitas, ibi aestatem ageret. Annuit Pius, mortuo cardinali Columna ut intelligerent omnes nihil minus Columnense genus
20 pontifici carum esse.

In itinere monasterium Sancte Marie Palatioli cognominatum invisit, ibique missarum solemnibus interfuit. Ecclesia est vetusti operis, non magna, uno contenta fornice, cuius vestibulum marmoreis nitet columnis. Insunt monachorum habitacula et officine oportune, quamvis parum nitide et vetustate corrupte. Imminet locus Albano lacui. Saxum excisum est
25 ad tantum spatium, quantum monasterio necesse fuit et horto; spelunce quoque suffosse sunt, aquarum vis magna hic scaturiit, et fontes perlucidi vivaria implent piscium. Delectabile est sub aestu frigiditas et bullientes aquas cernere, que per fistulas emisse sublime saliunt, et ad omnia monachorum opera presto adsunt. Ultra hortum, quem pulcherrime excoluerunt, antrum est ante meridiem semper umbrosum instar aule, in qua plures possint
30 apparari mense. Illinc quoque fons largus emanat perspicue perennisque lympe, que iuxta piscinam implet. Isidorus cardinalis Rutenus, cum per aestatis caumata eo profugisset, in hoc antro plerumque prandium fecit. Olim Cartusienses inhabitaverunt estivum Rome fugitantes aerem; nunc Sancti Francisci monachi tenent, quibus observantia regule nomen dedit. Aditum ad monasterium perangustum pauci facile custodiant; a dextris altissima
35 precipitia in lacum tendunt, a sinistris ingens ac sublime prominet saxum, in quo viam ferro excidit antiquitas. Priusquam monasterium ingrediaris, stat rupes alta pro muro sinistre partis, in qua fasces consulum Romanorum et duodecim secures pro veteri consuetudine sculptae fuerunt; sex hedera cooperuit, sex adhuc¹⁰ visuntur. Pius hederam iussit amoveri antiquitatis memorie favens. [553]

Hinc ad Arcem Pape se contulit, que in alto sita monte munitissima est et loci natura et ope humana. Prosper Columnensis multum adiecit roboris. Una ex parte oppugnari potest, qua itur ad altiores montes, quamvis saxum natura obiecit, super quo turris ingenti murorum mole excitata est; reliquas partes frustra temptaverit hostis, que oppido imminent in pendenti rupe collocato.

5 Exceptus est in Arce pontifex blando et benigno ducis vultu; factaque ibi prandio exivit in prata, que latissima patent ante Arcem. Tum gramine cuncta virebant et floribus. Deinde in silvas processit avellane nucis, sub quibus umbre suaves; mox castanea multa successit et diversi generis arbos. Pratis atque Arci Pape collis supereminet mille circiter passibus altior, 10 et qui omnia superat circumstantia iuga; hunc pontifex ascendit. In cacumine planitiem reperit stadium aut amplius paulo in circuitu complexam. Antiqui per ambitum muri fundamenta extant et saxa ingentia ferro expolita et sacellum in medio dirutum, super cuius ruinis Dalmata quidam heremitorium sibi construxit congestis sine calce lapidibus. Hic olim fuisse aut castellum aliquod aut villam potentis cuiuspian Romani inditio est strata per 15 montem via Appiano silice, quae usque ad summum cacumen adhuc integra perseverat. Nonnulli Gabiorum arcem fuisse coniectant, quia montem Cavarum vulgus appellat, quasi Gabiorum per corruptionem dicere velit. Excelsitas hinc patet, quod Amiate montem - non obstante Cimino, qui medius interiacet - inde cernere licet.

Consedit pontifex aliquantisper cum cardinalibus, et maritimam contemplatus plagam a 20 Terracina usque ad Argentarium montem omne litus Ecclesie metatus est oculis. Intuebatur Centum Cellarum iuga, que novo alumine nostram etatem ditant, et usque ad Romanum portum Tuschorum frequentia litora; tum Ostiam in Latio et in morem anguis labentem Tyberim varios per plana flexus agentem; vidit et Ardeam, Turni patriam silvis undique cinctam et mare versus stagna Numici, ex quis tantum libari Veste fas fuit, et Aricine ruinas, 25 unde matrem divi Augusti ortam memorant, et in colle situm Lavinium a Lavinia dictum, Latini filia, Aeneae coniuge. Vidit et in litore maris Neptunium in Anni ruinis edificatum, cuius populus piscatione, venatu et aucupio vivit: vere coturnices ex Africa redeuntes allectas fistula retibus capiunt; XXX diebus aucupium durat, captura unius diei sepe centum milia coturnicum interficit. Capitur et ibi vis magna palumborum, cum transvolare mare 30 Italiamque relinquere parant. Vertit et oculos pontifex ad Circei culmina montis et iuga fabulosa et Pontiam insulam, Alfonsi regis captivitate nobilitatam et ipsam denique Terracinam, quam Volsci sua lingua Anxur vocavere. Nemorensis lacus et Aricinus et qui de Iuturna nomen habuit, et Albanus haud aliter de monte cernebantur, quam si super eorum labiis consederetur, indeque et magnitudinem et formam ad verum cognoscere licuit et 35 interiarentia spatia, que frondosis eo tempore silvis herbisque tecta virentibus varios atque iocundos expressere colores. Maxime vero genesta placuit, que flore suo magnam cooperuit camporum partem. Roma deinde in conspectu se tota obtulit et [554]

Soracte et ager Sabinus et Apenninum iugum nive candidum et Palumbaria et Tybur et Penestre et in agro, quem nunc Campanum appellant, plurima loca. Cernebatur et lacus Regillus, quem hodie Griphorum paludem vocitant. Tusculi quoque ruine in conspectu fuere; Romani urbem delevere post acceptam cladem sub Federico Primo, quam ferunt fuisse

5 maximam. Regiam ibi magnificentissimi apparatus fuisse Strabo commemorat, cuius adhuc fundamenta visuntur fornicibus innixa quam plurimis; sub quibus Molara deserta iacet. Cernitur et Rocha Prior Sabellis parens et Lucullanum, L. Luculli quondam villa, Frascatum hodie dictum, et Marianum, quod Marinum appellant, Columnensis familie oppidum sedecim stadiis ab Arce remotum.

10 Pontifex omnibus e monte consideratis in Arcem rediit, ibique pernoctavit, exin summo diluculo ad Criptam Ferratam se contulit. Id vetus monasterium est in agro Tusculano situm, Marianum inter et Lucullanum; quo in loco Ciceronis villam fuisse putant, et ibi *Questiones Tusculanas* editas. Cenobium monachi Grecanico ritu barbati colunt, divinasque laudes et officia Grece canunt. Templum vetustum nobili opere constructum Gloriose Virginis, Regine

15 Celorum - cui dicatum est - effigiem pulcherrimam servat in tabula pictam. Luce - ut perhibent - opus evangeliste, ad quam visendam Septembrio mense singulis annis frequentes concurrunt populi; quo tempore et nundine fiunt, que vino madente plebe raro sine cede peraguntur. Aquam monachi more Greco in festo Penthecostes purificant, et in ecclesie vestibulo vase marmoreo clausam toto conservant anno, febricitantibusque concedunt

20 tanquam febris expultricem. Habitacula monachorum et abbatis seorsum egregia sunt et horti olerum pulcherrimi, et qui cetera superat: fons frigidus ac largissimus ante vestibulum ecclesie scaturiens ad omnes officinas derivatur, et piscinam implet late patentem.

Huic monasterio preluit abbas Calaber, homo litigiosus, verum qui multa per iudicium recuperavit amissa. Romani hunc infestum habuere, saepeque ferro perdere temptaverunt,

25 cum possessiones eorum vetustas perturbaret, et antiquas sopitasque dudum lites pergeret excitare. Pius eum in Siciliam transtulit, ibique fecit archimandritam; Criptam Ferratam Bessarioni cardinali Niceno commendavit, qui monasterium ipsum novis ac pulcherrimis aedificiis instaurare cepit.

Pontifex hic prandium peregit, deinde preter opinionem omnium aestu iam excitato via

30 Latina inter multas veterum aedificiorum ruinas Romam repetiit, et Lateranensem ingressus ecclesiam apud aram maiorem cum paululum orasset, inspexissetque templi tectum - cuius partem magnam reparaverat, reliquam reparari mandaverat -, per vias Urbis inhabitatas Transtyberinam regionem intravit, et deinde in Palatium se recepit apud Beatum Petrum, in cuius ede sequenti die sacram Penthecosten solemnii pompa celebravit, et populo benedixit.

35 [555]

23. Blondi Flavii obitus eiusque opera

Pridie Nonas Iunias huius anni Blondus Flavius obiit, historiarum scriptor, natione
 Forliviensis, qui diu secretarium apostolicum gessit, et Eugenio Quarto pontifici maximo
 5 acceptissimus fuit. Ab Honorio Archadioque cesaribus, quo tempore inclinasse Romanum
 Imperium memorant, usque ad aetatem suam universalem scripsit historiam, opus certe
 laboriosum et utile, verum expolitore emendatoreque dignum. Procul Blondus ab eloquentia
 prisca fuit, neque satis diligenter, que scripsit, examinavit; non quam vera, sed quam multa
 10 scriberet, curam habuit. Si quis aliquando vir doctus scribendi peritus opera eius emendare
 atque ornare decreverit, haud parum utilitatis posteris afferet, et se ipsum clarum efficiet
 multarum aetatum gestis, que propemodum sepulta sunt, in lucem redditis. ([Idem fortasse
] de nobis dixerit aliquis, neque ab re - qui etsi vera scribimus, digna tamen atque indigna
 referimus, et elegantiarum expertes indigestam et rudem teximus historiam. Alius olim
 15 fortasse inventionibus Blondi nostrisque lucem dabit, et alieni laboris fructum metet.) Extant
 et alia Blondi opera non parve utilitatis, quamvis caute legenda sunt, ne falsa pro veris
 accipias; in pluribus enim errasseprehenditur. Scripsit *Italiam illustratam*, *Romam*
instauratam et eandem *triumphantem*, quam paulo ante obitum absolvit. Mortuus est Rome
 pauper, ut philosophum decuit; familiam bene institutam reliquit utriusque sexus.
 20 Patrimonium, quod habuit tenue, dotium causa inter feminas divisit; masculis preter
 doctrinam bonosque mores nihil reliquit: id morienti sat fuit, eius aetatis filios dimisisse, qui
 sibi ipsis consulere possent.

24. Catelle fati narratio non contemnenda

25 [Leviusculam rem subiiciemus, at non prorsus inutilem, quippe que parva referens magnis
 consulere potest.
 Catella fuit Pio pontifici virguncula, nondum menses nata undecim. Mussettam vocavere,
 quamvis candidam, haud equidem valde pulchram, verum scitulam et blandam, et que se
 optime nosset insinuare gratamque reddere. Haec in horto sedente pontifice ac legationes
 30 audiente dum querit escam huc atque illuc ducente olfatu, cisternule labrum conscendit,
 indeque prolapsa in aquam cecidit. Nemo cadentem vidit. Summergebatur fessa natando,
 latratu querebat opem; nec quisquam erat auxilio, allatrare cattis pro suo more credebatur.
 Audiit pontifex crebras voces, rarusque - quod erat - sinistri aliquid accessisse catelle, iussit
 35 accurrere famulos ac videre, quid esset. Inventa est in extremo labore, cum se amplius
 sustinere non posset, ereptaque de periculo ad pontificem delata est, apud quem diu
 lamentationem congeminavit, tanquam suum vellet enarrare periculum, sibi que presulem
 misereri. - Postridie in eodem horto cenante pontifice catellam cercopitecus aggressus
 ingens, tum [556]

casu solutus, morsuprehendit. Astantes vix eius ab ore subripuere famuli. Territa ac propemodum exanimata iterum suas querelas Pio presuli diu gemens commemorare visa est.

5 Inditia hec pontifici videbantur catellam diu non posse vivere, que paucos intra dies bis aegre mortis periculum evasisset; neque deceptus est. Bis quinque secuti sunt dies. Ascendit
 10 catella - ut erat sepe solita - fenestram cubiculi, que in vineam respicit et altissima est. Exoritur violentus subito atque horribilis turbo; ventus raptam deorsum precipitat, allisamque saxo exanimat. Quod cum pontifex accepisset: „*Decretum erat*” - inquit - „*violenta morte perire caniculam. Hoc ipsum predixere bis evitata pericula; non licuit evadere tertio. Habemus in animalibus, que doceant homines, exempla. Si quis bis salvus discrimen evasit, tertium caveat: post duas monitiones peremptoriam esse tertiam sciat! Corrigat vitam, priusquam tertio citetur! Impavidus expectat mortem, cuius non habet conscientia, quod remordeat.*”

15 **25. Pius laborantibus Hungaris ab eorum legatis requisitus suppetias mittit**

Legati per hoc tempus Matthie regis Hungarie pontificem adeunt, Albertus episcopus Vesprimiensis et Stephanus Segnie comes. Statuisse Turchos Hungariam invadere dicunt, nec vires Hungaris esse, quibus tanti hostis propulsare impetum queant; periisse superioribus bellis omne robur exercitus, regnum nec vires habere nec opes; nisi externa
 20 inveniant auxilia, nullam spem superesse salutis; orare pontificem, rebus afflictis ut opem afferat, simulque reliquos Christianos hortetur, ne Christiane religionis murum expugnari sinant; murum esse Christiani nominis Hungariam affirmant, quo perfracto facile pateat in omnes Christianorum provincias Turchis iter; occurrendum, priusquam porta pateat hostibus.

25 Pius collaudata Hungarorum constantia, qui annis supra octuaginta cum Turchis pro religione certaverint, stipendia equitum mille missurum se regi pollicetur in annum presentem, hortaturumque reges, qui proximi sunt, ut arma coniungant; in annum sequentem spem longe maioris auxilii prebet, dum medio tempore sibi ipsis et rei publicae non defuerint Hungari. His sponsonibus legati fiducia pleni domum rediere, ubi res multo
 30 deteriores invenere, quam dimiserant, regno Bosne a Turchis interea subacto.

26. Bosnense regnum a Turchis occupatur, rexque gentis contra datam fidem obtruncatur

35 Bosnense nomen apud veteres non invenimus; novum est a Bosna - ut arbitramur - fluvio receptum, qui regnum Bosne interfluens Savum influit. [557]

Provincia vero Bosnensis a Moesia initium capiens occidentem versus media inter Pannoniam et Dalmatiam procurrit. - Rex gentis novus tributum, quod sui maiores iam pridem pendere Turchis consueverant - incertum, qua spe fretus -, petentibus recusaverat, et oppidum, quod ad confluentes Savum Bosnamque hostes construxerant Sclavis et Hungaris magnopere formidandum, expugnaverat. Ea contumelia permotus Mahumetes Turchorum imperator, virus, quod in Hungaros aut alios existimabatur concepisse, in hunc regem evomit. Quod cum ille accepisset, moestus ac pavidus accersito Nicolao Modrusiensi episcopo, qui tum forte Romani presulis in regno Bosne legationem gerebat: „*Tu me*” - inquit -, *”legate, his mersisti in malis, qui eo usque tuis consiliis perpulisti, ut imperatoris potentissimi, cui vix queat orbis resistere, ausus fuerim oppida expugnare. Aufer, quod intulisti, periculum!”* - Cui legatus: „*Sine*” - ait -, *”in Hungariam proficiscar: mox adero cum certis et validis auxiliis. Tu modo in fide permanes!”*

Conceditur eundi facultas. Episcopus Hungaros adiit, et Apostolice Sedis nomine perituris Bosnensibus opem implorat. Hungari exercitum cogunt, Savoque propere transmissis hostem a tergo lacessere statuunt, si forte retrahi ab incepto possit. Utile consilium perfidia interceptum. Unus ex Turchorum ducibus - 'bassam' vocant - XIII-o Kalendas Iunias ingentibus prefectus copiis sub oppido Boboacio, quod regni Bosne caput fuit, castra locavit; postridie imperator consecutus est. Radaces - Manicheus olim, deinde Christianum mentitus - oppido prefectus erat; is pretio corruptus hostem intra menia recepit, suasitque custodibus arcis, ne Turchis rerum dominis resisterent. Tradita est arx munitissima, que facile poterat biennio defendi nulla re indigens. Imperator preter opinionem potitus oppido ad persequendum regem cum parte copiarum bassam mittit. XXX milibus passuum rex aberat in oppido, quod Iazi vocant; eo nanque Turchorum adventu percepto cum thesauris confugerat Dalmatiam petiturus. Bassa cum venisset Iazi, abiisse regem invenit; eumque magnis itineribus consecutus in castello Cluzio clausit, et arcta cinxit obsidione. Ille quarta demum die fame et siti coactus sese cum omni thesauro, quem quinque reges tot annis congregaverant, fidei basse credidit; quem imperator ad se ductum multa spe demulcens facile induxit, ut oppida, que in sua potestate restaverant, reddi iuberet, plura et meliora a se denique expectaturus. Scribitur prefectis arcium: claves munitionesque tradant. Parent omnes, atque ita octo ferme dierum spatio amplius LXX-ta natura et arte munitissima oppida et auri amplius quam decies centena milia nummum ex Christianis opibus in manus hostium pervenere, quamvis non tam re, quam nomine Bosnenses Christianum sibi nomen usurpavere. Rapte matrone atque virgines, templa sanctorum diruta, viri religiosi omni contumeliarum genere affecti, nobilitas omnis ad servitium in Asiam missa; regi paucis post diebus caput abscisum, et cum eo alti sanguinis plerique necati.

Post regem secundum in Bosna caput dux Stephanus fuit, subditorum numero atque auro potens, verum Manicheorum infectus heresi. Filius eius, cum [558]

patris imperium ferre non posset, ad Turchos defecit, quorum armis adiutus patrem bello persequi cepit, eumque viribus imparem ad insulas Dalmatie fugere compulit. At ubi regem Bosne contra fidem neatum animadvertit, veritus Turchorum sevitiam patri reconciliatus est, et cum eo ad munitiora loca se contulit. Regina Bosne, dum perduto regno viroque capto
5 ab hostibus furorem Turchorum fugitat, in manus Pauli cuiusdam, Sclavonie bani pervenit, a quo, tanquam hostis esset, captiva retenta est, quamvis ad eum quasi hospitem declinasset. Ipse vero non multo post, dum Turchis agrum suum vastantibus occurrit, cum quingentis nobilibus circumventus ab illis occiditur, atque ita violati hospitii penas persolvit. Bacchari undique per Bosnam Turchi, abdita queque scrutari, nihil intactum relinquere, vicinas
10 regiones incursare atque predari. Prope rex Hungarie aderat cum copiis, qui ubi per transfugam insidiari sibi Turchos accepit, insidias contra tetendit, Turchorum ducem quendam cum quatuor milibus militum circumvenit, congressusque vertit in fugam, ac persecutus trucidavit fere omnes. Hoc tantum solamen post amissum Bosne regnum Hungaris datum.

**COMENTARIORUM PII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI LIBER
DUODECIMUS ET ULTIMUS INCIPIT**

**5 1. Soranus dux a Pii exercitu Sora et maxima agri sui parte mulctatus pacem
petit**

Neapolio, dum ea geruntur, ecclesiastici ductor exercitus coactis duodecim equitum turmis ac mille fere peditibus in agrum Soranum ducit Petri Cantelmi, superbi atque insolentis ducis, qui iam pridem Pio pontifici fuisset infensus, temeritatem atque insaniam correcturus; ac prima incursione castellum adortus Casale vi capit militique tradit diripiendum, lateque vastat agros, et iam maturescentes quaquaversum corrumpit segetes. Insulani primi agrorum vastitatem perpessi deditionem faciunt stulto consilio, qui non ante se dediderunt. - Id est oppidum agris Ecclesie conterminum, aquis undique cinctum profluentibus ripis altioribus. Fluvium, qui ambit Insulam, Viridem vocant; aut Lyris hic est, aut in Lyrim cadit, trutis abundans, nusquam vado circa Insulam transmittendus. Situm oppidi hunc perhibent: flumen de superioribus partibus quiete placideque labens saxum offendit latum atque altum, a quo duas in partes discissum hinc atque inde in subiecta baratra preceps ruit, circumdatoque non sine querelis ac murmure aliquanto terre spatio rursus in unum coit. In saxo, quod aquam dividit, arx iacet natura ipsa et arte munita; reliquam insulam oppidum tenet arce humiliter; inter utrunque educta fossa aqua compleri potest, oppidanos ab arce prohibens.

Obtento per deditionem oppido restabat arx difficilis expugnationis, flumine atque altitudine defensa. Tentare etiam difficilia placuit, nec ceptis audacibus fortuna defuit. Bombarde trans fluvium collocantur illic arcem quassature, qua diximus surgere saxum, quo flumen scinditur. Oppugnatur pluribus diebus arx, nec spes ulla victoriae datur, nisi postquam concussa frequentibus bombardarum lapidibus maior turris ruinam fecit, casuque suo iter prebuit - quamvis arduum -, quo scandi posset. Tum miles Aethiops, qui pluribus annis inter servitia Neapolionis fuerat, tandemque militiae sese dederat: „*Video*” - inquit -, *”commilitones, apertam in arcem viam, et ruinam turris scandere licet. Capta est, si mihi creditis, arx, meque sequimini: ibo primus atque iter aperiam. Audete pariter mecum, nec me solum ire sinite!”* - Quibus dictis lancea trans aquam in ruinam turris emissa, proiectis vestibis nudus in aquam prosilit, celerique natatu traiecto flumine, comprehensa lancea, tetro niger aspectu superare molem nititur. Sequuntur exemplum, quicumque sunt in castris audaces; impletur natantibus aqua; duos vis fluminis vorticibus absortos in precipitia rapit, casuque magno in prerrupta saxa devolvit, quorum alterum evasisse perhibent. Reliqui ad Aethiopem salvi perveniunt, simulque mole conscensa - mirabile dictu! - armatos pro muris stantes, saxa telaque iacentes defensores arcis nudi hastisque tantum armati loco deturbant, atque arcem ingressi cuncta diripiunt. [561]

Audax facinus et incredibile, nostra tamen aetate gestum: virtus Ethiopis, quod inexpugnabile credebatur munimentum, expugnationi subiecit. Posteritas fabulosum putabit; nam quo pacto verum existimabit ventura aetas auditum, quod nostra visum somnio ducit simile? - Qui capti sunt in arce, ubi se predam videre nudorum, supra quam dici possit merore affecti sunt, quod fabula deinceps et irrisio plebis futuri viderentur.

5 Arpinum deinde itum est, nobile olim Romanorum municipium, unde C. Marius et M. Cicero originem trahentes alter armis, alter litteris urbem illustravit. Dedere se Arpinates Ecclesie nihil morati; arces due, quas dux Soranus in oppido muniverat, vi capte sunt. - Arpinates fere omnes aut Tullios aut Marios appellari hodie perhibent, eo pacto clarissimorum civium conservari memoriam apud se ratos.

10 Sorani, cum accepissent arcem Insule expugnatam, Arpinum quoque deditionem fecisse, legatos ad episcopum Ferrariensem misere, qui pontificis legatus erat in castris, pariturosque se mandatis eius obtulerunt, haud alium, quam Romanum pontificem habituri dominum; tedere se tyrannice dominationis; Romane Ecclesiae paternum imperium esse; ei se libenter obedituros. Annuit conditionibus episcopus, Soranamque urbem pro Romana Ecclesia sese dedentem accepit. Loci episcopus eius rei precipuus extitit auctor.

15 Dux Soranus his acceptis vulneribus pacem petit aut saltem inducias belli, quibus durantibus a summo pontifice pacem valeat impetrare. Conceduntur inducie paucorum dierum tribus munitissimis oppidis ab eo receptis ea lege, ut nisi gratiam pontificis obtineret, sciret se ea oppida prorsus amisisse. Venere legati ducis Romam; pax hoc modo convenit: iussus est dux Soranus monasterio Cassinensi, marchionisse Pischerie, comiti Populi, germano suo et aliis plerisque, quecunque abstulerat, quam primum restituere; Sora, Arpinum, Insula, Castellutium, Domus Oliverii, Fontana et alia pleraque loca apud Ecclesiam remansere; perpauca ei et parvi momenti reddi iussa. Sic mulctatus coercitusque Sore dux relictis Francis ad imperium Ferdinandi rediit decreto pontificis factus certior, quod a rege non possit contumeliam ferre.

30 **2. Expugnatio Pontis Corvi et Rocche Sicche. Antonii Spinelli pertinacia atque mors, et monasterii Cassinensis oppidorum recuperatio**

35 Soranis rebus peractis exercitus ecclesiasticus ulterius profectus Pontem Corvi, nobile oppidum in potestatem accepit. Alfonsus Sicilie rex id oppidum ab Eugenio quondam armis abstulerat, Iohannes, Renati filius Ferdinando demum ademerat; hoc bello ad verum dominum rediit. Roccha deinde Siccha per deditionem accepta est; arx viribus expugnata, quamvis in alto sita monte inaccessibilis videretur; ea Ferdinandi nomine capta. [562]

Proximus his locis erat Antonius Spinellus, Gallicarum partium precipuus assertor, et qui omnium conspirationum adversus Ferdinandum patratarum fuisset incentor. Huic munitissimum parebat oppidum - Vilelmi Roccham vocant -, ex quo tempore belli octingenti pugnatores, et quidem - ut montani - feroces ad pugnam exire solent. In montibus situm
 5 arduos habet aditus, quos adversus quam plurimos pauci custodiant. Mittuntur nuntii, qui Antonio amicitiam Ferdinandi suadeant. Respuit ille Aragonense nomen, ac mandata cum derisione contemnit. Neapolio duo eius castella invadit primoque impetu capit. Cuius rei percepto nuntio Antonius senio gravis subito merore concussus exanimatus cecidit, nec locutus quicquam in subitam mortem clausit oculos -[fidem, quam Francis dederat, ad
 10 inferos secum ferens, Aragonensibus etiam sub terra futurus hostis.] Mansere filii eius et fratris filii de successione contententes.

Oppidani arcem in suas manus receperunt, hisque tandem legibus cum Ferrariensi episcopo ac Neapolione convenerunt, ut litem de successione Antonii papa decideret, arx et oppidum ei pareret, cui Sedes Apostolica hereditatem adiudicaret, victor Ecclesiae vassallus
 15 esset, nec regno Sicilie nec Ferdinando quicquam deberet. Accepta est conditio, ne tempus ibi frustra tereretur. Deinde castella pleraque ad Cassinense monasterium pertinentia, que Gallici occupaverant Alfonsi exempla secuti, recuperata sunt ac monasterio reddita, quod iam pridem spoliatum atque direptum hoc denique tempore sub Pio pontifice restitutum et instauratum est.

20

3. Cur Veneti bellum Turchis indixerint; eorum deinde metus. Bessarionis cardinalis Niceni ad eos legatio auxiliaque Raguseis decreta

Veneti, priusquam rex Bosne caperetur, accepto nullum esse in Peloponneso Turchorum exercitum - imperatorem nanque in Bosnam profectum omnes fere copie secute fuerant -,
 25 tempus advenisse rati, quo maximam nobilissimamque totius Grecie cherronnesum sibi subiicere possent, ingentem classem instituerant prefecto Loysio Loredano, ingentis spiritus - ut existimabatur - viro, quem sub specie Euboeae defendende in Orientem navigare iusserant potestate concessa, ut si sibi e re publica videretur, bellum Turchis inferret,
 30 Peloponnesum illis ceterisque possessoribus, quocumque posset modo, eriperet. Aderat Albanensium favor, Venetorum imperium ultro vocantium, quorum ingens multitudo Arcadie ceterosque peninsule montes inhabitat Grecis infesta. Equitatus ex Italia peditatusque numerosus transvectus erat, ex Creta sagittariorum tria milia fuerant accersita, ex aliis insulis alia auxilia convenerant, nec dubium erat, quin Albanis in castra Venetorum
 35 venientibus exercitus supra XXX milia bellatorum posset ad pugnam educere. Belli causae iniuriarum propulsatio et [563]

Christiane religionis defensio pretendebantur, Argolica expugnatio et [Leponti] direptio contra federa Turchis obiiciebatur.

5 Nihil horum classem armare tam validam tantasque sumptus facere coegit Venetos. [Non est mercatoribus cura religionis, nec ultionis causa populus aurum depromit avarus; nihil plebi nocet salvis infamia nummis:] dominandi libido et insatiabilis ardor habendi tot apparatus facere, tot subire sumptus persuasit [Venetis.] Peloponnesus quanti esset emolumenti, norant, cuius vectigalia auri CCC-ta milia nummum quotannis afferrent. Arcem hanc olim Graeciae vocitatam non ignorabant in medio maris sitam, quod Asiam, Syriam, Aegyptum, Libyam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Illyricum, Macedoniam, Epyrum, Boetiam, 10 Atticam, Thessaliam atque omnes Thracias abluit, et Euxino miscetur pelago; aptissimam ad orbis commertium regionem veramque mercatorum sedem, vino, tritico et omnibus, quae vite humane requirit usus, abundantem. Incessit cupido prediviti provincie dominandi; aurum dedere, ut aurum augerent; [naturam suam secuti sunt: ad mercatum et nundinas exivere.] Ad hoc urgebat urbs populo plena, quae iam se ipsam ferre non poterat. Creverant 15 mirum in modum ii, quos vocant nobiles, urbis regimini presidentes, [quamvis sordidis mercature muneribus omnes inserviant;] emittendam esse coloniam existimabant, neque usquam locari posse melius, quam in Peloponneso. Hae vere classis armande cause - aliae fictae. [Stulta] eius cogitatio est, qui preclara persuaderi posse populis arbitratur, nisi palpabilis adsit utilitas.

20 Meditabantur Veneti iamiam suam esse Peloponnesum, quando nuntiatum est regem Bosne a Turchis captum, omnemque prorsus Illyridem in periculo versari maximo. Renuntiant audita pontifici; Christianos omnes per litteras in auxilium vocant, reique sue maxime timent, qui alienis pauio ante imminebant, nec satis domi securi sunt, qui foris terrere alios coeperant. - Ragusei quoque et Georgius Albanus et despotus Arte et alii quam 25 plures Romam mittunt consilia atque auxilia petitum.

Pontifex, quoad potest, omnibus consulit, Bessarionemque cardinalem Nicenum, Apostolice Sedis legatum Venetias ire iubet, qui senatui spem auxilii prebeat, metumque hostis auferat, vocaturum in arma pontificem Christianos reges asserat, futurumque brevi - 30 si Deus annuerit -, ut ingentes copie sub vexillo Crucis adversus Turchos educantur. Raguseis peditum manus visque non parva frumenti auxilio decreta.

4. Pontifex Urbis caumata timens Tybur secedit

35 His constitutis pontifex Urbis caumata veritus celebrato apud aedem Sancti Petri martyrii eius festo, sequenti die Tybur concessit. In quo itinere Salone fontem non sine voluptate animi spectavit. Due sunt scaturigines Anieni propinque, decimo ab Urbe miliario distantes, adeo copiose, ut molam vertere singule facile queant, ubi casus aliquantisper adsit. Perlucida est unda et ad [564]

modum frigida; quae res incautos per aestatem multos exanimat. Cardinales novem in itinere papam secuti cum eo apud alterum fontem decurrentemque rivum in tabernaculis pransi sunt, quae de ramalibus excitaverant famuli. Prandium - ut pontificem decebat - copiosum et lautum fuit; cuius multe reliquie remansere, quamvis sexcenti et amplius viri ad saturitatem edissent. Illic, dum ferveret aestus, dulces inter cardinales et papam fuere sermones. Ventulo deinde suborto, qui spem falsam temperati aeris prebuit, iter continuatum, et sub ipso solis occasu ventum Tybur.

5
10 **5. Regionum excursio in agrum Theanensem, Sinuessaneque planitiei direptio, ac vanus tractatus pacis inter regem et Sinuessanum**

Ferdinandus hoc anno - sive negligentia, sive perfidia suorum ducum, sive quod erario prorsus exhausto stipendia militi dare non potuit - longe serius, quam constitutum esset, exivit in castra; nec Sfortianos ex ordine dato secum duxit, sex tantum et XX-ti equitum turmis, peditum duobus milibus in expeditionem coactis. Cum his profectus in agrum Theanensem vicinasque regiones Sinuessano duci parentes fruges iam maturas ac falcis egentes passim corruptit; nec potuit hostis impedire vastationes agrorum, quamvis equitum ordines sedecim expeditos in armis haberet. Miles lucri avidus alienam messem suam fecit; usi falcibus pedites manipulos in areas comportavere, everberatisque diligenter paleis excussere triticum Capuanisque vendidere. Modiorum supra ducenta milia frumenti et hordei ex hoste rapta perhibentur; quod asportari nequivit, conculcatum exustumque est, et omnis agrestibus spes messis adempta.

Restabat ager Sinuessanus frequentibus aedificiis, que vocant casalia, plenus, vini frugumque ferax et rebus abundans universis humane nature amicis. Beatum dixeris et celi clementia et ubertate soli. Hunc ab orienti sole borealique vento montes altissimi claudunt, a meridie Tyrrhenum pelagus, ad occiduas partes Lyris excipit, amnis profundior, quam vadari queat, et latus triremiumque capax. Qua navibus transmittitur, turris antiqua et in arcis modum munita custodit aditum. Unicus erat per planum introitus ab orientali parte inter montem et mare perangustus; hunc quoque deducta fossa excitatoque vallo prorsus insuperabilem reddiderant; arx quoque ad radices montis sita natura et arte munitissima hostes ab aditu prohibebat.

Secura intus omnia et tranquilla pax, Sinuesse tyrannus cetera in manu fortunae posuerat: Sinuessanam planitiem totius belli expertem existimabat, hostesque ingressuros eo non modo non verebatur, sed neque ingredi temptaturos. Subditi eius ex propinquis regionibus, quaecunque habuere carissima, huc tanquam in tutissimas munitiones asportavere. [565]

Ferdinandus nocte de quarta vigilia Robertum Sancti Severini et Antonium Picolomineum cum peditatu equitatusque parte montem editissimum arci, quam diximus aditum custodire, imminentem et pene inaccessibilem occupare iubet. Ipse iam albescente aurora cum reliquis copiis movet; cumque hora diei ferme tertia ad ipsum aditum pervenisset, quem Ad Turrim Balnearum vocant, acies tantisper immorari precepit, dum classis, que plenis ferebatur velis, Villa Marina prefecto - terra enim et mari statuerat hostes aggredi - litori applicaret.

5 Interim temptata levi prelio cum foeliciter succederet, milites superatis primo impetu fossis vallum ascendere; quibus principio deiectis cum mox magis magisque irritatis animis alii atque alii ascendissent, peditesque, qui montem occupaverant, de superiori loco
10 impetum etiam facerent, regius exercitus, antequam classis eo appulisset, vallo potitur. Quo statim effracto duo primum equitum ordines immittuntur, qui cum equitatu hostium trans vallum congressi illum fugant. Accurrit cum reliquis copiis tyrannus Sinuesse; interea regii vallum transmittunt; instauratur prelium ab hoste fugato. Fit maior a regis impetus, quem cum sustinere hostes non valerent, terga et ipsi vertunt. Instant regii longeque persecuti
15 fugientes multos capiunt, nec fit insequendi finis, donec ad Divi Francisci templum, quod sub ipsis Sinuesse moenibus situm est, eos compulerunt. Equites galeati circiter quinquaginta capti, in his Acciaiulus Florentinus, Pandolfus Pandonus, Ursus Anguillaria, Iohannes Archonus et Sanctius Charillus equitum prefecti, gregariorum vero militum magnus numerus. Tyrannus ipse Sinuesse abiectis armis ac faleris equique tegumentis
20 incisus fuga salvatus est, equo inter fugiendum pene exanimato. Vici, qui plurimi in agro Sinuessano sunt, direpti pene omnes, et in his multi mortales capti, tandemque ad multum diem cum ingenti preda in castra reversum.

Sententia regis ducumque fuit ad ipsum Francisci templum castra ponere. Sed cum munitiones valli defatigato iam milite dirui non potuissent, nec fosse impleri, quae
25 duodenum erant pedum, traducique impedimenta nullo modo valerent, et iam vesper esset: placuit ea nocte castra ad ipsas fossas habere, hisque post aequatis munitionibusque deiectis Sinuessam cum omni exercitu petere. - Sequenti die excursus est totus ager Sinuessanus, tantaque vis pecorum abacta, ut boves aureo nummo venirent, sues argenteo; mercatores e
30 Gaieta navibus advecti predam coemerunt. Irrupere Sinuessani in palantes regiones, ceperuntque nonnullos pedites, sed accurrentibus equitum cohortibus repulsi sunt non sine damno. Castra secundo a Sinuessa miliario locata, et ad portas usque predando discursum.

Vocatus a rege Neapolio cum copiis ecclesiasticis permittente pontifice non est adversatus. In itinere pleraque oppida citra Lirim expugnavit Sinuessani tyranni, quae Fundorum comiti
35 in sortem cessere. Auxilio Sinuessani Iohannes, Rhenati filius cum duabus equitum cohortibus peditibusque ducentis profectus haud spem tantam obsessis dedit, quin concordia tractaretur. Missi legati ad regem indutias petivere paucorum dierum, donec de legibus pacis conveniret. [566]

Rex pacis tractatum non abnuit, indutias negavit; oppugnatumque interea misit turrin, quam diximus fluminis transitum observare, que paucis bombardarum ictibus concussa ruinam fecit, et aliquos ex custodibus interfecit; reliqui pavore attoniti sese dederunt. Turris altera in ostio eiusdem fluminis sita multo munitior fuit; nec tamen prefectus eius expectare bombardas presumpsit, pactus salutem e vestigio cessit. Arx imminens vallo regionum impetu perfracto et Turris, quam vocant Ad Balneas, ipsa die introitus intercepte fuerunt, et postea incense atque dirute.

Interea de pace actum. Antonius Triciensis ducalis legatus a Sinuessano vocatus, postquam aliquandiu collocutus est, persuasisse tyranno federa pacis existimavit adeo sibi certus, ut ad regem reversus olive ramum in manu gestaverit, regique certam spem concordie fecerit; postera die Sinuessani legatos in castra venturos obsignatamque concordiam allaturos. Crediderat mendaci Antonius magno captus errore, qui periuri hominis iuramento fidem prebuit. Non venere legati, ut erat conventum. Excusatio ea pretenditur, quod Francisci Mediolanensium ducis non eam attulisset Antonius auctoritatem, que obligare illum posset; generale quoddam mandatum ostensum, cui non satis confideret; concordie se tamen cupidum esse; orare, ut mittatur Colantionius, compater suus: ei se fidem habiturum. Mittitur Colantionius, dicuntur concordie leges, acceptantur, omnia placent. „Vade” - inquit Sinuessanus - „certioremque regem facito me postridie procuratores missurum, qui conventa inter nos meo nomine publice amplectantur, et in verba Ferdinandi iurent.” - Cui Colantionius: „Antonio” - inquit - „Triciensi hoc idem promisisti, nec servasti fidem. Cave, ne me fallas! Si non est animus ea facere, que polliceris, nunc potius negato, nec me vana spe deludito!” - Ad ea Sinuessanus: „Perge! Certa sunt, que promitto, non mutabor.” - Ostensoque filio impubere, qui coram aderat: „Hunc” - inquit - „fame compellar edere, si te fefellerit!”

Mentitus et huic est. Vana fuere promissa. Non posse se his mediatoribus credere Sinuessanus ait, viris maioribus opus esse. Adest Ferrariensis episcopus apostolica auctoritate preditus; et huius quoque potestas non sufficere dicitur. Accersitur e Benevento frater eius, cardinalis Ravennas, Apostolice Sedis legatus; iterum atque iterum de concordie legibus agitur, dantur verba, nec certi quicquam excuditur. Quanto diligentius concordia queritur, tanto plures Sinuessanus more causas annectit, difficultatesque ingerit ampliores.

6. Infausta Montis Aragonum obsidio. Subitus Sinuessanorum in regios insultus, atque Antonii Picolominei et sociorum egregia virtus, et rursus pacis irritus tractatus

Interea rex ad oppidum, quod Montis Aragonum vocant, castra locat bombardasque admovet, que nullo usui fuere - sive magistri negligentia, sive quod **is** erat loci situs, ut ledi bombardis nequiret: emissi lapides intactum oppidum [567]

preteriere. Spes erat siti oppidanos ad deditionem compelli posse prohibito ad fontem aditu, unde aquari solebant, cisternisque omnibus per aestum exhaustis. Iugum montis erat, unde Sinuessanis ad ferendum obsessis opem patebat iter. Hic Ferdinandus castellum ex materia excitat, imponitque custodes, qui Sinuessanis prohibeant transitum; his [Possa]
 5 prefectus erat Senensis, bellator egregius. Paulo inferius ad bombardarum custodiam Antonius Picolomineus locum sortitur. Castra regis sub monte quingentis passibus assunt. Marcus Cremonensis, qui paulo ante ab hoste defecerat, fontem observare iubetur, ne oppidani per noctem aquentur.

His ita constitutis Sinuessanus mille aut amplius pedites robuste iuventutis eligit, iubetque
 10 intempesta nocte vias hosti non cognitae ire, Antonioque vel capto vel fugato bombardas rapere. Falluntur excubie regionum, priusque castellum ligneum a Sinuessanis invaditur, quam audiri hostis adventus queat. Oppugnatur in tenebris castellum, defenditur summa vi. [Possa viri] fortissimi officio fungitur, socii quoque pro sua quisque virili audacter hostem repellunt. Sed parva inerat manus, et hostium multitudo castelli munimenta parum firma disiecit. Sagittariorum ordo quingenta simul tela unico iaciebat impulsu. [Possa] multis vulneribus confossus et omnes, qui cum eo erant, vulnerati capiuntur. Curritur ad tumulum, in quo erat Antonius et Iohannes Comes Romanus. Exoritur clamor, cum primum ad tentoria ventum est: vix spatium, quo sumerent arma, Iohanni et Antonio datur. In tenebris tanto maius est periculum, quanto minus cernitur. Ruunt ex monte Sinuessani impetumque
 20 in Antonium faciunt; qui postquam arma induit, et Iohannes affuit: „En, age” - inquit -, „Comes, hunc servare locum promisimus. Aut hostem fugare oportet, aut hic mortem oppetere. Me vivo non auferet Sinuessanus machinas fidei mee creditas!”

- Laudat Iohannes Antonii propositum, amboque hosti sese obiiciunt; sequuntur quatuor tantum sexve famuli. Pelluntur Sinuessani, qui priores irruerant. Armantur interim commilitones Antonii eique iunguntur; augentur et Iohanni vires, sed magis hosti catervatim ex monte Sinuessanorum multitudine descendente, et iam egre defenditur tumulus. Currunt ad bombardas hostes, minoresque rapiunt. Egrediuntur ad pugnam oppidani, res summo in periculo geritur.

Marcus Cremonensis audito tumultu ratus, quod erat, propere cum cohorte suorum
 30 accurrit, mediumque se pugne infert neutri parti cognitus et utrique suspectus. Is ubi timere hostes animadvertit, edita voce, qua posset internosci, in hostes impetum fecit. Secuti sunt alacres Iohannes et Antonius. Hostes terga dedere, dimissisque bombardis et omni preda, non paucis eorum cesis in montem diffugerunt; oppidani intra munitiones trepidi sese receperunt, cum iam albesceret. Sic eius noctis evitata pericula.

Sinuessanus, qui precedenti die omnem concordie tractatum abruperat, ubi frustra temptatas insidias animadvertit nocturnumque prelium male gestum, premissis pro sua consuetudine falsis excusationibus denuo pacem flagitat. Interventu cardinalis pluribus diebus res agitur. Cum composita omnia sunt, nec iam aliud restat, quam formulam ipsam subscribere atque obsignare [568]

concordie, Sinuessanus novam adiicit difficultatem: usque adeo regem offendisse se ait, ut veniam sperare non possit, nisi filio suo filia regis nubat. Fit voto eius satis: promittitur matrimonium et postulata dos; certissima in alteram diem expectatur concordia.

5 Interea venti sive australes sive alii nubes cogunt imbresque copiosos excitant, cisternas
obsessorum implent, et que unica erat obsessoribus: capiendi per sitim oppidi spem omnem
adimunt. Afferuntur et Tarentini principis littere Sinuessano, ne regi concilietur, suadentes,
auxiliumque promittentes. Quibus erectus perfidi hominis animus novas in dies concordiae
10 moras invenit, et nova querit federa. Cardinalis se verbis retineri cognoscens, indignatus
tandem e castris abit Beneventumque repetit. Rex obsidionem non sine suo dedecore Montis
Aragonum solvit, qui parum explorato consilio et plerisque contradicentibus eo castra
locaverat. - Cui non succedit conatus, hunc stulte meditatam existimat populus.

15 Erat in castris regiis Romanus quidam, Gentilis cognomento Molara, quem dux
Mediolanensium pacis causa sepe ad Sinuessanum miserat. Hic reversurus Sinuessam
contendit, conveniensque tyrannum, cur pacem spreverit, et cur totiens mentitus sit,
percontatur. Cui tyrannus:

20 „Nulli mentitus sum, nisi compatri meo, et id quidem confidenter: ita mos patrius est
inter compatres nulla servari promissa. Reddet ille vicem, quando voluerit, mendaciumque
mendacio pensabit. Quod pacem mihi meisque subditis necessariam non amplector,
diffidentia est: regem dolo interficere sum conatus; non possum sperare veniam. Exiget
aliquando tanti flagitii poenas rex - quis dubitet -, si eius incidere manus. Nisi magnos
expromissores habeam, non possum quieto esse animo." - Cui Gentilis:

25 „At Mediolanensium principem Antonius Triciensis expromissorem dedit, cardinalis
papam! Cur tantis nominibus non credidisti?" - Ad ea tyrannus:

30 „Cancellarioli me sequi fidem iubes? Non est Antonii ea dignitas, cui tuto possim meam
salutem credere. De cardinali quid dicam? Nunquam mihi sacerdos aliquis placuit; beatus
fuerim, si presbyteros, ubicumque reperti fuerint, laqueo suspensos viderim. Perfidum
genus hominum atque indignum, cui principes auscultent. Bene cum genere humano fuerit
actum, si hec hominum pestis nusquam inveniretur!" - Cui Gentilis:

35 "Iratu es" - inquit - „et incomposite mentis verba profaris. Qui sacerdotes odit, et Deum,
cui ministri sunt, odit. Vale! Si quid mandas, hero meo libens perferam." - Tum
Sinuessanus:

„Commendato me" - inquit - „duci, dicitoque, ex suis aliquem mittat virum auctoritatis,
cui credere possim. Omnia faciam, que iubebit." - Subiecit Gentilis:

35 „Parebo, quamvis scio non plus ponderis his esse tuis verbis, quam superioribus." -
Indeque digressus pontifici apud Tybur agenti hos sermones exposuit. Rex alia via
Sinuessanum aggredi proposuit. [569]

7. Sfortiani Luceriensium, Severinorum atque comitis Bassi agris vastatis in Aprutios tendunt, Lucerienses deinde regi se permittunt, Severinenses vero concordiam querunt

5 Alexander Sfortia per hoc tempus in Apulis agens supra, quam sua et omnium esset opinio, in colligendis armandisque copiis immoratus est adeo, ut sepe de eo male sit cogitatum. Tarditatis causam prebuere cohortes apud Sanctam Severam per prodicionem intercepte, quibus equi et arma fuerant adempta; his longum fuit, quae sunt necessaria, cuncta ministrare, in Apulia presertim, provincia non tam equitibus, quam bubulcis ac pastoribus
10 apta. Instruxit tandem acies Alexander, et agros Lucerienses Severinosque prorsus vastavit, deinde comitis Campi Bassi corrumpit segetes, et in Aprutios ingressus est iter. Lucerienses spe segetis adempta Francos exclusere, missisque ad Ferdinandum legatis deditionem fecere. Severinenses vero ita demum ad obedientiam redituros sese polliciti sunt, si regimen eorum cardinali committeretur, cuius tecti clipeo impunitam fore suam rebellionem non dubitarent.
15 Cardinalis annuente rege ad eam rem profectus dolis et fraude Tarentini principis frustratus est.

8. Fanensis difficillima obsidio. Navalis victoria contra Sigismundum, et Venetorum occulta atque iniusta auxilia

20 Federicus Urbinas et cardinalis Theanensis collecto inter hec milite cum statuissent Ariminum ire obsessum, mutato consilio, quod ad expugnationem urbis ample egregieque munite non satis copiarum videbantur habere, Fortune Fanum contendunt, positisque ad iactum sagitte castris cum XIII turmis equitum peditibusque non multis urbem
25 circumvallant, advectisque tribus bombardis maioribus moenia quatunt, subterraneosque meatus effodiunt, quibus possint ad muros tecti pervenire. Et ne mari, cui adiacet urbs, importari commeatus aliudve genus auxilii queat, onerariam navim septingentarum - ut aiunt - amphorarum trirememque unam navigiaque minora ex Anchona Pensauroque accersunt, quibus armatis Fanense litus diligenter custodiunt. Augentur castra Ecclesiae ex
30 Foro Livii Faventiaque decem turmis equitum accedentibus.
Premuntur fame obsessi, adeuntesque Robertum, Sigismundi filium tradituros se urbem aiunt, nisi afferatur annona: pugnare, vigilare incommodaque ferre, perpeti omnia milites posse preterquam famem. Robertus bene sperare milites atque oppidanos iubet; Venetum mercatorem natura mendacem, qui forte aderat, quasi legatum ducis Veneti in medium
35 producit, missurosque propediem Venetos certissima auxilia dicit. Interim patri scribens hortatur, quam celerrime succurrat obsessis; nisi propere subveniat, sciat se civitatem amissurum. Sigismundus oneratis frumento quibusdam navigiis permagnam [570]

quandam navim et minores, quas vocant fustas, armat, instructamque rebus omnibus classem iubet recta Fanum contendere. Quod cum Federicus per exploratores accepisset, nautice turbe parum fidens in classe Anchonitana delectos e castris milites audacesque collocavit, iussitque presenti esse animo, hostilemque classem - sive die sive noctu accesserit - prelio excipere.

5 Nil frustra dictum. Post medium noctis classis Ariminensis tensis velis in litus Fanense defertur. Occurrit ecclesiastica, committitur acre certamen. Navis Ariminensis, que cunctis altior esset, frequentibus missilibus Anchonitanam triremem ac minora navigia ledere; ecclesiastici bombardulis iaculisque et omni genere tormentorum contra niti. Aderat forte sacerdos acris ingenii, non tam sacre militie idoneus, quam armatae; is subito iaculatus ignem maioris navigii vela succendit. Curritur ad restinguendam flammam. Interim ecclesiastici admotis scalis navem scandunt, nec mora, victoria potiuntur. Capiuntur naves omnes tam onerate quam armate, et iam in ipso diluculo cum ingenti gloria Anchonam ducuntur preter maiorem, quam velis carentem perfractamque multis in locis trahere non potuerunt; impositi sunt milites, qui eam servarent.

10 Accersiverant per id tempus Veneti ex Dalmatia quatuor triremes, iusserantque Ariminum petere tanquam pyrrhaticam prohibitoras - re vera, ut Sigismundi causam sua iuvarent presentia. Accesserant iam due, quae ubi captam Sigismundi classem didicere navimque videre relictam, illico impetum in eam fecere, superatosque parvo certamine custodes ceperunt, et novis impositis velis Ariminum duxerunt. Misit cardinalis Theanensis ad triremium prefectos percontatum, cur navim iure belli a se captam invasissent, cum Venetis papeque pax esset. Negaverunt se navim cepisse, moreque mercatorio ad nugas mendaciaque confugerunt: decepisse nautas, qui erant in sentina clausi, positos ad custodiam milites; vocasse illos ad colloquium, blandisque verbis illectos ad inferiora traxisse, ipsosque paulatim exivisse et superiora navis obtinuisse; eoque facto clausisse, qui se clauserant, in locum suum, atque ex victis victores factos; se vela carentibus concessisse, cum iam liberi essent - et cetera fabulosa. Quae res Fanensium animos ad perferendam obsidionem magnopere auxit, tanquam certa res esset Venetos Sigismundo favere, brevique missis auxiliis castra Ecclesiae pervasuros. At Venetis alia mens fuit, quibus nec vincere Sigismundum nec vinci placebat; producere bellum studebant, et ambas partes fatigare sumptibus; sic futurum arbitrati, ut relictus ab omnibus Sigismundus accepta pecunia Ariminum et quecumque obtineret loca, eis venderet - ut est huiusce gentis dolosa fallaxque natura. His artibus Mediolanum sibi subiicere temptaverunt, cum federati obsesso populo fameque pereunti parce annonam ministrarent. [571]

9. Anchonitani Montem Martianum dolo occupant. Neapoleo cum exercitu in agrum Celanum proficiscitur

- 5 Anchonitani per hoc tempus misso clam legato ad Sigismundum Montem Martianum, quem Exini mandante cardinali obsidione cinxerant, occultis pactionibus dedi sibi petiere. Quid ille responderit, incertum; illud constat: Anchonitanos misso presidio arcem atque oppidum obtinuisse, Exinisque, ut abirent, mandavisse, nec parentes telis impetivisse. Cardinalis, ne novum incendium in Picensibus oriretur, dilata in aliud tempus tante temeritatis ultione Exinis, ut obsidionem solverent, imperavit.
- 10 Neapoleo ex agro Sinuessano dimissa copiarum parte in castris regiis cum recessisset, reliquam exercitus partem - quod postea prosequemur - adversus Rugerottum Celani comitem duxit.

10. Conventus Picinini cum Alexandro Sfortia, et orationes eorum militares ac concordie tractatus, tandemque pacis leges

- 15 Alexander Sfortia, dum ista fiunt, magno labore superatis montibus, qui Apulos Brutiosque disternant, in agrum Caudolensium descendit non procul ab oppido, quod Archarum Arcem vocant, ducens secum lectissimas equitum turmas octo et decem. Ibi ad eum convenere Mattheus Capuanus, Robertus Ursinus, Alonsus Hispanus et Iacobus Picininus cognomento Caballus, prefecti equitum, qui per omnem hyemem regias partes in Aprutiis defenderant, nec minus, quam XII ordinibus equitum pre fuerant.
- 20 Iacobus Picininus percepto Alexandri adventu intercipere transitum eius conatus est; quod ubi non successit, ad Archas se contulit, et ante oppidum castra locavit turmis equitum decem simul collectis, inter quas et Caudole computati sunt; pedites quoque non paucos neque inexpertos penes se habuit. Alexander explorato consilio comitum, ubi omnes in unam sententiam convenere, lacessere prelio Picininum statuit, si forte pugnandi copiam faceret.
- 25 Campus erat ad iactum teli propinquus hosti; hic tentoria figere decretum, atque inde hostem lacessere. Premittuntur, qui campum occupent, delecti equites. Picininus suos contra dirigit, qui loco arceant Sfortianos. Preludia quedam certaminis, non prelia dixeris. Procurrunt Bracciani, fractisque cum hoste lanceis illico se recipiunt, nec totis habenis in pugnam descendere audent. Advolant Sfortiani suis auxilio complures, Braccianosque campo deturbant et ad munitiones usque castrorum reiiciunt, probrisque omnibus irritare hostes pergunt. Ubi nemo ad pugnam exit amplius, Alexander, quo in loco designaverat, atque in
- 30 Picinini, tentoria figit. Picininus sub silentio noctis castra movet, conscensoque monte medium inter sua et hostium castra relinquit oppidum, propinquitatem veritus. Postera die missis ad Alexandrum [572]

nuntiis colloquium petit. Res in concilio ducum agitur. Placet audire preclarum belli ducem, si forte aliquid afferat ad regnum Ferdinandi salutare.

Descendit in castra regia Picininus, et cum eo fratres Caudole et ductores ordinum, viri fortes. Itur ad tentorium Alexandri; ibi omnes conveniunt duces, equitum peditumque
5 prefecti. Fit corona virorum illustrium, respiciunt alteri alteros, resque singulorum gestas animo volvunt, atque inde comperatione facta, quantum quisque superet, expendunt. Illic Picininus:

"Adversus me" - inquit -, "proceres, convenistis omnes, unum me perdere multi queritis. *Impar sum, fateor, vestris viribus, nec possum iusto certamine vobiscum conflagere, nec vos me compellere potestis invitum pugnare. Natura me loci tuetur et fides militum. Hyemis adventu obsidionem solvere oportebit. Interim frustra terebitis tempus. Novus annus nova consilia ministrabit. Sed esto: Picinum prelio vincere atque in vincula rapere liceat! Quem viceritis, obsecro, duces? Cui vincula iniicietis, commilitones? Nonne ego is sum, qui vos nutrio? Ego vobis opes, delicias ac regna concedo; me duce atque arma tenente et Italiae pacem infestante vocati estis ad bellum, qui domi iaceretis inertes. Ego vobis aurum, quo fulgetis, arma, vestes, equos apparavi, et qui paulo ante fuistis sine nomine, gloriosos feci. Men igitur persequimini, vestre salutis auctorem? Esto: capiar aut in bello moriar - quid vobis emolumentum supererit? Vobisne an aliis consuletis? Quiescet Italia me mortuo! Cui pax utilis est, nisi mercatoribus ac sacerdotibus? Presbyteros impinguabitis - si non sunt
10 satis pingues! Mercatores ditabitis - si non sunt satis opulenti! Sinite me: vester ego sum auceps, vobis venor, in mea salute vestra est sita salus! Quid Romana Curia ditius? Quid opulentiore Venetis ac Florentinis? Quicquid est ubique desiderabile, pax Italiae his affert. Nisi ardeat Italia bello, nihil inde corradere possumus. In pace despectui sumus, atque ad aratrum cogimur in bello clari. Ars nostra est arma tractare: nolite, rubiginem in ocio
15 contrahant! Consulite in medium, bello et armis favete! Quid opus est tantas opes habere sacerdotes ac tantum imperium? Quis ferat Venetorum superbiam terra marique dominantem? Quid magis indignum, quam Etrurie Florentinos imperitare? Ab his, qui arma tractaverunt, equum est regna teneri! Laudo Francisci Sfortie dominatum bellica virtute quesitum. Regnare desides turpe atque indignum; mercatores emundis
20 vendundisque mercibus insudent, sacerdotes sacra ministrent, nobis imperia debentur! Si mihi creditis, facile Romani pontificis cardinaliumque et omnium mercatorum opes ad nos trahemus. Queritis, quo pacto? In promptu ratio est: nolite vincere! Trahere bellum consilium est, in cuius fine militaris lucri est finis. Nemo, qui sapiat, ad eius rei terminum festinat, qua pereunte sua pereunt commoda."*

35 Excepta sunt ingenti favore Picinini verba, pauci non vera locutum putavere; indignum dicere ductores ordinum gregarii que milites insignem belli ducem ita urgere, ut fugere nequeat; Picinino capto nullam superfore de Regno litem. „Quo ibimus?" - inquit. - „Pacata est omnis Italia: ad lignonem redibimus? Pax nobis mortifera est, in bello vivimus. Sinite: vivat, qui nobis vite causam prebet! Claudamus oculos, locumque fuge Picinino demus! Superiores fuisse sufficiat, belli semper reliquie supersint alicue! Hoc denique pacto salvi erimus." - Aderant [573]

veterani milites, idemque factitatum superioribus bellis aiebant. Alius se olim potuisse Nicolaum Picininum incaute agentem capere, alius Franciscum Sfor tiam; abstinuisse, ne bellum finiret; alii alia exempla commemorabant. Tum Alexander:

5 „Nolite" - inquit - "timere, commilitones: nunquam Italia bello carebit, nisi unius imperio gubernetur. Quod quam facile factu sit, ipsi cernitis. Multa imperia bello carere non possunt, dum alterum imminet alteri, solumque cupit esse. Nisi Venetus Italiae principatum arripiat, non intelligo, quisnam alius indomitam hanc provinciam frenare possit. Hunc timete, huic resistite, eique, si quando militaveritis, cavete, ne vincendo vincamini! Nunc alia ratio belli est. Hoc absoluto bello ad maiora vocamur. Nec tu tibi, Picicine, hanc

10 gloriam arrogaveris, quasi unus sis, qui bellatores in Italia nutrias! Superassent Gallici Ferdinandum, pacatumque Regnum tenerent, cessassentque iam pridem tibi stipendia ministrare, nisi pontifex maximus duxque Mediolani suppetias Ferdinando misissent, bellumque hoc annorum quattuor, quo nutritus es, nutrivissent. Sed ais: cessissent Galli iam pridem, nisi dux eorum fuisses. Non eo inficias; verum non sine dedecore Gallice gentis accepisti ducatum! Insignia fers Aragonensia, et Aragonensem Ferdinandum impugnasti!

15 Natus sub Ecclesia adversus Ecclesiam militasti! Ducis Mediolani, fratris mei gener socerum persequi non dubitasti! Heccine tua fides? Tantane tibi honesti cura? Te nostrae salutis auctorem vocitas? Priusquam arma indueres, me belli ducem ex his commilitonibus multi videre: non ex te pendet vita nostra, tu magis ex nobis pendes! Servare te possumus

20 et perdere, quamvis spem videaris in montibus collocasse. Celum hi milites, nedum iuga montium expugnabunt! Quin potius fortune cedito, atque in nostras concedito partes? Ego - si annuas - et pape et regi et duci conciliatum te dabo; sic tuum exercitum teque ipsum conservabis. Cetera, que commemoras, vana sunt. Nos fide optima nostris superioribus militamus." - Ad hec Picininus:

25 „Coactus" - inquit - „militavi Gallis, cum me alius nemo vellet. Nolui ab exercitu derelinqui, nutritus in armis. Patri potius indixissem bellum, quam miles me reliquisset. Accepi Gallorum stipendia: non licuit non servire pecunias suggerenti. Nunc liber sum: quocunque vocabor, ibo, si modo conditiones me dignas inveniam."

30 His dictis ambo in cubiculum secessere, multaue simul de concordia locuti sunt, tandemque his modis convenere:

- Picininus regiarum omnium copiarum imperator esto, aureorum nonaginta milia stipendii nomine, quamdiu regi militaverit, quotannis habeto.
- Civitates et oppida, quae obtinet in Aprutiis, retineto.
- Possessiones comitis Campi Bassi licenter invadito atque acquireto.

35

- Equitum tria milia, pedites quingentos, quotiens opus fuerit, ad prelium educito, ac per omnem Italiam, ubi rex voluerit, bellum gerito.
- Francorum signa persequitor.
- Stipendii mediam partem ex vectigalibus exigito, que sunt in Aprutiis obnoxia regi, reliquum pontifex maximus, rex Ferdinandus et dux Mediolani aequis portionibus

40

- Comes Broccardus cancellariam Regni et urbem in Apulis Vestam obtineto. [574]

-Picininus in verba regis iurato, eiusque vexilla erigito quam primum stipendii quarta portione percepta.

- Stipendium in annum durato, et si regi placuerit, hisdem legibus in biennium, si modo ante finem primi anni mentem suam declaraverit; stipendio finito, cui velit, Picininus militato, dum regi non inferat arma.

5 Et in hunc modum plura condicta et accepta sunt ea conditione adiecta, ut liberum sit Ferdinando papeque ea intra decennium vel rata habere vel reiicere; duci Mediolani bis tantum temporis datum. Alexander, ut consensum Pii pontificis extorqueret, iturum se ad eius presentiam pollicitus est. Nec mora, apud Tybur papam convenit, diuque de concordia locutus ratihibitionem in formula promissa obtinere non potuit; immutatis plerisque conventionum capitibus remissus est vulgata ubique fama, tanquam Picininus in gratiam pontificis redisset, relictisque Gallis ad Aragonenses prorsus defecisset.

15 **11. Aquilani armis hostium perterriti urbem pontifici tradere in senatu decernunt**

Interea exercitus, qui contra Picininum convenerat, adversus Aquilanos proficiscitur, primoque mox incursu castella nonnulla capit; inter que oppidum magni momenti deditur: Anum vocant, comitis Montorii apud Aquilanos potentissimi. Pestifera tunc lues urbem invaserat; primarii cives in villas et castella remotiora sue ditionis effugerant, tenuiores in suburbana predia se receperant. Trepidare omnes hostis adventu cognito, propere in urbem reverti, contemnere mortis periculum, dum patrie consulant. Conveniunt in senatu frequentes; quo se vertant, unde auxilia petant, nesciunt. Nihil a Picinino sperandum aiunt, quem sciant Ferdinando conciliatum; a Pio pontifice, quem spreverint, minus. Aut Ferdinando parendum, aut armis dimicandum: alterum civitati odiosum, alterum impossibile. Placet tandem legatos ad Pium mittere, eique urbem et agrum dedere, atque ut populi sui misereatur, supplicare.

30 **12. Iacobus Sabellus moritur. De hereditate eius controversia Spoletano cardinali committitur**

Per idem tempus Iacobus Sabellus moritur tribus filiabus institutis heredibus, cum virili sobole careret sinistris iam pridem casibus amissa. Pandulfus, frater maior hereditatem petit, et Palumbariam Aspramque sibi tradi; foeminas in domo Sabella non succedere, dotibus contentas esse oportere: ita constituisse Honorium, ex ea gente Romano pontificio functum. Puelle onerosam hereditatem dicunt, nec se Palumbariam Aspramve relicturas, nisi pro dignitate generis dotes accipiant; Pandulfum ab hereditate prorsus excludendum, cuius [575]

culpa Iacobus sine masculis decesserit: Palumbarienses ab ipso instigatos impias manus in domini filios coniecisse.

5 Negat Pandulfus se tanti sceleris reum esse, in possessionemque mitti hereditatis acrius urget. Pontifex rem litigiosam Spoletano et Senensi cardinalibus committit, quos partes sibi iudices communi consensu delegere.

13. Gerardi cuiusdam Galli magne pollicitationes de Societate Iesu congreganda et demum comperta mendacia

10 Miserat iam pridem pontifex Lucam quendam Dalmatam in Gallias visum, an ea vera essent, quae Gerardus scripserat. Meritoriam hic Bononie tabernam tenuerat, natione Gallus, questuque mendacissimo peculiolum congregaverat; deinde perdita Constantinopoli cum accepisset predicatorum in ecclesiis sermocinantes publice asserere celum mereri, qui contra Turchos arma capesserent, zelo fidei ac religionis fervore correptus sub Callisto Tertio
15 publicata in hostes fidei Christianorum expeditione, distractis rebus et omni substantia in argentum redacta cum trecentis peditibus Romam venit profecturus in Greciam, si stipendio iuaretur. Cum nihil accepisset, mestus abiit, fervoreque omni deposito in Sabaudiam migravit. At Pio Mantuam petente ad eum se contulit, multosque sibi comites esse ait, qui cuperent contra Turchos militare - facultas eis tantum detur societatem congregandi sub
20 nomine Iesu, in qua conscripti plenariam peccatorum remissionem consequantur. Accedit cardinalis Nicenus, dignumque fide hominem probat; concedenda esse omnia, que petuntur; facile illum decem milia hominum cogere posse, que rebus gerendis magno sint adiumento; Petrum Heremitam, vilem et abiectum hominem idem factitasse, quo tempore Gotifridus exercitum traiecit in Asiam; cur nequeant ea prestare tempora nostra, que prestitere
25 superiora? Cur non fiet iterum, quod semel est factum? - Annuit pontifex ea lege, ut in societatem nullus admitteretur, qui suis militare sumptibus in Turchos per annum nequiret.

Profectus est homo cum litteris, quas optavit, et cum Gallias circuisset, quarto demum anno, memoria eius iam oblitterata ex comitibus suis unum ad Nicenum misit - pontifice apud Pientiam agente - quattuor hominum milia in eam usque diem societati adscripta
30 referentem, brevi supra decem milia conventura; vexillo opus esse et facultatibus quibusdam amplioribus ac ducentis aureis, quibus filium redimat creditoribus obligatum. Nicenus his acceptis letus ad pontificem perguit, nuntium adducit, litteras ostendit ad se missas; rogat, ne tanta bene gerendarum rerum obmittatur occasio. Pontifex similia somnio dicit, que referuntur, excogitatasque nugas ad corradendum aurum; vexillum, quod petitur, haud
35 temere credendum, nisi homini cognito ac probato; facultates, que peterentur, non parvi ponderis esse, neque cuique concedendas; timendum, ne novum inde queratur aucupium; questus causa peti; ducentos aureos perdere haud multum esse Romano pontifici, at honorem amittere nimium; [576]

missurum se hominem in Gallias fidum, qui rei veritatem inquirat, feratque aurum, et si recte actum invenerit, Gerardo tradat; reliqua e vestigio mitti posse, ubi fraus absit.

Laudat Nicenus consilium presulis. Lucas mittitur, qui Gerardum conveniat, et an vera sint, que scripta sunt, inspiciat. Huic quoque mandatum est Burgundie ducem accedere, et que dixisset ei Ferrariensis anno superiore, queve ipse respondisset, commemorare; cur non servata essent promissa, perquirere; hortari, ut voto suo faciat satis.

Lucas in Sabaudiam cum appulisset, invento Gerardo de Societate Iesu percontatus comperit generosos aliquos excellentesque viros dedisse nomina, daturumque ducis filium, nomine Philippum, si dux Societatis a pontifice crearetur; quae res nonnihil spei Luce prebuit. At cum ventum in Burgundiam est, quo in loco quattuor milia conscriptorum esse ferebantur et arma multa collecta, diligenter omnia perscrutatus nihil invenit. Gerardum de mendacio coarguit. Ille se vera locutum aiebat, verum Burgundie nomine Brabantiam ac Flandriam intellexisse, quod ibi quoque Burgundus dominetur; eundum illuc esse, conscriptorum multa milia inventurum. Itur Burscellas. In itinere multe insidie Luce fiunt, quibus superatis certus redditur nugacem fuisse Gerardum. Interrogantur episcopi, qui rerum gestarum fuisse testes asserebantur; nemo Gerardum se nosse ait, nec quisquam invenitur, qui de Societate Iesu aliquid audiverit. Illud vero quidam ex consilio ducis asserunt, fuisse Gerardum apud regem Francie, Karolum, priusquam moreretur, facultatemque petivisse societatem congregandi; educturum se exercitum ex Galliis copiosum, tanquam contra Turchos iturum et apud Anchonam traiecturum mare; at in Picenses profectum in Aprutios transiturum, deiectisque Ferdinandi partibus Regnum Rhenato firmaturum; sprevisse regem flagitiosi hominis consilium, qui religioni statuisset illudere.

Hec de Gerardo comperta, cuius conversionem non habuisse radicem constat. Vera est Evangelii parabola de semine iacto: non invenit in Gerardo verbum Dei terram bonam; cito evanuit pia cogitatio, quia non fuit sale condita. Plura sibi persuasit, quam prestare posset. Deceptus in arcum pravum conversus est; qui postquam Lucam incolumem appulisse Burscellas animadvertit, sciens mendacia sua deprehensum iri, curavit, ne usquam inveniri posset.

14. Mandata Pii ad Burgundum, eiusque in promissis exequendis tarditas subito ac gravi morbo correcta, et tandem de legatis pro expeditione rerum mittendis firma deliberatio

Lucas convento Burgundo mandata pontificis exposuit. Ille in Anglicos sue tarditatis causas coniecit: non potuisse indutias belli pacisci; non tutum fuisse impacata domo longinquam expeditionem inire; de concordia usque in eam diem actum; in Natalitio Divi Baptiste futuros apud Sanctum Audomarum [577]

Francorum et Anglorum legatos, atque in annos decem se auctore accepturos pacem; licere iam exequi, Ferrariensi episcopo que promisisset; memorem se verbi sui, quod non esset facturus irritum.

5 Placuit Luce responsum. Quod cum firmari litteris peteret, modo ad hunc modo ad illum missus multos dies frustra consumpsit. Lascivienti inter delitias Burgundo, quamquam seni, et modo in choreis modo in palestris voluptates haurienti, cenasque lautissimas ad noctis usque medium producenti cura religionis excidit. Purpurati preterea expeditionem in Turchos pestiferam ducere; principem etate gravem pravo consilio domum relinquere, ignotasque provincias bello querere; Burgundis nimis remotam esse in Grecia militiam; 10 nunquam reversurum, si ierit. Sua quisque metiri pericula; alii labores metuere, alii sumptus, alii mutationem imperii animo volvere: pro mitissimo patre filium regnaturum, cuius non satis perspectam naturam habeant; vereri, ne clementissimo domino crudelis succedat; illud evitari non posse, quin novum dominum novi sequantur ministri; relinquendam sibi aulam esse, sive in militiam proficiscantur, sive maneant domi. Detestari 15 omnes propositum principis; et cum non auderent adversari palam domino, causas more clam nectere, taroquo suapte natura nemo stimulum adhibere.

Mutatam iam propositum videbatur de Tuchis silentio facto, cum subito post tertiam noctis vigiliam Burgundus in morbum cadit, adeoque sensus omnes amittit, ut aliquamdiu mortuus crederetur. Accurrunt medici, remedia omnis generis adhibent; alii vite spem 20 minimam faciunt, alii prorsus desperant. Sequenti die - sive bonitate nature sive miraculo quodam divino - Burgundus ad se redit, brevique pristinae valitudini restitutus consilio procerum accersito:

„Quod vivo, quodque sospitem me cernitis" - inquit -, „proceres, divina gratia est. Commerui mortem, qui voto meo non feci satis. Nostis, que voverim, et que Pio pontifici 25 promiserim. Quamvis animus semper fuit adimplere promissa, plus tamen equo distuli domesticis voluptatibus allectus. Interea non sine magno Christianitatis damno aucta est Turchorum potentia. Iure indignatus Dominus morbo me flagellavit; sed usus misericordia correctum me morti non tradidit, preter vestram et meam opinionem pristinam valitudinem cito recuperavi. Commonitio hec fuit: citavit me Deus; non est, quod amplius 30 differam! Ite omnes, et qui mei amici estis, quique vovistis mecum, accingite vos itineri, ut cum Pius pontifex iusserit, presto sitis! Ego quidem, nisi moriar, non deero."

Dixere omnes parendum Deo, neque ultra morandum; suum quisque corpus suamque animam obtulit. Vocavit et Lucam princeps dixitque: "Redi quam primum Romam, ac Pio 35 dicito legatos meos in festo Assumptionis Beate Virginis Marie secum futuros, meque facturum postulata. Quibus modis in Turchos eundum sit, legati expedient. Curet presul ad constitutam diem totius Italie legationes habere, quibuscum res ipsa transigatur."

Lucas eius rei testes litteras expostulavit; quibus obtentis pridie, quam pontifex Tybur concederet, Romam rediit. Quo audito Pius ingenti gaudio [578]

repletus universis Italiae potentatibus Burgundi propositum scripsit, utque legatos ad medium Augusti Romam mitterent, imperavit.

5 15. De Francie regis contra Pium indignatione, eiusque arrogantissimis litteris ac iniquissimis decretis, et pontificis ad eum legatione

10 Ludovicus, dum hec geruntur, Francie rex ex animo pontifici deditissimo visus est paululum cecidisse, sive quod eum secunde res extulissent nimis, sive quod egre ferret Ferdinandum favore presulis in regno Sicilie superiorem esse. Scripsit litteras Pio itemque
 15 cardinalibus sua dignitate indignas, et quasi papa superior esset, damnavit opera eius, et quomodo pontifici maximo vivendum esset, regulas prescripsit: vexare illum bello regnum Sicilie, suis consanguineis hostem esse, nec pacem velle neque indutias; ecclesiam Maguntinam diris calamitatibus subiecisse; comitem Rheni Palatinum, ducem Austrie Sigismundum durioribus edictis urgere, regem Bohemie hereticum compellare, nullum sinere frui quiete; facturum melius, si paci Christianorum studens contra Turchos consilia verteret; petere, ut cardinales de mente pontificis sibi quam primum responderent. - Recitate sunt in consistorio secreto littere. Pontifex innocentiam suam ostendit. Cardinales scripta regis magnopere admirati aut parum in eo esse consilii dixerunt, aut aliter scriptum esse, quam ipse precepisset.

20 Sed non hic solus error eius, [successere mox alii. Tria] decreta edidit. Primum, in quo se iudicem competentem et non alium declaravit omnium litium, quas super regaliis oriri contingeret aut contigisset. (Regalias vocant Galli ius quoddam a Francorum regibus usurpatum vacantibus ecclesiis cathedralibus redditus earum arripere ac beneficia conferre,
 25 donec novus episcopus investituram acceperit.) In altero decreto sancivit presides parlamenti cunctosque ministros suos in causis etiam beneficialibus his privilegiis gaudere, quibus Apostolica Sedes Parisiensem scolam donasse perhibetur. In tertio iudicium super possessorio cuiuscunque beneficii ecclesiastici suum esse constituit, nec licere in regno suo preter se cuiquam ad id manus extendere, constituta pena, si quis decreta transgrederetur -
 30 non tam religiosus abolita Pragmatica Sanctione visus, quam huiusmodi decretorum editione sacrilegus.

Pius irato regi haudquaquam litteris respondendum censuit, que semel lecte, quod amplius dicant, nihil habent, nec respondent interrogate. Duo legati missi sunt - alter ab ipso, alter a Collegio -, viri excellentes, qui iam pridem in Rotae iudicio claruerunt: Theodorus episcopus Feltrensis et Ludovicus archidiaconus Bononiensis, Apostolice Sedis notarius, quorum
 35 doctrinam an facundiam magis admirare, incertum ducas. Instructi sunt, quibus modis obiecta pontifici crimina diluerent, quibusve regem placarent, eique potissimum rei incumbere iussi; de bello quoque adversus Turchos suscipiendo verba facere, eamque [579]

provinciam, quoad possint, sue celsitudini persuadere facultate concessa indutias in regno Sicilie quinquennales triennalesve saltem componendi, si regi contra Turchos animus sit arma sumere.

5 **16. Hungarie situs ac gentis origo, eorumque preclara gesta et varia fortuna, et tandem inter Matthiam ipsorum regem atque imperatorem confecta pax**

10 Per hos dies adnitentibus Pii pontificis oratoribus, Dominico episcopo Torcellano et Rodulfo decano Vormaciensi, rex Hungarie, Matthias imperatori Federico - cui iam pridem fuerat infensus - reconciliatus est; Christianis rebus salutare factum, Hungaris adversus Turchos audacius pugnaturis nihil a tergo timentibus.

15 Hungariam nonnulli quasi Hunariam et Hungaros pro Hunis dictos putant, tanquam Hunorum reliquie ad aetatem usque nostram perduraverint. Nos compertum habemus ultra Tanaim, non procul a fontibus eius, in Asiatica Scythia populos usque hodie reperiri, qui Hungari appellantur, quorum sermo nihil ab eo differt, quo circa Istrum habitantes utuntur. Illi parentes horum se dicunt, deosque more gentilium et idola colunt, ritumque barbarico ac propemodum ferino vitam agunt. Eugenius Quartus pontifex maximus ad cultum Christi traducere conatus est missis ex Hungaria nobis propinquiori viris religiosis, qui verbum Dei predicarent, et notam illis facerent baptismi gratiam. Interiacentes Ruteni transitum vetavere, qui Grecanico ritu Deo sacrificantes perire potius in errore idolatras voluerunt, quam Romane ritum Ecclesie ad eos deferri.

20 Hungaria nostris nota circa Danubium sita est utranque ripam obsidens. Pars citerior Pannonia quondam fuit a Superiori Mysia usque Noricum intra Danubium et Illyridem sita. Partem ulteriorem Gepide tenuerunt et alia Sarmatarum barbarorumque nomina. Romani
25 florente Imperio Pannoniam tenuerunt; is declinantibus Gothorum subiere reges, deinde Huni, postea Longobardi. Ultimi omnium accessere Hungari, quorum tantam ab initio immanitatem fuisse proditum est, ut humanis vesci carnibus crederentur. His multa cum Germanis fuere prelia. Victores aliquando ad Augustam usque Vindelicam cuncta populati processere; illic prelio superati profligatique sunt, et ingressi Hungariam Theutones non
30 minora, quam acceperant, intulerunt hostibus damna. Fortuna deinde res Hungaricas adiuvante imperium gentis adeo propagatum est, ut a regno Polonie usque in Dalmatiam et Adriaticum pelagus protenderetur, rursusque ab Austrialibus Moravisque gentibus ad Euxinum mare pertingeret, septemque regna sub uno concluderet, linguas plures dissonasque complexum; Cloatini, Dalmate, Bosnenses, Servienses, Rasciani, Bulgari - quos
35 Mysos vocavere prisca - Sclavonico sermone utuntur, Valachi corrupto Italico, Transilvani Theutonico. [580]

Siculos veros esse Hungaros aiunt, quorum parentes primi ab antiqua Hungaria profecti fuerint, nec mores preter cultum religionis mutaverint - genus hominum pauper, lacerum ac nudum, verum superbum et arrogans. Solos se nobiles ex Hungaris putant, et se ipsos salutant "dominos"; pauci agros colunt, opes armenta sunt, ex quibus victitant. Tributa nulla
 5 pendunt, nisi regie coronationis assint solemnia; tunc, quot sunt patres familias, tot boves regi donant. (Sexaginta milia proditum est aliquando boum regi fuisse tradita.) Intra regni limites sine stipendio militant, exire non compelluntur.

Inter reges Hungaricae gentis claruisse olim Belam memorant et Andream et Ludovicum. Stephanum cunctis preferunt et rerum claritate gestarum et vite rectitudine, cui Germania
 10 iugum imperatoris declinanti Romanus pontifex coronam miserit gemmis et auro preciosam, quae usque hodie quasi sacra servatur; nec Hungari verum existimant suum regem esse, nisi qui ea fuerit coronatus: tanta vis superstitionis est. Ludovicus sine virili sobole decessit. Filiam eius Sigismundus, Karoli Quarti imperatoris filius duxit uxorem, cum qua regnum Hungariae adeptus supra duos et quinquaginta regnavit annos, digna et indigna perferens;
 15 qui prelio cum Turchis commisso victus profligatusque fuit, quamvis ex omni Europa ad eum auxilia accessissent. (Gallos cladis causam fuisse memorant, qui propter nobilitatem priores pugne partes sibi arrogantes ubi ad hostes pervenere, dimissis equis pedestrem pugnam conseruere, nec Hungaros sui consilii fecere participes. Soluti equi retro abierunt; quos sine
 20 sessoribus conspicati Hungari universam Gallorum Anglorumque manum - excitatus enim pulvis prospectum impediabat - obruncatam credidere, ac terrore percussi turpi se fuge commiserunt. Illi dum acriter pugnant, relictis a suis undique ab hostibus circumventi magna ex parte cesi sunt, reliqui capti. Inter quos fuit Iohannes Burgundie dux, cuius gesta supra conscripsimus, et Amedei Sabaudie ducis frater extra matrimonium natus, quem Turchi emascularunt; uterque auro redemptus est.) Sigismundus ad mare confugiens
 25 Constantinopolim navigavit, indeque domum salvus, sed inglorius rediit. Ab eo tempore res Hungarice declinare ceperunt, Turchonice vero, que Asia Graeciaeque magna parte subacta admodum florentes erant, in dies magis ac magis augescere; et tum quidem Bulgaria ad hostes defecit. Oram Dalmatiae maritimam Veneti iam pridem Hungarico regno ademerant.

Obiit et Sigismundus sine virili sobole. Filiam eius Elizabeth uxorem duxit Albertus Austriae
 30 dux, cum qua regnum Hungariae Bohemiaeque consecutus imperium quoque Germanicum est adeptus. Huic sicut et ceteris regibus infesta fuerunt Turchorum arma; adversus quos profectus intemperie locorum offensus morbum incidit, brevique mortuus est, cum tribus non plenis regnasset annis, relicta uxore pregnante; cuius imperium non ferentes Hungari Vladislaum Poloniae regem asciverunt in Hungaria regnaturum ac regine futurum virum.
 35 Regina consensuram se ait, nisi masculum pareret. Dum Vladislaus itineri se accingit, Elizabeth filium parit, quem Ladislaum appellat, baptitatumque illico in Alba Regali pro veteri consuetudine coronari iubet; nec morata [581]

puerum cum corona, quam sanctam dicunt, Federico patrueli, Austrie duci -qui postea imperator assumptus est - alendum conservandumque mittit, verita, ne Poloni adventu interceptus occideretur. Polonus Budam profectus tanquam rex intromittitur.

5 Regni proceres prelatique in duas divisi partes alteri Ladislaum, alteri Vladislaum regem esse dixerunt. Regina laurini se continuit, ad quam omnes se contulere, qui Ladislaum regnare cupiebant; quorum princeps, Ulricus Cilie comes, ingentis spiritus vir et in armis clarus, partes adversas magnis affecit cladibus. Federicus Imperio profectus tanquam Ladislai tutor ab altera Hungarorum parte receptus hostis Polono fuit. Interventu deinde Iuliani cardinalis Sancti Angeli, Apostolice Sedis legati, cum Turchi Hungariam premerent, 10 foedera cum eo pepigit et indutias belli. Polonus pacem a tergo consecutus pugnare cum Turchis constituit, frontemque tueri ab hoste invasam; exercituque coacto Polonorum et Hungarorum in Rasciam contendit et ultra in hostium fines. Occurrente Amurrate Turchorum imperatore cum ingentibus copiis audacius, quam consultius - ut est mos gentis - commisso prelio superatus atque occisus est; dignus laude et fortasse martyrio coronatus, 15 qui pro religione decertans occubuit, nisi regnandi libido plus valuit. Cardinalis Sancti Angeli tribus sagittis vulneratus inter fugiendum apud quandam paludem equo prolapsus nobilem spiritum exalavit. Iohannes Huniates celeri fuga salvatus est; qui regni gubernator effectus non multo post tentare iterum cum Turchis belli fortunam decrevit, nec melioribus auspiciis ad pugnam profectus maiorem exercitus partem amisit plerisque proceribus ac prelati in 20 prelio cesis. In utroque conflictu supra quadraginta Hungarorum milia periisse proditum est; nonnulli caesorum numerum adduplicarunt.

Duobus his attriti vulneribus Hungari Ladislaum regem acclamavere omnes, missisque ad imperatorem legatis dominum suum coronamque petiverunt -nec impetravere dicente cesare nec tutum esse puerum extra tutelam suam emittere, neque Hungaris utile a puero 25 gubernari. Confirmata est Huniati gubernandi potestas, tanquam pro Ladislao regnaret.

Imperator Romam profectus corone suscipiende gratia Ladislaum secum duxit XII annos natum. Id egre Hungaris, Bohemis ac Austrialibus fuit, qui Alberto quondam parentes imperium filii summo cum desiderio expectabant. Conspiravere absente imperatore cuncti simul, vindicareque suum dominum armis constituere, primique Viennenses eiectione magistratibus ab imperatore prepositis libertatem sibi asseruerunt, quousque Ladislaum 30 vendicassent. Exemplum primarie urbis cuncta per Austriam secuta oppida, reverso ab Italia caesari legationes presto adsunt Ladislaum petentes. Ubi negatus est, Austriales ac Bohemi non expectatis Hungaris, collectis raptim copiis imperatorem apud Novam Civitatem Austrie obsidione claudunt, coguntque puerum tradere, qui apud Viennam multarum gentium dominus precipuam imperii sui sedem elegit, quamvis modo in Hungariam modo in Bohemiam proficisceretur. [582] 35

Interea mortuo apud Turchos Amurrate Mahumetes suscepit imperium, acris ingenii adolescens et regnandi cupiditate insatiabilis. Qui sub Nicolao Quinto pontifice maximo regiam urbem Constantinopolim, Orientalis Imperii sedem atque totius Graeciae columen - ut ante dictum est - terra marique obsessam vi cepit atque diripuit imperatore gentis occiso et
5 omni nobilitate ferro deleta. Flevere Christiani omnes tantae urbis cladem, conventus agitavere; occurrendum Turchis, priusquam amplius invalescerent, utile consilium putavere. Hinc Romanus pontifex, inde caesar reges ac populos in arma vocare, religionis periculum ante oculos ponere, hortari, monere, ne suo tempore sanctum Evangelium conculcari sinerent. Frustra omnes fuere conatus: domestice seditiones externi remotiorisque belli
10 curam reiecere, segnitieque et avaritia obfuit. Turchi obtenta Constantinopoli in Rasciam Serviamque traicientes gentis dominum, quem despotum appellant, eiecerunt, consanguineis eius interceptis oculos effoderunt, regionumque munitissima quaeque oppida praeter Sinderoviam et Belgradum expugnare, ac transmissis Danubio Valachos sibi vectigales fecere. Aptissimus ad incursandos Hungariae fines visus Belgradi situs, quem
15 confluentes Sava Danubiusque duplici latere ambiunt; prisci Thaurinum vocare, Hungari et Theutones Alteram Albam appellant. Huc Mahumetes coactis ex omni regno viribus ingentes copias duxit. (Qui maiora de magnis loquuntur, trecenta hominum milia in castris eius convenisse tradiderunt; qui autem apposite ad verum, quae viderunt, enarrare, centum et quinquaginta milia.)
20 Callistus Tertius, natione Hispanus ex civitate Valentia Romanae presidebat Ecclesiae. Qui percepto Turchorum ad invadendam Hungariam apparatu, legatum Apostolice Sedis eo direxit Iohannem cardinalem Sancti Angeli, virum prudentem et animo presenti, plenariam peccatorum veniam largiturum his, qui contra Turchos arma capesserent. Quae res multos ex Germania populos traxit, verum pauperes ac prope inermes - horum est enim regnum
25 celorum; divites presentibus illecti delictis haudquaquam futuras inquirunt. Erat in Hungaria Iohannes Capistranus Ordinis Minorum professor, natione Italus, verbi Dei acceptissimus in populis predicator, quippe qui litterarum eruditionem cum vitae sanctitate iunxisset, exemploque Domini Salvatoris pietatis opera faceret et doceret; huic Germani se coniungere. Ingens cruce signatorum numerus hunc sibi ducem elegere, nec
30 alterius parere imperio voluerunt. Cum eo Thaurinum profecti sese Turchis obiecere. Ladislaus, qui paulo ante Budam venerat, trepidante regno Turchorumque arma timente retro in Austriam fugit Iohanni Huniati regni gubernatione ac tutela dimissa. Is quoque prope cum equitatu peditatuque raptim collecto obviam hosti proficiscitur, delectaque militum robustissima manu ingressus oppidum Turchorum consilia quam diligenter nosse
35 conatur, atque illis occurrere. Adoriuntur priores oppidi muros Turchi machinisque deiiciunt; vacua ibi pars oppidi fuit, in qua cruce signati stationes habebant. Ab his prelium cum Turchis inicitur, qui modo Turchos extra moenia compellunt, modo repulsi intra urbem pugnant. [583]

Capistranius et Huniatus ex arce altaque turri prospectant prelium; et alter ostentans Divi Bernardini Senensis imaginem, atque altissima voce Salvatoris invocans nomen, "*Iesus, Iesus*" - que sepius intonans pugnare cruce-signatos admonet; alter, cui sit loco instandum subveniendumque, docet, cessare vulneratos fessosque iubet, et sufficit integros; interdum et ipse, ubi pugnari a suis remissius videt, e turri descendens fortissimi militis partes implet. Diu prelium anceps ducitur, cum modo Christiani cederent, modo Turchi. Tandem fugati longius extra muros hostes nostris victoriam reliquere. Mahumethes sub mamilla vulneratus ea, que secuta est, nocte relictis bombardis cum omni exercitu trepidus aufugit. Fama, que raro quadrat vero, quadraginta Turchorum milia in ea pugna cecidisse vulgavit; qui diligenter perscrutati sunt verum, iacentiaque in campis cadavera dinumeraverunt, haud multo plura, quam milia quattuor inventa prodiderunt. Trepidatio et fuga imperatoris potentissimi victoriam nobilitavit, et classis eius in Danubio disiecta atque combusta.

Huniatus et Capistranius fugato insignes hoste paulo post obiit morbo; foelices tanquam rebus prospere gestis triumphaturi - ut creditum est - ad superos migraverunt. Capistranii cadaver tanquam viri Deo accepti sepeliri Hungari non permiserunt, conditum arca in ecclesia custodiunt sacrumque habent.

Ladislavus his cognitis ex Austria Budam venit, non tam hoste profligato letus, quam Huniatis obitu, qui se potentior in Hungaria fuisset. Descendit iam securo regno ad visendam Albam et loca, in quibus pugnatum erat. Ubi dum sacris operam dat missamque audit, Ulricus Cilie comes a Ladislavo, Huniatis filio in consilio obruncatur, sumpta occasione, quod suam a comite vitam didicisset inquiri. Non est ausus rex damnare factum propter potentiam occisoris; dissimulavit ad tempus iniuriam, donec Budam rediit. Ibi Ladislavum in arce deprehensum securi percussit, et fratrem eius, Matthiam in carcerem coniecit, secumque deinde in Austriam et demum in Bohemiam captivum duxit. At cum in Praga, que est Bohemorum metropolis, celebrare nuptias parat missis legatis, qui sponsam ad se deducerent Magdalenam, Karoli regis Francie filiam, subito morbo correptus interiit. Quidam toxico perisse tradiderunt, quod sibi Georgius regni gubernator propinaverit, et heresiarche Rochezane ministerium.

Hungari cognita regis morte successorem electuri apud Pestam frequentes conveniunt trans Danubium e regione Bude. Eo Michael Silagi, avunculus Matthie cum quattuordecim milibus equitum se confert, Matthiamque, Huniatis filium regem proclamat. Consentiant omnes, cum libera non esset inter armatos contradicendi facultas: arma regem vel captivum faciunt. Mira res: Matthias ex carcere ad fastigium regni sublimatur! Georgius, qui et ipse regnum Bohemie usurpaverat, acceptis quinquaginta milibus aureis captivum dimisit, eique filiam despondit uxorem.

Matthia regnum adeptum nunquam Turchi conquieverunt: modo hanc regni partem, modo aliam invasere; egregue illis restitit, cum plenam in subditis [584]

obedientiam non haberet, tanquam non esset verus rex per vim electus, nec sacro diademate coronatus. Petiit sepe ab imperatore coronam, neque obtinuit; ob quam rem despectior apud suos in dies fuit. Accessit et manifeste rebellionis malum: precipui regni proceres ecclesiastici et seculares ab eo deficientes Federicum imperatorem supra se regem
 5 constituerunt, cum quibus et Michaellem, Matthie avunculum sensisse proditum est; qui postea a Turchis captus necatusque est. Hinc orte inimicitie inter Federicum et Matthiam capitales, cum regnum non caperet duos, et uterque regem Hungarie se diceret. Et quamvis Hungari imperatori faventes eo minora faciente, quam promiserat, cito ab eo defecerint et in gratiam Matthie redierint, non tamen cessavit odium, nec belli materia defuit imperatore
 10 regni coronam et titulum retinente, Hungariamque per suos duces pluribus in locis infestante.

Molesta ea res Pio pontifici fuit cum propter odia regum nullo tempore non detestanda, tum quod ea dissensio Turchos ad imperium Occidentis suo apte ingenio erectos magis ac magis invitabat. Mandavit igitur cardinali Sancti Angeli apud Hungaros agenti, ut imperatorem accederet, pacemque suaderet. Paruit cardinalis, frustra que verba fecit. Missus est et Bessarion Nicenus, alter cardinalis ad ipsum procuraturus, nec profuerunt labores eius. Hieronymus deinde Cretensis archiepiscopus ad eandem provinciam iussus ire, quamvis prope ad concordiam reges deduxit, non tamen perduxit ad exitum inchoata. Successit ultimo Rudulfus, qui modo unam modo alteram partem adiens monendo, urgendo,
 20 dies ac noctes instando concordie tandem formam repperit, quam rex uterque probavit. At cum signari conventa peterentur, imperator nihil facturum se ait, nisi Romani pontificis accederet auctoritas, quae federa comprobaret, et adversus ea facturos anathemate feriret. Ea res XXX-ta dies pacem suspendit; interim Pius secundum postulata litteras apostolicas ad Rudulfum misit. Tum quoque et alie difficultates intercessere.

Oportune circa idem tempus Torcellanus episcopus aliis de causis in Germaniam missus imperatorem adierat. Hunc sibi Rudulfus in tam difficili ac propemodum desperata pacis negotio socium ascivit, nec recusare partes ob reverentiam Prime Sedis. Ambo concordie summis conatibus operas navavere - alter ad eam rem missus, alter admissus -, quibus adnitentibus preter omnium spem sublatis difficultatibus his federibus in concordiam itum
 25 est:

- Matthias regnum et regni titulum conservato, imperatorisque filius adoptivus esto, eique auri nummum LXXX-ta milia dissolvito.
- Decedenti sine liberis Maximilianus, alter imperatoris filius ex coniuge natus succedito.
- Imperator regium inane nomen et oppida quedam in finibus regni vita comite retineto,
 30 ulterius regnum ne ingreditor.
- Sacram coronam Matthie reddito.
- Amici deinceps ambo sunt.

His ultro citroque acceptis atque obsignatis rursus nova contentio emergit: prioresne Hungaros pecuniam numerare oporteat, an imperatorem tradere [585]

coronam? Legati uno simul tempore et aurum ad se deferri et coronam iusserunt. Quo facto, ut acceperunt, tradidere partibus, publicarique pacem iussere. Que tanto iocundior visa populis, quanto diutius expectata: tempestiva res et ad expeditionem contra Turchos ineundam admodum necessaria!

- 5 Pio pontifici nuntium eius ultima die quinti pontificatus sui anni allatum est. Sequenti die anniversarium quasi natale celebratum et annus inchoatus sacerdotalis eminentie sextus.

17. Leodiensium cum eorum episcopo reconciliatio

- 10 Paulo ante Hungaricam pacem et Leodienses, feroces Belgie populi - quorum supra meminimus - interventu legati apostolici episcopo suo conciliati sunt, cum prope ad arma venissent. Civibus, cum iurisdictionem ecclesiasticam violassent, episcopus sacris interdixerat ob manifestam iniuriam. Clerus episcopo suo paruit; populus egre ferre divinorum subtractionem, maledicere sacerdotibus, verbera cedesque minari. Episcopus
- 15 Philippi Burgundie ducis, cuius esset nepos, auxilia querere, cives Ludovici Francie regis patrocinia implorare; uterque postulata promittere. Superbire magnis adiutoribus partes, augeri in dies odia, nec aliud expectari, quam bellum, quod sine magno Gallice gentis incendio fieri non poterat. Emergentem ignem et iam comburere incipientem Petrus Ferrici, Sacri Palatii auditor, quem Pius ad eam rem miserat, priusquam flammam evomeret, summa
- 20 diligentia extinxit persuasis partibus iudicia potius experiri, quam arma.

18. Tractatus concordie inter Maguntinos, et leges pacis

- 25 Bellum quoque Maguntinum, quod biennio iam gestum vicinas regiones exusserat, hoc tempore intermissum est. Carolus marchio Badensis e carcere missus indutias pepigit, pacisque federa in hunc fere modum dixit:
- Archiepiscopatum Maguntinum pro decreto Pii pontificis adiudicandum esse.
 - Dyethero, quoad viveret, quattuor oppida relinquenda, dandamque peccati veniam.
 - Que Dyetherus Palatino castella donasset, ea nomine pignoris apud illum remanere,
- 30 donec auri Rhenensis centum milibus nummum redimerentur.
- Censuras in eum prolatas ultro remittendas.
 - Fratrem Palatini, electum Coloniensem, quam minimo fieri queat sumptu, a Pio pontifice confirmandum.
 - Omnes, qui mandata pontificis spreverint, damnumve dederint ecclesie Maguntine,
- 35 absolvendos; et cetera in hunc modum minutiora, que si a pontifice impetrari possent, Palatinus de summa centum milium florenorum pro redimendis [586]

castris decreta XX-ti milia remitteret, captivis quoque dimissis inflictam mulctam comminueret.

5 Adulfus ita demum ea probare se ait, si Pio pontifici placerent. Ob quam rem legati missi sunt Marcus marchio Badensis, Karoli frater, Ropertus scholasticus Maguntinus et duo doctores accessere et unus eques. Quibus apud Tybur auditis digere paulisper conventa placuit, ac deinde responsum dare.

10 **19. Obitus optimi viri, Alexandri cardinalis Sancte Susanne**

10 Medio tempore Alexander cardinalis Sancte Susanne non sine summo pontificis merore febre correptus extinguitur, cuius vite sanctimonia cum per omnem vitam emicuisset, tum maxime in obitu claruit: qui etsi dies complures agonizavit, nunquam tamen intermisit de fide catholica disputare, Simbolum exponere, obstruos Scripturarum sensus aperire, 15 dubiaque resolvere; hortari astantes ad evangelicam vitam, ad celestis patrie desiderium erigere, contemnenda esse huius promissa seculi, que - velis nolisve - relinquere oportet; in ea patria thesaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cum rogaretur testamentum facere: „*Animam*” - inquit - „*meam Deo relinquo, Pio pontifici corpus et hec, que vocantur seculi bona; ipsi familie curam et sepulture mee committo.*” Deinde quasi dormiens expiravit - 20 ingens Sacri Collegii decus, in quo vite fulgor cum doctrine luce contendit. Potuerant sine damno Senatus tres quattuorve cardinales periisse - in hoc grave vulnus accepit Ecclesia. Ita plerumque fit: vita brevis bono est, malo quam diutissima; servantur ad penitentiam pessimi, sive ut bonos exercent; probitas celum petit.

25 Pius exequias cardinale dignas amico peregit, et familie curam suscepit. Ad ecclesiam Camertinam, cui prefuera Alexander, Agapytum Anchonitanum episcopum transtulit, Aprutinum ad Anchonitanam, ad Aprutinam Crotoniatem.

30 Legatis Germanicis ad res Maguntinas componendas missis gravia esse postulata respondit, legatumque videri mittendum, qui conditiones ecclesiae et Apostolice Sedis amicorum meliores efficeret. Neque id legatis ingratum. Tricaricensis episcopus, natione Romanus eam provinciam suscepit.

20. Veneti apostolici legati suasu bellum Turchis palam indicunt

35 Bessarion, dum ista fiunt, cum Venetias appulisset, magno civitatis favore exceptus est, et pro reverentia Prime Sedis precipuis cumulatus honoribus. Auditus in senatu persuasis civibus facile suasit, que voluit, id est ut bellum in Turchos publice decernerent. Veneti enim, etsi prefecto classis liberum [587]

belligerandi arbitrium permiserant, tectum id tamen consilium servabant non prius vulgaturi, quam magno aliquo damno hostes affecissent. At Bessarione audito cognitaque pontificis voluntate, qui se belli socium offerebat, senatus consultum palam ediderunt, in quo Turchi hostes Venetorum declarati sunt, hisque magnis animis bellum indictum, et ad classem, que iam navigaverat, plures triremes addite et supplementa militum missa. Bessarion obtento decreto rem divinam fecit, religiosorumque pompam per urbem duxit, decimas, vigesimas ac trigesimas imposuit, et plenarias indulgentias publicavit his, qui sanctam expeditionem aut aere aut manibus adiuverant.

10 **21. Legatio Burgundi pontificem Tybure convenit**

Circa idem tempus legati Burgundorum pontificem apud Tybur convenere - Guilelmus Tornacensis episcopus, iam pridem pontifici notus, et ab eo ex Tullensi ecclesia ad Tornacensem translatus, et cum eo tres proceres in ducali palatio potentes -, qui sine arbitris auditi Philippum dixere, principem suum statuisse facere pro defensione fidei, quecunque desiderasset ab eo Ferrariensis episcopus; dilationis interiecte Anglicos fuisse causam, qui bellum illaturi Gallie videbantur, impediturique ducis iter; nunc indutiarum decennialium spem certam fore, liberumque duci, quo velit, ire; reliqua se Rome dicturos, quam brevi petiturum pontificem didicissent.

20 Collaudavit Pius sanctum Philippi propositum, dignumque principem esse dixit, quem Sancta Sedes Apostolica summis prosequeretur honoribus.

22. Legatus apostolicus a rege Francie intercipitur, et Avinionensis cardinalis temporalitate privatur

25 Longe dispar hisdem ferme diebus Ludovici Francie regis obedientia visa est, qui spiritu rebellionis imbutus legatum apostolicum, Iohannem Cesarinum, Sacri Palatii auditorem in Britanniam proficiscentem comprehendere, scripturasque cunctas ei auferre temerario presumpsit ausu; neque his contentus Alano cardinali Avinionensi, qui mittendi legati causa fuisset, fructus beneficiorum omnium sive - ut aiunt - temporalitatem ademit sibique usurpavit; pari pena et duos eius nepotes episcopali dignitate preditos coercuit, quamvis prorsus innocentes; comminatus est et cardinali Rothomagensi, tanquam et ipse cum Avinionensi conspirasset: crimini dabat missionem Cesarini, quoniam de feudo iudicaturus iret in Britanniam inter episcopum Nanetensem et gentis ducem, quos suos esse subditos aiebat, sibique iudicium feudi pertinere, non papae. Tyrannica vox et mendax! Neque dux neque episcopus regis Francie se subditum confitetur, quamvis uterque magni regis potentiam vereatur. Quemadmodum imperatorem in suo regno Ludovicus se dicit, ita et se regem in suo [588]

principatu Britannie dux asserit. Episcopus vero Nanetensis prius fundatam fuisse suam ecclesiam, temporaliaque dominia et que vocant regalia iura habuisse contendit, quam regnum Francie constitueretur, in quo Ludovicus regnat; merito itaque pontificem in contentione ducis et episcopi iudicium suscepisse. Sed quis ista regi suadeat, cui pro lege cupiditas est, prurientesque tantum auribus magistros audit? Rege, qui nec per se sapit, nec alieno consilio ducitur, nihil perniciosius invenias. In Francia iam pridem dementia regnat, ubi proverbium ortum, cum delirantes excusant: "*Ne mirere*" - inquit -, "*regius sanguis est!*"

10 **23. Georgii Scanderbechii ad Pium expurgatio, quod foedus cum Turchis fecerit**

Auditus est et Tybure legatus Georgii Albanie domini, quem vocant Scanderbechum. Verba eius hunc habuere sensum:

15 Venisse Mahumeten Scopiam innumerabiles ducentem copias, improvisumque Georgium opprimere voluisse; nullum patuisse Georgio ad muniendam provinciam tempus; unicum ei salutis remedium fuisse pacem ab hoste petere; id factum esse conservande provincie causa; at cum voluerit pontifex, rursus in bellum ibitur; optare Georgium in terris Ecclesie refugium, **si** regno pellatur a Turchis.

20 Pontifex necessariam pacem non improbavit, si - quod aiebat Georgius - imperium Apostolice Sedis salvum esset; refugium pulso in agris Ecclesie non defuturum, si pro religione pugnans ab hoste fidei eiiciatur.

25 **24. Aquilani rebus suis diffisi Ferdinando regi sese tradunt**

Alexander interea, quem diximus indutias belli cum Picinino pepigisse, atque ad pontificem de pacis federibus acturum venisse, accepto responso in Aprutium rediit. Mattheus Capuanus et Alonsus Hispanus cum suis et Alexandri copiis in Aquilanos duxere, castellaque comitatus fere omnia prima excursionem cepere. Roccha Media et alterum quoddam oppidum, cum aliter furorem exercitus evadere non possent, Neapolioni Romane Ecclesie nomine se tradiderunt. Aquilani - ut diximus - sevientem in urbe pestilentiam in agros confugerant; at ubi hostis affuit, mox intra menia se receperunt non tam divinum bellum veriti, quam humanum. Secuti sunt et agrestes cum pecoribus et imbelli mulierum puerorumque turba; nec minus in urbe, quam cives poterant. Qui ubi hostes tenere agrum didicere, et ad portas usque procurrere, nec ullam auxilii spem superesse, hinc pestem inde ferrum timentes aperiendam Ferdinando urbem clamavere; quem Sedes Apostolica regem dedisset, haud amplius [589]

recusandum esse; nisi petant cives pacem, sibi non deesse animum tradende urbis; stultum esse cum Deo et hominibus bellum gerere.

5 Aquilani, qui se liberos et uxores vendituros aut famis causa commesturos sepius asseveraverant prius, quam Ferdinandum regem admitterent, ad primam rusticorum territi
 10 vocem querendam cum hoste pacem censuere, missisque legatis pro voluntate ducum regi se dedidere oratoribus auctoritate abrogata, quos ad tradendam pontifici urbem miserant. - Auctorem tam repentini consilii Petrum cognomento Lalla, Montorii comitem tradiderunt, virum muliebris animi, et cui uxor imperat; hunc Aquilani sequuntur propter familiam, cuius est princeps - parati vel bovi parere vel asino, qui domui Camponiscorum presideat. Petrus
 15 igitur, quam fuit in tradenda Gallis urbe levis et amens, tam modo in restituenda Ferdinando preceps visus et inconsultus, cui multo salubrius fuerat mediatore pontifice in gratiam Ferdinandi rediisse; quod ei non erat difficile. Sed que possunt stulti non esse stulta consilia? Aquilane urbi si bene successerit, miraculum erit - cuius stultus populus stultum sequitur ducem, ducique stultior imperat coniux, coniugi fortasse alius. Illud presidio esse potest, quod aiunt: [„Ibi plurimum esse fortune, ubi minus est prudentie.“]

25. Celani comitatus expugnatio, eiusque concessio Antonio, pontificis nepoti facta, et Pii erga comitissam clementia

20 Ruggerottus Celani comes - cuius ante meminimus - his mutationibus, et quoniam Neapolio sibi intulerat arma, deterritus matrem hortatur, ut se liberam pontifici scribat, veniamque filio petat. Mulier, ne peiora ferat, quod iubetur, facit. Accedunt legati pontificem matris et filii litteras afferentes, bellumque deprecantur. Pontifex indignum pace Rugerottum ait, qui nec matri dederit pacem; comitissam tunc se liberam crediturum, cum
 25 extra potestatem filii fuerit; illam, si se adierit, inventuram pro meritis gratiam; Rugerotto aut principatum, quem matri abstulit, dimittendum aut armis defendendum.

Neapolio interea comitatum ingressus cum exercitu castella pleraque et munitiones vi obtinuit, inter que magni momenti oppidum expugnavit, Ortuchium Fucino adiacens lacui. Quo percepto Rogerottus matrem dimisit, sperans per eam pontificem posse placari. Illa
 30 Tybure Pium convenit, atque his verbis usa est:

„Ante tuos pedes constituta, maxime pontifex, nunc demum me liberam esse intelligo. Impius me filius coniecit in carcerem, ancillam et captivam ex domina fecit. Tua mihi pietas libertatem reddidit. Tibi gratias ago, meque commendo et hunc parvulum filium.“ (Duxerat enim secum alterum ex liberis, natu minorem.) „Pro maiore nihil peto.“ Plura dicere
 35 volentem lachryme impediverunt. - Cui Pius:

„Tua fides“ - inquit -, „mulier, digna est, cui favori simus. Neque tibi neque huic secundo filio tuo deerimus. Assunt in Apulia non parvi census castella, que Rogerottus tibi perdidit: ea in tuam potestatem restitui iubebimus, tu deinde huic relinques. [590]

[Comitatus Celani,] cuius erat heres Rogerottus, quoniam ille indignum se fecit, [ad Antonium, nepotem] nostrum ex voluntate regis perveniet. Armenta, que in agrum nostrum hyematura misisti, petenti Rogerotto nunquam tradere voluimus: salva sunt tibi. Esto boni animi, non erit sine presidio nostro tua virtus!"

5 Nec plura in primo congressu verba fuerunt. Sed cum pontifex brevi Romam profecturus esset, mulier quoque eo pergere iussa est. - Medio tempore Celanum per deditionem captum est, et arx tradita apparatu regio edificata, nec minus munita, quam commoda. Similiter et castella reliqua comitatus preter duo deditionem fecere, quorum alterum nondum temptatum erat. In alterius arcis oppugnatione Robertus Ursinus lapide ictus in fronte prope
10 exanimatus fuit.

26. Pacis tandem confectio inter Sinuessanum et regem, et inter eos affinitas

15 Marinus vero, Sinuesse tyrannus, postquam tandem expertus est plus regias vires, quam suas valere fraudes, nec iam amplius insidiis esse locum, pacem, quam sepe promissam reiecerat, missis legatis ultro repetiit, neque repulsus est. Filia regis eius filio desponsata est. Arces et oppida pleraque munitissima tanquam fidei pignus regi tradita. Iohannes Andegavensis, qui Marino cum duabus equitum turmis auxilio venerat, intra dies quindecim
20 ex agro Sinuessano iussus excedere intra constitutam diem ad [Enariam] insulam navigavit, fideique Iohannis Entorelie se commisit, hominis Aragonensis, famosi pyrrhate, et qui dominum suum, Ferdinandum prodidisset. Allumen - ut ante diximus - in insula reperitur, cuius servandi causa Ferdinandus turres aliquas erexerat, ac presidium imposuerat, quod pluribus diebus Iohannes frustra oppugnavit.

25 27. Pontifex viso Frascatu ex Tybure Romam revertitur

Pontifex, cum iam legationes Italice Romam peterent ad res fidei accersite, relicto Tybure ad eas properare statuit. Prius tamen Frascatum adiit, quod supra diximus villam fuisse Luculli; nunc oppidum est haud magnum, ruine veteres priscam nobilitatem ostendunt.
30 Ascendit et Tusculanum montem, cuius urbem natura loci munitissimam ac propemodum inexpugnabilem ante annos trecentos delevere Romani. Regie nobilissime, de qua Strabonem meminisse retulimus, fundamenta extant et altissimi fornices ad occidentem solem meridianumque versi. Preclarum id opus fuisse apparet, sive regia fuit sive curia senatorum; reliqua solo aequata iacent. Quibus inspectis et iterum Gripta Ferrata revisa, ubi
35 et casum aque altissimum spectavit, et missarum solemnia ritu Greco coram se celebrari iussit, quinta denique die, Idibus Septembris [591]

Romam reversus est cardinalibus omnique clero et populo ac legationibus principum extramoenia occurrentibus.

28. Oratio Burgundorum et Pii excellentissimum responsum

5

Post dies deinde aliquot, eo in consistorio publico sedente, accersitis Burgundorum legatis, et que vellent, dicere iussis, Guilelmus episcopus Tornacensis, professione monachus legatorumque primus longam ac doctrina referentem orationem habuit. In qua multa de Turchis et eorum insolentia fedisque moribus disseruit, gesta eorum exposuit, et quanta intulerint Christiane religioni detrimenta, narravit; de nobilitate Grecorum, de antiquitate, de doctrina plura recensuit, eorum ruinam deploravit; ostendit pericula, que Christianis cervicibus imminerent, nisi celeriter arma sumerent, ac se ipsos defenderent; adhortatus est pontificem maximum, cardinales cunctasque legationes astantes, ne tanto in periculo differrent amplius Christiane rei publicae consulere atque hosti occurrere; Philippum Burgundiae ducem, qui se misisset, statuisse proximo verno tempore classem in Turchos ducere, bellumque totis conatibus pro sacra religione suscipere, neque parsurum corpori suo, quamvis senex esset; venturum in exercitum, ac non solum ducis, sed militis quoque munera subiturum, nisi mala valitudine impediretur; eoque casu missurum, qui suas vices implerent. - His auditis pontifex ita locutus est:

20

"Expectatis, venerabiles fratres filiique dilectissimi, Burgundis oratoribus auditis responsum nostrum non sine desiderio - ut arbitramur -, in quo dignas pro meritis amantissimo filio nostro, Philippo Burgundie duci laudes attribuamus, et que sunt amplissima, eius preconia in medium afferamus. Non tam possibilis, quam iusta desideratis: non est ea nobis dicendi vis, que vestre queat expectationi satisfacere. Multa et magna de Philippo dicenda essent, que sine vena oratoris uberrima explicari non possent. Dicendum esset de nobilissimo familie genere, cuius originem ab Ilio repetunt; de corporis et animi dotibus, de iustitia, de fortitudine, de moderatione, de humanitate, de ceteris virtutibus, quae in summo viro semper summe fuerunt. Dicendum esset de rebus ab eo clarissime gestis, sive pacis fuerint tempora sive belli; cuius tot fuere victoriae, quot prelia, et tamen pluries cum hoste conflictit, quam alius nostri temporis quispiam cum inimico suo concertaverit. Plena est omnis terra Gallica tropheis ab eo positis, qui etiam ultra Rhenum in Germanica gente victoriarum signa defixit. Non sunt haec, que noster possit percurrere sermo, ne dicamus: explicare; acre ingenium et os magna sonaturum cupiunt. Senilis et arida vena nostra tante rei non sufficit, nec Philippus ista desiderat; vera virtus eius se ipsa contenta verborum lenocinia non requirit. Magna et preclara operatus est non cupiditate laudis, sed ut Deo placeret; ab eo premium expectat, non ab homine, qui nihil potest non mortale largiri.

35

Sed esto: non possumus Philippo, quantas meretur, laudes impartiri, nec ipse talia requirit. An propterea legationem hanc dignissimam preteribimus, et nullo prosequemur honore? Minime gentium! Dicendum est aliquid ad ea, que modo proposita sunt, [592]

40

nec fraudanda est suo preconio tam insignis legatio. - Quid habet legatio Philippi? Quid mandat? Quid offert? Turchorum arma nostris imminere cervicibus dicit; clades, quas passa est Christiana religio, et quas passum videtur, in medium affert; hortatur, hostibus obviam eamus, priusquam amplius invalescant; Philippum, si Turcho bellum indicatur, si exercitus idoneus apparetur, in hanc expeditionem venturum, nec corpori suo parsurum, ut incolumitati consulat sacre religionis. Qualia vobis ista videntur, fratres? Quis non hec maxima et summa dixerit? Quis hunc principem satis collaudare potuerit? Nulli Christianorum minus timendi sunt Turchi, quam Philippo, et nihilominus primus est, qui se profecturum in eos gesturumque bellum pro sacro Evangelio pollicetur. O mentem principe dignam! O excellentem animum! O sanguinem nobilissimum! Longissimum iter opponitur, rigide superande Alpes, altissima [transmittenda] flumina, latissima trananda maria, vasta terrarum spatia ab Occidente in Orientem peragranda. Cuncta superare est animus, nullum in causa Dei recusandum fore laborem, nullum vitandum periculum censeat: amanti omnia sunt facilia. Princeps Deo amicus nihil tam horribile putat, quin pro Dei honore sit subeundum. Ditissimus principum, maximis aequandus regibus, cui opes et delitie omnes affluunt, cui tot latissime provincie, tot clarissime urbes, tot valide gentes, tot ditissimi populi serviunt, cui presto assunt cuncta, que mortales maxima ducunt, relinquere splendidam domum, amatam coniugem, carissimum filium, dilectam sororem, dulces nepotes, fideles amicos, ut Deo serviat, non veretur. Accedit aetas grandior, cui quiete opus esset: hanc quoque postponit. Nihil sibi antiquius est, quam Deo placere: spernit omnia propter Deum.

Nec vos hanc egregiam voluntatem aut levem aut novam putetis: solida est et iam pridem firmata. Diu hoc propositum Philippo fuit: ab eo tempore, quo Turchi Constantinopolim expugnare, hoc votum vovit, nec unquam ab eo recessit. Decimum fere annum in hac voluntate perseverat. Serenissimus imperator Federicus complures in Germania conventus celebravit, in quis de suscipiendo contra Turchos bello consuluit: in omnibus aut presens Philippus affuit, aut legatos habuit. Nos eum Ratispone in Norico supra Danubium vidimus eadem promittentem, que nunc a suis oratoribus audivistis. In Mantuano conventu Iohannem ducem Clivensem ab eo missum vidistis, nec excidere memoria - ut arbitramur - egregia eius promissa.

Iam dudum obfirmatum hoc propositum magnanimo duci fuit, ut adversus Turchos proficisceretur. Non est profectus, quoniam non affuit consensus aliorum principum, qui ad tantam expeditionem obeundam sufficeret. Nunc fortasse miserebitur nostri Deus, exercitumque iam tandem in Turchos cogi validum ac foelicem donabit, quando et Venetorum florentissima res publica classem armavit potentissimam et in hostem misit, et Matthias Hungarie rex coronam et pacem in regno consecutus, quas volet, armare copias poterit, et hic nobilissimus princeps cum lectissima militum manu ad hoc bellum venturum se pollicetur. Convenient - ut speramus - et reliqui potentatus Italie, nec reges Occidentis auxilia negabunt, ostendetque pius Iesus Mahumeteas spurcitas sibi odiosas esse, et pro nobis pugnans ante faciem nostram conteret hostes.

Sed ut ad vos tandem, insignes oratores, verba nostra convertamus: consolati estis nos hodie oratione vestra et magnifica sponsione Philippi, digna profecto suo sanguine ac suo nomine. Quod autem nos hortamini, ut ad fidei sancte defensionem navemus [593]

operas, currentem pungitis equum: nihil tam nobis cordi est, quam sacre religionis defensio. Audivit omnis Ecclesia in conventu Mantuano consilia et desideria nostra -non fuimus exauditi. Frustra laboravimus, nec tamen propterea defatigati sumus. Stat animus ab inceptis non desistere, donec Christianos principes ac populos ad defensionem sacrosancti Evangelii divineque legis excitemus. Ob hanc causam accersivimus per hos dies ad presentiam nostram Italie potentatus, quorum legationes astantes cernitis, ut cum his et vobiscum de tuenda religione consulamus. Quod si non defuerint nobis auxilia fidelium et presertim Itatorum, intelliget brevi non Roma solum, sed omnis Italia et ipsa tota Christianitas curam nobis et animum Christiane rei publicae consulendi non defuisse. Pietas tantum magni Dei et Domini nostri Iesu Christi nobis assit, et suam potius misericordiam, quam nostras metiatur iniquitates!"

His dictis ex auditorio discessum est cunctis Philippi nomen et animum ad astra tollentibus.

15 **29. Pontificis ad Italie legationes oratio, eorumque responsa, et Venetorum magnifica verba**

Postridie pontifex legationibus Italis ad se vocatis percontatus est, quando Philippi sponsonem audissent, et necessitatem belli gerendi non ignorarent, quid tandem offerrent pro fide catholica defendenda. Quibus respondentibus expectare omnes, quid pontifex onus imponeret; nullum pro sua virili in opere tam sancto defuturum, tum pontifex:

"Quid opus est" - inquit -, "multis immoremur? Extat Mantuanum decretum: illud, si placet, servabimus. In eo secundum vires distributa sunt onera: clericis decime, laicis trigesime proventuum trium annorum impositae sunt, Iudeis omnium bonorum vigesime. Laudaverunt hoc omnes populi, quamvis postea executio impedita est Italia novis bellorum motibus perturbata. Nunc pax propemodum rediit; licebit iam Turchis inferre bellum. Pecunia, quae necessaria est, secundum decretum colligi poterit. Nobis nec facilior ulla via occurrit, nec distributio aequalior."

Ad hec legati probare se verba pontificis dixerunt tanquam privatos homines, verum ut oratores non habere ad ea potestatem; rogare, ut liceret suos dominos reddere certiores, atque ab eis consensum requirere. Solus Venetus:

„Meus" - inquit - "princeps his hortamentis haudquaquam eget. In bello est, classem adversus hostes fidei et magnam et validam misit, et iam partem Peloponnesi a Turchis eripuit. Acceptavit decimas, vigesimas ac trigesimas, et alia sponte per se ipsum consentiente senatu suis subditis ascripsit onera. Omnia fiunt, que ad victoriam necessaria creduntur. Tibi nostra res publica nulla in parte deerit."

Tum pontifex collaudatis Venetis, qui magno et excellenti animo bellum fidei suscepissent, conversus ad legatos reliquos:

"Ite" - inquit -, "et vestris dominis renunciate, que diximus, atque hoc unum adiicite: nos eorum pecunias minime cupere, nec tangere illas velle. Exigant ipsi a suis [594]

subditis argentum atque in milites et naves erogent, quibus in bello possimus uti. Ipsi duces sibi deligant, et sua navibus affigant signa. Libentius hec auxilia, quam pecuniaria ab eis accipiemus." Placuit dictum, nec plura eo die gesta.

5 **30. Florentinorum de bello Turchorum dissuasio, et Pii prudentissimum responsum**

Florentinus orator nihil horum equo animo audivit, cui suspecta erant omnia, que Venetorum estimationem augere viderentur. Is solus pontificem solum adiens:

10 „*Quid agis*" - inquit -, "*maxime presul? Adversus Turchos bellum geres, ut Italiam Venetis servire cogas? Quecunque in Grecia exactis Turchis acquirentur, Venetorum erunt, qui subacta Grecia ad reliquam Italiam manus apponent. Nosti superbiam gentis et insatiabilem dominandi cupiditatem. Succedere Romanis se iactitant, et imperium orbis sibi debere; successores Aeneae Troiani suo tempore imperasse, nunc Antenoris posteritati, quam sibi arrogant, monarchiam debere. Huc eos adiuvas contra Turchos socia iungens arma, nec vides, quo precipitem trahis Italiam? Servitutem perpetuam innectis patrie tue. Taceamus Italie damna: quid erit Ecclesia Romana sub imperio Veneto? Putasne, suam dignitatem servabit, et non potius duci Venetiarum ancillabitur? Non sunt Veneti, qui res divinas humanis preferant: potentiam secularem ecclesiastice anteponunt, pontificalis auctoritas ducali cedit, nec tu tibi Iesu Christi vicariatum suffragaturum existimes. »Sic volumus« - inquit -, »ita decrevit senatus!« Nihil proderit sacros canones in medium afferre: aut extinguetur prorsus apostolica sublimitas, aut eam sibi Venetus arripet, ac ducali dignitati coniunget, sive regiam sive imperialem placuerit appellare. Tue prudentie fuerit his periculis obviam ire: non minoribus illis, que timemus a Turchis. Venetus in bello*

20 *est, Turchosque gravi vulnere laccessivit Peloponneso propemodum adempta. Non est, quod amplius reconciliari Veneto Turchus queat: immortale odium natum est; hoc nobis et omni Europe optandum fuit. Sine, inter se decertent: aequae sunt hinc atque inde vires, nec Venetus Turchum, nec Turchus Venetum debellabit. Diu trahetur bellum, tandemque illud fiet, quod ait Scriptura: »Cum fortis in fortem impegit, ambo corruunt.« Et quid nobis*

25 *optabilius evenire potest, quam Turcho simul et Veneto ita vires attritum iri, ut nos tandem frui quiete permittant?*

30 *Tuum propositum est - quantum ego animadverto - Italiam et omnem Europam a metu Turchorum reddere liberam, atque iccirco belli societatem cum Veneto iungis. Ego salubrius offero consilium, qui non modo Turchos Christianorum cervicibus imminentes, sed ipsos quoque Venetos doceo repellendos - atque id sine sumptu, sine labore, sine periculo et cum summa quiete. Florentinorum consilia - quemadmodum ego existimo - pro tua sapientia non contemnis, neque parvi ducis. Haec e media prudentum nostrorum schola ad te detuli; tu, quod in rem Christianam fuerit, complectens."* [595]

Admiratus est vehementer pontifex his acceptis, tandemque ita locutus est: "Si essemus ipsi, quo tu es loco, nec sacris imbuti, nec Iesu Christi vicariatu decorati, fortasse idem sentiremus, quod ipse sentis, fucatisque rationibus tuis succumberemus. Sed non est principis eadem, que privati hominis mens, nec viris ecclesiasticis idem animus, qui secularibus. Multa in populo tolerantur, que in clero nemo audire potest. Que sunt plebi venialia peccata, in sacerdote mortalia ducuntur. Principes seculi et rectores urbium quocumque tandem modo sua tueantur imperia, non curant, dum tueantur; atque iccirco sepe ius gentium violant, et moribus adversantur honestis. Populus victorem laudat, nec turpitudini ascribit per fraudes ac dolos vicisse, si modo laicus est, qui stravit hostem. At si sacerdos insidiis inimicum perdidit, immo etsi aperte insidiantem necavit, iniurius habetur: adeo iustiore populus clericum vult esse, quam laicum. Noli ergo mirari, Otto amantissime, si de rebus, que modo gerende sunt, alia est nostra, quam tua vel Florentinorum sententia. Illi, si salva re publica sua Christianam ire perditum sinunt, si religionem, si fidem negligunt, quamvis gravi scelere apud Deum obnoxii sunt, inter homines tamen suum retinent locum. At nos, si vel minima negligentia in his utimur, que sunt fidei, mox omnium Christianorum vocibus laceramur: »En« - inquit - »Christi vicarium sicine defensionem fidei postponere decet? Concilio opus est, in quo negligentia puniatur, et melior eligatur!« Nulla in pontifice maximo tam parva culpa est, quam populi non ducant maximam. Angelum esse volunt, non hominem. Audi ergo ex nobis, Otto, verba etsi non angeli, at saltem clerici et hominis communem sortem excedentis!

Fatemur Venetos more hominum forsitan plura cupere, quam habeant, atque Italie dominatum querere, nec procul esse, quin ad orbis imperium aspirare audeant. Quod si Florentini pares Venetis potentia fuerint, par quoque imperandi desiderium gerant. Commune hoc vitium est: nemo sua sorte quiescit, nullius civitatis satis latus est ager. Victoria potiti adversus Turchos Veneti, Illyridis ac Grecie possessores effecti Italiam subigere conabuntur - non imus inficias -, si modo barbarorum metu vacent, et non externis bellis distineantur. Esto: subigat Italiam Venetus, quod factu difficillimum est. Quid ais? Venetis an Turchis parere mavis? Nemo Christianorum, qui vere Christianus sit, Turchorum preferet imperium, sub quo pereant tandem Ecclesie sacramenta, necesse est, et alterius vite ianua claudatur ab Evangelio recessuris. Fateberis pessimum esse servire Turchis, optimum nec Turchis nec Venetis, atque hoc te cupere; futurumque id existimas, si Venetos Turchorum bello implicitos non adiuvemus. Consilium neque utile neque honestum prebes. Ivimus Mantuam, Christianos omnes adhortati sumus, in Turchos ut arma caperent, nec sinerent hostes fidei in Christianos ultra grassari. Spreverunt Veneti hortamenta nostra, spreverunt et alii ferme omnes non sine maximo detrimento Christiane religionis. Nunc mutata est sententia Venetorum: audito legato nostro apertum bellum indixere Turcho, et armata ingenti classe hostem perterruere. Suppetias a nobis petunt, ut qui se hoste inferiores esse non dubitant. Suasimus Venetis, bellum pro religione capessero; paruerunt. Nunc petentibus auxilium denegabimus? Quis hec audiens laudabit? Deus hanc mentem inimicis tribuat vivifice Crucis, ut consortes sue legis in bello relinquunt! Nobis non licet pro sancto Evangelio pugnantibus opem quovis pacto subtrahere. Dices in bellum Venetos [596]

non fidei defendende causam, sed imperii cupiditatem adduxisse; Peloponnesum quesivisse, non lesum. Sit ita! Hoc satis est nobis, quoniam vincente Veneto Christus vincet. Turchorum victoria Evangelii subversio est, quam totis conatibus tenemur avertere.

5 *Asseruisti Turchis atque Venetis contendentibus futurum, ut ambo corruant, tanquam non sint maiores Turchi, quam Venetorum opes. Falleris! Multo est inferior Turcho Venetus, quamvis classe maritima superior habeatur. Insulas, et que sunt in litore maris oppida, vexare potest, in mediterraneis minimum est, quod efficere queat. Quod si Turchorum duces terrestres copias in oras Dalmatie deduxerint, quemadmodum consilium cepisse videntur, facultatem armandi classem Venetis tandem eripient, qui remiges*
10 *navalesque socios omnes fere ex Dalmatia legunt. Non tam facile terre imperium, quam maris acquiritur. Memorie traditum est Rhodios et alios plerosque imperitasse mari, quorum in terra admodum parva potestas fuit. At qui longe lateque in terra dominati sunt, his proxima maria plerumque patuerunt. Non est igitur existimandum Turchorum principatum, qui est in Asia terra et Europa latissimus, a Venetis posse deleri - quamvis*
15 *mare pro sua voluntate procurrun - , quando in terra pugnaturi castra conferre castris nequeunt, equitum peditumque turmis ac robore multo inferiores. Quod si a nobis et aliis Christi fidelibus non fuerint adiuti, cum dedecore damnoque nostre religionis cito deficient. Maximi sumptus est classem in Orienti magnam alere, nec diu id fieri potest. At si recedit*
20 *classis, quecumque illic quesita sunt, necesse est ad hostes illico deficient, quorum presto aderunt exercitus. Nisi prorsus ab Europa migrare Turchi cogantur, perparum est, quod in Grecia obtineri a Venetis aut servari queat.*

Non est ergo salubre consilium tuum, quod nec Venetos servat, nec Turchos delet. Quod si perierint Veneti, frustra de servanda Italia cogitabis. Bellum maximum et periculosissimum inierunt, in quo sine pernitie Christiane religionis succumbere non
25 *possunt. Ferenda sunt laborantibus auxilia, adiiciende vires, supplementa militum ministranda, atque omni ope nitendum, ne cedere cogantur hosti. Commune bellum est. Querenda est omni studio victoria, et nos quidem cum Philippo Burgundie duce Venetis non deerimus, classes classibus coniungemus, atque omnes maritimas urbes infestas reddemus Turchis.*

30 *Ex altera parte Matthias Hungariae rex Superiorem Mysiam, Macedoniam vicinasque regiones terrestribus copiis agitabit. Difficile erit Mahumeti, cui non desunt potentes in Asia inimici, omnibus in locis resistere. Vincetur, ut nostra fert opinio, atque ab Europa prorsus eliminabitur, nisi iustus et misericors Deus nostris offensus iniquitatibus aliud (quod absit!) de suo populo censuerit.*

35 *Nec propterea Venetos Italie iugum imposituros arbitramur, quando de Turchis triumphaverint. Non omnia, que Turchi occupant in Europa, Venetorum erunt. Peloponnesus illis cedit et fortasse Boetia atque Attica et in Acarnania et in Epiro pleraque loca, que mari coherent. In Macedonia Georgius Scanderbechius primas partes sibi vendicabit, in aliis Grecie regionibus non deerunt Greci nobiles, qui Turcho eiecto tyrannidem occupent; quibus necesse erit libertatem relinquere. Reliqua, que vergunt in*
40 *Danubium - ut est Bulgaria, que olim Inferior Mysia dicta est, et Rascia, que [597]*

Superior, et Servia, et Bosna - et ultra Danubium Valachia - quam prisci Datiam
 vocavere - in solo Sarmatico, sive (ut quidam volunt) Scythico usque ad Euxinum pontum
 cuncta ad Hungaros pervenient, quorum aliquando fuere possessio. Nemo victis
 eliminatisque Turchis plus locupletabitur, quam Hungarus: multo hic potentior erit, quam
 5 Venetus. Ditatus atque auctus Dalmatiam a Venetis repetet; negabitur; bellum deinde inter
 eos orietur, quod Italiam a Venetorum tyrannide longo tempore liberabit. Interea alie
 atque alie spes emergent. Nunc inter Hungaros et Venetos adversus communem hostem,
 quem magis verentur, societas est, et de lite Dalmatica silentium, que Turchorum metu
 depulso e vestigio suscitabitur. Non est, quod Italie tantopere timeamus, nec Romanorum
 10 exempla vereri oportet. Longe distant a Romanis Venetorum mores; multas licebit videre
 nives, priusquam Veneti Italiam frenent. At nisi Turcho potenter resistimus, cito et Hungari
 cedent et Veneti, nec mora fiet, quin nostra quoque libertas pereat. Occurrendum est
 presenti periculo, quod a Turchis imminet; de Venetis suo tempore cogitabitur, si opus erit,
 nec deerunt valentia remedia.
 15 Providentes viros esse Florentinos ab ipsa pueritia didicimus, et res multo ante, quam
 fierent, cernere. Atque hoc est, quod de imperio Veneto vaticinamini. Verum simile monstri
 est non videre propinqua eos, qui longinqua prospectant. Ardentibus edificiis non affertis
 aquam, crematuris olim consulere properatis. Egre fertis in Grecia crescere Venetos, atque
 ut magis magisque crescant, operam datis, qui societatem belli declinantes, que vestra
 20 futura erant spolia, Veneto relinquitis. Non est hoc sapere. Consultius agat vestra res
 publica, si pro suis viribus classem instruens nobis sese adiunxerit, orientalisque prede
 partem petierit; hoc pacto honesti et utilis rationem habebit. Quod si otiosus domi
 Florentinus remanserit, cum papa in bellum ierit, et reliqua omnis Italia in arma proruerit,
 infame nomen urbis erit, et Deus illi succensebit, nec ducturos in eam Venetos quispiam
 25 arguet, aut opem vobis offeret. Iustum Dei iudicium illud experiemini, ut qui Christianos in
 bello contra Turchos periclitantes reliqueritis, in discrimine constituti et ipsi ab omnibus
 deseramini."

Ea cum accepisset Otto, existimare se inquit pontificem vera loqui, nec animum eius fore
 mutabilem; victum se rationibus prope adamantinis scripturum senatui Florentino,
 30 quecunque accepisset, nec dubitare, quin tandem omnia fierent ex voluntate pontificis,
 verum non sine labore ac mora: cum populo rem gerendam, cui nihil odiosius est, quam
 aurum exponere. Nec plura locutus abiit.

35 **31. Pii pontificis ad cardinales ardentissima oratio multis argumentis bellum
 (in) Turchos sumendum ostendens**

Pontifex sequenti die secretum consistorium advocat, cardinalesque hoc modo alloquitur:
 „Sextus agitur annus, viri fratres, postquam Beati Petri cathedram ascendimus. Quis
 vestrum interea defensionem fidei non multis magnisque precibus nobis commendavit?
 40 Quis non dixit bellum contra Turchum gerendum esse, et omnes Ecclesie [598]

thesauros effundendos? Vestro consilio suasitque Mantuam ivimus, Christianos ut ibi reges in belli societatem accersiremus. Non successit ex sententia; non audiverunt Christiani vocem pastoris. Reversi domum perturbata omnia reperimus. Iohannes Andegavie, Rhenati filius navigia, que cardinalis Avinionensis sacra pecunia contra Turchos in Rhodano comperaverat, sibi arripuerat, et instructa classe adversus Christianos in regnum Sicilie duxerat, atque Italiam, que pace gaudebat, bello infestaverat.
 5 *Misimus suppetias Ferdinando, qui rex erat a nobis constitutus, ne de regni possessione sine iudicio eiiceretur. Rem difficilem inchoavimus. Regni barones paucis demptis omnes adversus Ferdinandum rebellaverant; magnum et memorabile Francie nomen haud parum in Regno valebat. Accesserat Picininus, Picinini filius, qui a rege Ferdinando ad Francos defecerat, et tanquam belli fulmen terrorem provincialibus ingesserat. In agris Ecclesie familie nobiles aut aperte cum hostibus sentiebant, aut auxilia clam ministrabant Ursinis exceptis atque Comitibus, quos aere conduximus. Sabellus intromissis Braccianis omnem Sabinam totumque Latium reddidit infestum; Columnenses in Campania sepe res novas moliti sunt; Eversus Anguillarie comes modo unum modo alterum furari oppidum aggressus etiam vite nostre ferro ac veneno insidiatus est; Gentilis Solensis Urbem Veterem occupare temptavit, et Ficullam nobis eripuit. Rebellaverunt et nobiles in Arce Canali munitissima, quam putabant inexpugnabilem. Quid Sigismundus Malatesta, quot nobis molestias intulit?! Liberatus ab hoste, cui prorsus erat impar, beneficio nostro pacemque*
 20 *consecutus Muldaviium et alia oppida, que iure pignoris tenebamus, per fraudem dolosque nobis eripuit, ad hostes defecit, Gallorum stipendia meruit, copias nostras in Piceno profligavit, omnemque late agrum populatus est. Perusini novarum cupidi rerum non tam nobis, quam Picinino favebant; Reatini vix in officio mansere; Romana iuventus grassari per Urbem, rapinas caedesque facere, hostemque accersire. Adversus tot tantasque*
 25 *difficultates nec Veneti nec Florentini - ut ex federe tenebantur - auxilia prebuere; dux Mutine immemor iuramenti Gallorum partes enixissime iuvit; solus Franciscus Mediolanensium princeps Ferdinando nobisque auxilio fuit.*

Vidimus per id tempus vos ferme omnes trepidare metu, nec quisquam vestrum consilia nostra probabat. Ruituram Ecclesiam arbitrabamini, nec poteratis de nobis non dura loqui, qui re Turchorum obmissa bellum Gallicum suscepissemus, Ferdinandique magis causam, quam Christi defenderemus. Existimabatis ex animo nostro zelum fidei penitus decidisse, nec ullam nobis esse curam tuende religionis. Falsa opinio fuit, male de nobis opinati estis! Non videbatis cor nostrum, neque introspicere mentem poteratis. Nulli molestiores fuere, quam nobis Turchorum victorie, nulle ab illis subacte gentes, nulle urbes
 35 *everse, nulle Christianorum anime rapte sine singulari merore nostro atque intensissimo dolore. Ardebat animus subvenire miseris, pudebat grassari hostes in agris fidelium, neque invenire resistentes. Sed quid ageremus? Occupati bello domestico foris pugnare non poteramus. Aut Roma cedere oportebat, aut Gallos vincere, qui spretis iussionibus nostris contra ius fasque Sicilie regnum invaserant, vassallosque nostros in circuitu contra nos*
 40 *armaverant. Necessaria sumpsimus arma, que defenderent, non que offenderent; pacare prius domum oportuit, deinde Turchos bello petere. Huc mens nostra, huc cogitationes omnes intente fuerunt. Pro Christo pugnavimus, [599]*

cum Ferdinandum defendimus. Turchis intulimus bellum, cum Sigismundi concussimus agros.

Vidit ex alto pius atque optimus Deus animum nostrum, nobisque affuit, et direxit consilia nostra. Misit de celo angelum suum, atque hostes conterruit et contrivit. Sabellus omnibus
 5 *exutus oppidis preter duo, prostratus ante pedes nostros veniam petiit. Tyburtini, qui et ipsi propemodum ad hostes defecere, arcis subire iugum coacti sunt. Columnenses humiliati summis precibus, ut eos ab inimicis protegeremus, pro vetustate dignitateque domus obtinere. Eversus pavidus tremensque domi quiescit; Canalenses funditus deleti sunt; Gentilis quoque amisso patrimonio in exilium actus; Perusini dicto parentes effecti; Reatini*
 10 *nulla imperata recusant; [Anthonitani, qui malis artibus Martianum, quod a Sigismundo receperant, iubente legato Ecclesiae tradiderunt;] Iulius Camertinus, qui unus fuerat ex conspiratoribus a Sigismundo citatis, domi contra naturam quiescens oppidum Scorticate, quod non recto titulo invaserat, trepidus reddidit.*

Quid de Sigismundo sit actum, tenetis omnes. Cum Senogalliam nobis eripuisset, invasus ab exercitibus nostris fugatus profligatusque est, vixque cum paucis evasit. Muldaviium deinde vi captum, quamvis externo milite abunde munitum esset, et omnia vicariatus oppida in potestatem recepta. Transivere copie in agrum Ariminensem, brevique
 15 *Mundainum, Montem Florum, Verruchium, Sanctum Archangelum et circumiecta castella partim vi partim deditione nostri duces obtinere. Miro fortune afflatu, immo vero mirabili providentia Dei atque misericordia inexpugnabilia que putabantur loca, et que nec Picininus nec Franciscus Sfortia, preclari duces, quamvis temptassent, evincere nullo pacto valuerunt, brevi tempore capta sunt. Itum est ad Fani menia; urbs magna et potens et in litore maris iacens, unde sepe auxilia suscepit, obsessa tandem manus dedit. Recepta est et*
 20 *Senogallia et Gradaria, que Franciscum Sfortiam in obsidione iacentem delusit. Nihil Sigismundo remansit preter Ariminum et quedam in Apennini montibus nivosa loca et in Etruria Cisterna. Magna Dei ultio: peste, fame atque bello conteritur, qui paulo ante superbus per contemptum atque irrisionem interceptis episcopi Cornetani ornamentis equitem ex suis quendam iusserat illa induere, atque obequitantem per castra quasi legatum summi pontificis populo atque militie benedicere. Sic sacrorum contemptoribus*
 25 *Deus retribuit! Dominicus Malatesta, cum Sigismundo fratri opem tulisset, nostrisque conatibus adversaretur, magna parte agri mulctatus est, fuissetque Cesena reiectus, nisi resipiscens ad misericordiam nostram convolasset.*

Haec in agris Ecclesiae gesta extra Regnum. Referamus nunc breviter, quanto nos favore misericors Deus in ipso Regno persecutus est. Transeamus Campanie recuperationem,
 35 *cuius magna pars ad hostes defecerat, concordiam Ursi Ursini, res Calabrum, expugnationem Cossentie, reditum marchionis Crotoniatis et Sancti Severini familie: ad maiora veniamus! Quid Troiana victoria gloriosius, in qua omnes hostium vires in unum coniuncte infoelix prelium commisere? Iohannes Andegavensis, cuius auspicio res gerebantur, et Picininus formidatus copiarum imperator atque invictus existimatus*
 40 *primariique duces turpem arripere fugam coacti sunt. Troia deinde in potestatem venit, et Iohannes Cossa regia liberalitate dimissus. Contra principem Tarentinum ducte [600]*

copie Asculum illi eripuerunt. Dux Melfie ad Ofantum regi se dedit, et paulo post princeps ipse relictis Francis atque abiurata Picinini societate suo regi reconciliatus est, cum quo maxima procerum caterva in gratiam rediit. - Neapolio, nostri ductor exercitus ad compescendam Sorani ducis temeritatem profectus Insulam et Soram et Arpinum et alia pleraque magni momenti castella illi eripuit, ac frenum imposuit. Recuperavit et agrum abbatiae Sancti Germani et Pontem Corvum, olim Eugenio ab Alfonso ereptum; Antonio Spinello, precipuo Gallici nominis assertori tantum tenoris incussit, ut subito morbo correptus obierit, nepotes eius in Arce Vilelmi, quam putant inexpugnabilem, Ecclesie vexilla erexerint. Duxit et adversus Rugerottum Celani comitem, qui Picinini armis adiutus privatam imperio matrem in carcerem coniecerat; huic brevi tyrannidem ademit, atque ut Ferdinandus decreverat, comitatum nepoti nostro Antonio tradidit.

Ex altera parte Alexander Sfortia ab Apulis per asperos montes in Aprutios duxit, coniunctusque Mattheo Capuano et Roberto Ursino in Caudolas Picinumque contendit, qui apud Archas castra tenebant. Non fuit animus hostibus cum Alexandro manus conserere; mutatis castris ad munitiora montis loca migraverunt, ac misso caduceatore pacem petentes post paucos dies compositis rebus suis Ferdinando se submisere. Duxit et Alexander adversus Aquilanos, qui omni spe auxilii destituti mox deditionem fecere, quamvis liberos et uxores commesturos se olim dixerant, priusquam Francos relinquerent - [ut sepe maior] oris, quam animi ferocitas repperitur.

Ferdinandus vastata Rossani principis agrorum magna parte in planitiem Sinuessanam ingredi conatus est, que mari, flumine ac montibus clausa difficillimos habet aditus. Vicit omnia constans animus divino favore adiutus; munimenta disiecta sunt, et omne presidium ad Turrin, quam vocant Balnearum, locatum magna vi repulsum. Obtenta est planities, et ager omnium ditissimus direptioni datus, atque usque ad portas Sinuesse procursum. Consternatus tandem animo Rossani princeps, quamvis Andegavensis cum duabus equitum turmis auxilio advenisset, pacem nihilominus petiit, mulctatusque nonnullis munitissimis locis in pristinam benivolentiam receptus est. Iohanni libertas data: intra quindecim dies, quocumque vellet, extra Regnum abiret. Is apud Enariam se recepit, ibique Cathelani fidem secutus, qui suum dominum prodidit, egens merensque latitat. Hec illi premia sunt violate fidei et ecclesiastice classis in Christianos armate; sic Deus in suos hostes ulciscitur! Quis non hec divina opera recognoscat? Non sunt hec nostra, viri fratres; Deus, Deus est, qui talia orditur et textit! Maximum regnum quadringentis circiter milibus passuum protensum, nusquam minus, quam centum milibus latum, tot urbibus, tot munitis arcibus referctum, tot baronibus, tanta militia plenum, cum uno anno concordie rebellione ad Francos defecisset paucissimis aut civitatibus aut baronibus cum Ferdinando remanentibus, donante Altissimo, cuius est regna de gente in gentem transferre, huc denique redactum est, ut omnia Ferdinandi nomine teneantur - exceptis in Aprutiis Ortona, in Apulis Manfredonia, Bestia, Sancta Severa et arce Lucerie et Campi Bassi comitis parvula regione, in Calabris Manthea et - si qua sunt - aliis sine nomine locis. In Tyrrheno mari e regione Neapolis Castrum Ovi semidirutum ab hostibus detinetur, et [601]

non procul a Bais arx Enarie, in qua diximus Iohannem latere; reliqua nostris et sociorum armis evicta ad officium rediere.

»Quorsum hec« - queritis - »tam longa narratio? « - Nempe ut intelligatis beneficia magni Dei, quibus et Romanam Ecclesiam et vos nosque cumulavit, ut cogitetis una nobiscum vicem rependere atque habere gratias largitori. Peracta sunt duo gravissima bella, Siculum ac Picense; et quamvis reliquie in Regno nonnullae remanserint, satis est, quod nostris cogitationibus impedimento esse non possunt: ipse per se Ferdinandus minuta hec, que restant, evellere offendicula sufficit. Nobis iam liberum est adversus Turchos arma capessere; non possumus amplius, nec volumus differre.

10 Nunc desiderium nostrum implere licet, nunc pro fide pugnare fas est, quod semper optavimus! Novit Deus cogitationes nostras, hisque viam iam tandem expeditam reddidit. Rogastis nos sepius, ut hoc ipsum ageremus. Nunc vos rogabimus: cavete, ne, quod in nobis reprehendistis, increpare possimus in vobis! Nunc vestra fides, vestra religio, vestra devotio in lucem veniet! Si vera erit, non ficta caritas vestra, nos sequimini. Exemplum dabimus vobis, ut quemadmodum nos ipsi facturi sumus, ita et vos faciatis. Nos autem Magistrum et Dominum nostrum Iesum Christum, pium et sanctum Pastorem imitabimur, qui pro suis ovibus animam ponere non dubitavit. Ponemus et nos vitam nostram pro grege nostro, quando aliter Christiane religioni, ne Turchorum viribus conculcetur, subvenire non possumus.

20 Armabimus classem, quantam pro facultatibus Ecclesie instruere poterimus. Ascendemus navem quamvis senes morbisque conquassati. Dabimus vela ventis, atque in Greciam et Asiam navigabimus. »Et quid ages« - dicit quispiam - »in bello senex sacerdos? Mille morbis oppressus, et in prelium ibis? Quid togata valebit in pugna cohors? Quid sacer ordo cardinalium prestabit in castris? Vix tympana tubasque ferent, ne dicam bombardas hostium! In delitiis egere iuventam, et tu senium macerabis armis? Inconsulte agis! Melius domi cum cardinalibus atque omni Curia remanebis, classem vero argento paratam fortique et assueto malis milite instructam mittes in hostem, aut Hungaris aurum suggeres, qui copias quam validissimas in Turchos agant!« - Pulchre dictum et utile, si assit aurum. Sed unde id corrademus? Erarium nostrum diutino bello exhaustum est, nec proventus Ecclesie ii sunt, qui tante rei sufficiant, quamvis divino munere aluminis vena reperta est, que magis ac magis divine pietati nos obligat, et ad tuendam religionem invitat. Omnis pecuniarum summa, que singulis annis ad cameram nostram pervenire potest, trecenta milia auri nummum haudquaquam ascendit. Mediam partem custodes arcium et prefecti provinciarum et belli duces et alicui nostri consumunt, neque his sumptibus carere apostolatus potest. Quis reliquum ad debellandos Turchos sufficere dixerit? Intelligitis pro vestra prudentia longe maiori pecunia opus esse. Vix decies centena milia in annum sufficiant Turchonico bello, quod triennale aut certe longius futurum in Mantua viri docti iudicavere.

40 Audimus insurrectiones vestras: »Si adeo difficile bellum censes, qua spe pergis non apparatus viribus, que sufficiant?« Istuc venimus! Bellum necessarium cum Turchis imminet; nisi sumimus arma, atque occurrimus hosti, actum de religione censemus. Tales inter Turchos erimus, quales inter Christianos Iudeorum despectam [602]

cernimus gentem. Nisi bellum sumimus, infames sumus. At bellum sine pecunia geri non potest! Querere occurrit hoc loco: ubi pecuniam perquiremus? »A fidelibus Christianis« - respondebitis. - Urgemus amplius: quo pacto? quonam modo? Omnes temptatae viae sunt, nulla voto respondit. Indiximus Mantuae conventum: quis inde fructus emersit? Misimus in provincias legatos: sprete atque irrisi fuere. Imposuimus clero decimas: appellatum est pernicioso exemplo ad futurum concilium. Iussimus indulgentias predicari: aucupium id esse ad extorquendas pecunias dixere et inventum curialis avaritiae. Omnia, quaecumque agimus, in partem deteriore populus accipit. Ea conditio nostra est, que mensariorum perdita fide: nihil creditur nobis. Despectui sacerdotium est, et infame nomen cleri. Aiunt nos in delictis agere, cumulare pecunias, ambitioni servire, mulabus insedere pinguioribus ac nobilioribus equis, extendere fimbrias paludamentorum, et inflatis buccis sub rubenti pileo et ampliori cucullo per Urbem vadere, canes ad venandum alere, histrionibus et parasitis multa largiri, in defensionem fidei nihil. Nec omnino mentiuntur! Sunt plerique inter cardinales et reliquos curiales, qui hec agunt, et si verum fateri volumus, nimius est Curie nostre vel luxus vel fastus. Hinc odiosi populo sumus, adeo, ut nec vera dicentes audiamur.

Quid agendum in tanta contumacia censetis? An non querenda via est, qua perditam fidem recuperemus? Utique dicitis: »Et que via huc nos ducet?« - Nulla certe nostris temporibus usitata: ad insueta iam pridem itinera transeundum! Querendum est, quibus artibus maiores nostri hoc nobis imperium Ecclesiae latissimum pepererunt, atque illis utendum! Principatus enim facile his modis retinetur, quibus ab initio partus est. Abstinencia, castitas, innocentia, zelus fidei, religionis fervor, contemptus mortis martyriique cupido Romanam Ecclesiam toti orbi prefecerunt. Primi Petrus et Paulus in clypto martyrio dicaverunt; secuti deinde pontifices alter post alterum longa serie ad gentium tribunalia rapti dum falsos deos accusant, Christumque verum et singularem Deum manifesta voce fatentur, exquisitis suppliciis mortem obiere, eoque pacto novelle plantationi consuluerunt. Credidere discipuli magistros vera locutos, qui suam doctrinam morte firmassent, nec ullis potuerint ab ea tormentis avelli. Veri et probati pastores, qui pro gregibus suis animam posuerunt, Magistrum et Dominum imitati lesum, aeternum et optimum Pastorem, qui pro suis ovibus in ara Crucis occisus humanum genus pio Patri reconciliavit. - Conversis deinde ad Christum Romanis, apertis ecclesiis et Evangelio passim disseminato cessare martyria, et sancti confessores introire, qui doctrine lumine sanctorisque vite fulgore non minus Christianis plebibus profuerunt, quam martyres, vitii hominum frenas ponentes, que solent in pace latius evagari. Ab his et ab illis Ecclesia nostra magna effecta est. Servari non potest, nisi predecessores nostros imitemur, qui regnum Ecclesiae condidere; nec satis est confessores esse, predicare populis, fulminare vitia, virtutes in celum tollere: ad priores illos accedendum est, qui pro Testamento Domini sua corpora tradiderunt. Nihil est, quod pro salute gregis nobis commissi perpeti non debeamus, etiam si anima ponenda sit!

Turchi modo istam modo illam Christianorum provinciam vastant. Bosna hoc anno capta est, et rex gentis obtruncatus. Trepidant Hungari, trepidant vicini omnes. Quid agemus? Armatas illi copias mitemus obviam? Non est aurum, unde parentur. Quid [603]

ergo? Reges hortabimur: illi occurrant, atque hostes e nostris finibus propulsent? At hoc frustra temptatum est! Non belle dicitur: »Ite!«, fortasse melius audierit: »Venite!« Hoc temptare libet. Stat sententia in bellum contra Turchos pergere, Christianosque principes, ut nos sequantur, facto simul et verbis invitare. Fortasse cum viderint magistrum et
 5 *patrem suum, Romanum pontificem, Iesu Christi vicarium senem et aegrotum in bella vadentem, pudebit eos manere domi: arma capient, defensionemque sacre religionis fortibus animis amplectentur. Haec nisi via Christianos in bellum excitat, nescimus aliam. Hanc ingredi placet.*

10 *Scimus rem senio nostro pergravem esse, nosque ad certam quodammodo mortem profecturos. Neque hanc recusamus, cuncta Deo committimus. Fiat voluntas eius! Moriendum nobis aliquando est, neque interest, quo in loco, dum bene moriamur. Beati, qui moriuntur in obsequio Domini. Mors bona malam vitam redimit. Nobiscum bene actum putabimus, si Deo placuerit in eius servitio nostros finire dies. - Vos, qui tantopere nos adhortati estis in Turchos movere bellum, domi in otio remanere non decet: oportet*
 15 *membra suo coaptari capiti, et illud sequi, quocunque ierit.*

Quod agimus, necessitatis est. Promissa est profectio nostra Philippo Burgundie duci. Votum is voverat profecturum se contra Turchos in bellum, si aut imperator aut rex Francie aut alius princeps, quem se sequi non dedeceret, idem agere proponeret. Intelligebamus, quanti momenti esset profectio Philippi, quem magna pars Occidentis
 20 *sequitur. Cupiebamus hunc iter incipere, atque - ut aiunt - glaciem perfringere primum, haud dubitantes, quin eum maxima nobilium ac procerum multitudo sectaretur. Verum neque imperator neque rex Francie neque princeps alius eo superior in Turchos proferre arma apposuit animum. Solutum se voto Philippus existimabat, cuius non esset impleta conditio.*

25 *Venit in mentem excusationem hanc ei surripere, vocatisque sex cardinalibus, quorum fides ac taciturnitas spectata nobis erat, anno abhinc fere secundo propositum nostrum aperuimus. Obstupuere ad primum sermonem cardinales, rem maximam et superioribus inauditam temporibus probare non poterant. At postquam saepe consultatum est, et hinc pericula fidei inde Romane Ecclesie detrimenta aequis lancibus ponderata sunt, in*
 30 *sententiam nostram omnes concessere. Scripsimus itaque senatui Veneto propositum nostrum indicto silentio, eiusque principis consilium et auxilium postulavimus. Placere Venetis meditata nostra, atque auxilium promiserunt, summaque fide silentium servavere. Episcopum deinde Ferrariensem ad Ludovicum regem Francie misimus; qui veluti somnia dicta nostra contempsit, ratus iccirco talia nos effinxisse, ut eius animum a rebus Italicis*
 35 *avertemus - quamvis maiora eius fuere somnia, qui se uno anno victurum Angliam atque Hispanicis contentiones pacaturum iactavit, deinde per Italiam domitis Genuensibus subactoque Sicilie regno facile in Greciam traiecturum, omnes barbaras nationes edomiturum. Sprevit Ferrariensis gloriabundum regem, et ad Philippum - ut erat iussus -*
 40 *recta se contulit. Ad quem cum venisset lectulo cubantem, atque inter cetera dixisset necessarium ei esse contra Turchos arma sumere votoque satisfacere, nam et nos ipsi in eam expeditionem profecturi essemus, qui regis et sacerdotis locum teneremus: »Probe ades« - inquit -, »episcopo, nam hoc mihi nuncio sanitatem affers. Faciam, que iubet pontifex: euntem [604]*

sequar, brevi ad eum legatos de tota re transigenda missurus.« - *Ecce assunt legati, audivistis eorum postulata; defensionem fidei nobis suadent atque in Turchos bellum; promissa Ferrariensis exigunt, venturum principem dicunt, si nos pergimus; si minus, domi mansurum.*

5 *Quid aimus? Promissa duci et Venetis profectio sine dedecore summaque turpitudine negari non potest. Non est integra res, ire oportet! Periculosum iter ingredimur, non negamus - nobis scilicet, qui senes et valitudinari sumus; ceteris non item, quando spes magna victoriae consequende oblata est. Neque enim soli in hostem pergimus: Venetorum valida classis et maris domina nos comitabitur, aderunt et alii potentatus Italiae, dux*
10 *Burgundie Occidentem attrahet secum, a septentrione urgebit Hungarus et Sarmata; rebellabunt per Greciam Christiani, atque in castra nostra procurrent; Albani, Servi, Epyrote libertatis tempus advenisse gaudebunt, et partes nostras adiuvabunt. Nec deerunt in Asia motus Caramanni et Ianse et aliorum, qui Ottomannos oderunt. Adsit tantum divinus favor, ad victoriam cetera succurrunt!*

15 *Nec nos pugnaturi pergimus corpore debiles et sacerdotio fungentes, cuius non est proprium versare ferrum. Moysen illum sanctum patrem imitabimur, qui pugnante adversus Amalechitas Israhele orabat in monte. Stabimus in alta puppe aut in aliquo montis supercilio, habentesque ante oculos divinam Eucharistiam, id est Dominum nostrum lesum Christum, ab eo salutem et victoriam pugnantibus nostris militibus*
20 *implorabimus. Cor contritum et humiliatum non despiciet Dominus. Eritis et vos nobiscum exceptis senibus - quibus, ut remaneant, ignoscimus -, orabitisque pariter, et operibus bonis Christiano populo divinitatem reddetis propitiam.*

Cogitatis, dum ista dicimus: »Quod erit interea Romane regimen Ecclesiae? Recusabunt ultramontani ultra mare te sequi, nec in absentia tua satis tutum erit Ecclesiae patrimonium.« - *Istuc pergimus. Omnia provisum sunt: audite!*

25 *Romanam Curiam et omnia eius officia et duos pariter legatos ex ordine vestro apud Urbem relinquemus: alter spiritualibus negotiis preerit, temporalibus alter. Invenient omnes, quod querent, non iniqua petentes; maiores tantum cause et perdifficiles et rare ad nos deferentur. Vicarius noster iustitiam temperabit, beneficia conferet, viduatis providebit ecclesiis, succurret egentibus, dispensabit, gratias elargietur pro dignitate et meritis personarum; alter subditis Ecclesiae ius dicet, et propulsabit hostem presidio militum*
30 *fulctus, quorum ductor erit Antonius nepos noster; huic equitum tria milia, peditum duo milia relinquemus, quorum pars apud Picenses manebit. Hoc pacto, quantum humana possumus ratione prospicere, in tuto dimitemus omnia.*

35 *Sed nihil est, in quo magis speremus, quam in adiutorio Altissimi. »Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*« *Pro Deo nostro propriam sedem et Romanam Ecclesiam relinquimus, et hanc canitiem atque hoc debile corpus sue pietati devovemus. Non erit immemor nostri: si non dabit redditum, dabit in celum aditum, et Primam Sedem Sponsamque suam conservabit indemnem.*

40 *Audistis propositi nostri seriem; vos nunc vicissim animi vestri sententias promite!"*
[605]

32. Cardinalium consensus de bello contra Turchos sumendo

5 Inter loquendum sepe lachrimatus est pontifex, neque fletum continere cardinales potuerunt, quibus erat mens sanior. Prior in Collegio, qui responsurus esset, cardinalis Ostiensis fuit, Rothomagensis ecclesiae pontifex, homo Gallicus et a re proposita longe alienus, delictiarum sectator et ocii; qui iussus sententiam dicere minime adversari ausus est, naturam hominis rei pervicit honestas. „Ego” - inquit - „et consilium tuum, pontifex, laudo, et animum admiror; te sequar, quocumque iusseris. Etsi nihil mihi navigatione difficilius est, onus quodcumque imposueris, feram.”

10 Cardinalis Portuensis, natione Hispanus atque grandevus, cadentibus ubertim lachrimis, nec singultus retinere valens: „Hominem te” - inquit - „hactenus existimavi, pontifex, nunc angelum iudico. Vicisti opinionem meam. Deus adsit tuis ceptis! Ego lateri tuo semper comes adero, sive aqua sive terra sit iter habendum, nec te per flammam euntem deseram, quando recta in celum vadis.”

15 Similia fere locuti sequentes ad Spoletanum usque pontificis propositum summis in celum laudibus extulere. Spoletanus, etsi unus eorum cardinalium fuerat, cum quibus rem ab initio tractatam diximus, et in utranque partem disceptationes audierat, intellexeratque obiecta in contrarium confutata fuisse -, ut tamen plus aliquid, quam ceteri, scire videretur, propositum pontificis, etsi magnum et dignum laude videri asseruit, ignorare se nihilominus ait, an
20 perfici posset, difficultatesque iam milies refutatas in medium adduxit, tanquam ea primum die de profectione verbum audisset. Sed non impune locutus est: pontifex facile sepe victum revicit.

Secutus est deinde cardinalis Atrebas, cuius hec sententia fuit: „Non est libera - ut video -
25 deliberatio. Promissa profectio est: ire tibi necesse est. Laudabunt multi hoc factum; nec pauciores vituperabunt, qui te iccirco hoc esse commentum dicent, ut Gallicis vendicandi Regni viam precludas. Quod ais cardinales te sequi debere, non probo; ad martyrium enim proficisci consilium est, non mandatum.” - (Ceperat hic iam pridem adversari pontifici, et tanquam in reprobum datus sensum ad insaniam usque proruperat, nec pontifici poterat pacifice loqui. Mutationis causam paulo post subiiciemus.) Contempsit pontifex delyrantis
30 verba, et aliorum percontatus sententias nullum invenit, qui non magnopere profectionem et laudaverit et suaserit, nec quisquam fuit, qui non res simul et corpus obtulerit. Pontifex letus assentione Senatus silentium imperavit usque ad constitutam diem.

33. Fortune Fani et Senogallie et Gradarie expugnatio

35 Interea cardinalis Theanensis et Federicus Urbinas post diutinam Fani obsidionem - in qua supra quam dici queat incommoda pertulerunt non solum ab hoste iaculis ac tormentis mirum in modum laccessiti, verum etiam inclementia celi et imbris vexati, quibus castra tanquam stagna et ingentes lacune [606]

inundaverunt - oppugnare tandem urbis menia decreverunt cuniculis et patentibus fossis, per quas miles a lateribus tutus incederet ad muros usque deductis. Sigismundus per eos dies ex Arimino Fanum venit inspecturus, an servari oppidum posset commeatu, quod pro tempore parare potuerat, navibus importato. Is urbe lustrata et hostium robore atque operibus consideratis, accersito Roberto filio, quem loco prefecerat:

5 „Ego” - inquit - „Ariminum necessario revertor; tu, quemadmodum cepisti hanc urbem, forti animo defendito! Quod si vis hostium superaverit, aut deditionem cives ipsi tentaverint, caveto, ne salva civitas ad Ecclesiam perveniat: aut ignem tectis iniicito, aut hostibus exponito prede!” - Atque his dictis abiit.

10 Urbinas et cardinalis cognitis, que gerebantur in civitate, paratis machinis muros adoriuntur. Committitur acre certamen, undique tela et saxa volant; scandunt ecclesiastici muros iam magna ex parte bombardis eiectos. Reparaverant cives interius ex materia terraque alteram molem; quam dum illi servare nituntur, ecclesiastici deiicere, multi mortales periere, multi ex utraque parte vulnerati ex pugna recesserunt. Fuissetque procul dubio capta moles et urbs direptioni exposita, nisi ecclesiasticis missilia defecissent. Quod 15 ubi Federicus agnovit, receptui cecinit. Intellexere Fanenses periculum, in quo fuerant, nec ausi secundam expectare pugnam, intempesta nocte legatos ad cardinalem misere, cum quibus rebus compositis septimo Kalendas Octobris deditionem fecerunt; nec facultas fuit Roberto patris imperium exequi, qui paulo post arcem et ipse tradidit, paternamque sevitiem veritus 20 declinato Arimino Ravennam se contulit.

Fanensi obsidione durante fuit in oppido religiosus quidam, Ordinis Beati Francisci indignus professor, quales plerumque Conventuales reperiuntur nullius rei minus cupidi, quam virtutis, etsi plerique doctrina excellunt theologica. Is, quoad potuit, Fanensi populo, ne portas Ecclesiae aperiret, suasit, nec veritus est pro muris pugnare, atque hostem sagittis 25 repellere. At ubi ecclesiasticus miles introivit, non ferens Ecclesie iugum, ad Sigismundum profugit, a quo, dum liberius loquitur, ex alta turri preceps in mari deiectus est; quidam Sigismundi pugione confossum tradidere. Digna stipendia militi!

Pius in mensa forte accumbebat, cum cardinalis nuncio significatum est Fortune Fanum in potestatem suam integrum devenisse. Erexit illico ad celum manus, et optimo summoque 30 Deo gratias egit, qui se tantis beneficiis cumularet, secumque tacitus inquit: „Nulla iam causa est, que me domi retinere possit. Vocat me Deus ad bellum suum, atque iter aperit. Non est, cur amplius differamus!”

Capto Fano paulo post et Senogallia in potestatem recepta est, et oppidum Sancti Iohannis in Mariliano et Gradara deditionem fecere, [et Anthonitani, quamvis inviti, Montem 35 Martianum, quem clam legato a Sigismundo coemerant, Ecclesiae tradiderunt.] Deinde cum omnibus copiis cardinalis in Montem Ferefranum traiecit. [607]

34. Italorum omnium preter Florentinos consensus de auxiliis contra Turchos mittendis

5 Italorum interea legationes acceptis a dominis suis responsis pontificem adeunt, decretumque Mantue factum de decimis, vigesimis ac trigesimis receptum esse affirmant; mittantur exactores; nihil more futurum, quin presulis desiderio satisfiat. Ferdinandus Sicilie rex ita respondit et Franciscus Mediolanensium dux et Borsius Mutinensis et Ludovicus marchio Mantuanus et Bononienses et Lucenses. Genuenses, quamvis rogati, nullum ad conventum misere, nec Sabaudie dux, quamvis in Italia multum agri obtineat, nec
10 marchio Montis Ferrati. Florentini legato misso nihil nisi verba dedere: habere se Constantinopoli negociatores, suos primarios cives; vereri, ne se bello contra Turchos implicantibus sui cives infortunium patiantur, ut sunt barbarorum mores; statuisset magistratus triremes ex maioribus tres, quas vocant galeazias, sub specie negociationis Constantinopolim mittere, indeque suos cives atque omnes eorum fortunas abducere, quod
15 ante Natale Dominicum existimarent futurum; tum facile civitati suaderi bellum posse sive pecuniarias ad bellum contributiones; priusquam hoc fieret, frustra tentari populum, cui nihil difficilius, quam sumptum suadeas. Senenses post diutinas consultationes et frustra senatorum defaticata subsellia tandem auri nummum tria milia trecentos in eam expeditionem sese collaturos dixere; tantum illi et Iesu Christo, Domino Deo suo polliciti sunt,
20 tantum Romano pontifici, civi suo blanditi, qui post acceptum pontificatum in urbem Senensem supra quingenta milia aureorum transtulit. Contempsit pontifex ingratham patriam, neque de Florentinis aliud iudicium fecit, quam de mercatoribus et sordida plebe, quibus nihil magnificum suaderi potest. Correxerunt se tamen post aliquot dies Senenses, et pro tribus milibus octo milia collaturos scripserunt; que licet opinioni pontificis minime
25 satisfacerent, accepta sunt tanquam grata, vincente Pium patrie caritate, cui vel erranti putavit acquiescendum.

35. Veneti Peloponnessi maximam partem occupant, Isthmumque firmissimo atque alto muro incredibili celeritate muniunt, et insulas plerasque recuperant

30 Veneti - ut relatum est - apertum indixerant Turchis bellum. Loysius Loredanus classis prefectus ad Isthmum Peloponnesi adnavigaverat, vasa quindecim milia calcis eo detulerat elaborateque materie tantam vim, ex qua turres quinque multorum tabulatorum sive castella excitari possent. Duo hic maria, Ionium et Aegeum ad sex milia passuum terram coercent;
35 hoc spatium Examilium Greci vocant, quo clauso universa Peloponnesus a terrestribus copiis defensa est. Propter quod murum a mari ad mare duxerunt veteres, turribus et fossis egregie munitum, qui sepe ab hostibus deiectus, sepe ab incolis [608]

instauratus est; Turchi ultimo devicta Constantinopoli, Attica et Boetia subacta murum destruxere, Peloponnesumque ferme omnem in suam potestatem redegere. Extabant adhuc fundamenta et aliquot reliquie veteris aedificii, cum Veneta classis appulit. Excitatus est repente murus in altitudinem et crassitudinem pristinam, turrets erecte supra centum
 5 quadraginta, et ab exteriori parte latior ac profundior fossa deducta. Cumque Venetis interior quoque vis timenda videretur - neque enim Greci omnes peninsulae ad eos defecerant, Turchorumque non parva manus munitiora insederat loca -, alteram quoque fossam interius effoderunt, egestamque terram in aggeris modum composuerunt propugnaculis et armamentis desuper constitutis, servato spatio inter murum et aggerem, in
 10 quo velut in arce custodes protegerentur, et machine omnis generis ad propulsandos hostes conservarentur. Tum porte oportunis constitute locis. Quattuor tantum oppida in fide Turchorum mansere, in quis precipua fuit Corinthus, urbs quondam celebris; tria milia eo confugisse Turchorum fama fuit. Veneti non presumpsere munitissimum oppidum ac defensore plenum armis oppugnare; fame macerandos hostes putaverunt, curis omnibus atque
 15 studiis ad muniendum Examilium conversis.

Duces Turchorum, qui Atticam obtinebant, ubi murari Examilium didicerunt, coactis octo milibus equitum perturbaturi opera eo procurerunt. Sed cum iam opus absolutum invenissent, retro abiere confusi, maioribus viribus opus esse censes. Interea et Lemnos et complures insule Aegei maris, quas vocant Cyclades, abiecto Turchorum iugo ad Venetos defecere.
 20

Que cum pontifex didicisset, decretum sue protectionis promulgandum statuit. Ad quam rem perficiendam multa consultanda cum cardinalibus fuerunt, in quis semper adversum ac prorsus renitentem cardinalis Atrebas sese prebuit, ut qui pontifici iam pridem esset infensus. Ambitio et avaritia excecavit hominem, et quod Italico sanguini suapte natura inimicaretur; huc accedebat procacitas et in omne vitium prolapsi mores.
 25

36. Cardinalis Atrebatensis turpissimi mores eiusque summa levitas, et tandem e Curia discessus

[Atrebas enim ante cardinalatum perversam naturam summo studio texit, et cum doctus appareret garrulitate disputationum, videri etiam bonus voluit imitatione virtutum. At ubi rubeum pileum consecutus est, cum se amplius continere nequiret, solutis habenis in omne scelus erupit. Mentiri apud eum et peierare tam familiare fuit, ut se ipsum sepe deceperit, verumque dixerit mentitum se iudicans. Pontifici epistolas regis Francie cum recitaret, sepe
 30 sensa pervertit, regemque hoc aut illud desiderare affirmavit, quod in illius mentem nunquam pervenit. Animadvertit hoc Pius, et cum manifestum errorem comprehendisset (longe enim plura recitavit, quam pagina continere posset): „Da” - inquit - *epistolam visuris, an vera referas!*” - Erubuit homo, sed ingenio [609] muliebri ad fallaciam prompto: “*Secreta*” - inquit - *“regis alia insunt, quae te spectare nolo.”* - Ad quem pontifex:
 40 „*Probe agis, honestum cardinalem geris! Domino tuo mentiri non erubescis et Iesu Christi vicarium fallere? Mentita est iniquitas tibi! Duo cardinales epistolam legerunt, palamque attestantur nihil in ea fuisse scriptum ex his, que recitasti, neque secreta ulla regis affuisse; episcopus in ea Mirapicensis commendabatur. Abi e conspectu nostro, neque redito, priusquam sacrilegio te purgaveris!*” - Intellexere cardinales manifestam reprehensionem. Atrebas confusus abiit.]

Vacaverant in Galliis aliquot mensibus ante due insignes ecclesie, altera metropolitana Vesuntionum apud Burgundos, altera cathedralis Albiensis apud Francos in Alvernis; utraque pinguis et supra septem milia auri nummum quotannis possessori reddens; Vesuntina dignior, Albiensis ditior credita est. Atrebas utranque ambivit, atque inverecundo vultu oreque temerario pontificem adiens:
 45

„*Vesuntinam*” - inquit - *ecclesiam, unde mihi origo est, negare non potes; fratri et nepotibus meis hinc presidium dabis. Albiensem petit rex Franciae, ut mihi commendes; iam pridem hoc regi promisisti.*” - Cui pontifex:
 50 “*Nostram*” - inquit - *consuetudinem nosti: [pontificales ecclesias nulli duas committimus, nisi sit altera ex titulis cardinalium. Harum unam delige, duas sperare noli!”*

Infremuit Atrebas, et quasi contumelia tactus obiurgare pontificem, qui digna suis laboribus premia denegaret, impropere Pragmaticae sublationem et amicitiam Francie regis, que suo studio quesita fuisset. Pontifex in sententia permanere. Ille ad Gallicas artes

reverti: XII milia auri nummum pontifici promittere, si voti compos fieret. Pontifex indignatus:

"Perge" - inquit - "in malam crucem cum tuis nummis! Pecunie tue sint tecum in perditione!"

5 Ab hoc tempore nunquam pontifici fuit amicus Atrebas, quamvis nonnunquam dissimulavit. Scripsit regi Francie multa de pontifice non vera, quasi odiosus esset sui sanguinis, nec fidem ei servaret promissam. Quecunque in Senatu decreta sunt, quamvis sub anathemate secretum esset indictum, ad hostes detulit, comperteque sunt littere sua manu scripte, quibus Iohanni Andegavensi secreta pontificis revelabat, et se iccirco exosum pape asserebat, quoniam Andegavensi familie obsequentissimus esset.

10 Ad hec hominis iracundia et hypocrisis nonnihil infamie afferebat. Videri volebat Deo devotus, et modo in basilica Beati Petri modo alibi rem divinam facere, vultu gestuque mentem a Deo raptam ostendere, suspiria pectore ab imo trahere, lachrimari et quasi cum Deo loqui. Verum priusquam sacris exutus vestibus ab altari discederet, hunc aut illum ex famulis paulo minus accurate ministrantem pugno percussit; relatumque pontifici est quendam ex ministris apud aram adeo vehementi colapho ab eo percussum, ut in terram ceciderit, atque - ut est in proverbio - ille unam incusserit alapam, alteram terra. Inter cenandum leviuscula sepe offensione permotus argentea vasa et [610] panes proiecit in famulos, nonnunquam et mensam ipsam, quamvis honesti accumberent hospites, cum omnibus cibariis furens proiecit in terram. Fuit enim vorax et vini potor immoderatus; quo postquam incaluit, nullum sui servavit imperium. Ob quam rem rari potuerunt ultra mensem apud eum perseverare ministri.

25 Unus inventus est, qui hominis perspecta natura uti foro scivit. Solebat hic sepe in Campo Florum apud caupones combibere, exin vino plenus domum revertebatur, cum cardinalem ad mensam profectum arbitrabatur. Redeuntem interrogabat cardinalis, ubinam fuisset. Respondentem: „In Campo Florum” percontabatur, quasnam illic novitates audisset. Ille optimas referebat, nam curiales cuncti, qui forum frequentes deambularent, unum inter omnes cardinales laudarent Atrebatensem doctrina et prudentia reliquos precellentem; nulli dubium esse, quin deficiente Pio pontificatus maximus ad eum deferatur; nam quem possent cardinales aut meliorem eligere aut regibus acceptiorem? Hec audiens Atrebas pre gaudio non posse lachrimas retinere; surgere e mensa quam primum et in cubiculum se recipere, atque ibi vocato ad se nugatore multa de pontificatu disputare; nam et rex Francie futurum eum Christi vicarium vaticinatus fuerit. Ceca hominum cupiditas facile adulationibus capitur, nec sua vitia recte metitur.

35 Atrebas ebrietati et crapule deditus, quod est tertium vitium, libidinem non neglexit. Mulierosus inter scorta sepe dies noctesque duxit. Matrone Romanorum, cum transeuntem cernerent statura sublimem, pectore lato, rubicunda facie, hirsutis membris, Achillem Veneris appellabant. Mulier Tyburtina vulgati corporis, que cum eo dormivisset, apud utrem vini se iacuisse narravit. Florentina, que cum eo [consuesset,] compatris eius filia, latentibus de causis indignata expectato tempore, quo cardinalis ex Curia rediens ante suas aedes iter faceret, salivam diu in ore retentam et multo flegmate mixtam supra pileum transeuntis expuit, eaque turpissima notha mechum affecit. Cardinalis Avenionensis affuit, collegeque vicem indoluit, quem mulier publice presumpsisset inhonestare; ceteri, qui viderunt, in risum resoluti sunt; ipse Atrebas, tanquam nihil animadvertisset, tacitus pertransivit.

45 Quid de levitate hominis et inconstantia dixerimus? Nunquam in eodem proposito diu mansit: quod mane placuit, sero displicuit. Dignitatem cardinalatus adeo vilem fecit, ut regiis occurrere nuntiis extra portas non erubuerit. Quod nunc dixit, paulo post negavit, nec promissis nec iuramentis ligari potuit. Sepe illud Euripidis usurpavit: "Iuravi lingua, mentem iniuratum gero."

50 Litteras memorie multas mandaverat et profanas et sacras. Quicquid apud Latinos legitur, percurrerat, selectisque philosophorum et poetarum dictis [referserat] memorie penu. De quacunque re sermo incidit, paratus fuit aliquid dicere, et priscorum dicta doctorum in medium attulit. Verum sale caruit atque iudicio: dicenda tacendaque simul dixit; quod libidini sue quadraret, non quod equitati, sectabatur. Verum est, quod aiunt: stultitiam sine litteris minus periculosam esse; litterarum doctrina pravum ingenium ad peiora deducit, [611]

atque ut ferrum cote acuitur, ita et doctrina ingenium bonum ad pietatem, ad iniquitatem pravum. Sapientia est, que perficit hominem, que in anima nescit habitare malivola. Atrebatem cardinalem multe littere ad insaniam redegerunt, quibus adeo confisus est, ut nihil non crederet disputando persuadere, nec verebatur inconstantiae notham; nam quod heri defendit, hodie impugnare presumpsit. Bellum, quod Pius pontifex adversus Rhenatum gessit, iustissimum esse dixit, dum rex Karolus Francie vixit; postquam Ludovicus regnum suscepit, et is Andegavensi favere cepit, tanquam rex novus novam de celo iustitiam attulisset, sententiam mutavit; et quoniam (ut diximus) Iohannes Cesarinus in Britanniam missus in Gallia fuerat retentus mandante rege et munimentis omnibus spoliatus, idque Pius damnaverat, libellum edidit, in quo et sibi mutare sententiam de Regno licuisse, et regem apostolicum nuntium intercipere potuisse conatus est defendere. Multa etiam de possessorio, quo Gallici in rebus ecclesiasticis temeraria presumptione utuntur, insulsa garrulatione disputavit. Et quoniam Avinionensis, Rothomagensis et Constantiensis cardinales edicto regis temporalitate suarum ecclesiarum privati fuerant, remque mali exempli eam esse cuncti dicebant, ipse hoc quoque defendere annexus est, pontificalem auctoritatem regie potestati submittens.

Talia cum pontifex accepisset, sepe Atrebatem semotis arbitris ad se vocatum reprehendit, utque vitam mutaret, paterna caritate commonuit. Flebat homo commonitus, et imperata facturum se promittebat. Nec mora, e conspectu digressus ad ingenium rediens peiora faciebat. Additi sunt iuxta legem evangelicam testes amici; non profuerunt. Reprehensus est in consistorio coram fratribus; frustra omnes conatus abiire. Non potuit cohiberi fluminis impetus. Pontifex, ubi desperatam hominis salutem animadvertit, non prestare ei amplius aures, petenti ad se aditum denegare, postulata eius reiicere, dicta eius contemnere, cardinales, quibus erat infensus, benignius alloqui, et eorum audire preces.

Qua re cognita cum iam despectui omnibus esset, impetrata tandem pontificis audientia negavit se posse in ea curia perseverare, cuius principem sibi infensum cerneret; velle in Franciam proficisci ad regem, qui sibi amicus esset; orare, ut facultas abeundi daretur. Pontifex cum consilio fratrum de suo discessu agendum dixit; caveret, ne prius discederet. Aegre id cardinali fuit, tanquam contra voluntatem suam retento, scripsitque regi paratas sibi insidias esse; vereri, ne in carcerem truderetur. Nec vana eius cogitatio fuit: pontifici neque tutum videbatur seditiosum hominem in Franciam ire quasi res novas moliturum, neque mora eius in Curia placebat, qui secreta Senatus ad hostes deferret, et barones Urbis amicaret Andegavensi. Intercipiendus potius videbatur, et pro suis criminibus puniendus. Ad quam rem suffragia cardinalium presto erant, quorum pars maior temeritatem cardinalis dura dignam animadversione censebant. Illud Atrebatum salutem peperit, quod arbitrante pontifice, de captura cardinalis quales populus voces ederet, haud dubium visum est, quin potentior carperetur, ut miseris favet turba reis, iustamque poenam violentiam vocat. [612]

Haec veritus pontifex cardinali potestatem fecit, quando vellet, in Franciam ire, ubi tandem scelerum penas daret. Qui post decretum in Turchos promulgatum tristis abiit.

5 **37. Franciscus Sfortia imperium exercitus contra Turchos recusat. Pius decretum sue protectionis publice declarat**

10 Inter haec volvens animo pontifex, quantum et quam periculosum esset bellum, quod adversum Turchos suscipere statuisset, et quantum rebus gerendis conduceret Francisci Mediolanensis auctoritas in eo militantis, longam ad eum epistolam misit, que inter alias eius inserta est. In ea conatus est homini suadere, ut secum in expeditionem iret totius exercitus apostolici dux futurus, aeternam inde famam et anime salutem consecuturus, posteritatiue sue in principatu Mediolanensi consulturus. Sed frustra conatus est: delitiis iam presentibus devinctus animus futuras contempsit, excusationesque procul quesitas obtendit.

15 Pius nihil minus in adiutorio confisus Altissimi ad XI Kalendas Novembris, pontificatus sui anno sexto convocato publico consistorio, quod admodum frequens fuit, tanquam legatis Burgundis responsurus Gregorium Lollium decretum communi cardinalium consilio et assensu editum legere iussit, in quo et necessitatem belli contra Turchos gerendi et protectionis sue et sperande victoriae causas et premia bellatorum et impediendum ultiones
20 late disseruit. Auditum est summa attentione decretum, quamvis vix duabus horis recitari potuerit; ipsa dulcedo sermonis reiue novitas et promptitudo pontificis animam suam pro suis ovibus offerentis multis astantibus excussit lachrimas. Burgundi ingentes gratias egere pontifici, domino suo tam gratum tamque magnificum relaturi responsum.

25 At Romani cognita pontificis deliberatione prope in desperationem adducti sunt, tanquam Romanam Curiam, et que inde proveniunt emolumenta, prorsus amissuri. Quod ubi pontifex animadvertit:

30 „Bono" - inquit - „estote animo, filii Romani, quos velut animam nostram diligimus! Profecturi adversus Turchos Apostolicam hic Cameram relinquemus et Audientiam Causarum et Cancellariam et Penitentiarium et reliqua Romane Curie munera et duos legatos: alterum, qui temporalibus praesit rebus, alterum, qui spiritualia administret, et concurrentibus ad Urbem vice nostra subveniat. Remanebunt et cardinales antiqui, quibus aegritudo protectionem interdicit. Nos quoque auctore Domino cito cum victoria revertemur. Confidite, Deus consolationis et pacis huic Urbi sanctorum apostolorum martyrio consecrate sua presidia non denegabit!" - His dictis summa omnium alacritate
35 dimissa contio est.

Pontifex, qui acerrimo pedis dolore tenebatur, atque aegre tam diu penam dissimulaverat, prope in cubiculum abscessit. [613]

38. Fedus inter pontificem, Venetos ac Burgundum contra Turchos

Diebus precedentibus convenerant legati Burgundi ac Venetus cum pontifice, atque in hunc modum fedus inierant: bellum totis viribus contra Turchos in unum, duos tresve annos
 5 - si sic res posceret - gesturos se promiserant ea conditione adiecta, ut sine sociis nulli liceret a bello discedere; addideratque pontifex veniente Philippo duce ad Italicas oras et in Greciam profecturo se simul iturum. Legati, quibus esset ampla potestas, his vinculis suos dominos obligavere. Simile fedus et Matthias rex Hungarie cum Venetis pepigit.

10 39. Picinini tandem concordia cum rege

Picininus, qui leges pacis ab Alexandro dictas aliquamdiu recusaverat, [postquam in Gallis nullum intellexit esse presidium,] nec retineri mendaciis posse militem, ultro in concordiam venit, Sulmonam urbem et aliquot in Aprutiis oppida consecutus et in annum stipendii
 15 nomine auri nonaginta milia nummum, quorum pontifex pacandi Regni cupidus quindecim milia dissolvit. Multum enim ad victoriam pertinebat, quarum partium Picininus esset.

40. Sigismundus Malatesta animo fractus a pontifice tandem supplex pacem impetrat

20 Sigismundus Malatesta in Arimino clausus, castella iam pauca possidens, animo fractus legatos ad pontificem mittens:

„Pacem” - inquit - „victus peto, quas leges dederis, subiturus. Victoris honor est victo parcere. Confiteor, peccavi in te graviter, verum neque leves dedi penas. Servatus deinceps cavebo Ecclesiam ledere.”
 25

Pontifex exhiberi mandata iussit; quae postquam iure consulti probaverunt, in hunc modum Sigismundo pacem dedit:

- Procuratores eius in basilica Sancti Petri die festo, dum res divina geritur, errores, super quibus accusatus est, manifestam heresim sapientes, ab eo predicatos atque assertos fuisse
 30 testentur, illosque suo nomine revocent et abiurent, eos presertim, qui mortuorum resurrectionem inficiantur et animas hominum immortales; idem Sigismundus per sese agat in Arimino.

- Pro crimine maiestatis atque heresis omni se privatum imperio ceterisque fortune bonis intelligat.

35 - Ariminum ex benignitate apostolica correctus de novo nomine vicariatus accipiat, censumque pendat quottannis mille aureos.

- Oppidis et arcibus reliquis munitionibusque, quocunque in loco sita fuerint, nihil moratus cedat; Ecclesia, quam lesit, pro damnis cuncta recipiat; Federicus Urbinas, que sua fuerunt, recuperet. [614]

- His peractis pax esto; tum quoque apud Ariminum pars agri propinqua et urbi necessaria et immunita reconciliato Sigismundo dono dabitur.

5 Procuratores dictam pacem acceptaverunt, quibus perdende civitatis Ariminensis ingens
 incesserat metus, et die dominica, que proxima fuit, in Apostolorum basilica frequente ad
 rem divinam populo, multis astantibus episcopis, apud aram Dive Marie alta et intelligibili
 voce Sigismundi heresim publice confessi iuxta facultatem tradite potestatis abiurarunt.
 Sigismundus autem oppidorum et arcium, ut erat iussus, cardinali Theanensi possessionem
 ad prestitutam diem tradidit. Inter que nobile oppidum Cisterne in Thuscia Tifernatibus
 10 artibus adnixi fuerant. - Perfecta est consignatio locorum per Sigismundum pridie Kalendas
 Novembris. Sequenti die cardinalis pacem ei reddidit, et agrum prescripsit, quem posset
 Ariminensem dicere, et sibi possidendum habere. In arctum coarctata potestas eius est:
 tumbe - ut appellant - quedam ei dimisse sunt, id est palatia paucis habitata colonis; munita
 et frequentia loca cuncta perdidit.

15 Post hec Sinuessanus episcopus ex imperio cardinalis Ariminum concessit anathema
 sublaturus; cui universus populus et ipse Sigismundus occurrit erratorum veniam petens.
 Ipse ad ecclesiam profectus, quantum errasset et tyrannus et populus, palam ostendit, qui
 mandata Ecclesie contempsissent, iussitque triduo cessare divina officia, atque in ieiuniis
 esse populum, ut mereretur absolutionem accipere. Post triduum congregato in ecclesia
 20 populo Sigismundus flexis genibus coram episcopo et ara maiori errores suos confessus est,
 et veniam petiit, atque in verba Pii iuravit, idemque populus fecit, promittentes deinceps
 mandata et censuras Ecclesiae omni tempore servaturos. Episcopus vero hoc facto penitentes
 absolvit, civitatisque benedixit, sacerdotibus, qui stante interdicto divina profanaverant
 officia, pro facinoris qualitate suspensis.

25 Atque is tandem belli Picensis et Malatestarum rebellionis ac insolentie finis fuit - pro
 Sedis Apostolice mansuetudine severior, pro scelerum magnitudine mitior. Feliciter hec Pio
 cessere; nec minus illud, quod circa idem tempus de Maguntina ecclesia gestum est.

30 **41. Dyetherus Adolfo Maguntino presuli Palatino inconsulto cedit secundum
 pontificis decretum, et Frankfordie laudes**

Miserat Pius - ut ante diximus - episcopum Tricaricensem in Germaniam ad res eius
 ecclesie componendas. Interea - seu fractus animo Dyetherus longis bellorum calamitatibus
 afflicto, sive divinitus ab iniquo proposito retractus - misereri ecclesiae cepit, cuius esset
 35 filius, et quam diutius afflicto, haud ignarus Palatinum comitem nil aliud belligerando
 querere, quam Maguntine sedis nervos omnes elidere, ac dignitatem prorsus extinguere, que
 suum videretur splendorem obnubilare. Clam igitur eo per internuntios Adolphi conventum
 [615]

quesivit, quoniam pacem ei reddere statuisset. Convenere ambo cum amicis bellique sociis excepto Palatino apud Frankfordiam, que civitas Mugano adiacet, frequentibus nundinis et imperatoris electione insignis. (Hic enim vacante imperio Germani electores conveniunt, et in pretorio clausi imperatorem eligunt - quamvis non ante imperatorem appellant, quam
5 Rome coronetur; in Aquis Grani suscepto diademate Romanum regem vocitant, prius electum.)

Templa hic divino dicata nomini magnificentissima sunt et domus civium egregie, quamvis maior pars ex materia constat. Teguntur omnes tenuissimo lapide plumbei coloris, quem nostri abbacum vocant, minutis frustis ita contextis, ut squamas piscium imitari videantur,
10 et lucente sole mirum splendorem exhibeant. Muganus ex montibus Bohemie proximis effusus in occidentem vergit Herbipolim et alias plerasque Franconie civitates percurrens; apud Frankfordiam ponte iungitur lapideo quatuordecim fornicum - uno interrupto ulterioris oppidi metu, quem pacis tempore trabibus nectunt. Ferax amnis piscium, et anguillarum maxime; e regione Maguntie Rhenum influit. Nulla non die trecentorum
15 hominum capax navis altera Frankfordiam petit ex Maguntia, altera ex Frankfordia Maguntiam trahentibus equis; tanta est vehendarum necessitas mercium.

Hoc in loco Adolfus Dyetherusque convenientes accersito Petro Ferrici apostolico nuncio, cuius auctoritate res gereretur, de concordia tractaverunt; convenitque tandem inter eos, ut
20 Adolfum tanquam dominum suum et archiepiscopum a Romano pontifice rite institutum veneraretur. Nec mora, in cetu virorum illustrium, qui frequentes aderant, gladium - insigne principum, quod electores ante se ferri iubent - deposuit, et humiliatus flexo genu ab apostolico nuncio veniam petens absolutus est, et tanquam privatus pretorium exiit, moxque Asciaffenburgium et alia, que tenebat, oppida munitasque arces Adolfo restituit, retentis
25 aliquibus ex convento, quoad viveret, ne ad inopiam vergeret dissipato diutinis bellis patrimonio. (Par fere istius et Sigismundi fortuna. Uterque contra Sedem Apostolicam nixus exauctoratus est. Quantum Pio divina pietas faveret, ambo sensere, quamvis misericordiam magis, quam severitatem experti.)

Germani archipresulem Maguntinum quasi alterum deum existimant, neque in eum Romani pontificis auctoritatem extendi censent. Atque iccirco, cum deposuisset Pius
30 Dyetherum, irridebatur ab eis, tanquam rem aggressus esset effectu carituram. Nec in Collegio deerant cardinales idem sentientes, nimiamque pontificis audaciam clam insimulantes. Vicit constantia vanas opiniones, eosque delirare constitit, qui delirasse presulem putaverunt; quos inter cardinalis fuit Sancti Petri ad Vincula, natione Germanus,
35 sue gentis nimis amans.

Adolfus secundus est, qui ex familia Nassaviorum iubente Romano pontifice Maguntinum archiepiscopum e solio deiecit, et in eius locum sublimatus eam [616]

cathedram cum dignitate retinuit. Pio hinc nomen ingens ortum, et ad res contra Turchos gerendas liberior datus animus.

5 **42. Tarentini principis obitus, totiusque sui principatus ad Ferdinandum regem defectio, et duodecimi atque ultimi libri absolutio**

10 Restabat princeps Tarentinus in regno Sicilie, qui profectionem pontificis in Turchos perturbaturus videbatur nova incendia adversus Ferdinandum excitaturus, cui etsi anno superiore post victoriam Troianam reconciliatus fuerat, memor tamen perfidie sue bellum
15 sibi salubrius, quam pacem arbitrabatur. Simulare igitur cum Ferdinando benivolentiam, eamque palam ostentare, clam vero Iohanni Andegavensi suppetias promittere; hortari, ne Regnum relinqueret; **si** nequeat tutam alibi mansionem habere, munitiones suas offerre; oppidanos Sancte Severe bono animo esse iubere: caverent, ne Ferdinando sese redderent; polliceri auxilia, et in milites externos ministrare pecunias, et iam duas ac viginti equitum
20 turmas ad res novandas in superiorem Apuliam expeditas ducere. Comperte sunt eius epistole eadem die scripte: altera ad Ferdinandum missa precipuam quandam caritatem pre se ferebat; altera Iohanni directa, ne animo deficeret, hortabatur, et auxilia ultro offerebat.

25 Quibus cognitis maturandum in Apuliam Ferdinandus censuit; et iam Luceria Saracenorum eiecto Gallico presidio ad eum defecerat. Deiectis igitur ex omni exercitu quattuor et viginti equitum turmis propere in Apuliam traiecit, nec Sanctam Severam egregie defensam aggredi ausus Manfredoniam petiit, que mox deditione civium in potestatem eius devenit, quamquam direptionem evadere non potuit. Prefectus arcis Gallicam triremem ad se navigantem conspicatus et novi auxilii spe deceptus eruptionem facere presumpsit; cui
30 dum Ferdinandi cohortes resistunt, et miles e castris ad tumultum excitatus occurrit, civitatis rapina prohiberi non potuit. Prefectus in arcem repulsus non sine damno profugit, triremisque ipsa Gallica intercepta est defensoribus in terra deprehensis. Completa est novis militibus capta triremis, et adversus alteram, que non procul aberat, tanquam amica navigare iussa illam quoque fraudis ignaram comprehendit.

35 Quod postquam principi Tarentino renuntiatum est, subitus illum invasit meror et stomachi dolor. Vehemens metus exagitabat hominem; erat enim pusilli animi, superbus et tumens in secundis rebus, pavidus et fractus in adversis. Crescebat in dies morbus, neque medici spem ullam salutis promittebant. Retro igitur ad propria reverti statuit, iam ferme dies duodecim adversus egritudinem contendens. Vehebatur clausa lectica ad oppidum, cui Altamura nomen est; quem cum deponere vellent, XVII Kalendas Decembres extinctum sine testamento invenerunt, neque confessione Deo reconciliatum, neque sacramentis ecclesiasticis ex more Christiano munitum. Qualis vita precessit, talem [617]

consecutus est exitum: sine religione vixit, sine religione decessit. Oppidani nihil eius morte foelicius audivere. Mira res: nulla civitas eius indoluit mortem, publicum ubique gaudium, publica convivia et commessationes communisque letitia - ut assolet in avari divitis obitu, quem nihil recte facere vulgo dicunt, nisi cum moritur. Avarissimus enim fuerat Iohannes Antonius, adeoque lucris intentus, ut sibi soli mercaturas sui principatus reservaverit. A subditis emit, quanti voluit precii, quecunque venalia fuerunt, eaque vendidit negociatoribus externis; creditoribus raro satisfecit; Iudeos, quos posset expilare facilius, complures in ditione sua sustinuit; cum Turchis commertia habuit; tenui victu contentam esse familiam voluit; luminaribus nullis utebatur, nisi candelarum ex adipe, hisque perparce. Itaque mors eius visa est subditorum vita et resurrectio.

Ferdinandus accepto mortis eius nuntio relictis apud Manfredoniam paucis, qui arcem expugnarent, cum omni equitatu cursu celeri Altamuram contendit, ubi singulari omnium letitia exceptus est. Ingens rerum mutatio: infra dies ferme octo legati civitatum et oppidorum omnium, que in potestate principis fuerant supra trecenta, percupide sese regi dederunt. Principis quoque coniux et Iulius gener et duces exercitus nihil morati imperata regis fecere, atque in eius verba iuraverunt. Ingens gaza reperta; nihil regem latuit: conservate in multos annos opes et nimium custoditi thesauri subito in lucem venire. Relatum est supra decies centena milia auri nummum valuisse, que in thesauris, horreis ac pecoribus principis inventa sunt, et sine diminutione in regis manus pervenere.

Secundum hanc foelicitatem et arx Manfredonie obtenta est et urbs Vesta. Severinenses apud legatum apostolicum de reconciliatione sua tractare ceperunt, cum se omni spe destitutos intelligerent. Lucretia, Alfonsi quondam concubina Ferdinandi faciem verita cum filio Iohannis Cosse in Dalmatiam fugit, ibique cum mecho fertur delitescere. In Regno cuncta Ferdinando parent preter Sanctam Severam - nisi in hanc diem se dederit - et arcem Lucerie et castella pauca Bassi comitis in Apulia et Ortonam in Aprutiis et Manteam in Calabris et in Tyrrheno mari Enariam insulam, in qua Iohannes Andegavensis latitat, et Arcem, quam vocant Ovi, Neapoli proximam, bombardis propemodum dirutam; reliqua iussa faciunt, nec iam dubium esse videtur, quin pace Regnum fruatur, Pioque pontifici ad expeditionem in Turchos obeundam nulla deinceps impedimenta et multa possint adiumenta provenire. Quibus ipse confisus ad eam rem se accingit, et omnium bellorum maximo preparat; cuius ceptis ut assit divina pietas, rogamus!

Haec habuimus, quae ad annum sextum pontificatus sui nondum exactum de rebus eius scriberemus in libros digestis duodecim, quorum ultimus pridie Kalendas Ianuarias finem accepit anno ab incarnato Verbo M-o CCCC-o LXIII-o.

Comentariorum Pii Secundi pontificis maximi liber XII-us et ultimus feliciter finit. [618]

APPENDIX

1. Iohannis Antonii Campani episcopi Aprutini epistola de operibus Pii Secundi pontificis maximi iudicium faciens

5

Campanus Iacobo cardinali Papiensi. - Percurri nuper *Comentarios* Pii pontificis rerum a se gestarum et *Germanicam historiam*. Cave censeas quicquam neque nostra neque patrum nostrorum memoria scriptum esse luculentius, distinctius, expressius. Vera est historia, et quod primum in ea desideratur, fides inest rebus: omnia, ut dicta, ut gesta sunt, ita enarrantur. Non sibi, non amicis parit scribentis auctoritas; aequae inimicorum preclara extolluntur facinora, atque obscura deprimuntur amicorum. Rumores in se hominum, adversariorum maledicta, convitia detractorum sic accumulata, ut ipsum sui factum accusatorem existimes, nec diluit quidem, cum facile possit.

10

15

20

25

30

35

Scribendi genus lene ac temperatum et collectum, nisi quod - cum opus est - aperit se tanquam campestris oratio, recipit deinde sese, totaque colligitur. Ardent verba, cum bellum geritur, ut pressa angustiis pugnant sudantque sententiae, ut non legere historiam, sed prelio interesse videaris. Omnium tamen splendorem exuperat et pene extinguit lux illa contionum. Hic illustris et plenus, nusquam totus, nisi cum hic laxat habenas. Nulla pars animorum, quam non oppugnet; laudis locus est nullus, quem non exornet; nihil turpe, quod non evertat; per omnia tanquam spiculis densus et vehemens. Mirum est, quantum assurgat affectibus concitandis, sedandis demittatur. Nam quod intendit, explicat atque inculcat; et quod inculcat, munit vallatque argumentis et pondere. Tum adversariorum dicta paulatim primum enervat, mox tota mole infringit et deiicit. Nihil est aut illorum tam efficax et robustum, quod non confutet et dissipet, aut suum tam infirmum, quod non corroboret, perpetua dimicatione dicendi acer et pugnax. Fluit alioquin placidus et lenis, nusquam obscurus aut durior. Nam preter ubertatem et copiam suavitate quadam allicit affertque rebus ipsis ex varietate dignitatem, et quod maioris est gratiae: candorem orationis nunquam intermittit. Sive serpat humi cadatque materia, sive erecta et sublimis efferatur, semper distinctus et patens. Descendit interdum ad fluminum oppidorumque situs describendos, nonnunquam ad aedificandi rationem. Non est, qui fuerat; alium credas: e milite factum architectum aut agricolam aut dimensorem putes; omnia ponit ante oculos et partitur intervallis. Nihil hic habet pristinae eloquentiae: novam induit. Pro Deum immortalem! Quae aura, quis strepitus, quae fontium murmuraciones audiuntur! Verba ipsa iam poetica et nata cum silvis et currere cum aquis, iacere sub arboribus, umbras captare, lascivire inter rivulos, et tanquam tripudiarum videantur ad numerum quandam solutum collecta rotunde et perpolite, etsi amenitatem, ne quid afferat fastidii, nonnunquam exasperat levi inversione verborum. Tum cognitio rerum antiquarum intermixta his, quae sunt aetatis nostrae, quantum [619]

varietate allicit, tantum detinet magnitudine, ut que et novitate delectet, et serie suspendat
 lectorem. Nullius oppidi occurrit mentio, cuius originem non repetat, situm non notet,
 fortunam loci, et qui viri quibus in rebus qua aetate claruerunt, non incredibili memoria
 complectatur. Qua una re immortalis plerumque fit historia, etiam que ieiunissime scripta,
 5 ut est quisque rerum ad se patriamque pertinentium natura studiosus. Nec id in Italia aut
 Germania solum, sed etiam Grecas excurrit ad insulas. Cypriorum in primis vetustatem,
 ambitum insule, imperium, ingenia commemorat; orditur iam inde supra Troianum bellum,
 et per res ut incognitas, ita scitu dignissimas ad nostra usque tempora brevitate non obscura
 10 delabitur. Inde ad Lesbon eadem maiestate descendit: que hic radices, quae latebre
 antiquitatis aperiuntur, quanta illustrium virorum exaggeratio prodit in lucem! Sic
 Mitileneos, sic Rhodios altissime repetit, et omnem vetustatis excutit pulverem, dum cuncta
 pervolvit initia incrementaque disquirens. Nec tamen interrumpitur historia, cum quid affert
 rerum externarum, veniunt ipsa ad locum; que scribuntur non accersita aut coacta, sed ita
 15 intextentia sese, ut ex eodem esse glomeris filo videantur; nec ullo modo fuisse abiicienda -
 neque enim vagatur fusius, quam ex usu sit hystoriae, et rerum postulet dignitas -, verum
 illud adhibet temperamentum, ut nec suppressio magnitudini detrahat, neque vagatio
 brevitati.

Admiramur hanc ingenii felicitatem; et quidem certa sunt ei ornamenta dicendi et propria,
 ut ad haec natus, ad hec educatus atque instructus esse videatur. Magis tamen mirabimur, si
 20 omnem colligemus vite cursum, et labores ac peregrinationes varias atque impeditissimas
 considerabimus: nulla natio Christiana in terris, quam non adierit, mare nullum, quod non
 navigarit, alpes totius orbis terrarum difficillimas atque asperrimas incredibile dictu est,
 quotiens superaverit; transiit in Scotos, Britannos sepe vidit; adiit Pannonios, ad ultimi
 Oceani accolae penetravit; in Germania aliquot egit annos, ad Gallos sepe profectus est.
 25 Quicquid est fluminum, montium, oppidorum inter occidentem solem et Septentrionem, id
 totum perlustravit.

Nec ea fuit peragranda ratio, ut privatus vagaretur spectandi voluptatem secutus.
 Legationes enim maximas et gravissimas perpetuis itineribus obivit; sepe ad reges, sepiissime
 ad Romanos pontifices hoc munere functus est, ut plures obtigisse ei legationes, quam anni
 30 fuisse videantur, nec principes fuerunt ulli, apud quos non amplissimis de rebus egerit.
 Federico imperatori domesticus; Alfonso, regum omnium, qui unquam fuerunt in Italia,
 clarissimo, Eugenio, Nicolao, Callisto acceptissimus. Quorum primus ad ecclesiam
 Tergestinam, alter ad Senensem, tertius ad cardinalatum evexit, ut in eo ornando non unius
 hominis mendicatus favor, sed omnium ex prestantissima virtute conciliata benivolentia
 35 iudicium confirmaverit. In tantis occupationibus semper est aliquid otii suffuratus, ut alieno
 in somno vigilans plura scripserit, quam qui nihil egerunt aliud; plura egerit, quam qui sese
 totos ad vite actiones contulerunt.

Pontificatum eius quot turbines agitaverint, nemo est, (cui,) quam tibi, sit notius, qui
 omnibus deliberandis rebus etiam privatis interfuisti. Principio [620]

bellum in ipsis visceribus Ecclesie paucis diebus ante eius pontificatum exortum statim eo pontifice sublatum; Assisium et Nuceria ab hoste recepta; pax Malatestarum, cum difficillima factu videretur, confecta; Mantue eius opera atque presentia conventus principum habitus; bellum Britannicum per legati temeritatem excitatum eius auctoritate
 5 suppressum; Pragmatica, quo genere pestis nullum Ecclesie perniciosius et iam vetustate corroboratum malum, profligata et extincta; bellum Malatestarum manifestis de causis susceptum cum victoria finitum, alteri ducum conditiones date, alter tyrannide eiectus; fines Ecclesie et imperii limites, quantum nunquam antea, propagati; Terracina, vetus urbs et
 10 maritima, quae ad Ecclesiae iura pertineret, recuperata; Beneventani, quorum eadem esset conditio, redacti in potestatem; Picentes, propter fines domesticis agitatis bellis, reconciliati; Umbri, simili contentione cum maximis se cedibus cruentassent, sedati; Senensium res constitute, nobiles administratio rei publice reddita, seditiones sublatae, inducta nova facies regiminis tutior et quietior; Viturvium per fraudem occupatum pari impetu recuperatum, quo amissum; perfidia Sabinorum animadversa, cum hostem publicum transitu
 15 commeatuque iuissent; Rome gravissimi tumultus sicariorum compressi, sicarii que omnes alii affecti supplicio, alii tumultuaria cede deleti; tyranni tres e finibus Ecclesie sublato bello, ceteri deterriti, maiestas imperii aucta; confirmatus in Regno Ferdinandus, et adversus Gallorum potentiam adiutus atque defensus; in Turchas expeditiones maxime partim institute, partim iam incepte; Germanice res, cum gravissime tumultuari dicerentur, non
 20 neglecte; de Bohemicis publice privatimque actum; bellum Federici imperatoris adversus Pannonios eius opera compositum; Maguntinus antistes male de Romana Ecclesia sentiens sede depulsus, alter suffectus.

Vide, que caterve, qui orbis rerum maximarum! Accesserunt quotidiane occupationes: intelligendi causas diversarum gentium, inhibendi, decernendi, adiudicandi. Quibus rebus
 25 nunquam visus est defuisse, quamquam valitudinarius et senex, ut semper prestantissimi animi robor adversus corporis imbecillitatem contenderit.

Accessit et aliud studium: aedificandi. Tot edificia magnifice constructa Rome; collapse iam vetustate scale templi maximi ad Vaticanum gravissima impensa instauratae atque refecte, vestibulum Palatii egregie munitum cum ad tutamentum loci tum ad dignitatem;
 30 area pro templi foribus strata latissima; Tybure arx munitissimis turribus erecta, in quam et ipsi liberius iocati sumus: opus quamquam sublime et preclarum, pro necessitate tamen ita acceleratum, ut diceretur Tyburtinam arcem ante perfectam esse, quam inchoatam; Senis porticus fastigiata amplissima; Pientie templum testudineum celebre edesque ornatissime et
 35 - si ad privata respicias - Italiae totius longe celeberrime, et quibus facile possimus de magnificentia edificandi cum vetustate certare.

Haec pacis bellicae opera uno triennio peracta sunt omnia. Et tamen interea nihil se remisit felicissima ubertas ingenii. Scripsit comentarios rerum a se gestarum, quos diximus; scripsit de sacris institutis; etiam Bohemicas et [621]

Germanicas res multis voluminibus absolvit. Epistolas digessit in tempora, ut quas profanus, quas initiatus sacris, quas antistes factus, quas cardinalis, quas pontifex maximus confecerit, suis queque voluminibus colligantur. Orationes usquequaque divino illo spiritu habitas nemo est, qui non habeat in manibus. Leguntur tanta omnium cum voluptate, 5 quanta cum admiratione sunt audite, nec quenquam post hominum memoriam fuisse censeas, qui in omni foro, in omni contione orbis terrarum et saepius dixerit et disertius.

Et tamen - pro hominum fidem - que orationes, quibus de rebus habite! Demus vetustati apparatus illum ac divitias verborum, et Ciceroni tersitiem, nitorem, elegantiam relinquamus, dum tamen fateamur nihil horum Pii orationibus defuisse. At vero copia 10 quidem etiam quamvis veteres numero vincimus; neque enim Pius Cicerone ieunior aut siccior venit ad dicendum, nec ille paratior ad forum oraturus, quam hic ad solium accedit. Nam et locos complet omnes, et varietate quadam ac delitiis inflectit inventa. Et tamen cum omne suum studium et aetatem ad hanc unam rem Marcus Tullius contulisset, neque totiens neque tantis et tam amplissimis de rebus neque etiam tot in locis oravit. Egit ille sepe 15 privatis contentionibus, nonnunquam publicis. Nam et Gabinium et L. Pisonem et P. Clodium non tam communi utilitate, quam sua causa lacessivit. Publica fuit ratio in Catelinam, publica etiam in C. Verrem, quod alter in rem publicam coniurasset, socios expilasset alter. Permixta fuit causa Pompei, nam et ad privatam amicitiam et ad communem utilitatem visum est pertinere, ut bello proficeretur. Extant pauce quedam, que tote sunt e re 20 publica, ut de provinciis, de lege agraria et similes. Ceterae omnes privatis studiis sunt conflictatae, quas equidem non accuso, ut quae amicorum fortunas capitaque tuerentur. Sed illud contendo: et Ciceronem rariuscule publicis de rebus disseruisse, et Pium nunquam de privatis; sed statuisset illum pleraque ad suum commodum, hunc omnia ad communem gentium utilitatem retulisse - que res ad magnitudinem et prestantiam multo videtur esse 25 propensior.

Iam et initia ipsa dicendi huic altiora, quam illi extiterunt. Prima eius oratio non de Sexto Amerino defendendo fuit, sed de concilii sede deligenda in contentione Grecorum, ubi Papie urbis oportunitatem ex situ loci,edium privatarum magnificentia, clementia celi, commoditate comportationum, liberalitate principis, fluminum, lacuum, montium feracitate 30 sic accumulavit, ut gloriam ei urbi pepererit sempiternam. Mox Federici legatus Mediolani de imperio urbis hereditario disseruit et fide servanda; Viennae de auctoritate Romani pontificis conservanda; Ratispone presente Philippo Burgundorum duce detestatus est immanitatem Turcharum efferatam et barbaram, ubi omnium cum lachrimis calamitatem Christiane rei publice deploravit. Egit de conventis Bohemorum apud Callistum, Pannoniis 35 Vienne Federici nomine gravissima oratione respondit, iisdem rursus in Austria. Germanos Frankfordie in maximo conventu principum ad bellum contra Turchas hortatus est, ardoremque omnibus iniecit incredibilem. Rome iuramentum Federici cum exhibuisset, tota fuit eius oratio de bello Turchis inferendo. Pari ardore Alfonsum [622]

regem perpulit ad expeditionem maritimam Orientis bello faciendam. Inde pontifex maximus creatus in conventu Mantuano quem impetum, quas lacrimas nobis excitavit, cum omnes Christiani orbis aut principes ipsi aut eorum legati convenissent, eosque ad expeditionem Asiaticam et Turcense bellum hortaretur! Quem tunc non vidimus erectum spe
 5 victorie, incensum cupiditate ulciscendi, misericordia commotum eorum, qui essent crudelitate barbarorum vexati, tanquam universi dicentis nutu omnem in partem orationis flexu raperentur, impetuque ut tracti dissilirent? Tum eodem in loco totiens oravit, quotiens fuit illi novis legationibus respondendum. Illudque visum est mirabilius, cum fere semper iisdem de rebus diceret, semper visus est diversa dixisse atque ita, ut a se ipso vinceretur, ubi
 10 Gallorum querimonias et calumnias Rhenati tribus actionibus acerrime confutavit. Nec minore gratia Catherinam Senensem laudavit, cum in divarum retulit numerum. An non pari admiratione eloquentie legatos implevit Ludovici regis, cum nobilitatem regiam laudaret, Gallorum splendorem afferret in medium, virtutes regis et extinctionem Pragmaticae in celum tolleret, maiores gentis, initia familie, beneficia regum, tot nomina, tot res gestas, tot aetates commemoraret?! Quid loca alia nationesque quam plurime? Nullus consessus hominum, nulla orchestra in orbe terrarum, que non eius oratione infremuerit, ubi etsi aliquando minoribus de rebus, semper tamen publicis et salutaribus dixit, infiniteque sunt orationes.

Fuit itaque huic alia ratio dicendi: semper apud summos principes, plerumque de statu Christiano, nonnunquam de illorum imperio disseruit, ut omnis eius oratio ad pacem regum, concordiam principum, tranquillitatem nationum, defensionem religionis, quietem totius orbis terrarum semper fuerit armata, semper regia atque imperiosa, quasi iam tum divinaret futurum suum Christianum imperium, cui tanto inniteretur studio, tanta cura diligentiaque defenderet. Haec illi una fuit perpetuaque materia. Neminem laccessivit oratione, insectatus est neminem; forum illi orbis terrarum fuit, cause religio et commune imperium; nunquam
 20 eo delapsus est, ut studio sui ad contentionem raperetur. - Quis est igitur tam iniquus iudex, qui existimet aut Ciceronem aut quemvis alium vel magnitudine rerum, quas complexus est, vel frequentia dicendi vel varietate locorum Pio esse comparandum?

Accesserunt epistole ad civitates, ad reges, ad nationes, ad omne genus hominum, quos vel ad religionis arma incendendos putaret vel flectendos ad pacem; quibus preter nomen et
 30 latera nihil visum est defuisse, quod ad gravissimam orationem pertineret.

Est etiam et carminis par gratia, versus pressior et festivitati quam magnitudini accommodatior, nonnunquam gravis et mordax, cum iocatur. Extant epigrammata refercta salibus; etiam poemata leguntur orationi aequa prope lance comparanda, nisi quod hec iuvenis edidit. Orationi reliqua incubuit vita, ubi etsi non contempsit poeticam, minus tamen
 35 studii visus est contulisse sive magnitudine rerum gestarum invitatus, que semper ei maxime atque amplissime contigerunt, sive quoniam secutus aetatem gravitatem cum annis induit,
 [623]

licentiam illam poeticam ingenii esse lascivientis arbitratus, orationem castigati et gravis.

Delectatus est etiam mixto scribendi genere ad philosophandum aptiore. Scripsit dialogos de rebus variis, de ortu Nili, de studio venandi, de fato, de prescientia Dei, et heresi Husitarum. Neque Platoni aut Socrati disputandi partes dedit, ut solent, qui vetustatis
5 baculo nituntur: amici fecit ut loquerentur, homines probati et nostri temporis. Quo magis ei debet aetas nostra, etiam hac ex parte Pii opera producta in lucem, in longumque victura. Usus est et stilo diversissimo, dum Asiam ad Eufratem usque describit; quantum contione
10 fusus et patens, tantum hic angustus et brevis. Et hac quoque parte consumatissimum implevit oratorem, ut omnem orbem terrarum aut adierit presentia, aut diligentia penetraverit, totusque ei sit ante oculos exploratus et cognitus.

Collige hec omnia: quid dices aliud, quam congesse naturam in hunc unum infinitorum hominum ornamenta, ut recte alluisse nomini videantur, qui pro Pio Pan dicendum
15 inverterint, tanquam ad omnia totus, nulli rei mancus, cuncta unus perfecerit, que multi conari nequivissent. Quis est, qui non miretur in tantis illum gerendis rebus quicquam scribere, aut in tantis scribendis aliquid gerere potuisse? Aut que in eo principe summa non invenias, que vel mediocria etiam privatis gloriam atque immortalitatem pepererunt? Sed nihil est, quod illa nunquam intermissa natura non efficiat, nulla vite actio, ne vagatio quidem
20 otiosa, ut semper plura illi negotia, quam passus esse videantur.

Adde principis modestiam, dum, qui summus est, ne infima quidem contemnit ingenia, et
25 eorum se iudicio permittit, qui nulla in re sint vel mediocriter docto viro comparandi. Facta est mihi ab eo potestas eiiciendi, quae supervacua, corrigendi, quae intorta viderentur, etiam illustrandi, que obscuriuscule dicta. Sed ea visa est omnium elegantia, is splendor, ut non solum aliena non egeant manu ad augendam dignitatem, sed manifestam afferant
desperationem imitari cupientibus. - Vale!

Finis

Divo Pio Secundo pontifice maximo volente Iohannes Gobellini de Lins, vicarius Bonnensis
30 Coloniensis diocesis hoc opus anno Domini M-o CCCC-o LXIII-o die XII mensis Iunii excripsi foeliciter.

2. (Liber) XIII

Absolutis *Comentariorum Pii Secundi pontificis maximi* duodecim libris finem operi
35 videbatur imposuisse, quando eiectis e regno Sicilie Andegavensium partibus, Sigismundoque Malatesta domito non Ecclesia Romana solum, sed omnis ferme Italia pacis dulcedine fruebatur. Statueramus in communi quiete et ipsi quiescere, aut certe scribendi laborem cum suavitate lectionis [624]

commutare. At cum Pius, morbo et etate gravis, negotium nullum intermitteret maiora et graviora Turchis indicto bello in dies pararis, horruit animus quietem, bellumque Turchonicum scribere, si vita comes fuerit, meditatus est. Non abnuimus, incipiemus, et quantum ex alto dabitur, prosequemur. In qua re non licet nobis, quod scriptoribus ceteris:

5 hoc est de belli magnitudine aut diuturnitate, de varietate fortune aut atrocitate bellantium atque aliis rebus dignis admiratione prefari, quibus plerunque modis a personis lectorum auditorumque captatur benevolentia. Faciunt illud, qui bella iam pridem absoluta commemorant, historiamque conscribunt, in qua res vetuste continentur. Materia illis tota ante oculos mentis est: quod laudandum quodve fuerit vituperandum, intelligunt, et

10 magnitudinem rei; possuntque partiri opus et librorum dicere numerum, et auditoribus certa promittere. Nos rem vix incohata - ne dicamus perfectam - aggredimur. Fundamenta maximi belli iacta sunt: ab his incipiemus, atque in dies, quicquid sequetur memoratu dignum, mandabimus litteris. Architectum imitabimur, qui peramplo edificio incohato tantum auget opus, quantum domini manus pecuniam suppeditat; suggerenti necessaria et

15 abunde ministranti egregias edes promittit, subtrahenti, quod erat necessarium, aut opus intermittit, aut ineptum ridiculumque facit. Nos ab eventu pendemus: qualis historia nostra futura sit, rerum ostendet exitus, si eo nos vita perduxerit.

Servabimus et in hoc opere, quod in superiori diligenter est factum: non solum que ad bellum Turchonicum pertinebunt, sed alia quoque gesta Pii et aliorum regum populorumque

20 intercidentia, digna, que ad posteros mandentur, inseremus. Tu, qui lecturus es, quamvis non leges historiam - quoniam res novas exponimus -, historie tamen legem servatam scito, cuius est a veritate non aberrare.

Publicato apud Urbem Romam Pii pontificis decreto belli contra Turchos gerendi, legati per omnem Italiam et ad regiones Transalpinas emissi sunt, qui ex fidelibus populis ac

25 regibus auxilia impetrarent, suaderentque, ne solum pontificem cum Venetis, Hungaris atque Burgundis ad tantum bellum proficisci permitterent, quod totas Occidentis vires videretur exquirere, siquidem Turchi ex altera parte universum Orientem commoturi ferebantur.

Ad Federicum imperatorem profectus est Rudulfus Laventinus episcopus, quem paulo ante

30 Pius ipse pontificali dignitate donarat. Per idem tempus mortem obierat Albertus, imperatoris frater, qui multas germano calamitates attulerat, Viennamque urbem, Austrie caput per seditionem civium ei abstulerat. Oppidani mortuo duce nescientes, quo confugerent - erant enim omnium vicinorum principum auxilio destituti -, imperatoris clementiam experiri decreverant, et quinquaginta legatos ex primoribus urbis in Novam

35 Civitatem ad eum miserant. Ipse iniuriarum memor, ira plenus haud facile veniam impertiebatur: ulcisci rebellionem et atroces contumelias, quas antea fuerat perpessus, conturbate animo minabatur; nec erat, qui verba pro miseris facere [625]

auderet, periuros ac perfidos homines cuncti abhorrebant. Illi ad legatos apostolicos sese conferunt. Dominicus Torcellanus episcopus iam pridem legatum in Austria gerebat; audiunt ipse et Laventinus supplices Viennenses, imperatorem adeunt, mediatores se offerunt, nec pro reverentia Prime Sedis negliguntur. Initur pacis tractatus, denique his conditionibus concordia recipitur, ut legati pontificis Viennam pergant, iuramenta civium nomine cesaris exigant et urbis possessionem, absolvantque transgressores; imperator veniam petentibus tribuat, nec iniurias eat ultum; imperium civitatis penes eum liberum maneat.

5 Sic rebus constitutis de bello Turchonico Laventinus agere cepit. Prius enim neque imperatori neque consiliariis eius alia cura erat, quam Vienne recuperande, ut sunt homines propriis rebus, quam communibus multo attentiores, et ignis propinquus, quamvis exiguus, multo magis timetur, quam longinquus et maximus. Vocati sunt Austrie proceres et prelati omnes ad curiam cesaris; recitatum est decretum de profectioe pontificis, de indulgentiis auxiliatorum, de decimis cleri. Cuncta perbenigne audita sunt. Admiratus imperator pontificis animum, qui tantam rem aggredi auderet, non potuit non laudare propositum; approbavit et belli causas et ordinem datum, iussitque litteras apostolicas per omnem Germaniam publicari, liberum omnibus esse volens in expeditionem adversus impios Turchos proficisci. Decimas quoque ut clerici solverent, imperavit, promittens daturum se ducem suis Theutonibus, et auxilia pro facultatibus suis ex Austria missurum. Laventinus deinde in Baioariam, Franconiam superioresque Germanie provincias mandata pontificis atque imperatoris executurus contendit.

10 Hieronymo archiepiscopo Cretensi, qui apud Vratislavienses legatione apostolica fungebatur, Saxonia, Pruscia et Polonia comissa est, unde auxilia excitet. In Rhenum Tricaricensis episcopus legationem accepit.

Ad Hungaros, quamvis ex icto cum Venetis federe bellum suscipere tenerentur, missus est 25 Antibarensis archiepiscopus, qui pontificis consilium exponeret. Exin per Natalia Domini consecratus ensis ad eiusce gentis regem dono transmissus, quo magis ac magis in hostes animaretur. Aulicus ex Curia donum ferens interrogatus, an Pius pontifex in expeditionem profecturus esset: „*Procul dubio*” - inquit -. „*Solus Dominus iter eius impedire potest.*” Quo audito collachrimatus rex: „*Et quid aitis*” - inquit -, „*proceres mei? Ego domi manebo adolescens valensque viribus, et senex atque invalidus pontifex in bellum proficiscetur? Absit hec ignavia! Hic mihi gladius inter hostes aperiet iter!*” Atque alia pleraque magnifice locutus est.

Ad Anglos regius procurator dimissus est. Scoti et Dani et Svetii per litteras comoniti sunt.

35 Ad Burgundie ducem oratores sui reversi, que Rome gesserant, exposuere; que ab eo in consilio procerum et laudata et aprobata sunt. Cum eis et Lucas Dalmata a pontifice iussus, qui profectioem principis maturandam suaderet.

In Franciam ex Tibure legati iussi fuerant ire Theodorus episcopus Feltrensis et Ludovicus Bononiensis, causarum Sacri Palatii auditor, qui ab irato rege vix [626]

tandem admissi fuerunt. Ad hos Scipio Astensis decretum pontificis detulit, quod regi recitatum non potuit non placere, cum sua se maiestate insinuaret; data est libertas, ut in universo regno publicari posset. Ait quoque rex permissurum se clericorum decimas exigi, si apostolica mandata transmitterentur, daturumque ampliora subsidia, si cum Anglicis belli pacisceretur indutias.

5

Ad Britannie ducem abbas quidam ex familia cardinalis Avenionensis cum litteris apostolicis iter habuit. Ceteri duces Galliarumque reguli et Avenionenses, Ecclesie subditi, scriptis apostolicis invitati sunt.

Ad Sabaudienses Eusebius Vercellensis mandata pertulit.

10

In Hispanias ad Henricum Castelle regem Assuerus, eiusdem nationis homo sagax missus est, et cum eo Antonius Venerius Legionensis electus regem adire atque auxilia petere; ad regem Portugallie procurator suus. Ad regem Aragonum Franciscus canonicus Valentinus et alii duo, quamvis ex rege bellis gravioribus implicato perparum sperari posset. Illud ab eo precipue quesitum est, ut rei frumentarie apud Siciliam subveniret, liberumque Siciliensibus esse permetteret in apostolicam classem descendere, atque in Turchos arma proferre. Hec apud externos acta.

15

In Italia Veneti - ut superioribus libris scriptum est - apertum indixerant Turchis bellum, paratamque classem in mari habebant, ac belli fortunam, et secundam et adversam, in ipso rerum principio experti fuerant; et nihilominus ducem suum, quamvis etate gravem, cum decem triremibus Pio pontifici comitem promiserunt.

20

Franciscus Sfortia Mediolanensium dux equitum duo milia, pedites mille et cum his unum ex filiis legitimis in sanctam expeditionem sese missurum pollicitus est; dux Mutine triremes duas, marchio Mantuanus item duas, Bononiensesque totidem, Lucani unam, Senenses etiam duas.

25

Florentini diu ancipites fuere; postremo id se facturos affirmavere, quod Mediolanensium princeps dignum duceret. Cosmus, quamvis privatus civis, unam triremem pollicitus est. Genuenses otto naves ceteas ex maioribus promiserunt. Ubiectus Flisca gente natus armaturum se triremem unam et cum ea venturum in bellum ait.

30

Ex cardinalibus Sancte Romane Ecclesie septem singulas triremes armare statuerunt; alii alia auxilia promiserunt, pro suis quisque facultatibus expeditionem adiuturi. Pontifex ipse ere suo decem triremes navesque onerarias quattuor maiores minoresque nonnullas, et quas vocant fustas, aliquot instruere proposuit.

35

Ad regem Ferdinandum cardinalis Ravennas legationem suscepit, ex lacero et iam pridem afflicto Regno, quantum auxilii posset, vendicaturus.

Ragusei misso legato triremes duas obtulerunt; Rhodienses tres.

Cura quoque adhibita est, ut Caramannus et alii, qui sunt in Asia Mahumetis inimici, quamvis Turchi, in belli societatem descendant. [627]

Georgius Albanus, quem Scanderbechium vocant, excusatum se misit, quod pacem cum Turchis non tam voluntariam, quam necessariam fecisset; verum profecturis adversus Mahumetem Christianis sese minime defuturum. - Hec apud Christianos procurante Pio pontifice adversus Turchos meditata et ordinata sunt.

5 Ceterum neque Mahumetes Turchorum imperator sibi ipsi defuit, qui audito pontificis decreto cum accepisset tres senes maximi nominis in se arma moturos atque in Greciam navigaturos, dixisse fertur: „*Auferam debilibus senibus navigandi laborem; prior in campum exibo, eosque suis in laribus queram; illic, si voluerint, de imperio mecum certabunt!*” Exin accersitis aule sue proceribus summa cura de bello instruendo tractare cepit. Apud Constantinopolim collapsa in plerisque locis menia reparavit, turresque novas erexit et propugnacula; machinas omnis generis apparari iussit, maxime vero bombardas ingentium capaces lapidum, quarum sedecim in angustiis Hellesponti collocasse fertur apud castella, que in utraque maris ripa communivit. Triremes admodum multas expediri (qui parcius locuntur, sexaginta esse affirmaverunt, qui res magnas augere solent, centum viginti), naves ceteas admodum paucas, minora navigia propemodum innumerabilia. Verum rectores tante classis apud Turchos non satis idoneos inveniri posse, quamvis remigibus et armamentis abundant. Patresfamilias ubique per Greciam iussi ex frumento farinam facere, atque in armis presto esse; ex quavis domo unus bellator conscriptus. In Asia delectus militum habitus; stipatoribus principis nova stipendia data. Ad Caramannum et alios veteres inimicos conciliatores missi. Ex soldano Egypti, ex Tartaris vicinisque gentibus auxilia postulata, et nihilominus clam cum Hungaris Venetisque de pace tractatum; neque enim par verbis animus Turcho fuit, qui tunc magna minabatur, cum maxime trepidabat. Ceperat in Peloponneso ex his, qui Veneto militabant, circiter ducentos pedites, quos ad terrorem Christianorum diversis diebus ad populum productos in duas dividi partes mediosque secari mandavit.

25 Per idem tempus prefectus Venete classis, ut infamiam apud Examilium contractam insigni aliquo facinore deleret, cum XXX-ta triremibus in Lesbum navigavit, quod eam insulam a Turchis anno superiore captam non satis firmo presidio munitam intelligeret. Cum apropinquasset insule, Greci, qui apud Mitylenem permissu Turchorum remanserant eumque vocaverant, nuntium ad prefectum misere precantes, ne propius accederet, quia nondum res, ut opus erat, disposuerant; maneret in propinquo aliquo portu triduo aut quatrinduo; interea ipsi rem maturarent, et cum tempus esset aggrediendi civitatem, annuntiarent. Paruit prefectus. Mitylenei post rem compositam quattuor legatos ad prefectum mittunt, qui tempestate acti Chium pervenere, ubi comprehensi a magistratibus re prodita ad Turchorum imperatorem missi sunt, ibique pali supplicio necati. Sic Deo placuit, ut omnino inglorius Ludovicus Loredanus maxime classis ductor domum reverteretur. - Apud Genuenses Chium regentes [628]

plus valuit Turchorum metus, quibus tributa pendunt, quam amor Christi, a quo vitam et quecunque possident, acceperunt.

Franciscus Mediolanensium princeps, dum hec geruntur, legato in Franciam misso de Genua paciscitur Saonaque et universo ducatu Ligurum. Rex Francie, Ludovicus, cum
 5 difficile duceret Genuenses armis vincere, diutinumque bellum alere, id oneris in Franciscum transtulit, satis honori suo consultum existimans, si tantum sibi principem
 10 vassallum efficeret, et in sua verba iuratum haberet. Franciscus iccirco Genue principatum vel quesivisse vel accepisse visus est, ut Florentinorum suamque potentiam equaret Venetis, quos universe Italie metuendos cerneret, tum vero, ut aliquem ex liberis illic moriens
 15 collocaret, quos pro numero non posset ducatus Mediolanensis pascere. Hoc ubi auditum est, universam Italiam conturbavit Florentinis exceptis atque Pio pontifice, qui Franciscum nihil egisse arbitrabatur Italie noxium. Veneti augeri potentiam vicini haud equo ferebant animo. Marchio Mantue repudiatis filie nuptiis, quam Galeazio, ducis filio desponderat, amaro erat animo, nec res eius prosperas libenter audiebat. Duci Mutine omne incrementum
 20 Mediolanensis ob veteres similitudines suspectum erat. Lucenses se traditas rapine Florentinorum existimabant. Nec Senenses sine metu fuere, qui nonnulla ex Genuensibus castellis ad Florentinos ventura putabant, quorum nequirent opes sine suo periculo augeri. Ferdinandus rex Sicilie Francisco cum Francis composito res suas procul dubio desertas arbitrabatur.

25 Sed occurrit illico Mediolanensis ubique cum litteris et legatis, seque cum Francis ea lege convenisse affirmans, ut nihil ex federe Italico detraxerit, nihil promiserit, quod Italicis potentatibus obesse queat; de Genua tantum transegisse, que postquam in potestate sua fuerit, non erit, cur Franci ad Italiam aspirent. Satisfactum est hoc pacto multorum opinionibus; non tamen defuere, qui factum ducis detestarentur, eiusque glorie haud parum detractum dixerint, qui adeo sese deiecerit, ut Gallicum potuerit admittere dominum,
 30 faterique ausus sit Italie partem ei genti subiectam esse, que nunquam Italico nomini fuit amica. Sed omnia cedunt utilitati, nec evo nostro honorem esse arbitrantur, qui fructu caret; potentiam et opes trahere secum honorem putant, ut corpus sequitur umbra.

Saona mox duci tradita est. Paulus archiepiscopus idemque dux Genue requisitus cedere
 35 haudquaquam annuit; iniuste secum egisse Mediolanensem ait, qui se inconsulto de civitate sua, de principatu suo cum Francis egisset, nec licuisse regi Francie Genuam in alium alienare, neque fas fuisse Francisco adversus amicum illam acceptare. Franciscus ab archiepiscopo Genuam sibi sepe oblatam dicere, neque Genuenses eas Francorum pactiones pro se posse adducere, quas ipsi priores fregissent. Mansit in sua sententia Paulus; misit ad Venetos oratum auxilia, quibus rem suam adversus Mediolanensem tueri posset; misit et ad Pium pontificem. Illi Turchorum bello impliciti haud tutum putaverunt Mediolanensem contra se provocare; Pius amicitiam ducis pretulit [629]

archiepiscopo: consilium petenti suasit, ne contra potentio-rem frustra niteretur; sciret se nullis adiuvandis opibus; omnes per circuitum Mediolanensi favere, nobiles ad eum defecisse, nutare populum, laborare caritate annonae civitatem; nollet patriam suam pessum ire, nollet id bellum incipere, quod cum suo

5 dedecore deserere oporteret; nollet expeditionem impedire, quae in Turchos pararetur, ex qua magna ventura esset ad Genuenses utilitas, quorum res in Oriente perditae recuperari possent. Non accepit consilium archiepiscopus; quod quesierat: auxilium maluisset. Intervenere concordiae tractatus, nec perfici potuere, cum plura archiepiscopus peteret, quam Mediolanensis offerret.

10 Interea Prosper Adurnus et Ubiectus Fliscus ad Mediolanensem defecere, plebs fame attrita clamare, populus libertatem asserere, cives primarii nunc hoc nunc illud consulere, incerta omnia esse in civitate. Quattuor erant in portu naves onerarie maxime; has archiepiscopus armare proposuit, sed aberat facultas negante auxilium populo. Quare ausus indignum facinus: satellitibus stipatus in portum descendit, privataque civium horrea tabernaeque atque promptuarias cellas dirupit, indeque frumentis vinisque atque

15 salsamentis ereptis et armorum magna vi abstracta non solum naves instruxit, sed arcem quoque munivit. Venerat ex Galetia Hispanica navis publicam Genuensium secuta fidem; hanc ne cives adversus se armarent, in mari demersit. Quas res indignae ferens populus libertatem asserens octo sibi duces, quos appellant capitaneos, delegit, ut sepe assuetum est

20 abrogata dignitate ducatus. Ii convocatis primoribus urbis in Palatio convenientes cum de re publica tractare cepissent, descendentes ex arce ducentis militibus dissipati sunt, Baptista nobili iure consulto, tanquam plebis concitator esset ac plus ceteris auderet, e medio multitudinis raptus et ad necem in carcerem ductus; fuissetque procul dubio necatus in carcere, nisi Fabianus, Pii pontificis orator intercessisset, cuius contemplatione capitalis

25 pena in octingentos aureos commutata est.

His auditis Ubiectus armatis ducentis peditibus urbem ingressus plateasque potiores excurrans Francisci Mediolanensis nomen nullo resistente acclamavit.

Archiepiscopus pennis velis atque admissis vento primo versus Massiliam navigavit, sperans onustam frumento navim intercipere posse, quae ferebatur ex Provincia Saonae petere. Quod ubi non successit, una amissa navi, quae scopulis illisa periit, versis retro prorsus Populinum sive - ut aiunt - Plumbinum ad neptis virum se contulit. Arcem Genue nepoti commisit, quam ferunt in plures menses esse munitam.

30

Hunc Genue statum Fabianus pontifici significavit apud Petriolos agenti, ubi et legatus archiepiscopi ex Plumbino missus auditus est, nihil nisi querelas de Mediolanensi afferens et plena desperationis verba. Hec mutatio Genue expeditioni contra Turchos institute haud parum obfuit; Genuenses enim, qui octo ceteras naves et fortissimos bellatores Pio promiserant, his acti calamitatibus non potuere promisso satisfacere. [630]

35

Dum hec aguntur, Philippus Burgundie dux ex convento classem armare atque itineri se accingere magno studio parat, neque voces audire vult dissuadentium, quorum magnus erat numerus. Quidam labores horrebant atque pericula, nonnulli sumptus; verum precipui dissuasores habiti sunt Iohannes et Antonius Croi, quos gratia et auctoritate apud Burgundum nemo precessit. His molestissima ducis profectio erat, quoniam odiosi essent Karulo, ducis filio, nec tutum sibi existimarent absente Philippo - quem putabant nunquam rediturum - sub imperio filii - quem regnare oportebat - relinqui. Suadere igitur Philippo, ne tam longinquam expeditionem iuveni, nedum seni periculosissimam aggredere; parceret etati, parceret eis, quos sine ullo presidio in potestate Karoli, qui se non amaret, relicturus esset; parceret patrie, quam omni auro atque argento eiuscemodi profectio exhauriret; nollet plus aliena, quam sua curare. - Non auscultavit Philippus pravis consiliis; mansit immobilis in proposito suo, et quanto magis profectio dissuadebatur, tanto magis ac magis festinare itineris comites iubebat.

Filius per idem tempus in Holandiam secesserat iram patris declinans, quem nonnullis de causis videbatur offendisse. Crois nihil acceptius erat, quam patris ac filii discidium crescere, atque ad eam rem per artifices idoneos in dies navabant operas haud dubii, quin odio crescente impediretur profectio. Verum neque hoc pacto voti compotes effecti sunt: reconciliatus est patri filius, et in pristinam gratiam petita venia receptus. Non tamen illi quieverunt; accedentes Philippum: *"Si vis" - inquit - „ad bellum Turchonicum pergere, dignusque te copias ducere, necessarium est, ut provincias tuas sine metu, sine belli periculo dimittas. Sed quo pacto pax nobis cum Anglicis erit, qui regi Francie sunt infensi? Non potest Franco et Anglico bellum esse, quin tu quoque involvaris eodem, qui Franco subiectus es. Consilium nostrum fuerit, priusquam abeas, ut indutias belli ad aliquos annos constituas, si non possis perpetuam invenire pacem. Neque id tibi difficile fuerit, cui uterque rex beneficiis et amore devinctus est. Conveniant oratores eorum coram te mense Aprili in loco, quem delegeris; illic indutias constitues, multoque inde potentior et gloriosior in Greciam navigabis, auxiliis ex Anglia Franciaque comparatis."*

Cum neque his suasibus auscultaret Philippus, addite sunt Ludovici regis preces, quibus et conventus requirebatur ad indutias conficiendas et remansio ducis. Que res Philippum consilii dubium fecit, regine auscultaret, an propositum proficiscendi teneret; quoniam si maneret ad conventum Aprili mense celebrandum, ad constitutam diem convenire pontificem minime posset. Hinc regis preces urgebant, inde promissa Venetis ac pape facta. Tandem mediam viam complexus ex pontifice maximo dilationem petere statuit, qua sibi liceret ad unum duosve menses profectionem differre, si forte inter Francos et Anglos aut perpetuam pacem aut temporalem constituere posset; horum si alterum faceret, haud dubium, quin ex utroque regno auxiliares manus, et quidem validissimas secum adversum Turchos educere posset, seque liberiolem pacatis domi rebus in externam expeditionem iturum; rogatum se a regibus, uti remaneat, verum id facturum, quod pontifex iusserit: si dilatio detur, reges componere [631] temptaturum; si minus, ad constitutam diem non defuturum; interea nihil neglecturum, quin omnia in tempore presto adsint ad profectionem necessaria.

Pontifex acceptis Philippi litteris ex consilio Senatus dilationem negavit, que non solum differre adventum ducis, sed impedire prorsus videretur; incertumque esse respondit, quod de indutiis scriberetur, easque posse auctoritate sua per alios tractari; verendum esse, nisi veniret in tempore Philippus, ne Veneti aut Hungari conditiones, quas Turchus offerret, amplecterentur; neminem futurum, qui primo neglecto termino in secundo spem poneret; hortari atque obsecrare, ne rerum ordinem interrumpere.

Epistole in eam sententiam scripte per plures tabellarios multiplicatae transmissae sunt, ut si unus aut alter in via aut deficeret aut interciperetur, tertius aut quartus ad Burgundum perveniret. Neque inutilis diligentia fuit, siquidem primus morbo in itinere retentus est, alii vix tandem post multos labores iter suum perfecere. - Philippus tum forte Bruggis apud Frandenses agebat, ubi filio veniam dederat. Qui lectis pontificis scriptis, quamvis erat suoapte ingenio ad res maturandas satis ardens, inde tamen ardentior effectus est. Accersire igitur classis prefectos, naves instruere, commeatum parare, machinas colligere, deligere milites, cuncta disponere, que diligentis imperatoris cure incumbunt, oratoribus Venetis atque apostolicis spem optimam facere.

Quod cum Croi animadverterent, ingenti merore metuque perculsi Francie regem adeunt, unicumque sue salutis remedium inveniri posse aiunt, si sua serenitas ex Parisiis Tornacum se conferat; duros se operam, ut Philippus ad eum veniat; illic facile eius iter retardari

posse. Annuit rex, nec mora, Tornacum petiit. Illi ducem convenientes: "Rex" - inquiunt - „prope adest, Tornacum venit. Indignam rem feceris, nisi longinquam in expeditionem profecturus dominum tuum prius accedis, qui adeo propinquus est. Quin properas? Brevis est via! Non feret equo animo rex, si se insalutato recesseris." - Quibus Burgundus: „Bene" -

5 inquit - „ammonetis, ibo ad Insulas" (Lillam alii vocant insigne oppidum), „ibique bellicas revisam machinas; multas illic habeo, quas mecum deferre constitui. Inde Tornacum ad regem me conferam." - Nec moratus, sevientem tum hyeme nivibusque late campos tegentibus Insulas petiit. Sed rex a Crois edoctus Philippum prevenit, atque in Insulis convenit. Quem ita locutum ferunt:

10 *Egregium facinus, pulcher consanguineae, aggressus es, qui pro tuenda religione expeditionem in Greciam paras. Digna res est nostro genere, nec ego te absterreo, quamvis etas et validudo tua mihi suspecta est. Utinam viginti annis iunior esses, multo minus tue saluti timerem. At quoniam iturus es, nec potest animo tuo aliud persuaderi, vellem, saltem fortior ires; vellem tibi adiungere ex meis copiis prevalidam aliquam manum, neque id*

15 *mihi licet Anglicorum bellis implicito: miles adversus illos necessarius est. Quod si manseris hac estate apud nos, atque inter Anglum meque pacem componere annitaris, fiet procul dubio saltem indute belli. Nam Eduardus Anglie rex tibi multis de causis obnoxius est, nec audebit tue voluntati adversari; de me quoque facies, quod voles. Pacatis his regionibus et Anglus tibi auxilia non contemnenda prebebit, et ego decem milia militum tibi adiungam.*

20 *Sic fiet, ut perquam formidabilis [632] ad hostes pergas. Quod si pace infecta iter arripueris, non satisfacies expectationi, quam de te Italis prebuisti. Nec mea sententia vel Veneti vel Pius pontifex hoc anno satis parati erunt; aut si presto fuerint, illorum erit gloria, non tua, si quid fiet laude dignum. Sine illos preire, atque suas experiri vires. Nihil efficient, non prevalebunt adversus hostes; satis erit, si fines suos tueri poterunt. Tu sequenti anno ad eos venies cum equitatu peditatuque numeroso et classe valida, resque*

25 *dubias elevabis, ac victoriam paries, quam tuam omnes esse fatebuntur."*

Hec cum dixisset, magnopere adhortatus est ducem, ne suis consiliis adversaretur. Cum perstaret in sententia dux, diceretque voto promissoque satisfaciendum esse, neque videri sui honoris ab incepto desistere, aut quovis modo res orditas retardare, commotus - ut aiunt

30 - rex:

"At tu" - inquit - "mihi subiectus es, neque iniussu meo in tantam expeditionem proficisci vales, neque sine me obligare te potuisti. Ob quam rem mando tibi, ut maneat ad conventum celebrandum de pace cum Anglicis. Quod si me spreto iter ingressus fueris, arguam te fracte fidei, et omnium bona confiscabo, qui de regno meo secuti te fuerint!"

35 Territus his Philippus ex alto animo cecidit, et qui usque in eam diem nulla potuerat arte a suo proposito dimoveri, mutata tandem sententia regi parere decrevit. Verum est, quod aiunt: nullam esse turrim, que assiduis concussa machinis non demum corruat, raramque mentem inveniri, que sepius temptata non cedat. Mandatum memorant regia manu subscriptum, quo iubebatur manere, duci traditum. (Quidam asserunt ita voluisse ducem

40 sibi mandari, neque regem bene de se merenti talia precepturum fuisse, nisi rogatum. Veritas in obscuro est.)

Profecionem ducis certum est impeditam fuisse, quemadmodum ipsius ducis littere ad Pium pontificem misse declarant; quamvis non impeditum iter, sed in alterum annum dilatum affirmant. Verum in sene iam decrepito unius anni mora totius vite tempus secum aufert! Croi victores maligni propositi tandem evaserunt. Dux partem classis in tempore

45 missurum promisit.

Dum hec in Frandria tractantur, Pius distributa pecunia, quam civitates Ecclesie in expeditionem conferre decreverant, pridie Nonas Februarias e Roma discessit curande valitudinis gratia Petriolos accessurus, ubi calidas aquas admodum salubres scaturire putant. Iter difficillimum venti, pluvie, fulgura et nives fecere. Difficultatem auxit Eversus

50 Anguillarie comes nec Deo nec pontifici aut homini cuiquam fidus; cuius agros declinare oportuit, et a Civitate Castellana per asperrimum Cimini montis iugum altissima nive tectum cum plerisque turmis equitum tutele causa convocatis Viturvium petere.

Cum Senas venisset ad VIII Kalendas Martias, nec cessasset rigor hyemis, ibi per

55 Quadragesimam et paschalia festa commoratus est. In dominica Quadragesime quarta auream rosam benedixit, et Francisco Mediolanensium duci dono misit, quam ille multo honore et gratissimo animo accepit. In dominica Palmarum palmas et olearum ramos de more consecravit distribuitque cardinalibus, [633] episcopis et universo clero ac primoribus populi. In Cena Domini peractis in ecclesia solemnibus multitudine populi in platea

congregata sese ostendit, et solitum anathema promulgavit, quo omnes irretiti sunt, etiam reges, qui expeditioni contra Turchos obeunde quodvis impedimentum afferre auderent. Nec dubium est, quin ea censura illos astringat, qui Philippum Burgundie ducem e sancto proposito dimoverunt. - Sequenti die, in Parasceve ipsius ducis littere allate sunt, que
 5 mutata eius mentem indicaverunt; digne, que in Passione Dominica recitarentur, Pio pontifici et universo Senatui merorem afferentes.

In sancto die Pasche meliores littere ex Hungaria accepte sunt, que Matthiam gentis regem sacratum gladium a pontifice missum percipere et ingenti honore receptum nuntiaverunt, statuisseque regem ipsum principio estatis mox bellum inferre Turchis, eoque gladio uti.
 10 Quo nuntio letatus pontifex viros urbis primarios quinque ad equestrem ordinem provexit, inter quos sororis sue virum, Nannem Piccolomineum militari balteo in primis cinxit. Deinde populo pro consuetudine benedixit, plenarias elargitus indulgentias.

Priusquam de mutato Burgundie ducis animo certitudo esset, eiusque rei rumor increbrisset, consuluit pontifex cardinales, quidnam foret agendum, ubi Philippus conventa negligeret. Octo aderant cardinales. Una omnium sententia fuit: quamquam profectionis decretum ita demum pontificem obligare videretur, si Burgundus veniret, non tamen remanendum esse, ne maior dignitas ex minore dependere videretur; cavendum, ne sibi data verba Christiani populi existimarent; ruituram Apostolice Sedis fidem, nisi promissa serventur; neque popularibus auribus satisfacturam Burgundi moram; utrumque damnatum
 20 iri voce multitudinis: et pontificem et ducem - pontificem magis, quem decet suorum verborum tenaciorem esse; Burgundum, ubi fidem fregerit, nihil magis optaturum, quam papam domi manere, cuius culpa pre magnitudine suam tegat; dicturos omnes iccirco non ivisse Burgundum, quia non ierit papa, et omnes in Apostolicam Sedem iacentur sagitte; neminem posthac decretis eius auscultaturum; fugiendam inconstantie notam; eundem cum
 25 Venetis adiutore Hungaro; tanto de divina ope magis sperandum in causa Dei, quanto humana minus assunt presidia; ingrediendum esse mare, eatenusque adversus hostes navigandum, quatenus sine manifesto discrimine licet; si datur facultas auctore Domino debellandi hostes, occasione utendum; si minus, coniecturam faciendam, quasi non placeat divine pietati hoc tempore perire Turchos; retro fas erit vertere naves, quamquam sine
 30 victoria et hominum laude, non tamen sine spe divine gratie, que voluntates magis, quam facta metitur; illos nec humanam gloriam nec celestem misericordiam consecuturos, qui patri animarum suarum, Iesu Christi vicario in bella pro religione vadenti ac senile caput periculis obiectanti sese socios negaverunt.

Placuere Pio pontifici consilia fratrum, atque in eorum sententiam decretum editum
 35 absentibus cardinalibus insinuavit. Quod plerisque acerbissimum fuit, sperantibus remanente Philippo domi pontificem quoque remansurum, seque navigandi molestia ac belli periculis expensarumque sumptu liberatum iri, ut [634] ocium fere omnes negotio preferunt, nec facile putant delicias relinquere, humane nature amicas. Verum postquam obfirmatum pontificis propositum didicerunt, seu ex animo seu fecte, cuncti se parituros
 40 cupide responderunt.

Pius quarta feria post Pascha Petriolos contendit querende valitudinis causa, quod eius loci salubres sibi aquas superioribus annis expertus fuerat. Illuc ad eum venire legati ex Albania Georgii Scanderbechii et Stephani despoti Servie auxilia quesitum: ille, quibus invadere
 45 Turchos posset aut a suis finibus arcere, iste patria pulsus, quis domum redire quiret. Stephanus quoque dux Bosne per legatos auxilia petiit, cuius ager in faucibus hostium collocatus undique laceraretur. Similia despotus dixit misso episcopo Cephalonie, tanquam mox periturus (auxilia) expostulavit. Responsum omnibus est venturum propediem cum classe pontificem ad oras Dalmacie, laturumque non modo laborantibus auxilium, verum
 50 etiam Turchos in suis sedibus vexaturum. Affuerunt et Raguseorum legati ituro in expeditionem pontifici duas triremes offerentes, summisque precibus obsecrantes, ut navigaturus in Orientem Pius urbem suam inviseret. Hos pontifex benigno vultu excepit, donatosque gratiis, quas optaverunt, spe plenos remisit.

Dum hec aguntur, Upsalensis archiepiscopus in Svecia potens, cuius armis rex Karolus e regno fuerat eiectus, a Christigerno, novo rege in carcerem rapitur prescripta causa, quod se
 55 quoque conspiratione popularium, sicut et predecessorem, statuisset eiicere. Pius regi mandavit, uti captivum certis in Germania episcopis custodiendum transmitteret, deinde crimen obiiceret, alioquin excommunicationis et interdicti sententiam expectaret. Rex pariturum se ait. Archiepiscopo prior audacia, cum feliciter cessisset, gloriam peperit, altera

minus prospera damno et ignominie fuit. Victoria iustum facit, succubuisse nunquam decori ducitur; par ausum dispar eventus aut honestum aut impium reddit.

5 Circa idem tempus Petrus, ex regia Portugallensium familia natus, a Barchinonensibus accersitus cum duabus triremibus eo profectus et ab omni populo cupide exceptus regium nomen assumpsit, tanquam Aragonie regnum ad se pertineret, qui materno genere ex antiqua Urgellensium prosapia natus esset, Urgellenses vero ex regia Aragonensium familia originem ducerent, quibus Ferdinandus, Iohannis pater ab Hispania veniens iniusto iudicio prelatu fuisset, regnumque abstulisset. Cathalanorum maior pars ad eum defecit, qui Iohannem, Alfonsi fratrem iam pridem capitali persequerentur odio. Ceterum Aragonenses 10 in hanc usque diem apud antiquum regem in officio manent, in cuius benivolentiam Castelle regem redisse commemorant, quamvis nondum explorata res est, nec rumores inde profecti satis constantes afferuntur. Petro nulle adhuc externorum regum suppetie venerunt, nec Alfonsus Portugallie rex, quamvis patruelis, eius regno favet. Nulla ei spes maior est, quam in [635] expectatione mortis inimici, quem senem cito periturum existimat, quamquam sepe 15 prior occumbit iunior etas.

Alfonsus cum valida classe ex Portugallia solvens per eosdem circiter dies in Affricam navigans, horridis tempestatibus agitatus plurimas naves amisit, vixque tandem Ceptam pervenit. Ibi equites virosque nobiles supra ducentos cupido incessit Tagestam, maritimam Affrice urbem invadendi, quam male custoditam arbitrabantur. Adigunt se omnes iuramento 20 constituta nocte muros urbis scandere, sequentique circa lucem exercitui portas aperire, ac predam communem facere. Exponunt regi consilium et coniurationem; rogant, ut audentibus sine cunctatione afferat opem: assit cum toto exercitu sub aurora ad menia Tageste; futurum, ut nobilem et opulentam urbem in potestatem suam redigat. Negat rex ex sua dignitate esse urbem furto capere; reges aperta bella decere; nocturna et insidiosa 25 minoribus relinquenda; verum quando ita persuasi sint magnanimi proceres, nolle occasionem relinquere; regium fratrem apud alcassarum Tageste propinquum cum parte copiarum consistere; illi negotium se daturum.

Pergunt alacres coniurati, constitutaque nocte schalas muro admovent, ascenditque pars maior et audentior. Cum reliqui festinant, schale franguntur; pars preceps ruit, pars saltu in 30 urbem descendit. Fit tumultus in civitate, tanquam in urbe capta. Oppidani multos arbitrati ingressos hostes uxores et pueros et que illis carissima fuerunt, in arcem exportavere. Orta deinde luce animadvertentes non multos esse, qui urbem intraverant, veriti exercitum maiorem extra muros portis herere, non audebant congredi. At missis exploratoribus postquam didicere perpaucas et contemnendas copias esse in campis, nec regem adventasse, 35 animos erexerunt, circumdatosque infelices coniuratos partim obruncavere, partim in captivitatem accepere; septuaginta nobilium capita sale condita regi Fecie, cui Tagesta paret, missa feruntur. Frater regis, cum tardiuscule adventasset, nec portas, ut arbitrabatur, apertas invenisset, neque schalas haberet, quibus menia scandere posset, retro mestus abiit; atque in hunc modum duplici damno rex Alfonsus eodem tempore mulctatus est 40 prestantibus viris supra ducentos quinquaginta apud Tagestam amissis, et in mari navibus tempestate allisis, in quis equi et viri non pauci et pretiose suppellectiles perierunt.

3. Iacobi cardinalis Papiensis Commentariorum liber primus

45 Pius secunda Cruce iam in Turcos proposita ad XIII Calendas Iulii in basilicam Petri mane descendit, sicuti suus erat mos semper, cum iter agebat. Ibi veneratis aris et successu rerum pie deprecatu Roma egressus est patribus et populo lecticam eius sequentibus. Ad pontem Milvium dimisit a se omnes his tantum retentis, qui secum erant ituri. Lembum inde ascendens ad fatigationem levandam terrestri itinere, per adversum Tyberim ad castellum 50 Iubileum [636] pervenit X ab Urbe miliario. Delegerat sibi huiusce subvectionis comites Dominicum Torcellane, Agapitum Camerinae et Ioannem Tiphernatis ecclesiae praesules, quorum Dominicus et Agapitus de supplicationibus referre soliti erant, Ioannes Sacrarum Apostolice curam gerebat. Me quoque et Gregorium Lollium adiungi his voluit. Pransus eo die in lembo est, et coenavit et quievit nocte illa.

55 Postridie ante ortum solis inde abeuntes Rhianum accessimus primis iam intendentibus tenebris longam subvectionem emensi passuum amplius milium sexaginta. Coenatum quoque est et pernoctatum in flumine; neque enim sine multa offensione membrorum tractari iam et circumferri a lecticariis poterat. Eodem die venit ad eum Nicolaus Sanctae Cecilie cardinalis, quem Pius adhuc Sene agens ad Pisanum portum premiserat, ut partem

classis, que ibi parata erat, et quae ex Genua expectabatur, per Siciliae fretum ad se Anchonam perduceret. Is ergo ad ostium Tyberinum appellens - ubi abiisse Pium, sed non longe abesse cognovit - terrestri itinere meridiem circiter nos est assecutus; cupiebat de legatione et triremibus, antequam progredere, referre.

5 Ad molestiam incommodae navigationis haec quoque sancto seni eo die tristitia accessit: iuuenis vix annos natus XX ad navigii ministerium positus, dum per ripam fluminis subducendo lembo incautius nititur, lapsus in eam partem, qua profundior aqua erat, navicularibus tarde opem ferentibus ante oculos nostros summersus est. Hunc casum ingemuit vehementer Pius, tacitusque et lachrymantibus oculis orationem saepe defuncto solvit.

10 Die, quae secuta est, iter fuit non amplius XXV millium passuum. Pervenimus autem ad coenobium Divi Benedicti inclinato iam sole, quod positum ad radices est montis Soractis, qua in orientem porrigitur. Ante meridiem cardinalis, quem dixi, renunciatis pontifici, quae opus habebat, benedictione accepta ad classem reversus est.

15 Pio vix ad ripam appulso praesto fuit Ioannes Carvagial, genere Hispanus, Portuensis cardinalis et presul Sancti Angeli vulgo dictus, qui eodem die maturato itinere ex Urbe advenerat. Nam cum biduo ante allate litterae ab Hieronymo antistite Cretense essent, quibus significabatur magnam cruce signatorum multitudinem Anconam confluere, identidemque lamentari, quod pontificem, qui se traiceret, non invenissent, veritus, ne
20 turba diversarum nationum - id, quod accidere in talibus solet - tumultum aliquem per otium excitaret aut in diversa dilaberetur, praemittere hunc intendebat, qui deductis confestim navigiis in Peloponesum eos traduceret. Homine autem ad eam rem opus putabat, cuius auctoritatem secuti illi desiderio non tenerentur secum eundi, quem tardare diutius oportebat. Hanc ob causam cardinali ad se maturius evocato rationem vocationis prima in
25 colloquutione proponit, atque ut profectionem capiat, non tam imperat, quam deprecatur. Verecunde admodum annoso seni et attrito pro Ecclesia onus tam grande iniungebat, sed magnitudinem rei considerans, cognoscensque, quam pauci essent, qui suscepturi id imperium viderentur, annis eius parcendum non duxit. [637] Affui ego solus sermonibus his, cum haberentur. Una semper atque eadem Ioannis vox fuit, plena humilitatis ac animi: "*Si is sum, pie pontifex, quem tantis rebus idoneum iudices, sequor sine mora imperium tuum et certe etiam exemplum, qui in fragili valetudine animam pro me ponis et pro caeteris ovibus tuis. Scriptum mihi est: »Veni!« Ecce adsum. Imperatur, ut vadam. Iam iter ingredior. Pars haec vitae ultima neganda Christo non est.*" - Commovere haec dicta pontificem, quantoque maius animi robur in sene agnovit, hoc eum miseratus est magis. Amabat unice
35 Pium Ioannes, vehemensque huius sancti propositi fuerat persuasor, eos sedulo increpans, qui infirmioribus animis dissuadere illi navigationem hanc contendebant - id agens videlicet, ut extremus vitae actus reliquis operibus non esset absimilis. Obierat autem ante cardinalatum legationes complures, difficiles semper et plenas periculo. Cardinalis quoque creatus sedente Nicolao V in Germaniam missus est, et succedente Calisto III ab initio statim pontificatus in Pannoniam atque omnem oram Illirii ad bellum in Turcos iussus est ire. Sexennem
40 his in locis legationem inter asperam gentem coelumque insalubre gessit; versatus saepe in castris est; saepe etiam nunciatis irruptionibus hostium contendit obviam cum militibus his, qui sua opera Crucem assumpserant. Desertus nonnunquam a suis, quos ex Hispania et Italia in domesticum famulatum adduxerat, seipsum tamen nunquam deseruit. Patienter pro Christo tulit omnia; languit inter hos labores annum fere continuum usque ad desperatam salutem. Propter vim etiam frigorum, quibus infesta regio illa est, dentes sic ei omnes emoti sunt, ut quotidianis pelliculis obvolutis aegre illos - sicut videmus -
45 retineat. Innumeris porro difficultatibus uno aliquando tempore circumventus nunquam tamen est reditum deprecatus: expectavit, quid Romana Sedes de se ipso statueret. Erat ergo patri prope iam septuagenario in tot anteactis aerumnis legitima excusatio provinciam deprecandi, iuvenibus etiam operosam; sed nil tale venit in mentem carnis contemptricem. Pro Deo et pro imperio Romani pontificis patientissime subeunda omnia iudicavit. - Dignatus eo die est Pius honore suae illud et me, nil inter epulas praeter desiderium solvendae classis suspirans. Ipse postmodum ex consuetudine superiorum dierum
50 pernoctavit in lembo, nos ad coenobium divertimus.

Ea nocte missio legati significata Anconam est nuncio veloci ad animos illorum, qui convenerant, retinendos.

A coenobio ad portum Ocriculi IIII statione perventum est ascensu non breviori XX millium passuum. Inter eundum tractatum sedulo est de ratione tota traducendorum

crucesignatorum et de eroganda pecunia et de literis ad iniunctum opus scribendis. Mallianenses quoque - quod oppidum in Sabinis est - nomine tantae profectionis exciti ad subiectam ripam Tyberis, qua transeundum Pio erat, populariter descenderant omnes abeuntem illum visuri. Trahebatur lembus per sinistrum amnis latus funibus ad malum
 5 deligatis, ut naviculatorum nostrorum est mos; sed Pius conspicata oppidanorum multitudinem, motus acclamantium vocibus, ne inconsolati dimitterentur, converti [638] subito in dexteram navigium iussit, atque ibi aliquandiu visendum se adorandumque praebuit. Grata Mallianensibus ea humanitas fuit, euntemque miserati reditum celerem oraverunt et felicem rerum successum. - Cardinalis mandatis iam omnibus a Pio acceptis vesperi dimissus est
 10 cum benedictione et osculo pacis.

Altera die Ocriculum ultra progressi non sumus, contenti ob prementem valetudinem, duobus tantum millibus passuum. Hic de rebus nonnullis prospere in Peloponneso gestis est nunciatum. Legati Venetorum, qui nos sequebantur, ex senatus sui litteris eum successum ordine indicarunt. Gratias habuit Deo Pius, et continuationem divinae opis est deprecatus.

15 Ab Ocriculo ante lucem moventes nondum intendente aestu Narniam venimus, patriam natalem Berardi cardinalis Sancte Sabinae, quem Pius propter excellentem virtutem quadriennio ante ab ordine referendariorum ad cardinalatum assumpserat. Ibi totam eam diem quievimus. - Postridie Interamnam contendimus via brevior et pridiana minus difficili; ea ad dexteram Naris fluminis continuo fuit. Paulo post ortum solis civitatem
 20 ingressi sumus, et Natalem Ioannis Baptistae eodem loci peregimus. Statuerat enim Pius minutis itineribus periculum offendendae gravius valetudinis evitare. Adiuncti ea die nobis sunt Guiliermus cardinalis Rothomagensis et Berardus, quem dixi, et Rodericus Ecclesiae Romanae vicecancellarius, ex Urbe nos assecuti.

Hic ego horis compluribus nonnulla scribendo operatus, quae iniuncta a pontifice erant,
 25 dum adhuc studium in noctem produco, et propter aestum negligentius tegor, subita vi frigoris ita obsessus sum, ut quamvis ad laxitudinem fatus, vix recalescere ultra noctem mediam possem. Mane diei sequentis, etsi motum hunc initium febris esse intelligebam, tamen divelli a Pio non valens, quem et febrientem et doloribus anxium ferri ad bellum pro nobis videbam, remanendum non censui; itaque admixtus caeteris secutus sum eum, ut
 30 potui.

Iter ab Interamna Spoletum, etsi non amplius milibus passuum XII esset, tamen quia inter perpetuas saxosasque valles operosum nimum videbatur, partiendum Pius putavit. Igitur ad tabernas tres vallis stricturae prope sacellum, quod eo in loco unicum erat, restitit, viae pene medio, cardinalibus praecedere Spoletum iussis, ut commodius apud cives diverterent. Me
 35 autem secum esse imperavit, nescius, quid nocte proxima accidisset. Diem ibi reliquum et sequentem noctem sub tentorio fuimus non sine incommodo. Inde cum abiremus, febre supra modum invalescente aegre Spoletum perveni, ubi continuo magis adaucto languore dies XX non sine vitae periculo iacui. Dolens eo casu Pius, a quo supra meritum diligebam, medicos prope ad me misit, qui aegritudine inspecta administrarent necessaria, et ante resumptas vires ne abirem loco, suo nomine imperarent. Ipse continuato itinere ad medium fere Iulium non sine labore Anconam pervenit.

Valetudini prope iam redditus, cum sextum iam diem febris me non attigisset, iter, quanquam dissuadentibus medicis, ingredior patris sequens vestigia. [639] Via omnis benignitate Dei sine incommodo accidit. Nocte autem eius diei, quo Anconae propinquans
 45 Auximum veni, ecce praesagium calamitosum futurae mortis accipio, cum non ad patrem, sed ad paternum funus iturum me putem. Consueveram superioribus diebus, ne membra languore attrita aestu amplius offenderentur, tantum itineris ante lucem conficere, ut sole nondum intendente pervenirem, quo diebus singulis intendebam. Igitur quia via Anconam usque octo tantum milliarium reliqua erat, remittendum aequo animo censui de matutina solertia, evigilans tamen, qua hora solitus eram. Et mox de industria consopitus repetere Urbem videor, et pontificiam Vaticani intrare, ubi esse secum consueveramus dies ac noctes, tum eius cubiculum petere. Hic vero patefacta cuncta invenio sine custodibus ostia, et lectos sine stratis, et sine auleis parietes. Nulli obviam cubicularii erant, nulli condomestici. Admiratio et conturbatio cordis plurima insurgebat. Cubiculum vero ipsum ingressus, ut
 50 viderem, si saltem esset Pius, etiam nihil invenio. Cerno pallia lectuli convoluta in globum. Crescit impensius spectaculo illo anxietas. Recurro in anteriores aulas aliquem perquisiturus, qui de patre aliquid doceat. Obviam fit sudans et fessus Gaspar Picolomineus, sororis Lollii filius. „*Gaspar*” - inquam -, „*quid sibi haec solitudo pontificiae vult? Aut quonam portatus est Pius?*” - Ille, ut visum mihi est, tristiore voce sacellum maius

ostendens: „*Huc*” - inquit - “*intra, et inspice solitudinis huius caussam, et ubi agat Pius, intelliges.*” - Simulque his dictis a conspectu se meo proripuit. In sacellum ascendens video cardinalium lectulos ordine dispositos velaque in circuitu obtenta, sicut in pontificum electionibus adornari locus est solitus. Agnosco collegarum facies, et hunc modo, nunc illum
 5 intueor; Senensem vero et Spoletanum non videbar videre. Erat autem ita dolore obstructum pectus coniciienti ex his, quae videbam, interitum Pii, ut cupiens loqui hiscere vel pausillum non possem. Unus ex his ad me veniens et tristiciam ridens, quam deprehendebat ex vultu: „*Quid tu*” - inquit - „*moestus es et affligeris? An non vides morte Pii contritum laqueum et nos liberatos?*” - Inter haec flens et moerens propter vim summam doloris evigilo, sentiens
 10 corpus totum sudore et lachrymis vultum aspersum. Ago gratias Deo, quod haec facta ad verum non sunt, sed per somnium visa. Fatigatus vero his imaginibus muitum et recreari quietius cupiens iterum addormire incipio. Ecce idem locus, eademque facies rerum rursus obiicitur. Iri in consessum video, et singula ad electionem parari, quae inter nos solita sunt. Ego duos, quos dixi, cardinales non videns, tum autem nesciens, an plane Pius esset
 15 defunctus, resumpta iam per indignationem voce clamo iniquum facinus esse, alienumque a patrum decretis incerta pontificis morte de successore iam agi, aut si certa esset, absentes cardinales legitimis diebus non expectari. Videbar haec loquens contemni, et neque attendi, quod dicerem. Iterum haec mentis anxietas excitat me conturbatum iam animo et male de Pio ominantem, quod bis ex intervallo sopitus bis idem visum vidissem. Surgo tristis, et
 20 parari omnia ad discessum praecipio. Lux aperta iam erat. Iter vero ingressus revolvere animo somnium noctis incipio. Hinc me confirmabat vanitas somniorum, quibus sapientes [640] fidem habendam negant, hinc summus amor in Pium cor affligebat, cogeabatque gentilibus libris, quam nostris, me assentiri. Recordabar Augusti, qui nec suum nec amici de se somnium unquam neglexit. Repetebam historias, in quibus memineram, quae visa per
 25 noctem aliquando essent, vigilantibus evenisse ad verum. Tempus somnii pariter attendebam, in quo visa haudquaquam solere falli dicuntur, et versiculus Flacci etiam occurrebat: “*Post mediam noctem visus cum somnia vera...*”

Adiunxerat se mihi comitem Angelus Suessanus praesul iunctim adequitans. Is sedulo loquebatur, et historias nescio quas sui praesidatus, quem paulo ante in Flamminia gesserat,
 30 recitabat. Ego hac una in cogitatione fixus et silentium agens nil avidius expectabam, quam domesticum Pii quempiam procedere obviam, ex quo sciscitari veram eius valetudinem possem. Coortus erat tunc imber vehemens, et ego alia, quam credebatur, porta Anconam intrabam; igitur se nemo obviam dedit. Sed mox descendenti ad aedes, quae mihi sub
 35 episcopio paratae erant, praesto est Senensis Ambrosius, aulicus Pii, unus omnium attentissimus semper ad odoranda, quae fiant. Complexus est me facie praeter solitum tristi. Peto ab eo: „*Ecquid de Pio nostro, Ambrosii*” - Ille statim: “*Papiensis mi, ingravatus in diem magis eius est languor. Paulatim absumitur, nec integrum mensem superfuturum nobis existimo.*” - Mora non interposita ascendo ad episcopium inspecturus ipse, quod verbo ille
 40 contenderat. Intranti cubiculum subito iacentis senis concidisse facies tota est visa, quam dies iam XXX non videram. Nescio enim quo pacto ex intervallo eandem rem intuentes rectius, quid actum, quid immutatum ve sit, internoscimus. Ne illum contristarem tristitia mea, subito serenam faciem induo, et ante lectulum pedem osculaturus procumbo; signandis
 45 supplicationibus tunc operam dabat. Quiescere referendarios et tolli e medio omnia imperat. Rorantibus oculis complectitur me atque osculatur, moxque supra vires spiritum gerens ita de navigatione sua et rerum gerendarum spe sermonem habet, ut qui prae desiderio ad horam discessus se venturum non crederet.

Diebus sequentibus ducem Venetorum expectans, quem dolebat Anconae non reperisse, supraque XX diem post accessum suum tardare, comparari omnia ad navigationem curabat, studium in hoc uno praecipuum habens.

Confluxerat eo loci turba multa ex variis gentibus, non satis considerate domo egressa. Etenim cum eos solos evocasset Pius peccatorum proposita venia, qui vel annum vel anni
 50 dimidium suo stipendio in exercitu militarent, decretumque per orbem circummissum ita haberet, illi tamen nescio quo inconsulto zelo compulsi veniendum statuerant, credentes stipendium ac victum ministrante pontifice non defuturum. Cum autem non invenirent, quae sibi animis finxerant - neque enim Pius unus alere tantum concursum equitum ac
 55 peditum poterat -, venditis armis regrediebantur in patriam. Quorum nihilominus misertus ille, ne omnino frustra venisse se angerentur, decreti sui eos participes fecit. Erant vero inter hos, qui consideratius venientes tolerare ad diem praefinitam militiam possent. Horum ergo traducendorum caussa naves [641] Venetorum duas dies iam multos in horas singulas

expectabat, sic enim illi facturos se ante receperant. Sed cum eae diutius tardarent, quam oporteret, qui superfuerant crucesignati, morae impatientes catervatim abibant, ita, ut non multo post appulsis iam navibus miles non superesset, qui illis posset imponi. Ea res causae quoque plurimum accelerandae mortis Pio dedit dolente eo ac supra modum tristante, quod
5 retineri in eam horam non potuissent.

Interim nunciis ac litteris Ragusianorum certior factus est Turcum magno exercitu non longius XXX millibus passuum a Ragusia consedissee, misisseque ad magistratum legatos, qui dicerent: nisi triremes instructas, quas ea civitas collatum ad bellum erat, actutum subducerent, imperatosque obsides traderent, ac tributum in annos singulos penderent, ad
10 eorum se mox oppugnationem venturum. Nunciabatur quoque quosdam levis armaturae milites in eorum agrum praedandi causa excurrisse, in civitate vero non satis frumenti ad perferendam obsidionem haberi, et militibus esse opus, qui in defendendis moenibus usum haberent.

His nunciis permotus pontifex sagittarios pene omnes ad custodiam corporis ante ascriptos ducibus attributis navigare subito Ragusiam iubet, frumentumque imponit, quantum ad primam necessitatem satis esse putaret. Litteras quoque addit, quibus illos consolabatur, et spem subsequentis praesidii dabat. Ipse accersiri ad se statim Ioannem
15 cardinalem Sancti Angeli iubet, quem - ut diximus - propositi sui studiosum habebat. Hunc praesente me consulit, quidnam agendum censeat, si obsideatur Ragusia. Ille - ut erat semper ad opus Dei accinctus - nihil deliberando cunctatus: „Ibo” - inquit - „ego hac nocte cum triremibus, quae in portu instructae sunt, et vel obsidionem adiuvante Deo dissolvam, vel territis oppidanis spem atque animum addam.” - „Et quid” - inquit pontifex - „connavigare tecum me prohibet, frater? Consilium est, si obsessum illuc veniat Turcus, cum quibus potero, triremibus eodem sine mora contendere. Civitas ad primum littus
20 maris est posita, natura et manu egregie communita, eadem quoque portu abluitur. Multa ad bene agendum facultas ostenditur. Invehi in urbem sine periculo possumus. Sola praesentis pontificis opinio Turcum poterit ab obsidione repellere, commeatum alioquin inopia in locis asperis laborantem - si consilium comprobaverit Deus - fama haec in omnem partem vulgata Christianorum mentes ad nos sequendos inducet, concipientes ex felici principio victoriae reliquum.” - His cum assensisset Ioannes, ego miser carnem magis, quam spiritum sapiens pium hoc propositum summopere dissuadebam; non quia eventum non crederem, quae illi proponerent, sed quia in fragili corpusculo, febre ac doloribus fatigato, navigationem illam finem vitae futuram verebar. Contendebam igitur argumentis multis, sed evincere mentes non poteram in Deum sine metu mortis spectantes. - Confirmata
35 inter se profectio imperat Pius magno studio militem cogi ad triremes, imponique necessaria omnia, quibus ad primum obsidionis nuncium solvere possent. Verum quadriduo post nunciato recessu hostium divina benignitate parcendum consilio fuit. [642] Interea dum Venetorum dux a pontifice expectatur, perurgens languor usque adeo invaluit, ut parum vitae superfuturum medici dicerent. Premebatur dies et noctes non doloribus modo, sed
40 duabus etiam febribus, quarum altera concepta in venis cessabat nunquam, altera ex intervallis recurrens magno ardore velut flamma membra absumebat. Haec mala ingravabant aestus continui, qui Iulio et Augusto tam vehementer intenderant, ut nocturnis et diurnis horis civitas (...) videretur. Re igitur ad extremam prope desperationem adducta tandem Venetorum classis, quae ducem eorum vehebat, pridie Idus Augusti non multo post
45 ortum solis a longe inspecta est equatis velis procedens. Duodecim numero triremes erant, rebus ad bellum omnibus egregie praeparatae. Hoc cognito Pius subito suas et ipse triremes atque omne genus navigii, quod esset idoneum, adornari magno studio iubet, atque obviam duci exire, cardinalibus V pontificali quadriremi impositis, qui eum advenientem exciperent. Processum cum omni apparatu ac pompa est tam a patribus praelatisque, qui Pium sequuti
50 erant, quam a magistratibus Anconitanis. Cum ad tertium fere miliarium classem Venetam in conspectu haberemus, subito illi vela demittentes - quod esse signum navigantium solet, cum revereri digniorem classem volunt - remis consurgunt, ac ut quam bene instructas adducerent: qui pugnae spem ostentarent, iubent tanquam si inituri praelium essent, armatos a prora et puppi et lateribus collocari, atque omnifariam tela et tormenta contendi. Mox vero, ut illo ventum est, ut contingere triremes se mutuo possent, sublato clamore et
55 armis ad certaminis ostentationem concussis tormentisque per inane emissis spectaculum iucundissimum praebuere.

Pius - ea die quanquam ita affectus, ut diximus - cernere et ipse pompam advenientium cupiens ad fenestellam cubiculi, quae in mare atque in portum despiciebat, non sine labore

deferri se imperavit, ibique obvias classes aliquandiu inspexit. Afflictari rursus incipiens, quod ea iam valetudine non esse se intelligeret, ut pro desiderio connavigare illico posset, salutato duce a quinque, quos diximus, cardinalibus discessum utrinque est. Neque enim propter pestilentiam, quae magnis detrimentis civitatem premebat, aut descendere ipse ex

5 quadriremi voluit, aut quenquam ex suis ventitare Anchonam; necessariis antea communiri in portu se continebant, triremibus ad ancoram deligatis.

Nocte, quae secuta est, attenuatus multum est spiritus Pii, et vox pene consumpta. Propterea ducem, qui venturus ad colloquium erat, audire altera die non potuit, sed distulit in sequentem, expectans, num suscitationem aliquam virium Deus concederet. Verum in

10 horas singulas deterius semper sibi est factum. Profestus dies ille erat Assumptionis Matris Domini in coelum, quo die convenire in ecclesiam ad sacrum vespertinum Romanus pontifex cum patribus solet; hoc cum impleri per illum non posset, nihilominus per patres est factum.

Perfectis solemnibus venisse iam horam suam Pius intelligens, qua reddendus Domino spiritus esset, convocari fratres in cubiculum iubet, atque his [643] ingressis, etsi ad loquendum iam erat invalidus, tamen morientibus - ut poterat - atque interruptis vocibus nos appellans:

„Fratres" - inquit - *dilectissimi, videtis, quo adductus sum. Hora mea iam venit. Deus hinc nos evocat. Morimur in fide catholica, in qua et viximus, nihil habentes a Romana Sede diversum. Pro ovibus creditis egimus in hanc diem, quod potuimus. Non pepercimus laboribus ullis atque periculis. Bis caput nostrum obtulimus ad communem salutem. Perficere, quod ultimum coepi, potestas ultro non est. Reliqua vestra sunt. Curate vos opus hoc Dei, nec sinite per negligentiam labi Christianae fidei causam. Ideo vocati in Ecclesiam estis, ut suis temporibus illi opem feratis. Mementote officii vestri, et Deum attendite, qui contemplator est omnium, retribuitque secundum opera nostra. Fideli ministerio et crevit et progressa est dignitas vestra, utique per fidele ministerium est retinenda. Quaerentes, quae vestra sunt, non quae Iesu Christi, illam retinere diu haudquaquam potestis. Sumite quoque ex hac hora communis patrimonii curam, videteque, ne detrimentum accipiat. Studium hoc omne patre decedente filiorum esse oportet: nostrum, dum licuit, fuit.*

20

25

Porro autem, fratres, in cardinalatu nostro ante, post in praesulatu, ad quem nos elegistis, conversati vobiscum annos plures sumus. Conversatio nostra sine peccato esse non potuit, ex carne enim sumus. Offensus nimirum aliquando Deus est, offensa et charitas vestra. Pro iis, quae in Deum peccavimus, ipse, qui pius, qui omnipotens est, nostri misericordiam habeat. Pro iis vero, quae in vos, rogamus, dilectissimi nostri, ut placatis animis morienti sit venia. Eos autem, qui vel famulati sunt nobis, vel nostri sunt generis, si se dignos praestiterint, commendatos habete. Valetate iam! Pax Dei et coelestis gratia vobiscum sit!"

30

35

His aegre et cum lachrymis enunciatis tantus subito patrum, qui lectulum circumstabant, coortus est fletus, ut diu prae gemitu loqui verbum nemo posset, atque ora singulorum lachrymantia cernerentur. Tandem Bessarion, cardinalium primus pro omnibus verba fecit. Indoluit casum, in quem erat adductus, non sui tantum causa, quem lachrymabile erat deficere, sed magis Christiani populi, qui tantum salutis auctorem amitteret. Laudavit pontificem, et praeclara eius in praesulatu opera, agens identidem gratias, quod etiam suprema hora salutaribus monitis communem rem adjuvaret. Orare se Deum dixit, Patrem misericordiarum, ut sic affecto et iacenti salutem tribueret; verum si propter peccata superstitis populi esset migrandum, mansura in animis nostris sancta eius praecepta, daturusque operam filios, ut nec publicae Christianorum res neve privatae Romanae Ecclesiae detrimentum acciperent; quod autem veniam poposcisset, humilitatis suae, non errorum esse confessionem: benigne omnes atque indulgenter habitos semper, nec querelam adversus eum extare. Suorum quoque, quos commendasset, gratam apud omnes futuram memoriam dixit, docens, quam charus esse deberet vel sanguis vel contubernium eius, qui tantum de Christianis et de Romana Sede meritis esset; postulare autem singulos fratrum, ut postremum piisque benedictionis suae munus mansuris relinqueret. [644] Post hoc responsum iterum consurrexit fletus et contristatio cordium multa. Pontifex manu e pallii paululum elevata osculandam eam omnibus praebuit, flens ipse et flentes alios

40

45

50

55

intuens. Nos manu apprehensa atque ante lectulum procumbentes singillatim veniam precabamur errorum nostrorum, supremumque osculum patris capiebamus; quibus ille: „*Misericors ignoscat Deus, et spiritum rectum confirmet!*" - Ac simul benedicens fratribus, dimisit eos a se.

Biduo ante admonitus a medicis in omnem casum vitae vel obitus habendam supremam rationem animae esse, Domini Sacramentum, quod celebribus semper diebus valens sumebat, etiam tunc magna mentis religione accepit, tundens pectus ad singula, et flens, et peccatorem se confitens indignum communicatione tanti mysterii. Repetere illud mane sequentis diei optabat in ampliorem salutem in honoremque Beatissimae Virginis, cuius Assumptionem sciebat instare. Hanc enim ab adolescentia peculiari quadam pietate coluerat, hancque vitae ducem et actionum habuerat. Nobiscum aliquando familiariter loquens recensensque anteactae aetatis cursum, credere dicebat, quia tantum huic Matri se devovisset, ab epidemia semel, a lethalibus languoribus saepe, nonnunquam ex manifestis vitae periculis ereptum fuisse; omnem denique successum dignitatis et rerum huc referebat; propterea templum illud Pientinum mirifici operis a fundamentis extractum suisque manibus consecratum fuisse. Solamen ergo hoc animi praecipuum expectabat, ut intra cubiculum - quando in ecclesia iam non licebat - solemne sacrum cantari audiret, ac tanquam supremum vale in religionis ministerio cum fratribus ageret. Optabat autem, sicuti mos erat, per cardinalem id fieri, meque unum delegerat, qui divinis his operatus confectum Domini Sacramentum rursus porrigerem. Instituerat etiam, ut patres adessent reliqui, veterique instituto caetera servarentur.

Comparatis igitur ad peragenda haec omnibus ecce inclinante iam sole inclinare et ipse admodum coepit, ut non procul a morte iudicaretur abesse. Confestim itaque sacramenta reliqua persolvuntur morientibus debita, sensu adhuc integriore, quam lingua.

Nox ad primam usque horam processerat, cardinalesque, qui eo convenerant, domos quique suas discesserant. Restiteram ego solus ex omni Collegio, volens, quam patri pietatem debebam, etiam suprema hora persolvere. Mecum erant praesules tres ex pontificis familia, et ex sorore filius, Andreas et Lollius, consobrinus frater caeterique, qui ad interius ministerium cubiculi serviebant. Circumstabamus omnes deficientem senem lachrymantes et moesti, famulabamurque morienti in eo, quod ultimum poteramus. Intuens vero ille in me, oculo innuit, ut accederem propius. Accessi statim. Voce itaque iam consumpta, quae auribus admotis audiri vix poterat: "*Ora*" - inquit - "*pro me, fili, peccator etenim sum.*" Simulque ad crucem conversus, quae collocata ante oculos erat, non sine suspiriis iterabat: "*Miserere mei, Deus, miserere mei! Et tu, Virgo Mater, servum deficientem non desere! Per misericordiam Filii suscipe animam excedentem!*" [645]- Paulula deinde intermissa mora rursus in me dirigens oculos: "*Continuationem*" - inquit - „*sancti propositi memora fratribus, et adiuva tu, quoad potes! Propinquant supplicia, si Dei opus deseritis!*" - Cum respondere temptarem multa, nec possem prae gemitu, dexteram manum, quae elevata in cubitum erat, demittens supra collum: „*Benefac*" - inquit -, "*fili, orationemque offer Deo pro me!*"

Hoc illi ultimum verbum fuit; loqui ultra non valuit ob flemma profluens, quo pectus iam et fauces erant completae. Legebantur sine intermissione preces Ecclesiae, quibus expiari decedentium animae solent; ipse ad audiendum attentissimus erat. Ecce horam circiter tertiam inter legendum tanta quiete spiritum Domino dedit, ut connivere, non mori eum putares, protinusque sine ullo sensu mortis excedere.

Hic tanto praesuli exitus fuit, atque hic labores omnes athleta fortis absolvit. Incertum, mortene an vita felicior, qui ad summum pontificatum suffragio virtutis perveniens religionisque et ingenii aeternam gloriam consequutus mortem sic nactus, qua, si humana attendimus, nulla sublimior, si coelestia aspiciamus, nulla amplioris meriti contingere poterat. Mortuus pro veritate est, et pro redemptione plebis oppressae, offerens seipsum hostiam Deo, relinquensque sacerdotibus exemplum, quales esse pro suis plebibus debeant. Martyrium autem pene quotidianum passus est a die, quo Burgundorum dux Philippus missis oratoribus venturum se ad bellum sociumque sancti operis futurum promisit. Subito enim in omnem partem curam impertiens fatigari amplius solito ac vehementius coepit, non remittens ad contrahenda necessaria ne tempus quidem nocturnum quietis. Dividebat per horas singulas cuique opus suum rerum providendarum, perire huic cause existimans, quicquid esset momenti aliis impartitum. Cognoscebat quoque operosam molem sublatam humeris suis, sub qua esset cadendum, si omnifariam studio difficultates undique ingruentes non superarentur. Haec animi anxietas labefactavit aegram alioquin valetudinem senis, dum nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum sine astante cura sumere posset. Comparatis denique omnibus iucunda spes advenientis ducis, quae sola spiritum sustentabat, ubi in medio rerum fervore defecit, mirum dictu est, quantum non animo solum, sed totis viribus est consternatus. Iudicabat - quod re vera sapientes videbant - illo

non veniente maximam incepti partem abrumpi, laboremque accrescere, tum autem promissos orbi fructus detrimentis maximis retardari.

5 Accesserant praeterea duae dolorum faces, quae animam incendebant ad complenda incepta sedulo properantem: altera, quod ab eis lente ac frigide administrari omnia sentiebat, qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum
10 instruere stipendiis suis promiserant; altera, quod Anconam proficiscens catervas regredientium cruce signatorum quotidie habebat obvias, inermes ac vacuas pecunia, qui - ut ante dictum est - lege decreti sui non observata temere iter erant ingressi. Ii vero ad suos redeuntes culpaturi nimirum pontificem videbantur, ut tegerent inconsulti motus sui [646]
15 culpam. Tot singulis pene horis infigebantur cordi vulnera, quot catervae huiusmodi obviae dabantur. Vidi ego aliquando eis transeuntibus faciem moesti senis sic conturbatam, ut habendum in negotio medicis dicerem lecticae vela demittere, ubi eae conspectae a longe essent. - Complectar verbo uno: publicae Christianorum causae vir sanctus non defuit, sperans in Domino supra vires animum gessit. Defuerant ei, qui deesse nullo modo debebant; ipse cum omni constantia ad mortem contendit, et patienter passus est pro Christo Deo suo.

Igitur die, quae sequuta obitum est, producto in templum cadavere feretroque solenni imposito iusta a patribus vetusto more sunt persoluta. (...)

20 Source of this readable text

BIBLIOGRAPHIAE

25 Bibliographia Prima

Source of the Bibliographia Prima: SEDE VACANTE 1458 . August 6, 1458 — August 19, 1458. <http://www.csun.edu/~hcfll004/SV1458.html>

30 Pii Secundi Pontificis Max. Commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt, a R. D. Ioanne Gobellino Vicario Bonnen. iamdiu compositi, et a R. P. D. Francisco Bandino Piccolomineo Archiepiscopo Senensi ex vetusto originali recogniti, quibus hac editione accedunt Jacobi Piccolominei Cardinalis Papiensis, qui Pio Pont. coevus et familiaris fuit, Rerum Gestarum sui temporis, et ad Pii continuationem commentarii
35 luculentissimi: eiusdemque Epistolae perelegantes, rerum reconditarum (Francofurti: in Officina Aubriana 1614).

Pius Secundus, Epistole et varii tractatus Pii secundi pontificis maximi: ad diversos in quadruplici vite eius statu transmissae noviter impressae feliciter incipiunt (Lugduni: Stephanus Gueynard, 1518).
40

Josephus Cugnoni (editor), Aeneae Silvii Piccolomini Senensis... Opera inedita (Roma: Tipi del Salviucci 1883). [the source behind all subsequent conclave narratives]. Giuseppe Lesca, I commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt da Enea Silvio de' Piccolomini (Pio II) (Pisa: Nistri 1893).
45

Georg Voigt, "Die Briefe des Aeneas Sylvius vor seiner Erhebung auf den päpstliche Stuhl," Archiv für Kunde österreichischer Geschichts-Quellen 16. 4 (Wien 1856), pp. 321-424 [Voigt, Archiv].
50

Franco Gaeta, Il primo libro dei "Commentarii" di Pio II (Roma: Leandro Ugo Japadre Editore 1966). Giuseppe Bernetti, Saggi e studi sugli scritti di Enea Silvio Piccolomini, Papa Pio II (1458-1464) (Tipolitografia S.T.I.A.V., 1971).

55 Luigi Totaro, Pio II nei suoi "Commentarii" Un contributo alla letteratura della autobiografia di Enea Silvio de Piccolomini (Bologna: Patron 1978).

Luigi Totaro (ed., tr.), Aeneas Sylvius Piccolomini, I commentarii. Testo latino a fronte (Milano: Adelphi 1984) [Classici, 47].

Margaret Meserve and Marcello Simonetta (editors), *The Commentaries, Volume I, Books I-II* (Tatti Renaissance Library 2004)

- 5 Aeneas Silvius Piccolomini, *postea Pius II Papa, Historia Bohemica* (Helmestadii: sumptibus Johannis Melchioris Sustermanni 1699)
- Leodrisius Cribelli, *De expeditione Pii Papae Secundi in Turcas*, in Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores Tomus 23* (Mediolani 1733), 22-80.
- 10 Niccolò della Tuccia: Francesco Orioli (editor), *Cronaca de' principali fatti d' Italia dall' anno 1417 al 1468*, di Niccolò della Tuccia Viterbese (Roma 1852).
- Bartolommeo Sachi, "Calisti Papae III Vita," Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores Tomi tertii, pars altera* (Mediolani 1734), 961-968.
- 15 Giovanni Antonio Campano, "Vita Pii II Pontificis Maximi," Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores Tomus III, pars ii* (Mediolani 1734), 969-992.
- 20 Vespasiano da Bisticci, *Vite di uomini illustri del secolo XV* (ed. Angelo Mai) (Firenze 1850) [Domenico Capranica, pp. 140-145; Cardinale Niceno, pp. 145-149; Cardinale (Roverella) di Ravenna, pp. 149-153; Cardinale Iacopi di Portogallo, pp. 152-157].
- Giuseppe Coletti, "Dai diari di Stefano Caffari," *Archivio della Società Romana di storia patria* 8 (1885), 555-575.
- 25 Niccolò della Tuccia, *Cronaca de' principali fatti d' Italia dall' anno 1417 al 1468* (edited by Francesco Orioli) (Roma 1852).
- 30 Bartolommeo Platina, *Historia B. Platinae de vitis Pontificum Romanorum...que ad Paulum II Venetum ... doctissimarumque annotationum Onuphrii Panvini* (Cologne: apud Maternum Cholinum 1568), 294-295.
- Bartolommeo Platina, *Historia B. Platinae de vitis pontificum Romanorum ...cui etiam nunc accessit supplementum... per Onuphrium [Panvinium]... et deinde per Antonium Cicarellam* (Cologne: Cholini 1600) 295-307.
- 35 [Gregorio Leti], *Conclavi de' pontefici romani* (1667) 39-43.
- 40 Bartolommeo Platina ed altri autori, *Storia delle vite de' pontifici Tomo Terzo* (Venezia: Domenico Ferrarin 1765) 358-373.
Onuphrio Panvinio, *Epitome Pontificum Romanorum a S. Petro usque ad Paulum IIII. Gestorum (videlicet) electionisque singulorum & Conclavium compendiaria narratio* (Venice: Jacob Strada 1557) 298-306; 311-312.
- 45 [Gregorio Leti], *Il Cardinalismo di Santa Chiesa Parte terza* (1668), pp. 115-135. [Gregorio Leti], *Conclavi de' pontefici romani* (1667), 45-58; (Cologne: Lorenzo Martini 1691) I, 84-110.
- Dominico Giorgi, *Vita Nicolai Quinti Pont. Max.*(Roma: Palearini 1742) 162-164. Lorenzo Cardella, *Memorie storiche de' cardinali della Santa Romana Ecclesia Tomo III* (Roma: Pagliarini 1793) 1-136.
- 50 Stefano Infessura, *Diario della città di Roma* (a cura di Oreste Tommasini) (Roma 1890).
- 55 "Conclave fatto nella Sedia Vacante di Papa Callisto III, nel quale fu creato Pontefice il Cardinale Enea Piccolomini Senese, detto Pio Secondo, anno 1458", G. Cozzo, *I codici Capponiani della Biblioteca Vaticana* (Roma 1897), p. 164, no. 160. iii. [manuscript]

"Pii Papae Secundi Creatio anno sal. MCCCCLVIII," in: Iohannes Gerhardo Meuschen, *Ceraemonialia Electionis et Coronationis et Caeremonialia Episcoporum* (Francofurti 1732), 411-424..

5 Ludovicus Pastor, *Acta inedita historiam pontificum Romanorum praesertim saec. XV, XVI, XVII illustrantia. Ungedruckte Akten zur Geschichte der Päpste Erster Band: 1376-1464* (Freiburg im Breisgau 1904).

10 Cesare Baronius, Od. Reynaldi, et Jac. Laderchi, *Annales Ecclesiastici* (edited by Augustinus Theiner, Orat.) Tomus vigesimus nonus (1454-1480) (Barri Ducis 1876) [Baronius-Theiner]

15 G. Constant, "Les maîtres de cérémonies du XVIe siècle: leurs Diaires ," *Mélanges de l' École française de Rome* 23 (1903), 161-229; 319-344. Mario Pelaez, "Il memoriale di Paolo di Benedetto di Cola dello Maestro dello Rione di Ponte, " *Archivio della Societa romana di storia patria* 16 (1893), 41-130.

20 F. Petruccelli della Gattina, *Histoire diplomatique des conclaves Volume I* (Paris: 1864), 273-283. Francesco Cancellieri, *Notizie istoriche delle stagioni e de' siti in cui sono stati tenuti i conclavi nella città di Roma...* (Roma 1823) 12-14.

Georg Voigt, *Enea Silvio de' Piccolomini als Papst Pius der Zweite, und sein Zeitalter* Dirte Band (Berlin:Georg Reimer 1863) 1-17. J. B. Sägmüller, *Die Papstwahlen und die Staaten von 1447 bis 1555* (Tübingen: H. Laupp 1890).

25 A. Ratti, "Quarantadue lettere originali di Pio II relative alla guerra per la successione nel reame di Napoli, *Archivio storico Lombardo, serie III* 19 (1903), 263-293.

30 Ferdinand Gregorovius, *The History of Rome in the Middle Ages* (translated from the fourth German edition by A. Hamilton) Volume 7 part 1 [Book XIII, Chapter 2] (London 1900).

35 **Ludwig Pastor, History of the Popes (tr. R.F. Kerr) third edition, Volume II (St. Louis 1908); Volume III (1906), 1-44.**
William Boulting, Aeneas Silvius (Enea Silvio de' Piccolomini–Pius II), Orator, Man of Letters, Statesman and Pope (London 1908).

Curzio Ugurgieri della Beradenga, *Pio II Piccolomini, con notizie su Pio III ed altri membri della famiglia* (Roma: Olschki 1973).

40 On Cardinal Domenico Capranica, see Battista Poggio, "Dominici Cardinalis Capranicae vita", in Stephanus Baluzius, *Miscellaneorum Liber Tertius* (Parisiis 1680), pp. 266-300.

45 J.-B. Christophe, *Histoire de la papauté pendant le XVe siècle Tome premier* (Paris 1863) 93-96; 116-119. William Cornwallis Cartwright, *On the Constitution of Papal Conclaves* (Edinburgh 1878) 125-129.

P. A. Kirsch, "Die reservatio in petto bei der Cardinalscreation," *Archiv für katholisches Kirchenrecht* 81 (1901) 421-432.

50 E. Carusi, "La Legazione del card. D. Capranica ad Alfonso di Aragona (Napoli, 29 luglio – 7 agosto, 1453)," *Archivio della r. Società romana di storia patria* 28 (1905), 473-481.

55 On Cardinal Pierre de Foix: F. de Grailly, "Révolte des Avignonnais et des Comtadins contre le Pape Eugène IV et leur soumission par le Légat Pierre de Foix (1433)," *Mémoires de l' Académie de.Vaucluse* 16 (1897) 324-343.

On Cardinal Bessarion: Henri Vast, *Le Cardinal Bessarion (1403-1472)* (Paris 1878). On Cardinal Scarampi: P. Paschini, *Lodovico cardinal camerlengo* (Roma: Facultas theologica Pontificii Athenaei Lateranensis, 1939).

On Count Everso and the fight with the Orsini: Vittorina Sora, "I conti di Anguillara dalla loro origine alla 1465. Everso conte di Anguillara" *Archivio della r. Società romana di storia patria* 30 (1907), 53-118.

- 5 On Francesco Sforza's career, see: Ermolao Rubieri, *Francesco Primo Sforza, narrazione storica* Volume secondo (Firenze 1879).

10 Giovanni Benadduci, *Della signoria di Francesco Sforza nella Marca, e peculiarmente in Tolentino* (Tolentino 1892). The chronicles of the city of Fermo are also of interest, especially for the career of Cardinal Capranica as Legate of the Marches: Marco Tabarrini (editor), *Cronache della città di Fermo* (Firenze 1870 [Documenti di storia Italiana, Tomo IV]).

15 J.C.L. Sismondi, *Histoire des républiques italiennes du Moyen-Age nouvelle édition* Tome dixième (Paris 1826).

Selections from records of the Apostolic Chamber referring to French cardinals contain a number of important entries: G. Bourgin, "Les cardinaux français et le diaire caméral de 1439-1486," *Mélanges d' archeologie et d' histoire* 24 (1904), 277-318.

- 20 On the Spanish in Rome: J. Ruis Serra, "Catalanes y Aragonenses en la corte de Calixto III," *Analecta sacra Tarraconensia* 3 (1927) 193-330.

25 On Naples: José Ametller y Vinyas, *Alfonso V de Aragón en Italia, y la crisis religiosa del siglo XV* Tomo II (Gerona 1904). A. F. C. Ryder, "La politica italiana di Alfonso d' Aragona (1442-1458)," *Archivio storico per le province napoletane* n.s. 38 (1958) 43-106; 39 (1959); 306-345; 41 (1961) 9-46.

30 E. Pontieri, *Per la storia del regno di Ferrante I d'Aragona re di Napoli: Studi e ricerche* (Napoli 1969).

E. Pontieri, *Alfonso il Magnanimo, Re di Napoli (1435-1458)* (Napoli 1975).

35 Alan Frederick Charles Ryder, *The Kingdom of Naples under Alfonso the Magnanimous: the Making of a Modern State* (Oxford: Clarendon 1976; 1990).

Miguel Navarro Sorni, *Callisto III, Alfonso Borgia, e Alfonso il Magnanimo* (Roma 2006).

40 Alberto Guglielmotti, *Storia della marina pontificia nel Medio Evo* Volume secondo (Firenze 1871).

Bibliographia Secunda

45 Source of Bibliographia Secunda: Bayerischen Staatsbibliothek
http://www.geschichtsquellen.de/repOpus_01777.html

Commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt.

(Denkwürdigkeiten aus seinem Leben). Autor: Pius II papa (Papst Pius II.) (Enea Silvio Piccolomini) (PND118594702). Pius II. (ursprünglich Enea Silvio Piccolomini, lateinisch Aeneas, auch Eneas Sylvius; * 18. Oktober 1405 in Corsignano, nach ihm Pienza genannt, bei Siena; † 14. August 1464 in Ancona) war von 1458 bis 1464 Papst. Er war ein bedeutender Humanist, Schriftsteller, Historiker, Poet und Gelehrter, Verehrer Boccaccios und begeistert von den lateinischen Klassikern. Repertorium Fontium 9, 258: Suchkategorien. Entstehungszeit: 1462-1463. Berichtszeit: 1405-1463. Gattung: Autobiographie, Bericht. Regionen: Italien (Spätmittelalter)

WERK

- Bericht des Verfassers über seinen Pontifikat. Zwischen 1462 und 1463 verfaßt, in 12 Büchern (Anfang eines 13. Buches in Handschrift Reginensis), von denen das erste die Lebensstationen vor der Wahl zum Papst beschreibt. Bedeutendste erzählerische Quelle für den Pontifikat. – Die Commentarii wurden für den Druck von 1584 zensiert und sind erst seit den Ausgaben von Totaro und van Heck vollständig zugänglich.
- 5
- HANDSCHRIFTEN - MSS. Città del Vaticano, Bibl. Apost., Reg. lat. 1995 geschrieben von Agostino Patrizi (PND100957072) und autograph vom Verfasser und von letzterem selbst korrigiert. Roma, Bibl. Corsiniana, 147 von Giovanni Antonio Campano (PND118668137) redigiert, aus cod. Vat. vermutlich über Zwischenstufe von dem Berufsschreiber Johannes Gobellinus (PND128478179) kopiert und vom Autor approbiert. Alle weiteren Handschriften gehen auf diese beiden zurück
- 10
- AUSGABEN - EDD.
- 15
- Pii secundi Pontificis Max. Commentarii rerum memorabiliium, Romae 1584, Nachdruck Frankfurt am Main 1974 digital <http://www.mdz-nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:bvb:12-bsb10165682-2> zensierter Text
- 20
- L. Totaro, Enea Silvio Piccolomini, Papa Pio II, Commentarii, in Adelphi Classici, 47, Milano 1984 nach Handschrift Bibl. Corsiniana
- 25
- A. van Heck, Pii II commentarii rerum memorabilium, que temporibus suis contigerunt, in St. e testi, 312-313, Città del Vaticano 1984 nach Handschrift Reginensis, mit Kursivsetzung der zensierten Partien
- 30
- I. Bellus – I. Boronkai, Pii Secundi Pontificis Maximi Commentarii, Budapest 1993-94 2 Bände, nach Handschrift Bibl. Corsiniana, mit genauer Kennzeichnung der handschriftlichen Bearbeitung, dazu C. Bianca, La terza edizione moderna dei 'Commentarii' di Pio II, «Roma nel Rinascimento» (1995) 5-16
- 35
- M. Meserve – M. Simonetta, Pius II, Commentaries, I: Books 1-2, II: Books III-IV, in I Tatti Library, Cambridge Mass. 2003, 2007 nach Handschrift Bibl. Corsiniana, mit engl. Übersetzung nach Fl. Gragg parallel zum Text
- Übersetzungen - Transl.
- 40
- Deutsch
 - Englisch
 - Französisch
 - Italienisch
 - Niederländisch
- 45
- Deutsch
- G. Stölzl, Enea Silvio Piccolomini: Commentarii – Ich war Pius II.: Memoiren eines Renaissancepapstes, Augsburg 2008 Auszüge nach Edd. A. van Heck
- 50
- Englisch
- F. A. Gragg – L. C. Gabel, The Commentaries of Pius II, Northampton 1937-1957 2 Bände
- 55
- A. Hutchinson, Travels in Italy. Selections from the Commentarii of Pope Pius II, Bedminster 1988 englisch und latein
- Französisch

V. C. Minischetti – I. Cloulas, *Mémoires d'un pape de la Renaissance. Les 'Commentarii' de Pie II*, Paris 2001 Auszüge

- 5 Italienisch
- G. Bernetti, *Enea Silvio Piccolomini, I commentari*, Siena 1972-1976 erneut 1981 v. Edd. Totaro
- 10 Niederländisch
- Enea Silvio Piccolomini – Pius II (1405-1464): een humanistisch paus op de bres voor Europa. Bloemlezing uit zijn brieven en Gedenkschriften, cur. M. Goldsteen – Zw. von Martels, Hilversum 2011, pp. 255-544 Auszüge
- 15 LITERATUR - COMM.
- G. Lesca, *I Commentarii Rerum Memorabilium quae temporibus suis contigerunt di Enea Silvio Piccolomini (Pio II)*, Pisa 1894
- 20 G. B. Picotti, *La pubblicazione e i primi effetti della "Execrabilis" di Pio II*, Roma 1914 auch in «Archivio della Società romana di storia patria» 37 (1914)
- G. B. Picotti, *Di un manoscritto bolognese de' Commentarii di Pio II*, Bologna 1915 erneut in
- 25 G. B. Picotti, *Ricerche umanistiche*, Firenze 1955
- G. B. Picotti, *Sopra alcuni frammenti inediti de' Commentarii di Pio II*, 1923 erneut in G. B. Picotti, *Ricerche umanistiche*, Firenze 1955
- 30 H. Kramer, *Untersuchungen über die "Commentarii" des Papstes Pius II.*, *Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung*, 48, 1934, pp. 58-92
- G. Bernetti, *Ricerche e problemi nei "Commentarii" di Enea Silvio Piccolomini*, *La Rinascita*, 2, 1939, pp. 449-475
- 35 F. Gaeta, *Il primo libro dei "Commentarii" di Pio II*, L'Aquila 1965
- G. M. Cantarella, *Pedanterie umanistiche e battute polemiche in un passo dei "Commentarii" di Enea Silvio Piccolomini*, *Annali della Scuola Normale Superiore di Pisa Ser. III*, 6, 1976, pp. 111-127
- 40 M. Guglielminetti, *I "Commentarii" di Enea Silvio Piccolomini (Pio II)*, in *Memoria e scrittura. L'autobiografia da Dante a Cellini*, Torino 1977, pp. 210-225
- 45 L. Totaro, *Pio II nei suoi "Commentarii". Un contributo alla lettura della autobiografia di Enea Silvio de' Piccolomini*, Bologna 1978
- A. van Heck, *Pius Aeneas ed Enea Pio. Alcune osservazioni a proposito di una nuova edizione dei "Commentarii" di Pio II*, *Res publica litterarum*, 7, 1984, pp. 93-100
- 50 G. Ferrà, *I "Commentarii" di Pio II*, *Roma nel Rinascimento*, 1985, pp. 13-20
- C. Vivanti, *I "Commentarii" di Pio II*, *Studi stor.*, 26, 1985, pp. 443-462
- 55 J. Petersohn, *Die Erstausgaben der Kommentare Papst Pius' II.*, *Zeitschrift für historische Forschung*, 14, 1987, pp. 317-324 zu den Edd. Totaro und van Heck

- R. Damiani, *Fortuna e scienza nei "Commentari" del Piccolomini*, in: *Studi in onore di Vittorio Zaccaria in occasione del settantesimo compleanno*, cur. M. Pecoraro, Milano 1987, pp. 189-198
- 5 A. Esch, *Enea Silvio Piccolomini als Papst Pius II.: Herrschaftspraxis und Selbstdarstellung, in Lebenslehren und Weltentwürfe im Übergang vom Mittelalter zur Neuzeit. Politik – Bildung – Naturkunde – Theologie. Bericht über Kolloquien der Kommission zur Erforschung der Kultur des Spätmittelalters 1983 bis 1987*, cur. H. Boockmann – B. Moeller – K. Stackmann, *Abh. Göttingen Ser. III*, 179, 1989, pp. 112-140
- 10 N. Seeber, *Enea Vergilianus: Vergilisches in den Kommentaren des Enea Silvio Piccolomini (Pius 2)*, Innsbruck 1997
- P. Garbini, in *Letteratura italiana. Dizionario delle opere*, I: A-L, Torino 1999, pp. 226-227
- 15 A. M. Corbo, *Pio II Piccolomini, un papa umanista (1458-1464)*, Roma 2002
- B. Baldi, *Pio II e le trasformazioni dell'Europa cristiana (1457-1464)*, Milano 2006
- 20 Cl. Märkl, *Wie schreibt ein Papst Geschichte? Zum Umgang mit Vorlagen in den 'Commentarii' Pius II.*, in *Die Hofgeschichtsschreibung im mittelalterlichen Europa. Projekte und Forschungsprobleme*, cur. R. Schieffer – J. Wenta, in *Subsidia Historiographica*, 3, Toruń 2006, pp. 233-251
- 25 B. Schmid, *Schreiben für Status und Herrschaft. Deutsche Autobiographik in Spätmittelalter und früher Neuzeit*, Zürich 2006, pp. 127-130, 140-146
- A. Esch, *In gita con Pio II. Un papa vive il paesaggio del primo Rinascimento in Conferenze su Pio II di Luca d'Ascia – Arnold Esch – Alessandro Scafi – Francesco Ricci nel sesto centenario della nascita di Enea Silvio Piccolomini (1405-2005)*, cur. E. Mecacci, Siena 2006, pp. 27-66
- 30 A. Esch, *Landschaften der Frührenaissance. Auf Ausflug mit Pius II.*, München 2008, pp. 6-68 deutsche Ausgabe
- 35 K. Enekel, *Die Erfindung des Menschen. Die Autobiographik des frühneuzeitlichen Humanismus von Petrarca bis Lipsius*, Berlin u.a. 2008, pp. 300-329
- 40 E. O'Brien, *Arms and Letters: Julius Caesar, the 'Commentaries' of Pope Pius II, and the Politicization of Papal Imagery*, *Renaissance Quarterly*, 62, 2009, pp. 1057-1097
- C. Märkl, *Les Commentarii d'Enea Silvio Piccolomini (Pie II, 1405/1458-1464)*, in *Autobiographies souveraines*, cur. P. Monnet – J.-C. Schmitt, Paris 2012, pp. 221-245
- 45 Allgemeine Literatur - Comm. Gen.
- G. Voigt, *Enea Silvio de' Piccolomini als Papst Pius der Zweite und sein Zeitalter*, Berlin 1856-1863 3 Bände, nachgedruckt 1967
- 50 A. Bachmann, *Allg. dt. Biogr.*, 26, 1888, pp. 206-219
- W. Boulting, *Aeneas Silvius (Enea Silvio Piccolomini – Pius II): Orator, Man of Letters, Statesman, and Pope*, London 1908
- 55 G. B. Picotti, *La pubblicazione e i primi effetti della "Execrabilis" di Pio II*, Roma 1914 auch in «Archivio della Società romana di storia patria» 37 (1914)
- C. M. Ady, *Pius II (Aeneas Silvius Piccolomini). The Humanist Pope*, London 1913

- Th. Buyken, *Enea Silvio Piccolomini. Sein Leben und Werden bis zum Episkopat*, Köln – Bonn 1931
- 5 G. Paparelli, *Enea Silvio Piccolomini. Pio II*, Bari 1950, 1968, 2. Aufl.
- R. Haubst, *Der Reformentwurf Pius des Zweiten*, *Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und Kirchengeschichte*, 49, 1954, pp. 188-242
- 10 E. Dupré-Theseider, *Enea Silvio Piccolomini umanista*, Bologna 1955
- G. Bürck, *Selbstdarstellung und Personenbildnis bei Enea Silvio Piccolomini (Pius II.)*, in *Basler Beiträge zur Geschichtswissenschaft*, 56, Basel – Stuttgart 1956
- 15 A. Kraus, *Die Sekretäre Pius' II. Ein Beitrag zur Entwicklungsgeschichte des päpstlichen Sekretariats*, *Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und Kirchengeschichte*, 53, 1958, pp. 25-80
- 20 B. Widmer, *Enea Silvio Piccolomini – Papst Pius II. Biographie und ausgewählte Texte aus seinen Schriften*, Basel – Stuttgart 1960
- J. G. Rowe, *The Tragedy of Aeneas Sylvius Piccolomini (Pope Pius II). An Interpretation*, *Church History. American Society of Church History*, 30, 1961, pp. 288-313
- 25 R. J. Mitchell, *The Laurels and the Tiara. Pope Pius II. 1458-1464*, London 1962
- B. Widmer, *Enea Silvio Piccolomini in der sittlichen und politischen Entscheidung*, in *Basler Beiträge zur Geschichtswissenschaft*, 88, Basel 1963
- 30 L. M. Veit, *Pensiero e vita religiosa di Enea Silvia Piccolomini prima della sua consecrazione episcopale*, in *Analecta Gregoriana*, 139 = *Series Facultatis historiae ecclesiasticae. Sectio B*, 23, Roma 1964
- 35 A. Matanic, *L'idea e l'attività della crociata antiturca del papa Pio II (1458-1464)*, *Studi francescani*, 61, 1964, pp. 382-394
- G. Kisch, *Enea Silvio Piccolomini und die Jurisprudenz*, Basel 1967
- 40 H. Diener, *Enea Silvio Piccolominis Weg von Basel nach Rom*, in: *Adel und Kirche. Gerd Tellenbach zum 65. Geburtstag dargebracht von Freunden und Schülern*, cur. J. Fleckenstein – K. Schmid, Freiburg – Basel – Wien 1968, pp. 516-533
- Enea Silvio Piccolomini. *Papa Pio II. Atti del Convegno per il quinto centenario della morte e altri scritti*, cur. D. Maffei, Siena – Verona 1968,
- 45 A. Strnad, *Der Jurist Enea Silvio Piccolomini*, *Römische historische Mitteilungen*, 12, 1970, pp. 293-297
- 50 G. Bernetti, *Saggi e studi sugli scritti di Enea Silvio Piccolomini Papa Pio II (1405-1464)*, Firenze 1971
- M. Watanabe, *Authority and Consent in Church Government: Panormitanus, Aeneas Sylvius, Cusanus*, *Journal of the History of Ideas*, 33, 1972, pp. 217-236 erneut in M. Watanabe, *Concord and Reform*, Aldershot 2001, pp. 59-79
- 55 C. Ugurgieri della Berardenga, *Pio II Piccolomini, con notizie su Pio III e altri membri della famiglia*, Firenze 1983

- G. Zippel, Piccolomini e il mondo germanico. Impegno cristiano e civile dell'umanesimo, *La Cultura. Rivista di filosofia, letteratura e storia*, 19, 1981, pp. 267-350
- 5 B. Schürmann, Die Rezeption der Werke Ottos von Freising im 15. und frühen 16. Jahrhundert, in *Historische Forschungen*, 12, Stuttgart 1986, pp. 17-27
- J. Helmraath, Das Basler Konzil 1431-1449. Forschungsstand und Probleme, in *Kölner historische Abhandlungen*, 32, Köln – Wien 1987, pp. 167-173, 446-447
- 10 F. J. Worstbrock, *Verf. Lex.*, VII, 2. Aufl. 1989, pp. 634-669
- L. Totaro, Gli scritti di Enea Silvio Piccolomini sul Concilio, in: *Conciliarismo, stati nazionali, inizi dell'umanesimo. Atti del XXV Convegno storico internazionale (Todi, 9-12 ottobre 1988)*, Spoleto 1990, pp. 47-77
- 15 A. van Heck, *Amator uetusti ritus et obseruator diligens*. Stile e modelli stilistici di Pio II, in: *Pio II e la cultura del suo tempo. Atti del I Convegno internazionale 1989*, cur. L. Rotondi Secchi Tarugi, Milano 1991, pp. 119-132
- 20 P. Garbini, in *Letteratura italiana. Gli Autori. Dizionario bio-bibliografico e Indici, II: H-Z*, Torino 1991, pp. 1409-1411
- M. Pellegrini, in *Encicl. papi, II (2000)* 663-685
- 25 P. Weinig, *Aeneam suscipite, Pium recipite*. Aeneas Silvius Piccolomini. Studien zur Rezeption eines humanistischen Schriftstellers im Deutschland des 15. Jahrhunderts, in *Gratia. Bamberger Schriften zur Renaissanceforschung*, 33, Wiesbaden 1998 dazu *Cl. Märtl, «Dt. Arch.»* 57 (2001) 687
- 30 Pio II e la cultura del suo tempo. Atti del I Convegno internazionale 1989, cur. L. Rotondi Secchi Tarugi, Milano 1991,
- K. Pajorin, Enea Silvio Piccolomini ed i primi umanisti ungheresi, in: *Rapporti e scambi tra umanesimo italiano ed umanesimo europeo. L'Europa è uno stato d'animo*, cur. L. Rotondi Secchi Tarugi, in *Istituto di Studi Umanistici Francesco Petrarca, Mentis Itinerarium, Caleidoscopio*, 10, Milano 2001, pp. 649-656
- 35 J. Helmraath, *N. dt. Biogr.*, 20, 2001, pp. 492-494
- 40 J. Helmraath, *Vestigia Aeneae imitari*. Enea Silvio Piccolomini als 'Apostel' des Humanismus. Formen und Wege seiner Diffusion, in: *Diffusion des Humanismus. Studien zur nationalen Geschichtsschreibung europäischer Humanisten*, cur. J. Helmraath – U. Muhlack – G. Walther, Göttingen 2002, pp. 97-141
- 45 Il sogno di Pio II e il viaggio da Roma a Mantova. Atti del Convegno internazionale Mantova, 13-15 aprile 2000, cur. A. Calzona – F. P. Fiore – A. Tenenti – C. Vasoli, in *Centro studi L. B. Alberti, Ingenium* 5, Firenze 2003
- S. Iaria, Tra Basilea e Vienna: letture umanistiche di Enea Silvio Piccolomini e la frequentazione della 'biblioteca' di Francesco Pizzolpasso, *Humanistica Lovaniensia*, 52, 2003, pp. 1-32
- 50 Cl. Märtl, *Alltag an der Kurie. Papst Pius II. (1458-1464) im Spiegel zeitgenössischer Berichte*, in: *Pius II 'El più expeditivo pontefice'. Selected Studies on Aeneas Silvius Piccolomini (1405-1464)*, cur. Zw. v. Martels – A. Vanderjagt, Leiden u.a. 2003, pp. 107-145
- 55 Th. M. Izbicki, 'Reject Aeneas!' Pius II on the Errors of his Youth, in: *Pius II 'El più expeditivo pontefice'. Selected Studies on Aeneas Silvius Piccolomini (1405-1464)*, cur. Zw. v. Martels – A. Vanderjagt, Leiden u.a. 2003, pp. 187-204

- M. Simonetta, *Rinascimento segreto. Il mondo del Segretario da Petrarca a Machiavelli*, Milano 2004, pp. 65-81
- 5 Conferenze su Pio II di Luca d'Ascia – Arnold Esch – Alessandro Scafi – Francesco Ricci nel sesto centenario della nascita di Enea Silvio Piccolomini (1405-2005), cur. E. Mecacci, Siena 2006,
- 10 L. Totaro, Enea Silvio e il Concilio di Basilea, in: *Enea Silvio Piccolomini. Uomo di lettere e mediatore di culture – Gelehrter und Vermittler der Kulturen. Atti del Convegno Internazionale di Studi*, Basilea, 21-23 aprile 2005, cur. M. A. Terzoli, Basel 2006, pp. 73-116
- 15 Enea Silvio Piccolomini. *Arte, Storia e Cultura nell'Europa di Pio II. Atti dei Convegni Internazionali di Studi 2003-2004*, cur. R. Di Paola – A. Antoniutti – M. Gallo, Roma 2006,
- Pio II umanista europeo. *Atti del XVII Convegno Internazionale (Chianciano – Pienza, 18-21 luglio 2005)*, cur. L. Secchi Tarugi, in *Quaderni della Rassegna*, 49, Firenze 2007,
- 20 L. Guerrini, *Un pellegrinaggio secolare. Due studi su Enea Silvio Piccolomini*, Roma 2007
- M. Wagendorfer, *Zur Orthographie des Eneas Silvius Piccolomini*, *Mittellateinisches Jahrbuch*, 42/3, 2007, pp. 431-476
- 25 S. Iaria, *Enea Silvio Piccolomini und das Basler Konzil*, in *Enea Silvio Piccolomini nördlich der Alpen.*, *Pirckheimer-Jahrbuch für Renaissance- und Humanismusforschung*, 22, 2007, pp. 77-96 zur Überlieferung der Schriften und Briefe der Konzilszeit in *Sammelhandschriften*
- 30 S. Iaria, *Enea Silvio Piccolomini und Pius II.: Ein Vergleich unter der Perspektive des Konziliarismus mit Ausblick auf die Reformation*, in: *Nach dem Basler Konzil. Die Neuordnung der Kirche zwischen Konziliarismus und monarchischem Papst (ca. 1450-1475)*, cur. J. Dendorfer – Cl. Märtl, in *Pluralisierung und Autorität*, 13, Berlin 2008, pp. 97-119
- 35 M. Wagendorfer, *Die Schrift des Eneas Silvius Piccolomini*, in *St. e testi*, 441, Città del Vaticano 2008
- K. Enenkel, *Die Erfindung des Menschen. Die Autobiographik des frühneuzeitlichen Humanismus von Petrarca bis Lipsius*, Berlin u.a. 2008, pp. 266-329
- 40 H. Tietze, *Die Bulle 'Execrabilis' Pius' II. aus dem Jahr 1460 und ihre Auswirkungen auf die Konzilsappellationen in der zweiten Hälfte des 15. Jahrhunderts*, *Concilium medii aevi*, 12, 2009, pp. 205-223 <http://cma.gbv.de/dr,cma,012,2009,a,07.pdf>
- 45 Cl. Märtl, *Tommaso Parentucelli, Pietro da Noceto, Petrus de Bonitate und Enea Silvio Piccolomini*, in *Päpste, Privilegien, Provinzen. Beiträge zur Kirchen-, Rechts- und Landesgeschichte. Festschrift für Werner Maleczek zum 65. Geburtstag*, cur. J. Gießauf – R. Murauer – M. P. Schennach, in *Mitteilungen des Instituts für Österreichische Geschichtsforschung, Ergänzungsband 55*, Wien – München 2010, pp. 291-311
- 50 R. Lamboglia, in: *The Encyclopedia of the Medieval Chronicle*, cur. G. Dunphy, Leiden – Boston 2010, pp. 1214-1215
- M. Watanabe, *Nicholas of Cusa. A Companion to his Life and his Times*, cur. G. Christianson – Th. M. Izbicki, Farnham Surrey – Burlington VT 2011, pp. 75-80
- 55 Empfohlene Zitierweise: *Pius II papa, Commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt*, http://www.geschichtsquellen.de/repOpus_01777.html, 2014-08-05
- Source: http://www.uni-mannheim.de/mateo/itali/autoren/pius_itali.html

Cf. INDEX ON CAMENA

Pius II (Aeneas Silvius Piccolomini) The Humanist Pope
 Ady, Cecilia M. (Cecilia Mary), 1881-1958. Pius II, Pope, 1405-1464. London, Methuen, 1913.

5

<http://archive.org/stream/piusiieneassilvooadycuoft/piusiieneassilvooadycuoft>



- 10 **L'ŒUVRE LITTÉRAIRE DE PIE II . Trois exemples des talents littéraires de ce pape peu ordinaire... Apud : <http://www.vialupo.com/pie-ii/oeuvre-litterature.html>**

MANUEL PÉDAGOGIQUE:

- 15 TRACTATUS DE LIBERORUM EDUCATIONE AD LADISLAUM UNGARIAE ET BOHEMIAE REGEM .

Pendant son séjour en Autriche à la nonciature, le futur Pie II écrivit en 1450, un traité d'éducation à l'attention du jeune roi de Hongrie et de Bohême Ladislas, alors âgé de 12 ans. En une cinquantaine de chapitres, Æneas Sylvius Piccolomini traite successivement de l'éducation du corps et de celle de l'esprit. Il attache une grande importance à la santé, et donne des conseils sur la façon de nourrir les enfants et de fortifier leur tempérament ; il recommande en même temps d'éviter les commodités superflues et se prononce en faveur du système d'endurcissement du corps. Mais c'est l'éducation de l'esprit qui le préoccupe surtout : « Nihil est in terrâ pretiosius, nihil prsestantius illuminato intellectu » (« Rien n'est plus précieux, rien n'est plus beau qu'un esprit éclairé »). Il passe successivement en revue les différentes branches de son programme d'instruction, qui ne sont autres que les sept « arts libéraux » : grammaire, rhétorique, dialectique, musique, géométrie, arithmétique, astronomie ; il s'étend très longuement sur la grammaire, donne des préceptes de style, et recommande, comme le meilleur moyen de se former à l'art de la parole, la lecture assidue des poètes, des historiens et des orateurs, particulièrement de Cicéron. A noter que le jeune prince ne bénéficia guère des conseils de son si docte maître : il fut chassé par ses sujets hongrois à cause de sa cruauté et de ses vices et mourut peut après à dix-neuf ans à peine.

ROMAN.

- 35 HISTORIA DE DUOBUS AMANTIBUS

Ecrit à partir de 1458, « Historia de duobus amantibus » (« L'Histoire de deux amants ») fut le roman d'amour le plus traduit en France et en Italie au XVIe siècle. Il raconte l'amour sensuel sans honte ni réticence d'Euryale et de Lucrèce. Il s'agit d'un roman épistolaire dans le style du Boccace, genre en vogue jusqu'au XVIIIe siècle qui se passe à Vienne en 1444. Dès que l'histoire fut connue, il y eut au

40

quinzième siècle environ 32 copies manuscrites ou éditions incunables. Elle a été illustrée de onze enluminures peintes.

HISTORIEN DE SON TEMPS


COMMENTARIJ RERUM MEMORABILIJUM QUAE TEMPORIBUS SUIJ 5 CONTIGERUNT

- C'est surtout dans ses Commentaires autobiographiques, écrits en latin dans un style plein d'humour et de fraîcheur, que Pie II fit preuve de tous ses talents d'historien au regard aiguisé et au style enlevé. Les pages de bravoure y abondent telles celles décrivant son élection, le congrès de Mantoue, le cardinal d'Arras, le tyran
10 Sigismondo Malatesta mais aussi sa petite chienne Musetta. Ses descriptions de Tivoli, d'Ostie et de bien d'autres lieux découverts lors de ses voyages, démontrent également des talents certains de géographe. Pour rendre plus vivant cette œuvre descriptive, il la parsème d'observations de larges descriptions de la nature, qui
15 préfigurent Goethe ou Rousseau, de remarques et de réflexions personnelles très originales. L'ouvrage fut publié 20 ans après sa mort, en 1584, par le cardinal Cardinal Francesco Bandini Piccolomini

Apud Monumenta Germaniae Historica:

Pius papa, II.>/ 1448-1464 (1405-1464)Bn 90700 bis Bn 91699
 Lebensdaten: 1405-1464
 Angaben zur Person: Pius II. Papst>: Eneas siluius der bapst Pius genandt wart:wie im tromet das er in das reich der künigin ... 1519. (VD16 P 3119); Pius II. Papst>: Eneas Siluius von hoefen hofleuten vnd dienern der Fürsten. Verteutscht durch Herr ... 1529. (VD16 P 3128); Beccadelli, Antonio degli: Chronologia vitae Alphonsi et Ludovici XII. Galliae regis. 1585. (VD16 B 1316); Pius II. Papst>: AENEAE SILVII SENENSIS DE BOhemorum origine, ac gestis historia, uariarum rerum ... 1538. (VD16 P 3104); Pius II. Papst>: PII.II.PON.M. ASIAE EVROpae[s?]elegantiss. descriptio, mira festiuitate tum uete[RUM] tum ... 1531. (VD16 P 3097); Pius II. Papst>: Ein Liebliche vnd Varhafftige History Von zweien Liebhabenden Menschen Euriolo vnnd ... 1560. (VD16 P 3114); Beccadelli, Antonio degli: Chronologia vitae Alphonsi et Ludovici XII. Galliae regis. 1589. (VD16 B 1317); Plinius Caecilius Secundus, Caius: Compendium Romanae historiae. 1544. (VD16 ZV 12579); Pius II. Papst>: Germania Enee Siluij In qua Candide Lector continentur. Graeamina germanices[Nationis]. ... 1515. (VD16 P 3125); Pius II. Papst>: Eneas Siluius: darnach Bapst Pius Secundus genand, Der gelerts aller Bepst, sagt von ... 1539. (VD16 P 3120)
 Bibliograph. Nachweise: LMA,VI,2190/92
 Weitere Informationen

- 20 **The following address directs to many texts by Piccolomini
 Silvius, Aeneas (Enea Silvio Piccolomini) Pope Pius II, 1405-1464
<http://www.philological.bham.ac.uk/bibliographI/sf.html>
 Finis Operis**



Constantinopolis Κωνσταντινούπολη Contantinopla
330-1453

